
Digitized by Google

BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III
II
SUPPL.
PALATINA
C
12
NAPOLI



II Suppl. Palat. C 12

650870

CORNELII IANSENII

EPISCOPI IPRENSIS

ET

In Acad. Lovan. S. Th. quondam Prof.

PENTATEVCHVS,

SIVE

COMMENTARIVS

IN QVINQVE LIBROS

MOYSIS.

PARISIIS,

Apud GEORGIVM IOSSE, viâ Iacobæâ, ſub ſigno Coronæ Spineæ.

M. DC. LXI.

CVM APPROBATIONE DOCTORVM.

REVERENDISS. ET EXIMII
D. CORNELII IANSENII
S. TH. DOCT. ET EPISC. IPRENSIS
ELOGIVM,
EX BIBLIOTHECA BELGICA CL. V. VALERII ANDRÆÆ. Deſſelij, I. V. D. & Profeſſ. Regij Lovanij.

CORNELIVS IANSENIVS, Leerdamenſis, apud Batauos honeſtis Catholiciſque natus parentibus anno Domini CIↃ IↃ LXXXV. die SS. Simoni & Iudæ ſacro, ab ipſa propè infantia ſpecimen memoriæ atque ingenij ſingularis exhibuit. Nam Vltraiecti iis dans operam artibus, quibus erudiri, atque informari ad humanitatem puerilis ætas ſolet, cæteros longo poſt ſe relinquens interuallo, eorum velut dux, ac præceptor ad ſumma quæque propetabat Miſſúſque inde Louanium ad Gymnaſium, quod ab inſigni domus nomen Falconis retinuit, diſciplinis Philoſophicis ita grauiter feliciterque incubuit, vt ſtudij biennalis decurſo ſtadio, cæteris commilitionibus, in Academico quatuor Pædagogiorum concurſu, ingenij palmam ac prærogatiuam loci facilè præripuerit. Pari fecilitate paleſtræ deinde Theologicæ nomen dedit, hęſitque lateri IACOBI IANSENII, gentilis ſui, viri in omni pietatis, ac ſcientiæ genere verè eximij, quem vt parentem obſeruabat, & apud quem penè filij loco erat. Hinc viſcendæ Galliæ cupido inceſſit, ingenij ampliùs excolendi, ac linguarum potiſſimùm cauſsâ, & Lutetiæ Pariſiorum in celeberrimo illo ſcientiarum Artiumque omnium theatro, aliiſque Galliæ Academiis annos ipſos duodecim verſatus fuit, vimque illam ingenij ſui omnibus palàm notam fecit, omniumque, præſertim eruditorum, atque adeò ipſius Sorbonæ, in ſe ſtudia animoſque conuertit, miran-

tium, & quærentium identidem, vnde, quis, qualiſve Theologus ille eſſet IANSENIVS. Eóque factum eſt, vt Louanium velut poſtliminio reuerſus ſæpiùs de grauiſſimis fori interioris quæſtionibus è media Gallia conſuleretur. Hic enim ſupremo in Theologia Magiſterij titulo anno CIↃ. IↃC. XVII. donatus, Profeſſorque Ordinarius, breui quoque tempore eam de re opinionem apud Academicos omnes excitauit, vt præ IANSENIO alius magis idoneus non fuerit iudicatus, qui nomine eiuſdem Academiæ bis legatus in Hiſpanias mitteretur. Vbi quâ prudentiâ, ac dexteritate ſeſe geſſerit, tum apud Regem Catholicum, tum in Academiis Salamaticenſi, ac Valliſoletana, feliciſſimus vtriuſque legationis euentus docuit. Anno CIↃ. IↃC. XXX. ad ſacrarum litterarum Profeſſionem Regiis auſpiciis promotus fuit, annóque pòſt quinto ad Cathedram Iprenſem nominatus, eodem nimirum die, quo natus, ac vertente anno, eodem ſimiliter die, in Epiſcopum conſecratus, annum tunc agens primum ſupra quinquageſimum. Verùm, vt ſunt fluxæ, ac caducæ res humanæ, vix anno cum dimidio in ea dignitate exacto, digniſſimus ille vitâ longiori Præſul cum ſumma omnium conſternatione, ac mœrore extinguitur, anno CIↃ. IↃC. XXXVIII. pridie Nonas Maij. Vir certè fuit, vt de cæteris eius virtutibus, de pietate ac religione in Deum, de vitæ modeſtia morúmque diſciplina, comitate atque affabilitate nihil dicam, vel maximè prudentiâ conſpicuus, quippe qui hoc vnum in primis cauebat, ne quid ageret vel loqueretur, quod aut reprehenſum, aut reuocatum optaret. Certabat in fœcundiſſimo illo ſcientiæ omni fariæ pectore ingenium cum iudicio, labor cum induſtria conſtantiáque; vt qui nullum ſibi labi aut perire tempus pateretur, quo non, aut legeret, aut notaret, aut diſceret aliquid, vt ſummum quinas, aut quaternas, ſæpè etiam pauciores horas ſomno indulgere ſolitus. Vnum ferè è SS. Patribus vitæ ſuæ ducem, ſtudiorumque magiſtrum delegerat Auguſtinum; cuius opera omnia ferè decies, libros verò de gratia diuina & libero arbitrio pluſquam tricies à capite ad calcem decerptis, & in aduerſaria per claſſes diſtributis, quæ in rem videbantur, euoluerat, atteſtante hoc de eo LIBERTO FROMONDO, S. Theol. Doctore, & IANSENII in cathedra Louanienſi ſucceſſore, dum præfatur ad Criſin ſuam, quam repoſuit Cauſæ deſperatæ Gisb. Voetij, pro eodem IANSENIO.

ELOGIVM
REVERENDISSIMI DOMINI
CORNELII IANSENII
IPRENSIS EPISCOPI.

Gandenſis obiit anno 1576. Iprenſis natus an. 1585.

SOl cadit exortúſque ſuæ diſpendia lucis
Æternis reparat vicibus. Vix maximus ille
IANSENIVS, *ſol, Ganda, tuus fatalibus vmbris*
Occiderat; nouus emicuit IANSENIVS *orbi.*
Quàm ſtudiis, virtute pares, & honoribus ambo!
Vel Phœnix erat in tumulo renouatus odoro:
Aut mens terrenos eadem migrarat in artus,
Cùm curis hominum nondum deſueta caducis;
Lethæo biberat nec adhuc obliuia riuo.
Omnia ſic eadem, tituli, ſapientia, nomen.
Ergò tuum ſolem (terris quando inuida fata
Tantùm oſtenderunt) perge æternare canendo;
Heſperiiſque iubar viſum fac nouerit Ortus.
Patria. *Sic magnæ, miror Ipra, queas nil cedere Gandæ.*
Lerdamum, hæreſcon denſà in caligine, fudit
Religio. *Non fidei extorrem, pingui non aure Batauum.*
Studia in Belgio. *Illic Pieridas, Stagyritica ſcita Louani*
Hauſit, vbi famæ permiſit vela ſecundæ
Apud exteros. *Socratidum Princeps. Auxit plus Gallia nomen,*
Optauitque ſuis Sorbona ornare corymbis.
Fit Doctor Louanienſis *Maluit eſt Grudiis iactari Doctor Athenis.*
1. Præſes Pulcheriæ. *Gymnaſtes Batauum hic primus priuéque palàmque*
Profeſſor. ordinarius. *Argumenta rotat: mox publica ſcamna, Profeſſor*
Dictatis celebrat, diuinæ laude Sophiæ
Legatus Academicus. *Eximius. Petit Heſperias Academicus vrbes*
Salamanticæ & Valliſoleti. *Orator; miratus Iber, Rex annuit omnia,*
Et ſacræ plauſu paſſim excepère paleſtræ.
Rector Vniuerſitatis. *Tunc redit, occiduis vt Eous Phœbus ab oris.*
Purpurea in trabea Rector dat Iura Magiſtris.
Profeſſor Regius Sacræ Scripturæ. *Regius interpres diuina oracula pandit,*
Implicitáſque aureis ſermonibus alligat aures.
Scripta. *Aurum eſt quod loquitur, quod dictat; ſcribit in auro.*
Seu cùm collaudat virtutis ad ardua Patres
Annixos, pietas quos priſca rigòrque iuuabant,

Temperat hæreticum contra, ceu pharmaca virus,
Spongia vel Batauas cogit muteſcere ranas;
Opera poſthuma. *Et pacis dirimit myſtes certamina Regum.*
Nec minus interea condit Tetra Pentaque-teuchum,
Æternúmque premit pluteis opus, Auguſtinum;
Gratum opus Africolis, quibus eſt ſua Gratia tuta.
Creatur Epiſcopus Iprenſis. *At tanto ſchola ſole minor, vix lumina quibat*
Porrò pati: medio Eccleſiæ ſuccedit Olympo
Ætatis feruente die, mitráque pedóque
Fulgidus Iprenſem conſcendit Epiſcopus axem.
Moritur. *Ah radios moderare tuos, Sol prodige lucis!*
Vndiuagos medio neu curſu attolle vapores,
Neu malè collectâ te perge abducere nocte.
Fruſtra eſt. Indomitus nimbis calor æthera nubi
Séque oculis hominum densâ eripit abditus vmbrâ.
Heu chaos, & mediâ Eclypſis mæſtiſſima luce!
Hei tenebras, noctémque grauem: quâ mergeris Ipra!
Cunctis ille quidem, tibi ſed magè namque dolendus
Interitus; niſi fors ſolari paucula poſſint.
Nam facit occumbens, pluat vndique & æthra tonitru
Clara ſonet: monumenta Viri cùm poſthuma famæ
Laude per aſtra volant, ditantque aſpergine terras.

Pangebat IOANNES ANT. A GVRNEZ
Cong. Oratorij Presbiter.

CENSVRA
ACADEMIÆ PARISIENSIS.

INcertam de proſtrato errore Pelagiano victoriam ferè iam reddiderat quorumdam incauta ſentiendi & ſcribendi libido; niſi Illuſtriſſimus & Reuerendiſſimus Epiſcopus Iprenſis D. *Cornelius Ianſenius* ſingulari Dei prouidentiâ extitiſſet, qui piis multorum deſideriis ſatisfaciens, antiquæ ſaniorisque doctrinæ placita reponeret in ſuo *Auguſtino*. Quo quidem in libro quod in Eccleſiæ fide, & quotidianis præcibus, profundiſſimóque omnium Theologorum Magiſtro latebat, aperuit, theſauroſque gratiæ & charitatis abſconditos fidelium intelligentiæ tam luculenter patefecit, vt auſim dicere, vix aliquem à B. Auguſtini temporibus extitiſſe, qui naturæ ſtantis vires, lapſę vulnera, & gratię per Ieſum Chriſtum liberatricis naturam, efficaciam, neceſſitatem penitius viderit, eruditiúſque explicarit. Quamobrem cùm hoc Magnum Opus fundatiſſimam in Scripturis doctrinam contineat, nihilque alienum doceat à mente Eccleſię Catholicę, Apoſtolicę, & Romanę, dignum profectò eſt, quod ab omnibus quàm ſtudioſiſſimè legatur; vt homines proprię infirmitatis conſcij humilientur ſub potenti Dei manu, & ingenita vulnera agnoſcentes ad Medicum recurrant, quo Chriſtianos ſe re & verbis profiteantur. Datum apud Sorbonam tertiâ die Decembris, Anno reparatę Salutis 1640.

APPROBATIO CENSORIS.

COmmentarius hic Reuerendiſſimi D. CORNELII IANSENII *Epiſcopi Iprenſis in quinque libros Moyſis, Diſcipulorum calamis exceptus, purum putum Scripturæ ſenſum ex ſolidioribus ſanæ doctrinæ principiis, ac potiſſimum S S. Patrum ſcriptis erutum exponit, tanta vbique veræ eruditionis luce, vt licet mole ſit exiguus, fructu tamen vberrimum, ampliſſimúmque merito cenſeam. Dat. Louanij die 5. Martij anno 1641.*

IACOBVS PONTANVS S. Theol. Doctore Apoſtolicus, ac Regius librorum Cenſor.

CORNELII

CORNELII IANSENII EPISCOPI IPRENSIS IN PENTATEVCHVM MOYSIS.

PRÆFATIO IN PENTATEVCHVM.

PENTATEVCHVS quaſi quinque voluminum liber vocatur: quam diuiſionem Philo lib. de mundo (ſi tamen eſt liber eius) à Moyſe factam indicat, dum primum librum ab eo Geneſim inſcriptam tradit; ſed in vtroque videtur falli. Nam cum Hebræi omnibus reliquis ſcripturæ libris à materia vel auctore nomen dederint, ſolos illos quinque à primis vocabulis nuncupant, quæ potius continuationem narrationis, quam ſeparationem præ ſe ferunt. Vnde cùm Latini & Græci ab argumentis eos nominent, veriſimile eſt 70. Interpretes primam illam feciſſe diuiſionem. Vnde & Chriſtus Dominus eos non citat niſi vel generaliter ſub nomine Moyſis, Luc. 16. & 20. Ioannis 5. vel legis Moyſis vt Lucæ vlt. ſicut etiamnum à Iudæis vocantur. Ex quibus locis, & omnium tam Patrum quàm Iudæorum conſenſu perſpicuum eſt Pentateuchi Auctorem eſſe Moyſen, aduerſus hæreticos Nazaræos, qui teſte Epiphanio hæreſ. 18. Moyſen quidem fatebantur, ſed dicebant fictos eſſe illos libros, & nihil horum quæ narrantur à Patribus factum eſſe, quos Manichæi ſcriptos à Moyſe, ſed à Principe tenebrarum ei dictatos delirabant, vt Aug. lib. de hæreſibus. Non ſic tamen à Moyſe ſcripti ſunt, quin aliquæ partes eius à nonnullis additæ dici poſſint vt mors Moyſis, & nomen Dan, Geneſ. 14. & quædam alia; quamuis & iſta nonnulli & mortem ipſam ſuam propheticè ſcripſiſſe Moyſen ſentiat Philo in fine lib. 3. de vita Moyſis, & Ioſeph. 4. Antiquit. cap. 8.

Porrò qualis & quantus fuerit Moyſes tribus libris proſecutus eſt Philo, & vno Gregor. Nyſſenus, in quo totius vitæ geſta myſticè ad exprimendos viri perfecti mores transfert. Sed ex nemine certiùs quàm ex his libris intelligi poteſt. Ex eis enim conſtat fuiſſe ſummum Hiſtoricum, ſiue veritatem primam Hiſtoriæ laudem ſpectes, ſiue longiſſimi temporis ſeriem: fuiſſe Poëtam inſignem probant pulcherrima duo cantica Exod. 15. & Deuteron. 32. Rhetorem eloquentem oratio Iudæ ad Ioſeph: ſublimem Philoſophum ea quæ de mundo inſpiratus diuinitùs tradidit: Theologum eminentiſſimum ſublimis illa diuinorum attributorum commendatio, tota

diuini cultus inſtitutio, & familiariſſima cum Deo conuerſatio: Pontificem ſummum Aaronis conſecratio: legiſlatorem perfectiſſimum religionis & reipub. Iudaïcæ conſtitutio: Prophetam Chriſto ſimillimum, Deus ipſe Deuter. 18. Denique, ſi diuina ſpectes, os ad os loquens cum Deo; ſin humana, eruditus in omni ſapientia Ægyptiorum, vt ait S. Steph. Actor. 7.

Porrò quamuis ex illo Actor. loco fateri cogamur aliquos fuiſſe ſapientiæ Profeſſores apud Ægyptios, antequam Moyſes naſceretur, illa tamen eorum doctrina quæ appellata eſt ſapientia, non aliud fuit iuxta Aug. lib. 18. cap. 39. de Ciuitate, niſi maximè Aſtrologia, & ſi quid aliud talium diſciplinarum magis ad exercenda ingenia quàm ad illuminandas verâ ſapientiâ mentes valere ſolet. Nam qui primus omnium circa diuiniorem illam ſapientiam philoſophatus reperitur, eſt Mercurius ille Triſmegiſtus, ſed Moïſe aliquantò poſterior. Nam Euſebius in Chronico, & Aug. loc. cit. tradunt tempore Moyſis vixiſſe Athlantem illum magnum Aſtrologum Promethei fratrem maternum, auum Mercurij maioris, cuius iſte Triſmegiſtus nepos fuit. Ex quo fit vt Moyſes omnes omnino Scriptores ſiue ſacros, ſiue profanos, quorum aliquid apud gentiles reliquum eſt, antiquitate ſuperet. Nam ſi antiquiſſimos illos Theologos Poëtas ſpectes, Linum & Amphionem facilè 150. annis præcedit, Orpheum & Muſæum diſcipulum eius ducentis: Homerum cuius poëmate nullam Græcos ſcriptionem antiquiorem habere putat Ioſeph. lib. 1. aduerſus Appionem ferè 500. Thaletem primum Phyloſophum phyſicum, octingentis: Pythagoram, facilè 900. Poſt quem tandem illi notiſſimi Philoſophi Socrates, cum diſcipulis Platone, Ariſtotele & cæteris, totaque Græcorum eruditio erupit.

Ex quibus conſtare poteſt quàm longè à vero Philo Iudæus abeat, dum tradit lib. 1. de vita Moyſis, magnis pretiis inuitatos è Græcia, qui Moyſi liberales artes traderent. Nam vt obſeruat Aug. nemo dicere audebit mirabilium diſciplinarum eos peritos fuiſſe antequam litteras noſſent. Has autem Græcis Cadmum tradidiſſe communis habet opinio, qui facilè 100. annis poſtquam Moyſes fugiſſet ex Ægypto, Thebis imperare cœpit. Et hæc eſt cauſa cur multę Gentilium fabulę antiquiſſimę aliquâ ex parte cum veritate conſentiant, quia ex doctrina Moyſis adulteratâ mutuatæ ſunt.

De tempore quo Moyſes Pentateuchum ſcripſerit, veriſimilior eſt (quidquid Pererius dicat) opinio Theodoreti quæſt. 1. in Geneſim, qui putat &c. Geneſim & cæteros libros eſſe ſcriptos, quando cum Iſraëlitis in deſerto morabatur. Nam ad rudis illius populi inſtitutionem mundi creatio Patriarcharumque geſta ſcripto conſignata ſunt, cætera vt in deſerto ipſe vidit & geſſit. Vnde argumentum Pentateuchi non eſt aliud niſi Chronologiam & breuiſſimam rerum à Patriarchis geſtarum ſeriem à primo mundi conditi momento vſque ad mortem ſuam, per bis mille quingentos & amplius annos texere. Qua de cauſa ſicut Hiſtoricum diuinitùs inſpiratum decet, nullis rationibus aut argumentis vtitur ad fidem rebus narratis adſtruendam, ſed ſimplici planâque oratione.

PRÆFATIO IN GENESIM.

P*RIMVS Pentateuchi liber inſcribitur Geneſis, hoc eſt, generatio, à prima præcipuaque parte eius, quia mundi creationem hiſtoricà narratione tradit; quamuis & alia, mundi ſcilicet conditi Chronologiam vſque ad mortem Ioſephi contineat. Prima Geneſeos duo capita difficultatibus inexhauſtis plena ſunt, vſque adeo vt Theophilus Antiochenus lib. 2. ad Autolicum dicat, tantas eſſe diuitias diuinæ ſapientiæ quæ latent in hexamero, vt nullus homo poſſit eius vel ordinem vel diſpoſitionem pro dignitate eloqui. Vnde cum S. Aug. experiri voluiſſet quid in iſto negotioſiſſimo ac difficillimo opere litteralis explicationis valeret, tyrocinium eius ſub tanta ſarcinæ mole ſuccubuit, vt ipſe teſtis eſt lib. 1. Retractat. cap. 18. Origenes rei molem & perplexitatem veritus, omnia ad allegorias tranſtulit, non vt Aug. duobus lib. aduerſus Manichæos fecit, qui memor quid voluerit nec potuerit, non deſperabat ea poſſe etiam ad litteram intelligi, ſed ita vt prorſus Hiſtoriæ veritatem tolleret: cuius idcirco expoſitiones Baſil. Hom. 3. & 9. in Geneſim tamquam anilibus fabulis & ſomniorum interpretationibus non abſimiles ridet, ac damnat Eccleſia. Quamobrem in ſecretis hexameri indagandis duo extrema cauenda ſunt: Primum, ne relicto ſenſu litterali quem verba præ ſe ferunt, ad allegoricas expoſitiones declinetur. Cum enim narratio Moyſis non ſit genus locutionis figuratarum rerum, ſicut in Cantico Canticorum, ſed hiſtorica rerum omnino geſtarum expoſitio, neceſſe eſt eam primitùs proprio & litterali ſenſu accipere quem verba præ ſe ferunt, vt deinceps indagari poſſit quid iſta etiam figuratà ſignificatione commoneant. Vnde S. Ambroſ. in Pſalm. 38. hiſtoricum naturalemque ſenſum initio Geneſeos proprium eſſe tradit. Alterum, ne in indagando ſenſu hiſtorico & litterali, nimium humanæ Philoſophiæ vel tribuamus, vel derogemus. Nam iuxta D. Aug. lib. 1. de Geneſi ad litteram cap. 21. quidquid Philoſophi de natura rerum veracibus documentis demonſtrare potuerunt, oſtendere debemus noſtris litteris non eſſe contrarium: quidquid autem eis contrarium protulerint, oſtendere aut nullà dubitatione credere, eſſe falſiſſimum. Sed in reliqua illa variarum opinionum farragine quam de naturalibus rebus Philoſophi fabricarunt, non Scripturæ ſenſus præconceptæ Philoſophiæ, ſed Philoſophia Scripturis aptanda eſt, vt illum potiſſimum ſenſum eligamus, quem certum apparuerit eum ſenſiſſe quem legimus, vel certè quem circumſtantia Scripturæ magis poſtulat, aut ſaltem non impedit. In ipſis autem rerum naturalium obſcuritatibus perſcrutandis, rectè monet Auguſt. lib. de Geneſi imperfecto, cap. 1. non affirmando, ſed quærendo, eſſe tractandum: eò quòd, inquit, in libris quos nobis commendat authoritas, temeritas aſſerendæ incertæ dubiæque opinionis difficilè ſacrilegij crimen euitat. Qua de cauſa, ipſemet Auguſt. in illa ſua operoſiſſima lucubratione in Geneſ. plura eſſe dicit quæſita quàm inuenta: eorum quæ inuenta ſunt, pauciora firmata. Quæ tamen ipſa nunc à multis etſi nullo indicio vel argumento magis inclaruerint, confidentiſſimè aſſeruntur. His igitur cautionibus inſtructi, Deo duce explicationem Geneſis aggrediamur.*

CAPVT I.

IN PRINCIPIO. Septem horum verborum expoſitiones profert D. Ambr. lib. 1. Hexameron cap. 3. ſed tres ex iis celebriores ſunt, quas tangit D. Aug. lib. 1. de Gen. ad litt. c. 1. Prima vt ſimpliciſſima eſt, ita nonnulli recentiores maximè literalem putant. IN PRINCIPIO, id eſt, in exordio rerum conditarum ſiue ante omnia: quemadmodum, inquit Tertull. lib. aduerſus Hermogenem c. 19. dixiſſet, In fine fecit Deus cælum & terram, ſi poſt omnia feciſſet. Tetigit eam Aug. l. 11. de Ciuit. c. 6. & 12. Confeſſ. c. 28. Sed iſte ſenſus neceſſariò per alium iuuandus eſt, quo ſic Deus ante omnia cælum & terram feciſſe intelligatur, vt ea non ab æterno, ſed IN PRINCIPIO ſiue ab initio temporis fecerit: mundum enim incœpiſſe, hoc eſt ab æterno creatum non fuiſſe fides docet, quæ maximè ex hoc loco hauſta videtur. Vnde præterquã quòd Patres plerique ſic exponant, vt Tertull. loco citato, Athan. l. 3. contra Arianos, Baſilius. Ambr. & alii, Conc. Later. videtur hunc ſenſum ſcripturæ declaraſſe: Firmâ, inquit, fide credendum eſt, Deum ab initio temporis ſimul vtramque de nihilo condidiſſe creaturam, ſpiritualem & corpoream, Angelicam & mundanam.

Tertia expoſitio eſt, IN PRINCIPIO, hoc eſt, in Filio, qui ſecundum fidem Scripturæ eſt principium in quo, vt eſt ad Coloſſ. 1. condita ſunt vniuerſa. Myſticum & ſymbolicum vocat iſtum ſenſum quidam recentior; ſed Aug. expreſsè negat l. 1. de Geneſ. ad litt. c. 1. & lib. de Geneſi imperfecto c. 3. & eſt penè omnium veterum Patrum quorum de hoc loco ſcripta videre potui, vt Aug. toto Serm. 14. de diuerſis, & alibi ſæpiſſimè. Hier. in traditionibus Hebraïcis, Ambr. & Baſilii in Hexameron, Theoph. Alex. l. 2. ad Autolicum, Athanaſii lib. de Incarnatione Chriſti, Tertulliani, ſup. Irenæi l. 2. c. 2. & aliorum quorum plerique illo ſenſu tamquam litterali aduerſus hæreticos citatis locis vtuntur. Itaque conuenientiſſimum puto, vt iuxta regulam à Diuo Aug. de hoc ipſo Scripturæ loco traditam l. 12. Confeſſ. c. 26. 27. & 28. tres illi ſenſus litteraliter & gradatim ſimul indicentur; vt ex primo Iudæi tamquam paruuli ac rudiores intelligant non Angelos aut aliud quidquam, vt multi putauerunt, ante cælum & terram fuiſſe conditum: ex 2. mundum incœpiſſe doceantur, aduerſus Ariſtotelem qui æternum putauit: ex tertio verò ſciant doctiores primam rerum cauſam per conceptũ ſapientiæ ſuæ qui eſt verbum Dei, ideoque conſequenter ſummâ libertate voluntatis mundum condidiſſe, contra Epicurum & alios Philoſophos; quorum ille fortuito atomorum concurſu, hi neceſſitate naturæ à Deo productum eſſe cenſuerunt. Cabaliſticam expoſitionem acutam, qua certa characterum commutatione ſolius nominis Hebraïci בראשית *Bereſchit*, operatio creantis Trinitatis & quies eius totiuſque mundi cum partibus productio ſignificatur, vide ex Eptaplo Ioan. Pici Mirandulani l. 3. apud Sixtum Senenſem. CREAVIT non ex ſubiacente materia, ſed ex nihilo, vt explicatur 2. Machab. 7. & Eccleſ. 18. Itaque iugulatur hîc error antiquorum Philoſophorum qui poſuerunt materiam Deo coæternam ex qua mundum fecerit, vt Pythagorici & Zeno cum Stoïcis ſuis, ipſeque Plato, itemque hæretici quos Materiarios vocat Tertull. lib. aduerſus Hermog. c. 25. qualis in primis fuit iſte Hermogenes & Marcion apud Tertull. Hermiani apud Aug. hæreſi 59. Magis tamen ex rei natura aliiſque Scripturæ circunſtantiis & locis quàm ex ſolo verbo creandi, ſiue Latino ſiue Græco ſiue Hebraïco, productio mundi ex nihilo conuinci poteſt. Nam paſſim iſta verba tam Scripturæ quàm ſecularium & Eccleſiaſticorum authorum vſu aliter vſurpantur, vt ex eodem c. v. 27. & Theodoreto q. 14. in Geneſim, & Aug. creationem ex ſemine ſæpius aduerſus Iulianum vſurpante, manifeſtum eſt.

DEVS, ſolus ſcilicet, non materia, non Angelis adiutus, contra Simonem magum, Menandrum diſcipulum eius, Saturnium, Baſilidem, Carpocratem, & Cherintum, qui omnes vnanimiter docuerunt mundum ab Angelis eſſe conditum, vt eſt apud Tertullianum lib. de Præſcriptionibus c. 46. & 48. ſicut Valentinus à ſuis Æonibus creatum

volebat. Hebraïcè eſt, *Elohim*, id eſt, Dii, *creauit*: vbi plurale iungitur ſingulari ad indicandam, inquiunt recentiores, eſſentiæ creantis vnitatem in perſonarum Trinitate: pia ſed parum efficaci collectione: quam nec Origenes, nec Epiphanius, nec Hier. Hebraïcè peritiſſimi obſeruandam indicarunt: conſtat enim Hebræos maieſtatis alicuius indicandæ cauſa, plurali loco ſingularis vti. Adde teſte Hier. Epiſt. 136. Elohim eſſe communis numeri, quo & vnus Deus, & plures vocari poſſunt, ſicut apud Latinos ſcalæ, Athenæ. Vnde aliquando contingit, vt verbum adiunctum, ſicut hîc eſt ſingulare, ita alibi ſit plurale, vel promiſcuè vtrumuis, vt immeritò hac de cauſa Caiet. à Catharino lib. 4. ânimaduerſionum tam acerbè reprehenſus fuerit.

CÆLVM ET TERRAM. Locus tenebroſus, cui vt lucem aliquam daret D. Aug. quatuor aut quinque eius interpretationes profert lib. de Gen. imp. c. 3. & maximè 12. Confeſſ. c. 17. & 20. Præcipuæ ſunt, vt cælum ſint Angeli, terra materia prima vnde viſibilis mundus factus eſt, de qua latiùs ibid. c. 9. 12. & 13. Secunda, vt cœlum & terra ſit materies quaſi ſemen vtriuſque, quod latiùs explicat lib. 1. de Geneſi cont. Manich. c. 7. Tertia: vt cœli & terræ nomine quaſi duabus magnis partibus totus viſibilis mundus ſignificetur, qui poſteà toto capite per partes explicetur. Tangit hunc ſenſum etiam l. 11. de Ciuit. c. 33. Profitetur tamen ſæpius ſe nullam temerè armare velle cum præiudicio alterius expoſitionis fortaſſe melioris, vt eſt 1. de Gen. ad litterā c. 20.

Primus ſenſus etſi verus eſſe poſſit, videtur tamen myſticus: relinquitur enim propria cœli ſignificatio vt Angelos denotet. Secundus durior & rudi populo minùs congruus maximè, quia eandem totam materiam mox ſolius terræ nomine ſignificari aſſerit, quod multum refutat Tertull. lib. contra Hermog. c. 24. & ſeq. Tertius ſenſus multum placet D. Chryſoſtom. quem & Baſilius homil. 3. à maioribus traditum dicit, & eum apertè tuetur Tertull. lib. cit. cap. 26. & in eum videtur propendere Auguſtinus, ſæpius: & ita nulla eſſet difficultas in explicando quòd nam ſit illud cœlum: eſſet enim quaſi præfatio totius cap. Sed quia multis non immeritò placet aliquod particulare corpus nomine cœli eſſe ſignificatum ſicut hoc de terra manifeſtum eſt, qui hanc viam ingredi maluerit, veriſimilius dicet nomine cœli intelligendum eſſe non omnes omnino cœleſtes orbes, vt multi recentiorum volunt, ſed quidquid cœlorum eſt ſupra ſtellatum hoc firmamentum, ſiue illud ſolum ſit empyreum, ſiue alii præterea cœli. Cælum enim empyreum agnoſcunt non ſolum recentiores: ſed, quidquid tandem aliqui antiquitatis minus periti putent, etiam non pauci veteres, qui illud initio conditum volunt. Nam vt nihil de authoribus mediæ ætatis dicam, Anſelmo, Thoma, Magiſtro, Ruperto: ita docuit Damaſc. lib. 2. de fide cap. 6. Beda initio Hexameri, Theodoretus quæſt. 11. in Geneſ. Baſilius homil. 1. in Hexameron, quod homil. 3. mollioris eſſe naturæ vult quam firmamentum. Hilarius in Pſalm. 122. publicam de illo cælo tanquam ſede Dei opinionem vocat. Origenes lib. 2. Periarchon in fine cap. 3. Hoc cælum à Scripturis voluit vocari cælos cælorum vel cælum cæli, quia omnes cælos inferiores in ſe complectitur. Fundamentum præcipuum huius expoſitionis eſt, quia firmamentum eſſe factum ſecundo die ita clarè Scriptura docet, vt ſine violentia non videatur aliò poſſe torqueri, proinde non poteſt initio factum dici.

ET TERRAM, ſub qua abyſſus & moles aquarum immenſa comprehenditur. Conſuetudo quippe Scripturæ eſt, vt ait Aug. 3. de Gen. ad litt. c. 4. aut cæli & terræ nomine mundum appellare, aut interdum addere & mare: & ſic Deus dicitur communiter creator cæli & terræ. Conſtitutis itaque cælo & terra, tamquam huius machinæ tecto ac pauimento, iam incipit declarare cuiuſmodi fuerint in ſui exordio.

2. TERRA AVTEM. Eadem ſcilicet quam in principio fecerat. ERAT INANIS ET VACVA. Hebraïcè inſtar ſolitudinis, deſerta, propter abſentiam ſcilicet rerum quibus ornatur. Vnde ſeptuaginta & ex iis Aug. &

ferè antiqui legunt, inuiſibilis & incompoſita, quia vt Aug. 1. de Gen. ad litt. c. 13. nondum à mari diſtincta ſeu extracta, & cincta littoribus & ſuis fœtibus, plantis, animalibuſque decorata: & hoc ſenſu Sapientiæ 11. dicitur Deus orbem creaſſe ex materia inuiſa, quia ex rudi illa & confuſa elementorum mole ad illum decorem quem videmus, ſex diebus perduxit.

ET TENEBRÆ ERANT SVPER FACIEM ABYSSI. Abyſſus eſt dicta Græcè quaſi ſine fundo, ſeu profunditas impenetrabilis, vt Aug. in Pſalm. 41. quæ maximè dici ſolet in aquarum multitudine. Significatur ergo fuiſſe immenſam aquarum multitudinem quæ terram texerit, ſic tamen vt *ſuper faciem*, hoc eſt ſuperficiem eius fuerint tenebræ. Quo fortaſſis denotatur etiam non omnia ad cœlum vſque aquis illis craſſioribus fuiſſe plena, ſed ſuper illas infra cœlum fuiſſe corpus diaphanum, ex quo poſtea tenebræ lucis exortu fugatæ ſunt vt notat D. Th. 1. p. q. 68. a. 3. in Corp. Ex aquis enim craſſioribus lux non fugat tenebras niſi ad paucos cubitos: neque enim neceſſe eſt eadem vbique ſpiſſitudine fuiſſe aquas, cum & vapores aquei aquarum naturam ſeruent. Idem rectiſſimè videtur Iob ſignificaſſe, Iob 38. v. 9. *vbi eras cum caligine illud* (mare) *quaſi pannis infantia obuolueres*? ſignificatur enim tenebras corpus tenebroſum exteriùs aquas circumdediſſe. ET SPIRITVS DOMINI FEREBATVR SVPER AQVAS. Ventum intelligi poſſe indicat Aug. lib. de Geneſi imp. cap. 4. debere Tertull. lib. contra Hermog. cap. 32. & verius eſſe Theodoret. q. 8. in Geneſ. & mobilem eius naturam exprimi per verbum, *ferebatur*. Vnde Thargum, *Spiritus ſufflabat ſuper faciem aquarum*: vt ſic quatuor elementa inſinuata ſint, inquit Aug. Sed longè veriſimilius eſt Spiritum ſanctum intelligendum: quia vnanimis ferè Patrum ſenſus eſt & eiuſdem Aug. 1. de Geneſi ad litteram c. 5. & alibi ſæpiùs, & aliorum in Hexameron. Vnde Amb. lib. 1. c. 8. dicit hoc cum ſanctorum & fidelium ſenſu congruere. Significatur ergo quod Spiritus ſanctus vt amor & beneuolentia erga res creandas, ſuper aquas ferebatur, non loco, ſed vt explicat S. Aug. lib. de Geneſi imperf. ſuperante ac præcellente potentiâ, ſicut ſuperfertur voluntas artificis ligno vel rei ſubiectæ ad operandum. Vnde obſeruat ipſe lib. 1. cap. 15. lingua ſyriaca, & vt Hier. hîc linguâ hebraïca ſignificari quod ſpiritus incubabat aquis fouens eas inſtar volucris oua calore animantis: calor enim ille eſt quaſi quidam in ſuo genere dilectionis affectus: ſcilicet, quia ex aquis ſpiritu fœcunditatis pleraque erant producenda. Vnde Eccleſia in benedictione fontium declarat Sacramentum Baptiſmi fuiſſe ſignificatum aquis iam tum virtutem ſanctificationis ex ſpiritu concipientibus. Sic ergo patet totius Trinitatis operationem his duobus verſibus expreſſam, vt à pleriſque PP. obſeruatum eſt.

3. DIXITQVE DEVS, Dictio Dei non ſonus intelligendus, ſed cognitio eius practica ſeu imperium, hoc eſt, rei ſuo tempore faciendæ æterna cognitio ſeu diſpoſitio cum voluntate tunc faciendi. Vnde Amb. l. 1. Hexameron c. 9. Dixit, inquit, vt voluntatis ſuæ diſpoſitionem proderet operationis effectu: & ſic iſta dictio communis eſſet toti Trinitati. Sed quia *dicere* propriiſſimum eſt Patri ſicut *verbum* Filio, hinc plerique veteres Irenæus lib. 4. c. 52. Tertull. cap. 12. aduerſus Praxeam, & alii paſſim, de Patre per Filium dicente, & producente creaturas intelligunt: quod pulchrè exponit Aug. l. 1. de Gen. ad litt. c. 2. Quamuis, inquit, Deo hoc in æterno verbo dicente creatura temporalis facta ſit, æternum tamen eſt in verbo Dei, quando fieri debeat aliquid & tunc fit, quando debuiſſe fieri in illo verbo eſt. Ipſum enim Dei velle eſt facere, ſicut voluntas poteſtas, etſi nos imbecillitate imaginandi illa ſeparemus. Vnde Amb. dicto cap. 9. Non dixit Deus vt ſequeretur operatio, ſed dicto abſoluit negotium. Et pulchrè Pſal. *Dixit & facta ſunt*, quia dictum impleuit effectus.

FIAT LVX. Quænam ſit iſta lux, ardua & abdita quæſtio eſt, & multis ſententiis diſtracta. Alii Angelos, alii nubem aut columnam, aut aliud corpus lucidum, alii lucem Solis informem, alii aliud opinan-

tur, certè res tota ferè in coniecturis poſita eſt: in qua ſicut & in aliis pleriſque Hexameri quæſtionibus ſalubetrimum eſt illud D. Aug. conſilium ſequi l. 2. de Geneſi ad litt. c. 18. vt ſeruatâ ſemper moderatione piæ grauitatis, nihil de re obſcurâ temerè credamus: ne fortè, inquit, quod poſtea veritas patefecerit, propter amorem noſtri erroris oderimus. Hâc moderatione ſeruatâ vt de coniecturis aliquod iudiciũ feramus, magis ad ſacras litteras videtur accedere, ſi dicatur fuiſſe non ſubſtantiam aliquam luminoſam, ſed accidens lucis quod lumen dici ſolet, productum à Deo in corpore luminis ſuſceptiuo, cœlo, aëre, aquis: quod ſenſim luminis ac tenebrarum ſucceſſione ita vtrumque hemiſphærium peteraret (Deo ſucceſſiuè ſcilicet producente) ſicut nunc motu Solis fieri conſtat. Nam in primis ſeptuaginta tranſtulerunt non *lucem*, ſed *lumen*. Deinde ſtudioſè Scriptura diſtinguit luminare & lumen ſeu lucem; nam quarto die quia corpora lucida producta ſunt, luminaria dicuntur facta; hîc verò tantùm lux, non corpus luminoſum: ibi ipſa luminaria dicuntur diſtinguere diem & noctem; hîc verò ipſe Deus tamquam luminis iſtius perpetuus productor. Denique ſic ceſſant multæ perplexæ quæſtiones, quodnam & vbi corpus illud fuerit? quomodo per cœlum vel aquas motum; quid de illo factũ ſit? &c. Sole quippe producto lumen illud per ſe euanuit. Atque hoc videntur voluiſſe Baſil. Homil. 6. in Gen. & Nazianz. oratione in nouam dominicam: tametſi lucem illam ſiue numero, ſiue ſpecie eandem poſteà in Solem coactã velint.

4. VIDIT DEVS LVCEM QVOD ESSET BONA. Quo non oſtenditur, inquit Aug. 1. de Geneſ. contra Manich. cap. 8. eluxiſſe Deo inſolitum bonum, ſed placuiſſe perfectum; quia ſcilicet diuinæ artis regulis ad amuſſim reſpondebat: ſicut conuenientiſſimè dicitur inter homines, vt idem notat de Gen. imp. c. 5. Dixit, factum eſt, placuit, vt in eo quod dixit, imperium; in eo quod factum eſt, potentia; in eo quod placuit, benignitas approbantis iudicetur.

ET DIVISIT LVCEM A TENEBRIS. Non quaſi confuſæ eſſent, ſed eo ipſo diuiſit, vt Aug. ibidem, quo lux facta eſt, hoc eſt, diuiſit eſſentiâ, diuiſit & temporis loci quæ ſucceſſione, quod reſpiciũt verba ſequentia.

5. APPELLAVITQVE LVCEM DIEM, artificialem ſcilicet, id eſt, vocari fecit diem: quatenus ſcilicet eas diſtinxit eſſentiâ & ordinauit ſucceſſione, vt & diſcerni poſſent & iſta nomina accipere, iuxta Aug. 1. de Gen. contra Manich. c. 9. videtur enim indicare nobis ſcriptum iſtis verbis, non inter quamlibet lucem ac tenebras ſic diuiſiſſe Deum, ſed inter illas quæ vocandæ erant dies & nox, vt obſeruat de Gen. imp. c. 6.

FACTVMQVE EST VESPERE, nempe decurſo illo die artificiali quem nominauerat, ET MANE, decurſâ nocte ſubſequente, abſolutus eſt DIES VNVS naturalis quem à Solis ortu vſque ad alium exortum computât. Sicut ergo diem nocti præmiſerat, ita & hic eodẽ ordine finem declinantis diei quẽ veſper propriè ſignificat, præmittit fini noctis quam ſignificat manè, vt obſeruat Baſil. Hom. 2. in hexameron, & qui eum ſequi ſolet Amb. l. 1. c. vlt. vt ſignificet ex luce, ſeu die artificiali qui veſpere terminatur & ſubſequente nocte quæ terminatur manè, eſſe factum *diem vnum*, id eſt, primum cardinali numero poſito pro ordinali, vſitata Hebræis phraſi: qualis eſt Ioannis 20. v. 1. & Danielis 9. v. 2. Ex quo ſoluitur iſta quæſtio an dies initio præceſſerit noctem? apertum eſt enim quod ſic; vt præter Baſil. & Ambr. citatos ſæpius docet Aug. & manifeſtum eſſe dicit Serm. 79. de diuerſis, & ex profeſſo lib. 1. de Gen. contra Manich. c. 10. Quod ſi qui dicunt noctem præceſſiſſe, vt Hilarius lib. de Synodis, per noctem intelligunt tenebras, quas ante lucem præceſſiſſe ſecundùm Scripturarum fidem certum eſt. Sed vt Aug. Serm. cit. illæ tenebræ nondum erant nox; nondum enim præceſſerat dies: neque enim omnis lux dies, aut omnes tenebræ nox, ſed lux & tenebræ certis inter ſe vicibus ordinatæ atque diſtinctæ, vt ex luce lunæ & coruſcationum, ex tenebris cauernarum & aquarum probat de Geneſi imp. cap. 12.

Quantum verò temporis illæ tenebræ lu-

cis exortum anteceſſerint, nouerit ille qui fecit. Coniectant aliqui ſex horas, alii duodecim, ſed nihil certi. Principiis iam dictis de primo die & Scripturis aliis conformius videtur, præceſſiſſe realiter, idque vt minimùm vno momento, vt immediatè ſequenti ſiue momento, ſiue tempore lux effulſerit. Nam Scripturæ docent Exodi 20. & alibi, Deum ſed diebus mundum condidiſſe, & Eccleſia in hymno dominicæ canit: *Primo dierum omnium quo mundus exſtat conditus*. Ex quo fateri cogimur cœlum & terram & abyſſum cum ſuis tenebris primo die fuiſſe conditum, ita ſcilicet vt illud momentum tamquam terminus diurni temporis ad illum primum diem non moraliter tantùm, ſed etiam ſtrictè loquendo pertinuerit.

Porrò dies iſte primus fuit dominicus, vt ex ſabbato tamquam ſeptimo requietis die patet: illum enim ſequitur dominicus tamquam octauus, & rurſum primus, quod Epiſc. in Conc. Paleſt. ſub Victore Papa celebrato congregati, cuius extat fragmentum apud Bedam, hoc ſe credere ſecundum Scripturarum authoritatem profitentur. Eodem die creati ſunt angeli. Ita conſtanter docet Aug. volens eos eſſe ſignificatos vel nomine cœli, vt 12. Conf. c. 9. 12. & ſeqq. vel potiùs nomine lucis, vt 11. de Ciuit. c. 9. & ſeqq. Diſcretio eorum ſignificata eſt per diuiſionem lucis à tenebris. Aug. Latini poſteriores ferè ſecuti ſunt quibus Canon. Conc. Lateran. v. 1. citatus multùm fauet. Nam ante Aug. Græci excepto Epiph. hæreſi 65. & Latini eos ante mundum conditos voluerunt fuiſſe, vſque adeo vt Caſſianus dixerit Collatione 8. c. 7. neminem fidelium de hoc dubitare: ſed hæc opinio meritò nunc exploſa eſt.

Opus ſecundæ diei.

6. FIAT FIRMAMENTVM IN MEDIO AQVARVM; firmamentum Hebraïcè ſignificat aliquid extenſum, non quouis modo, ſed quaſi malleo productum & ſolidatum. Vnde Numer. 16. v. 38. ex eadem radice ſignificantur laminæ percutiendo productæ: & v. 39. producere in laminas, ſicut & textus noſter habet. Iubet ergo Deus his verbis fieri ſolidum aliquod firmamentum in medio illius abyſſi pertingentis à terra vſque in cœlum, quaſi murum quemdam qui diſpeſcat aquas ab aquis. Quod verò iſtud firmamentum, & quæ aquæ? De aquis ſuperis in omnibus ſuis operibus Aug. dubitat: & cùm l. 13. Confeſſ. aliquid aſſeruiſſet, retractat in fine vitæ tamquam inconſideratè dictum, eò quòd res in abdito ſit valde. Vnde monet aliquoties, vt 1. de Geneſ. cont. Manich. c. 11. & de Gen. imp. c. 8. de hac re nihil temerè affirmandum: res enim obſcura eſt, inquit, & remota à ſenſibus hominum. Interim laudat l. 2. de Gen. ad litt. c. 4. diligentiam eius qui ſuo tempore oſtendit etiam aërem vocari cœlũ in Scripturis ſacris, & conſequenter firmamentum diuidens aquas ſuperas vaporum ac nubium ab aquis illis notis inferis: quamuis illam opinionem non ſequatur. Multi tamen recentiores illam propter facilitatem amplexi ſunt; at non de facilitate, ſed Scripturam veritate, nobis curandum eſt. Quibus videtur ſanè magis eſſe conſentaneum vt firmamentum ſint veri cæleſtes orbes. Claris enim verbis infrà dicitur Deus poſuiſſe luminaria, Solem Lunam & Stellas in firmamento cæli, hoc eſt, in illo firmamento vbi ſunt aquæ, vt hebræa ſonant: quod ineptum videtur de illo aëre intelligere. Quod ſi de ſuprema illius immenſi ſpatii parte intelligas, abſurdius adhuc videtur, ſpatium tam immenſum ab exigua illa portione circa terram vocatum eſſe firmamentum diuidens aquas ab aquis; tum quòd nullæ tunc eſſent adhuc nubes diuidendæ vt indicatur c. 2. v. 5. tum quòd firmamentum ipſum totum iuxta Scripturæ huius narrationem videtur fuiſſe interiectum inter duas aquas, eaſque diuiſiſſe, non autem illas in gremio ſuo complexum eſſe, hoc eſt enim fieri firmamentum inter aquas vel in medio aquarum, id eſt, aquas eſſe ſub firmamento & ſupra firmamentum, hoc eſt, illas diuidere. Denique Dan. 3. tres pueri deſcendentes quaſi per ſcalas à ſuprema creatura vſque ad infimam, ſtatim poſt Angelos & cælos ponunt aquas illas ſupra cælos, ac deinde Solem, Lunam, & ſtellas, ac denique ſeparatim

tatim imbres & rores, cæteraque aëris humida metheora: qui ordo & diſtinctio indicata etiam Pſal. 148. modeſtum lectorem quodammodo cogunt credere, alias eſſe aquas quàm nubes ſupra cælum, hoc eſt, ſupra Solem & ſidera. Itaque videtur hîc Deus illam materiam quam antè iam creauerat, denſaſſe & ſolidaſſe, & modis ſibi notis inde formaſſe firmamentum ad ſuſtinendas veras aquas idoneum. Materiam autem illam Dionyſ. lib. de diuinis nominibus, & Ariſtoteles cum tota ſchola Peripateticorum quintam quandam eſſentiam ab elementis diſtinctam eſſe putat: Sed plerique veterum, vt Clemens l. 1. Recognitionum, Ioſeph. l. 1. Antiquitatum, Amb. in Hexameron, & plures alii tradunt, cælos ex veris aquis inſtar cryſtalli eſſe compactos, & ita meliùs intelligi, quomodo Iob c. 37. dicantur cæli ſolidiſſimi quaſi ære fuſi. Nec verò aquarum pondera mouere nos debent: quid ſi enim ſint inſtar vaporum leues, qui vt Aug. notat ſecundo de Geneſi ad litteram cap. 4. quamuis aër leuior ſit aquis, tamen vt ſupra eum ſint nullo pondere prohibentur, quod etiam ſimilitudine microcoſmi, hoc eſt hominis, declarat 11. de ciuit cap. vlt. in quo pituita humor frigidus & humidus à Deo in ſuperiore omnibus parte poſitus eſt: tam abſurdè ſcilicet, vt ſi, inquit, hoc neſciremus, & in hoc libro ſimiliter ſcriptum eſſet, iſti trutinatores elementorum nequaquam crederent, quibus locis ſatis in hanc ſententiam videtur propendere. Cæterum cuiuſmodi illæ aquæ ſint, quem vſum habeant, diuerſi diuerſa adferunt, ſed omnia coniecturis in aquis fluctuant: in Scripturis enim ſummum ſilentium. Sed etſi illud neſciamus, meminiſſe oportet illud Aug. 2. de Gen. ad litt. c. 5. quòd maior ſit Scripturę huius authoritas quam omnis ingenii humani capacitas.

8. VOCAVIT FIRMAMENTVM CÆLVM, cælum quaſi cælatum ſtellis, inquit Amb. lib. 2. c. 4. Baſil. Hom. 3. quia videtur vocari ὁρατός: ſed Moyſes etymologiam ſuæ linguæ ſpectat: q. d. vocauit firmamentum, Ibi aquæ. vox enim Hebraica ſignificans cælum, ex duobus vocabulis integrè permanentibus coaleſcit, ſicut Reſpublica. vocauit ergo quia talem ei firmitatem & locum inter aquas dedit, vt ab Hebræis meritò poſteà ſic vocaretur.

Opus tertiæ diei.

9. CONGREGENTVR AQVÆ, ex diſperſione qua totum terrarum orbem vndique tegebant. IN LOCVM VNVM, ſeorſim ſcil. ab arida. omnes enim aquæ occultis meatibus ſe mutuò contingunt, vt vnus meritò dicatur omnium locus. De fluminibus teſtatur hoc Eccleſiaſtes c. 1. v. 7. & egregiè declarat etiam de ipſo mari Caſpio S. Baſil. Hom. 4. in Hexameron.

ET APPAREAT ARIDA, non arenoſa, ſed exſiccata, vt habet Hebræus, à limo ſcilicet & vligine, vt plantis animalibuſque proferendis & nutriendis ſit idonea. Quibus hoc modis factum ſit multùm contenditur: non enim apparet quomodo tanta aqua in tam exiguum potuerit concludi locum. Hinc Abulenſis partem Sole, Eugubinus vento ſiccatam volunt: Burgenſis & alij aquam eſſe à terris in globum altiorem ſeparatam. Veriſimiliores ſunt duo modi quos tradit Aug. l. 1. contra aduerſarium legis & Prophetarum, & rurſum 1. de Gen. ad litt. cap. 12. Primus eſt quòd diuino nutu in magnos ſinus terra ſubſederit: non ſolùm illos viſibiles in quibus mare videmus volutari, ſed etiam inuiſibiles illas & ſubterraneas voragines in quas aquæ reciperentur, quam abyſſum ſubiacentem vocat Moyſes Deuter. 33. v. 13. & vnde aquæ iuxta Hieron. in c. 1. Eccleſ. velut ex matrice in ſua ebulliunt principia. Alter eſt, quòd aqua potuit fuiſſe rarior, ſicut fieri poſſe in aqueis vaporibus patet. Vnde nihil mirum ſi rarior terram profundè texerit, ſpiſſata nudarit. Itaque tunc terra ex immanibus illis cauitatibus extracta in montes tumuit: falluntur enim qui illos poſt diluuium factos putant, vt manifeſtum eſt Gen. 7. v. 19. & 30. & Prouerb. 8. v. 24. & ſeqq. Inſulæ verò velut montes quidam in ipſo mari relictæ ſunt. Tunc horribili furentique elemento poſuit arenam terminum, vt ad occurſum rei maximè inſtabilis confringeret tumentes fluctus ſuos, quam admirabilem prouidentiam Deus

ipſe magnopere commendat Iob. 38. v. 11. & Ierem. 5. v. 22. ac diuinum in ea re præceptum ſtupentes agnoſcunt Nazianz. Orat. 341. & Theodoret. in Pſal. 103. quod mare veluti frænum vel tonitruum timet.

10. ET VOCAVIT ARIDAM TERRAM, eo ſenſu quo ſimilem phraſim ſup. v. 5. & 8. explicuimus. Porrò terra tam Hebræis quàm Latinis à terendo ſeu calcando pedibus dicitur. vnde emphaſim habet hæc locutio: quaſi diceret, vocauit illam iam aridam factam pedibus calcabilem.

CONGREGATIONESQVE AQVARVM VOCAVIT MARIA. vox Hebræa vnius litteræ præpoſitione idem ſignificat quod aquæ: itaque & hîc vis magna in verbo: quaſi diceret, vocauit maria aquarum copiam. Vnde obſeruat Hier. in traditionibus hebraicis illo vocabulo tam dulcium quàm ſalſarum aquarum congregationem ſignificari: vt fruſtrà Porphyrius calumnietur Euangeliſtis, quaſi oſtentationis causâ falsò dixerint Chriſtum ambulaſſe ſuper mare Genezareth, quod non niſi dulcis lacus eſt.

11. GERMINET TERRA, ſuppeditando materiam productioni; vim enim actiuam attulit ſolus Deus. HERBAM VIRENTEM, id eſt, iam adultam, vt Hebræum ſonat, quæ ſcilicet idonea ſit vt ſtatim faciat ſemen. ET LIGNVM POMIFERVM, id eſt, arborem fructiferam ſeu quæ faciat fructum, vt eſt verſ. 12. ſpecie pro genere poſita. CVIVS SEMEN IN SEMETIPSO SIT, id eſt, virtus ſeminaria. aliis enim à foliis, aliis à ſemine, aliis à radice, aliis aliter ſeries ſucceſſionis acquiritur, ait Amb. l. 3. Hexamer. cap. 8. IVXTA GENVS, vt quod naſcitur ex eo, ſit iis ſimile, ex quorum ſeminaria virtute naſcitur. Ex his duobus verſ. patet herbas, plantas & arbores perfectas eſſe creatas: adeoque cum fructibus nonnullas, vt ex c. 3. patet v. 2. & 3. An & herbæ venenatæ? non dubitat Baſil. Hom. 5. & Amb. locò citato cap. 10. vbi præclarè oſtendit quæ vni venena ſunt animali, aliis eſſe medicinam, quod vt oues & capræ ſciunt natura duce diſcernere, ita & homo ratione. nam & tauri ſanguis venenum eſt homini, non tamen ſine ſanguine ideo gigni debuit. De ſpinis & tribulis idem Aug. aſſerit, quia multas habere poterant & etiamnum habent citra pœnam hominis vtilitates: ſunt enim & animalia quæ iſtis commodè ſuauiterque veſcuntur, inquit 3. de Gen. ad litt. c. 18. Vnde quòd Baſilius roſam ſine ſpinis fuiſſe productam putat, minus videtur veriſimile.

Opus quartæ diei.

14. FIANT LVMINARIA, &c. tamquam gemmæ quædam in cæleſtibus annulis Firmamentum enim non ſumitur hoc capite, vt à Latinis ſolet, pro octaua tantum ſphæra, ſed inde deorſum pro omnibus orbibus cæleſtibus: nam infrà etiam Luna & ſtellæ tam erraticæ ſcilicet quàm fixæ in illo firmamento dicuntur poſitæ. Sed ex qua materia, diſputant acriter Phyſici. Plerique PP. antiquorum etiamſi cælos ex aquis productos putent, aſtrorum tamen materiam igneam eſſe ſtatuunt, vt Theod. Sermone 1. de Prouidentia, Chryſoſtomus in Pſalmum 134. Nyſſ. in hiſtoria ſex dierum, & alii. Vnde Tertullianus libro de anima c. 8. Sol corpus eſt, inquit, ſi quidem ignis, ſed quod aquila confiteatur, neget noctua. Sed alii authores non ſegniter hoc negant.

Verùm de his & ſimilibus incertiſſimis de cælo quæſtionibus quid ſentire ſatius ſit, vide Aug. l. 2. de Gen. ad litteram, cap. 9. ET DIVIDANT DIEM AC NOCTEM. id eſt illa, iam impoſterum ſtatuant ſuo motu diſcrimen diei ac noctis, quod hactenus lux fecit, & ita præbeant animalibus vices laboris & quietis.

ET SINT IN SIGNA, non illa quæ obſeruare vanitatis eſt, ſed vtilia & vſibus huius vitæ neceſſaria, inquit Aug. l. 2. de Gen. ad litt. c. 14. aduersùs vanitatem Aſtrologiæ Iudiciariæ, & imaginationem Origenis, qui c. 23. Philocaliæ putat ſidera eſſe ſigna non hominibus, ſed Angelis rerum futurarum: quorum autem ſint ſigna, mox exponit, cùm dicit: ET TEMPORA &c. hoc eſt, in ſigna temporum, fixorum ſcil. vt indicat vox hebræa, nempe quatuor anni tempeſtatum, item meſſis, vindemiæ & huiuſmodi; *item in ſigna* dierum quorumlibet, vt naturalium, artificialium, ſacrorum, cri-

ticorum, forenſium &c. Et annos, id eſt annorum ſolarium, lunarium, magnorum quos completis aliorum ſiderum ſpatiis fieri docet Aug. ibid.

16. Fecit dvo lvminaria magna. Solem & Lunam ſignificat: quæ etiam luminare maius dicitur, quia magnitudine talis apparet, & illuminatione, mirabili efficacia agendi in inferiora reuera talis eſt, etſi quantitate Mercurio dicatur eſſe minor. Dicuntur autem.

Præesse diei ac nocti, quia lumine ſuo quaſi facem præferunt omnibus operibus diei ac noctis, vt quaſi exponitur Ierem. 31. v. 35. item vt Aug. de Gen. imp. cap. 13. quia in die nihil eſt inter illa quæ videntur, Sole excellentius; & in nocte, nihil luna vel ſtellis. Cæterùm quia Septuaginta legunt, *In initium* vel principatum diei vel noctis, hinc quidam volebant olim Lunam plenam eſſe conditam. Abſurdum hoc vocat Aug. vt non à prima, ſed à decima quinta die numerandi ſumatur exordium, cùm ſemper plena ſit, etſi nobis non videatur.

Opus quintæ diei.

20. Prodvcant aqvæ reptile, &c. ebulliant quaſi ſcaturiendo in magna copia, vt habet proprietas verbi hebræi: reſpiciens, credo, innumeras illas piſcium ſpecies & indiuidua de quibus Pſalm. 103. *Illic reptilia quorum non eſt numerus.* Reptile animæ viventis, viuum, piſces ſcilicet qui videntur reptiles, quia vt colubri in terrâ repunt, ita piſces in aquis: pedibus enim carent; & ſi qui habent, vt amphibia, illis vtuntur tamquam remis ad reptandum & remigandum, vt vtrumque declarat Ambroſius lib. 5. Hexameron c. 1. Et volatile svper terram, ſupple, producant aquæ: ſunt enim aues velut quidam piſces aëris, ita pennis volantes, ſicut piſces quibuſdam alis ſuis natantes, inquit Aug. 3. de Gen. ad litt. cap. 8. vnde & vtrique ſe cauda tegunt. Ex quo colligunt cum ipſo plerique Patres, Amb. ibid. cap. 14. & magiſter eius Baſil. Hom. 8. in Hexam. & alii, vti piſces ita & aues ex aquis, nempe rarioribus, eſſe productas. Nam vt Auguſt. docet l. 1. de Gen. contra Manichæos cap. 15. aër vt ſuſtinendis auibus ſit idoneus, humidis & aqueis exhalationibus pingueſcere debet: nam in puriſſimo aëre aues volare non poſſunt. vnde meritò quidquid aquæ ſiue fluidum ſiue vaporaliter tenuatum atque ſuſpenſum eſt, aqueæ naturæ deputatur. Hebraïcè eſt, *volatille volet ſuper terram.* ex quo hebraïzantes nonnulli negant ex aquis producta eſſe volatilia, ſed ex terra, inquiunt, vt eſt c. 2. v. 19. ſed non habetur hoc ibi: quia illud *(de humo)* refertur tantum ad animantia terræ, & in Hebræo vſitatiſſimè ſubauditur hîc relatiuum, *volatile* quod *volet*, &c.

21. Creavitqve Devs, ſcilicet tunc eodem die, idque illo prædicto præcepto. Non ergo antea die tertio vel aquæ natura, vel aſtra, vel alia vis naturalis produxit piſces, vt ſenſit tota antiquitas contra mirabilem nouitatem Eugubini, qui in Coſmopœa vult. 3. die herbas à terra, & aquatilia ex aquis, & terreſtria animalia ex terra cœpiſſe pullulare, & hac quintâ die eſſe completa.

Cete grandia, balenas. Duas, inquiunt Iudæi, Enoch, & Leuiathan, cum quorum altero Deus quotidie ludat, alterum occiſum iuſtis ad epulandum reſeruet: ita petiit ſapientia à ſapientibus.

Cete grandia ſunt piſces maximi, ita vt, inquit Ambroſius l. 5. c. 11. poſt Baſilium hom. 7. ſi quando ſupernatant fluctibus, adnatare inſulas putes, monteſque ſummis verticibus eminere. Plinius l. 9. dicit, nonnullos eſſe in Athlantico mari quatuor iugerum; id eſt 960. pedum.

22. Benedixitqve eis, &c. id eſt, benefecit, non quolibet modo ſed fœcunditatem eis tribuendo. Nam vel ſemina hîc benedixit, vel benedicendo conſtituit, inquit Aug. l. de peccato orig. c. 40. Vnde obſeruat l. 13. Confeſſ. c. 24. ad omnia quæ de ſimilibus gignuntur, pertinere hoc verbum, *Creſcite*, quamuis propter allegoricam cauſam non omnibus dictum ſit: quam vide apud ipſum.

Crescite, non quantitate ſed numero. Vnde ſequitur explicationis cauſa, Et mvltiplicamini. Effectus huius benedictionis

eſt illa maxima fœcunditas auium, maximeque piſcium, ex abundantia humoris & ouorum procreatione nata, quæ animalibus terreſtribus deſunt. Non eſt autem dictum plantis & arboribus, quia nullus eſt in eis propagandæ prolis affectus, inquit Aug. 3. de Gen. ad lit. c. 13. Hinc notat Theodoretus quæſt. 17 in Gen. bina eſſe procreata in quaque ſpecie, nempe velut primitias & ſemina cuiuſque generis, vt multitudo ſucceſſioni deberetur. Repugnat Aug. 12. de Ciuit. cap. 21. inquit Salianus, ſed Auguſtinum non intellegit.

Opus ſextæ diei.

24. PRODVCAT TERRA ANIMAM VIVENTEM, id eſt animalia viuentia, IN GENERE SVO, id eſt ſecundùm omnes ſpecies ſuas. IVMENTA, quæ ſcilicet ſint ad vſum hominum, ſiue ad adiuuandos labores, ſiue ad cibum. REPTILIA, quæ propter defectum pedum aut breuitatem repunt aut ſaltitant, vt colubri, lacerti. ET BESTIAS, ſub quibus comprehenditur quidquid reliquum eſt, & maximè feræ, ſiue noceant veneno aut aliter hominibus, ſiue non. Non enim citra peccatum homini nocuiſſent, vt etiam in hac mortali vita demonſtratum eſt in vipera & leonibus erga Paulum & Danielem: & ipſa venenata in ſe bona & pulchra ſunt, & mirificas vtilitates hominibus ad medicinas & alios vſus præbent. De quo vide latè diſſerentem Aug. 1. de Gen. cont. Manich. cap. 10. & quæ diximus ſuprà de herbis venenatis ad verſum 11. De animalibus imperfectis quæſtio eſt: admittit Aug. l. 30. de Gen. ad lit. c. 14. illa non abſurde dici poſſe producta quæ ex corruptione rerum tunc exiſtentium naſci ſolent, vt ex aqua, terra, herbis, &c. Cætera tamen quæ de animalium gignuntur corporibus maximè mortuorum, abſurdiſſimum eſſe ſentit Aug. ea cum ipſis animalibus eſſe creata, quamuis quidam recentiores aliter ſentiant. Quis enim dixerit cum homine pulices & ſimiles tetriores vermes eſſe procreatos? Hactenus tamen vult Aug. eſſe creata, quia inerat iam in omnibus animatis corporibus vis quædam naturalis & quaſi præſeminata materia futurorum eiuſmodi animalium. Quod meritò ſane & ad hibrides ſeu heterogenea animalia quæ ſcilicet ex commixtione diuerſarum ſpecierum procreantur, vt mulos leopardos, &c. extendi debet. Creatis enim eorum parentibus, potentialiter cenſentur creata. Nam huiuſmodi adulterinæ mixtiones quotidie multiplicari poſſunt & multiplicantur. Qua de cauſa dicitur Africa ſemper adferre aliquid monſtri noui, vt non neceſſariò omnia alia producta videantur, niſi animalia tantum perfecta & homogenea.

Productio hominis.

ABſolutis omnibus, poſtremus homo vt paterfamilias in mundum tanquam domum omnibus copiis inſtructiſſimam introducitur, vel vt amicus in inſtructum conuiuium, vt rex elementorum quem omnia miniſteria præcederent, vt finis totius operis, vt ſumma & complexio omnium. Quæ fusè & pulchrè proſequitur Ambr. enarratione 1. ad Horontianum tom. 2. imitatus in omnibus Philonem de opificio mundi.

26. FACIAMVS HOMINEM. Cùm cætera ſolo ſermone quaſi obiter ſine peculiari diligentia eſſent condita, hac nouâ phraſi quaſi hortantis & molientis Dei; condendi operis dignitas indicatur, vt expendit Theophil. l. 2. ad Antolicum, & poſt ipſum plerique Patres, Baſil. hom. 10. in Hexamer. Nyſſ. & alii. Vnanimiter autem omnes antiqui obſeruant hîc diſtinctionem aliquarum perſonarum ſignificari. Vnde Plato in Timæo ex hoc loco videtur commentus colloquium illud ſummi Dei ad Deos minores, hoc eſt, Angelos de condendo homine. Qui ſenſus ex Platone etiam à Philone Platonico arreptus idcirco eſt, vt vitia hominis Angelis adſcriberentur. Secuti ſunt eum Iudæi: nec diſplicuit Origeni tamquam Platonico, in fine tom. 16. in Ioannem. Sed rectè confutat eos Aug. ex eo quod ſequitur, AD IMAGINEM NOSTRAM, nefas eſt enim credere hominem eſſe imaginem Angelorum. Hoc incommodum vt euitarent Saturnius & Baſilides, qui hanc vocem Angelorum ſe exhortantium eſſe ſtatuebant, omittebant vocem, *(noſtram)* vt teſtis eſt

Epiphanius hæreſi 23. Itaque Aug. dicit intelligi pluralitatem perſonarum Trinitatis, & earum vnitatem verbo *fecit*, proinde eſſe vocem Patris ad alias perſonas, maximéque Filium. Quod ante Auguſt. obſeruauerant quotquot PP. tempore Arianorum ſcripſerant, Amb. Athan. Baſil. & alii: & ante Arianos Tertul. de reſurrectione c. 6. Clemens Alexand. 5. ſtromatum c. 6. Irenæus l. 4. c. 17. & alibi ſæpius, Ignatius ad Antioch. Ex qua totius antiquitatis conſpiratione factum eſt, vt Con. Syrmienſe contra Photinũ hoc ſub anathemate definierit.

Hominem. naturam humanam, inquit Aug. 11. de Trin. c. 7. vnde mox v. 28. & ſeq. ſequuntur omnia pluralia.

Ad imaginem et similitudinem nostram, hoc eſt, vt habetur Sapientiæ 2. *ad imaginem ſimilitudinis*, ſeu ſimilem ſuo prototypo. Nam imago & ſimilitudo videntur in Scripturis promiſcuè vſurpari: omnis enim imago ſimilis eſt eo ipſo quo imago eſt. Ex quo rectè Aug. lib. de Gen. imperf. cap. vlt. reiicit eos qui ex verſu ſequenti volebant hominem tantùm ad imaginem eſſe conditum; ſimilitudinem autem ſeruari dandam propter profectum virtutis in reſurrectione. Quæ fuit imaginatio Philaſtrij 85. acceptâ ab Origene l. 3. Periarchon c. 6. quamquam magiſter eius Clemens Alex. lib. 2. Stromatum, c. 11. alios illius expoſitionis authores citet. Porrò imaginem Dei ad quam homo creatus dicitur, Athan. ſerm. de Deipara, putat eſſe Filium incarnatum. Quod latius tradit Tertull. lib. aduerſus Praxeam c. 12. lib. 5. contra Marcionem cap. 6. & 8.

Alii rectiùs intelligunt ſecundam perſonam, vt Deus eſt, vt Hilarius in Pſal. 128. & lib. contra Conſtantium, & alii Nimirum quia Filius eſt imago Patris, ita ſimilis, vt ſit etiam ipſiſſima ſimilitudo Patris, vt ponderat Aug. de Gen. imp. cap. vlt. & ideo dici, *faciamus* non *imaginem*, ſed, *ad*, ſeu ſecundùm, *imaginem*, vt ſignificetur quòd imago in homine poſita diuinam illam imaginem cum quadam inæqualitate imitetur, vt idem dicit de Trin. 7. c. vlt. & obſeruauerat Origenes lib. 7. contra Celſum, qui hinc inferebat Catholicos putare quòd homo ſit ſimilis Deo in ſpecie. Sed tamen ſenſus iſte non eſt genuinus: & ipſe Aug. eum refutat loco de Geneſi citato, eò quod non dicat, faciamus ad imaginem tuam vel meam, ſed noſtram; vt ſignificetur creatus homo ad imaginem Patris, Filii, & Spiritus ſancti: ideoque ſequitur, *Creauit eum ad imaginem Dei*, id eſt ſuam, inquit 3. de Gen. ad litt. c. 19. & in iſta explicatione imago ſumitur pro exemplari ſeu prototypo, quod eſt ipſe Deus. Sed quia homo ſic eſt conditus ad imaginem Dei, vt & ipſe ſit imago Dei, non videtur aliud hîc ſignificari quàm quòd ſit ita creatus vt ſit imago ſimilis Deo, vt indicat Aug. 14. de Trinit. c. 16. in fine. Vnde Hebræum habet, *Faciamus in imaginem*, id eſt ita vt ſit imago.

Quæritur itaque in quo ſit ſita iſta imago? Anthropomorphitæ dicebant in corpore, ob quem errorem etiam Catholicis inſultabant Manichæi quaſi fuiſſet ipſorum, vt tradit Aug. 1. de Geneſi contra Manich. c. 17. Tertull. quoque l. 5. contra Marcionem c. 6. & 8. videtur imaginem ponere in corpore, quia Chriſtum incarnatum refert. Sed certum eſt eſſe ſitam in anima: eaque ſuprema eius parte, nempe quatenus intellectualis. Quamuis in corpore ſit illius imaginis non ratio, ſed atteſtatio quædam, quòd erectâ ſtatura factus, vt hoc ipſo admoneretur non ſibi terrena eſſe ſectanda velut pecora, quorũ quia voluptas ex terra eſt, in aluum prona atque proſtrata ſunt, vt Aug. 6. de Geneſi ad litt. cap. 12. In eo ergo ſitam eſſe imaginem docet optime idem ſanctus 14. de Trinitate c. 8. quòd eo ipſo ſit imago Dei, quo eius capax eſt, eiuſque particeps eſſe poteſt: quod tam magnum bonum, niſi per hoc, inquit, quod imago eius eſt, intelligi non poteſt. Cùm verò ſit veritas quæ propriiſſime eſt obiectum mentis rationalis, hinc fit vt non aliter ſit imaginandus animus eſſe capax Dei & imago eius, niſi quatenus eſt idoneus ad videndam amandamque æternam illam veritatem. Et hoc eſt quod laborioſiſſimè doctiſſiméque oſtendit Aug. totis quinque poſtremis lib. de Trin. imaginis rationem in memoria, in-

telligentia, & voluntate eſſe ſitam, quatenus per illas ſolas animus ſit particeps illius incommutabilis æternæque veritatis intelligendæ ac diligendæ. Vnde quotquot alias imaginis rationes attulerunt, vt idem Aug. immortalitatem lib. de quantitate animæ c. 2. Nyſſen. incorporeitatem & incomprehenſibilitatem lib. in illud Scripturæ, *Faciamus hominem*: Ambr. modum exiſtendi in corpore & viuificandi lib. de dignitate conditionis humanæ: Damaſc. libertatem arbitrij l. 2. de fide c. 12. quam & Bernar. & Nyſſenus ponderant, Gennad. in Catena prouidentiam. Baſil. Hom. 10. in Hexam. & Nyſſen. de opificio hominis, imperium in beſtias; omnes, inquam, iſti vel materiales quaſdam conditiones imaginis commendarunt, vt ſunt quatuor primæ, quæ abſque ratione imaginis in alio ſubiecto facilè reperiri poſſent; vel effectus quoſdam inſeparabiles, vt reliquæ: non autem ipſam formalem rationem imaginis. Præter hanc rationem naturalem imaginis, accepit homo etiam gratiam, ex qua imago illa perfectè Deo ſimilis fuit. Teſtatur enim Apoſtolus ad Epheſ. 4. v. 24. & ad Col. 3. v. 10. & 12. hominem per iuſtitiam & ſanctitatem eſſe renouandum ad imaginem eius qui creauit eum: vt proinde non inanis videri debeat illa vnanimis ſanctorum Patrum obſeruatio, quòd imago pertineat ad naturam, ſimilitudo ad gratiam & virtutes. Et ſi enim illa duo nomina non aliud ſignificare videantur niſi imaginem valde ſimilem, non malè tamen quadam adaptatione, imago quæ ſtabilior eſt, ad naturam; ſimilitudo quæ faciliùs deletur, ad gratiæ perfectionem ſignificandam accommodatur: quæ proinde iuſtitiæ amiſſæ recuperatione ad perfectam illam imaginis ſimilitudinem reſtauratur.

ET PRÆSIT PISCIBVS MARIS. ratione dictæ imaginis, vt ſcilicet intelligamus, vt notat Aug. 3. de Gen. ad litt. c. 20. & alibi, in eo factum hominem ad imaginem Dei, in quo irrationabilibus animantibus antecellit, id autem eſt ipſa ratio vel mens. Itaque hîc datur homini perfecta poteſtas dominandi omnibus animalibus ſine noxa: quod partim naturali rationis induſtria, partim Angelis beſtiarum imaginationem per viſa mouentibus contigiſſet, vt latius explicat Aug. 9. de Gen. ad litt. c. 14. æquum enim erat, vt quamdiu homo obedientiam ſuperiori ſuo, tam diu homini inferiora præſtarent. quæ quidem poteſtas propter peccatum diminuta, non tamen ablata eſt, vt patet Gen. 9. verſ. 2.

27. MASCVLVM ET FÆMINAM CREAVIT EOS, ergo ſecundum corpora ſexu diſtincta, vt obſeruat Aug. 3. de Geneſi ad litt. c. 22. ne quis ſcilicet ſuſpicaretur, tantùm hîc interiorem hominem creatum ſignificari: quę fuit opinio Origenis hîc, & quorundam aliorum. Rurſum creauit, *eos*, non, eum, ne vnus homo Androgynus putetur conditus, vt Aug. ibid. notat. quod monſtrum opinionis olim Iudæi, & nuper Franciſcus Georgius tenuit. Creauit autem eos eâdem quidem hac die, ſed non ſimul: nam primò ſolus Adam conditus eſt, cui Euam poſteà formauit in adiutorium.

28. BENEDIXITQVE, ET AIT, CRESCITE. non ergo præceptum eſt, vt hæretici volunt, ſed benedictio; quam, inquit Aug. de Geneſi imperfecto c. 15. ad fœcunditatem valere voluit: ſicut ea etiam beſtiis v. 22. iiſdem verbis data eſt. His enim Deus ineffabilibus ſuis verbis, id eſt diuinis rationibus, in ſuæ ſapientiæ, per quam facta ſunt omnia, veritate viuentibus, vim ſeminis indidit primis hominibus, vt ait idem lib. de peccato originali c. 35. Quod ſi etiam præceptum eſſet, illud vel pro iſto tantum tempore obligaſſet, vt vult Hieronymus primo contra Iouinianum: vel potiùs tamquam de re non indiuidua, ſed communitati neceſſariâ non obſtrinxit ſingulos, ſed communitatem. multa enim talia præcepta ſunt, quorum vnum ita impedit aliud, vt ab omnibus omnia obſeruari nequeant, vt rectè hæc notat D. Th. in Supplemento q. 41. a. 2.

31. VIDITQVE DEVS CVNCTA QVÆ FECERAT ET ERANT VALDE BONA, id eſt optima: carent enim Hebræi ſuperlatiuo. Singula dicta ſunt bona ſed omnia, ſeu vniuerſitas rerum bona valde. Tanta eſt enim vis & potentia integritatis & vnitatis, inquit

Aug. 1. de Gen. contra Manich. c. 21 vt quæ bona ſunt, tunc multò amplius placeant, cùm in vniuerſum aliquod conueniũt atque concurrunt, vt in mẽbris humanis in vnum hominem conſpirantibus manifeſtum eſt.

Et factum est mane et vespere dies sextus Dies iſtos Auguſt. Angelicas cognitiones rerum ſexies repetitas interpretatus eſt. Veſpera eſt, cùm creatura iam facta in ſeipſa cognoſcitur; talis enim cognitio decoloratior eſt ſeu obſcurior, quàm cùm in Dei ſapientia cognoſcitur, velut in arte qua facta eſt: Mane eſt cùm à cognitione creaturæ in laudem creatoris aſſurgitur. Ex quo orta eſt diſtinctio duplicis Angelicæ cognitionis matutinæ & veſpertinæ; in quibus intelligendis multi multùm hallucinantur, & à mente Auguſtini aberrant. In hanc expoſitionem Aug. duabus ex cauſis ductus eſt. Primò quòd perdifficile nobis eſſe iudicaret, aut etiam impoſſibile cogitaret; quantò magis dicere, (vt loquitur l. 11. de Ciuit. c. 6.) cuiuſmodi fuerint illi tres primi dies qui ſine Sole peracti ſunt, hunc enim lapidem ſæpe in lib. de Gen. ad litt. voluit. vide l. 4. c. 21. Secundò, quod Scriptura que dicit Eccleſiaſtici 18. *Qui viuit in æternum, creauit omnia ſimul*, ſuadere videretur, omnia ſimul eſſe tempore creata. Sed quamuis iſtum ſenſum Aug. non myſticum, ſed litteralem eſſe crederet, vt patet ex l. 4. c. 28. quia lux ſpiritualis eſt vera, & non figurata lux: ipſe tamen expreſsè proteſtatur, idque ſæpius, non debere nos temerariam præcipitare ſententiam tanquam de his aliud ſentiri congruentius probabiliuſque non poſſit, vt ait ibidem c. 27. Vnde frequenter ſub diſiunctione aſſerit illam ſententiam, ſi ſcilicet tres illi dies priores non ſint corporales.

Itaque cùm probabiliter ſuprà oſtenſum ſit eſſe potuiſſe dies corporales, conſequenter quoque dicendum illos dies fuiſſe veros & ſucceſſiuos dies; ſi enim ſimplex Scripturæ littera requirit vt contra Origenem intelligamus tes fuiſſe veras quæ nominibus rerum creatarum ſignificantur, ſanè requirit etiam vt dies tales intelligamus. Vnde præcipitur vt ſex diebus operemur, & ſeptimo quieſcamus ad imitationem Dei. Et hæc eſt omnium ferè aliorum Patrum expoſitio, vt Baſil. Ambr. Chryſoſt. in Hexam. & aliorum paſſim.

Hinc conſequenter non omnia ſimul tempore creata ſunt, vt videtur putaſſe etiam Caiet. ex cap. 2. v. 4. & 5. ſed Deus dicitur creaſſe omnia ſimul, id eſt, omnia pariter, nullo excepto, Græcè κοινῇ id eſt, communiter. Sed quia vt D. Aug. monet lib. 1. de Gen. contra Manich c. 23. iſta expoſitio per ordinem dierum ſic hiſtoriam rerum factarum indicat, vt prædicationem futurorum maximè obſeruet, ideo ſi quis ſenſum horum dierum & rerum in iis factarum allegoricum poſtulet, legat præclare eundem Aug. l. 1. de Gen. contra Manich. toto c. 23. & 24. Tropologicum verò ſeu moralem, toto c. 25. & fuſiſſimè l. 13. Confeſſ. ab initio. id eſt, cap. 5. vſque ad finem libri.

Capvt II.

Totum iſtud caput, exceptis v. 2. & 3. pertinet ad Hexameron creationis; latius enim exequitur quædam, quæ ſtrictius tacta, vel omiſſa fuerant.

1. Perfecti svnt cæli, et terra Vox illa *cæli*, hîc comprehendit & ſupremum cælum, & ſidereum, ſeu omnes thecas aſtrorum, & aëreum. Aër enim vel totus; vel ſuperior eius pars ſæpe cælum dicitur, iuxta Aug. 2. & 3. de Gen. ad lit. Et horum trium cælorum ferè Scriptura mentionem facit, vt inde factum videatur, quod plerique veteres non niſi tres cælos mordicùs tueantur: vt videre licet apud Baſil. hîc hom. 3. & Amb. l. 2. c. 2. quod & nunc non nullis placere video; Perfecti ſunt ergo cæli & terra, tam quoad creationem, quàm omnium diſtinctionem.

Et omnis ornatvs eorvm. Hebraïcè, militia, nempe ordinata, quia miro ornatiſſimoque ordine omnes creaturæ inſtar aciei diſpoſitæ Deo ſeruiunt. Quartus autem terræ ſunt plantæ & animalia; cælorum ſidera; aquarum aues & piſces.

2. Compleuitqve die septimo. excluſiue ſcilicet ſiue ceſſando ab vlteriori opere, vt indicat id quod ſequitur. Septuaginta, &

Pentateuchus Samaritanus legunt *die ſexto*, ſcilicet incluſiue, ſiue abſoluendo opus, qui idcirco antiquiſſimo. computu Eccleſiaſtico vocatur feria ſexta. De numeri ſeptenarii perfectione fusè Aug. lib. 4. de Gen. ad lit. cap. 2. toto.

OPVS SVVM. non quo vel conſeruat, vel adminiſtrat vniuerſam creaturam; ſed, QVOD FECERAT, id eſt, opus creationis; eo quod nullam naturam nouam vlterius conderet, quæ non ſecundum ſpeciem præceſſiſſet.

ET REQVIEVIT DIE SEPTIMO. Hebraïcè, ceſſauit, ſcilicet ab illo opere vt ſequitur v. 3. Vnde vocatur dies ſeptimus, Sabbatum, quaſi ceſſationis dies. Non ergo ſignificatur Dei requies, quaſi defatigati operando, vt calumniabatur Celſus apud Origenem l. 6. quamquam Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromatum c. 8. requieuiſſe Deum velit ordinando, vt immobiliter ſeruaretur ordo eorum quæ facta ſunt, quaſi quietem & ſtabilitatem rebus dando. Quàm alta verò ſit requies Dei in ſemetipſo, & illa item quæ nobis per hanc figuratur, & cur illa dies ſeptima mane & veſperâ careat, vide ſublimiter Aug. lib. cit. à c. 15. vſque ad 20.

3. ET BENEDIXIT DIEI SEPTIMO. per hoc ſcilicet quod ſequitur: ET SANCTIFICAVIT ILLVM. id eſt, feſtum & ſanctum haberi voluit, & cultui ſuo conſecrauit; vt illo quaſi natalis mundi, & tandi beneficij memoria recoleretur, ait Philo lib. de opificio hominis: idque non tantum tempore Moyſis, vt vult. Tertullianus lib. cont. Iudæos, c. 2. ſed iam tum ab initio generis humani, vt indicatur Exod. 16. v. 23. ideoque dicitur, *Memento vt diem Sabbati ſanctifices*, tamquam rei videlicet iam olim inſtitutæ. Hinc Theophilus lib. 2. ad Autolicum dicit ſeptimum diem inter omnes mortales eſſe celebrem, etſi cauſam neſciant cur ſit ſeptimus. Et Clemens l. 5. Stromatum c. 6. docet ex Heſiodo, Homero, Callimacho non modo Hebræos, ſed & Græcos ſeptimum diem feſtum agnouiſſe: oſtenditque fusè l. 6. c. 8. totum mundum omnium gignendorum ſeptenario circumagi, cuius magnas ibidem prærogatiuas profert. De quo & Nazianzenus initio orationis 44.

Porro hæc ſeptimi diei ſanctificatio & requies eſt celeberrima figura quietis noſtræ poſt ſex dies operationis in cælo obtinendæ, quam figuram, poſt Apoſtolum ad Hebr. 4. certatim commendant antiqui Patres.

4. ISTÆ SVNT GENERATIONES, &c. Hoc eſt, iſte eſt modus productionis omnium cùm DIE, hoc eſt, tempore illo ſex dierum, cælum, & terra, & virgulta, & herbæ crearentur, antequam vi ſeminis, & cultu humano, vt nunc fit, orirentur ex terra. Cuius rationem dat, quia in illis initiis, & pluuia & homo deerant. Iſte eſt ſimplex & genuinus huius loci ſenſus, in quo indagando multum ſe torquet D. Aug. l. 5. de Gen. ad litteram, ab initio vſque ad caput ſeptimum, ex eo colligens omnia vno die eſſe creata. Sed *dies* Hebraïſmo, pro tempore etiam longiore ſumitur.

6. SED FONS ASCENDEBAT E' TERRA. Fontem hunc alii vaporem, alii vnum fontem ſtatis temporibus exundantem. Aug. l. 6. de Gen. ad lit. c. 10. fontes ſeu riuulos fuiſſe opinatur. Sed ex ſcopo Moyſis, & ex Hebraïco pendet intelligentia. Vult enim probare virgulta, & herbas non eſſe natas naturali modo, quia ſcilicet nec pluerat, nec homo erat; ſed fons rigabat terram: vbi ſi veros fontes intelligas, repugnabit ſcopo ſuo, quia probaret potius omnia per iſtam irrigationem, ſicuti fieri ſolet, naſci potuiſſe. Senſus ergo eſt, FONS, id eſt gurges aquarum, vt eſt Hebraïcè, ſiue prima illa abyſſus aquarum tunc adhuc ASCENDEBAT E' TERRA. ſurſum verſus, vel *aſcendebat præ terra*, hoc eſt, altius quam terra, irrigans ac tegens vniuerſam ſuperficiem eius. Similis prorſus Hebraïca locutio eſt Lucæ. 18. v. 14. *Deſcendit hic iuſtificatus ab illo*, id eſt, præ illo. Hebraicum, enim, *Min*, & comparationem & terminum à quo ſignificat. Ita Gonzalius Correas in opuſculo hac de re. Hoc itaque modo tota creatione epilogicè repetita, retexit exactius creationem hominis ſecundum corpus & animam.

7. FORMAVIT DOMINVS DEVS HOMINEM. Synecdochice; corpus hominis inſtar figuli plaſmauit & finxit, prout Aug. proprie transferendum tradit c. 24. l. 13. de

ciuit. Vnde Adam in lib. Sapientiæ *Protoplaſtus* dicitur, hoc enim proprie verbum tam Latinum quam Græcum & Hebraïcum ſignificat. Modum exactius explicat Iob c. 10. v. 8. Significatur enim corpus hominis fuiſſe inſtar ſtatuę plaſmatum à Deo, vt docet Hilarius in Pſalm. 118. & Tertul. de reſurrect. Chriſti c. 5. & paſſim veteres.

De limo terræ. Hebraïcè, puluerem, ſeu ex puluere, non arido, ſed ſubacto inquit Ioſeph. Vnde Tertul. lib. de anima c. 27. Quid aliud limus, quam liquor opimus? vel vt Aug. loco proxime cit. puluis humectus, & ex humore terraque concretus? Porro *terra* proprie ſignificatur Hebraïcè rubra, vt carnem humanam quodammodo colore referat. Vnde præclare Tertul. lib. de carne Chriſti cap. 9. corpus noſtrum, vtrumque originis elementum confitetur, carne terrenam, ſanguine aqueam licet alia ſit facies qualitatis. Cæterum quid eſt ſanguis, quàm rubeus humor? Quid caro, quàm terra conuerſa in figuras ſuas? vide reliqua per pulchra. Terram hanc fuiſſe virginem obſeruat idem de carne Chriſti, c. 17. hoc eſt, nondum opere compreſſam, vel ſemente ſubactam, vt ſignificaretur, ait, ſecundum Adamum ex carne virginis naſciturum. quod ante ipſum latius explicuerat Irenæus lib. 3. cap. 31.

Et inspiravit in faciem eivs, corporis ſcilicet, quo ſignificatur anima non ex corpore educta, ſed extrinſecus creata & inſufflata à Deo: non quaſi particula diuini ſpiritus, vt quorundam Ethnicorum, & Manichæorum error fuit, teſte Aug. 2. de Gen. contr. Manich. cap. 8. ſed vt effectus eius. *In faciem* præcipue inſpirata dicitur, propter vigorem omnium ſenſuũ, & quod ibi notetur indicium vitæ certiſſimum, reſpiratio: ob quam cauſam quidam Hebraïcum tranſtulerunt, *In nares*. Non tamen imaginandum eſt, vt quidam recentior ſuſpicatur, hic corporeum interueniſſe Dei flatum, aut plaſmantis manus, nimis enim puerilem cogitationem iſtam eſſe docet Auguſt. 6. de Gen. ad lit. cap. 12.

Spiracvlvm vitæ. Hebraïcè, *vitarum*. Vnde hebraïzantes eliciunt argumentum pro anima vegetatiua, ſenſitiua, &c. ſed parui momenti: caret enim Hebræum ſingulari. Spiraculum hoc vitæ eſſe flatum vitæ ſeu animam rationalem, late docet Aug. l. 13. de ciuit. c. 24. parumque conſiderate quoſdam voluiſſe quod eſſet Spiritus ſanctus, quo Adam ſanctificatus fuit, eo quod dicitur, *in faciem eius*, ſcilicet hominis: quaſi non poſſet homo de corpore dici. Non tamen idcirco illa expoſitio erroris damnanda eſt, vt quidam recentior in Geneſim ſcribens, incaute facit; quaſi eſſet expoſitio ſolius Philaſtrii: nam ante ipſum idem docuit Ambr. l. de Paradiſo c. 5. Baſil. in Pſalm. 48. Cyril. l. 9. in Ioannem c. 47. Cyprianus Epiſtola ad Iubaianum, Tertul. lib. de Baptiſmo c. 5. Origenes l. 1. Periarchon. cap. 3. & alii.

Et factvs est homo in animam viventem, id eſt, animal viuum, more Scripturæ, vt ſup. c. 1. v. 24. Quo ſignificatur hominem ſic eſſe conditum, vt non immortaliter, quemadmodum poſt reſurrectionem; ſed more cæterorum animalium in corpore animali viueret. Et ſic videtur hoc exponere Apoſt. 1. ad Corinth. c. 15. v. 44. & 45. vbi animam viuentem ſpiritui viuificanti opponit. Et hoc ſenſu corpus animale vocat. Ex iſta tam accurata deſcriptione formati, & animati corporis humani, nata eſt fabula gentilium de Prometheo formante ſimulachrum hominis ex molli luto, & furante ignem de cælo quo corpus animaret, vt obſeruauit Lactant. lib. 2. inſt. cap. 10.

8. Plantaverat avtem Dominvs, iam antè, 3. ſcilicet die, vt notat Aug. 8. de Gen. cap. 3. eſt enim explicatio exactior rei tam notabilis.

Paradisvm volvptatis. Paradiſus Græcè ſignificat proprie hortum omnis generis plantis diligenter excultum. Mutuati ſunt eam vocem ab Hebræis apud quos *pardes* idem ſignificat, & transfertur Eſdræ 2. v. 8. *Saltus regis*. Paradiſus ergo voluptatis eſt hortus deliciarum, ſeu amœniſſimus. Eſt enim fere perpetuum Hebræis, vt duo abſtracta ſeu ſubſtantiua coniungant pro ſubſtantiuo, & adiectiuo. Hebraïcæ eſt, *hortus in Eden*. Vbi Eden ſigni-

ficare poteſt, & nomen proprium loci, & voluptatem. Vnde LXX. primâ verſione vſi ſunt hoc verſu octauo, & ſecundâ verſ. 15. Locum hunc fuiſſe corporalem Eccleſia docet contra Philonem, qui primus hoc negauit l. 1. Alleg. contendens tantum ſpiritualiter intelligendum. Ex Philone ſuxit hoc Origenes, ita paradiſum allegorizans vt hiſtoriæ auferret veritatem, inquit Hieron. Epiſtola 61. ad Pammachium.

A PRINCIPIO, non ante terram conditam, vt Iudæi ex l. 4. Eſdræ c. 3. v. 6. fabulantur, & Hieron. in traditionibus Hebraïcis dicit eſſe certiſſimum, ſcilicet ex Iudæorum ſenſu: ſed à principio, hoc eſt, multò ante ſeptimum diem. Vox hebræa indifferens eſt ad principium temporis, & loci, qui eſt oriens, vbi incipit motus Solis. Vnde LXX. verterunt, *adorientem*, & inde plerique antiquorum Patrum docent Paradiſum in oriente, reſpectu ſcilicet Paleſtinæ fuiſſe conſtitutum, & hanc eſſe cauſam cur ad orientem adoremus.

Sed vbi locorum paradiſus ſitus fuit? ego diſcere hoc mallem quàm dicere. Tanta quippe eſt opinionum varietas, vt magis diuinare, vel ſomniare, quàm aliquid ſolidi afferre videantur. Multi recentiores hoc tempore eum ponunt in Meſopotamia: alij ad latus in Arabia Fœlice: alij in Damaſco Syriæ: alij ex Gen. 13. in Palæſtina circa Iordanem: Durant. in 2. diſt. 17. q. 3. ſub æquinoctiali in monte altiſſimo: Suidas in Libya: alij verſus Indos in Taprobana Inſula Ceilan dicta: alij in Melaca: alij in China: alij in Cataia Tartariæ: alij in America: alij in toto terrarum orbe: alij in terra longe ſublimiori, ex qua quatuor fluuij elapſi in mare ruant, & iterum ſurgant: alij extra hunc orbem vltra Oceanum, quem primi parentes cùm eſſent gigantes pedibus tranſgreſſi ſunt: alii in cœlo vnde fluuii illi quatuor lapſi ſunt, quas tres opiniones Moyſes Barcepha recenſet in lib. de paradiſo: alij apud Magiſt. in loco ad globum Lunæ eleuato. Ex qua non tam opinionum, quàm ſuſpicionum diuerſitate, patet non tam eſſe rationes, quàm coniecturas meras quibus videntur niti. Si quis huiuſmodi delectatur, legat recentiores, qui in omnium manibus verſantur. Mihi enim, vt verum dicam, placet illud Auguſtini 8. de Gen. ad litt. c. 5. Melius eſt dubitare de occultis, quàm litigare de incertis. Nam ex tanta confuſione nihil certius colligo quàm verum eſſe quod Tertull. ſimilia forſitan expertus de paradiſi loco prudenter ſcripſit c. 47. Apologetici: eſſe locum diuinæ amœnitatis à notitia orbis communis ſegregatum, & Theodoret. quæſt. 19. in Gen. Deum ignotos feciſſe meatus fluminum paradiſi, vt amputaret ſuperfluam hominum curioſitatem: & Aug. 8. de Gen. ad litt. cap. 7. locum paradiſi à cognitione hominum eſſe remotiſſimum.

Quæ ſententia non modo D. Thom. parte 1. q. 102. ſed etiam antiquorum Patrum grauitati ita placuit, vt vno Ephrem excepto (ſi tamen ei non imponitur, quia in ſcriptis eius nihil exſtat) vſque ad primos ſeptingentos annos nemo quod ſciam inuentus fuerit, qui clarè locum auſus fuerit deſignare. Et rectè; timebant enim incidere in illa deliria que ſupra in eorum poſteris vidimus: inter quos qui poſt tantas diſputationes randem ſubtiliſſime ſibi videntur ſapere, non potuerunt ſuam opiniōnē aſtruere, niſi negando, contra torrentem antiquorum, Phiſon & Gehon eſſe notos fluuios, vel non eſſe Gangem & Nilum, ſed eſſe neſcio quos ignobiles & paruos riuos. Quod ſi vero dixit Baſil. paradiſum nulla ex parte tenebras propter loci ſublimitatem admittere, tantùm loci ſplendorem & amœnitatem exaggerat: ſicut & Theophilus (quem male quidam in alium ſenſum trahit) l. 2. ad Autolicum, cùm paradiſum in medio cæli & terræ conſtitutum eſſe dixiſſet, quantum, inquit, ad amœnitatem & pulchritudinem attinet.

9. LIGNVM ETIAM VITÆ: id eſt, arborem vitalem ſeu viuificam; cuius fructum comedendo immortaliter poſſet homo viuere: neque enim Adæ immortalitas, qua poterat non mori ſi vellet, erat talis qualis in reſurrectione tribuetur. Porro diſtinctionem effectum huius & aliarum arborum ſæpe tangit Aug. nempe quod ex aliarum fructibus haberet refectionem, contra de-

fectionem; de ligno vitæ, ſtabilitatem contra vetuſtatem, inquit l. 1. de pecc. meritis c. 3. ſicut illud explicat l. 13. de Ciuit. c. 20. & 8. de Gen. c. 5. alebatur aliis cibis, ne animale corpus moleſtiæ aliquid eſuriendo, ac ſitiendo ſentiret: ligno autem vitæ, vt ſanitate ſtabili firmaretur ne vel infirmitate, vel ætate in deterius mutaretur, aut in occaſum etiam laberetur. Illam igitur contra eſuriem, hoc contra ægritudines & ſenectutem: quod præſtabat per humidi radicalis, & natiui caloris quotidianâ comeſtione refracti reſtitutionem, adeoque vigoris cuiuſdam quo omnes ſenſus vegetarentur infuſionem, quam inſpirationem ſalibritatis occultam Aug. ibid. vocat. Hoc autem naturali efficaciâ iſtius fructus præſtandum fuiſſe veriſimile eſt ex v. 22. c. 3. Adamum etiam illo ligno reipſa vſum fuiſſe non dubitat Aug. 2. de peccatorum meritis cap. 21.

LIGNVMQVE SCIENTIÆ BONI ET MALI. Non quaſi ineſſet ei vis acuminis & ingenij conferendi, vt vult Ioſephus l. 1. Antiq. ſed vt Aug. in iiſdem locis, ex ipſa re nomen impoſitum eſt, quaſi arbor dignoſcendi per experientiam bonum & malum, ſi contra vetitum tangeretur: vt ſcilicet ſignificetur eo nomine, inquit, experientiæ conſequentia, & quid boni cuſtodiâ, & quid mali eſſent tranſgreſſâ prohibitione ſenſuri. Quod nomen ſcientiæ, id eſt, experientiæ boni & mali, etiam tunc videtur arbori à Deo datum ex v. 5. c. 3. & hîc v. 17. Aliqui malum fuiſſe putant ex illo Canticor. *Sub arbore malo ſuſcitaui te*, alii ceraſum. Theod. q. 28. in Gen. dicit ſine controuerſia eſſe ficum: ſed & hoc inter incerta reponamus.

10. ET FLVVIVS EGREDIEBATVR DE LOCO VOLVPTATIS. tamquam habens in paradiſo fontem ingentem, vnde ex latente illa ſubterranea abyſſo ſcaturiret. QVI INDE DIVIDITVR IN QVATVOR CAPITA. Ita ſcilicet, vt ſtatim in exortu ſuo, ex ipſo paradiſo in 4. canales ſe diuideret, Phiſon, Gehon, Tygrin, & Euphratem: de duobus vltimis nulla difficultas eſt. Phiſon, & Gehon recentiores quidam, & cum eis Caluinus & Scaliger putant eſſe duos Elices, ſeu brachia Tygris, qui cum Euphrate confluens rurſum ſe diuidit, & in mare Perſicum ſeſe duobus oſtiis exonerat, etſi antiqui non niſi vnum ponant. Præcipua probatio eſt quod vnus eorum vocetur Phaſis; ſed tota locorum conſtitutio videtur repugnare. Quid enim Arabiæ, vbi volunt eſſe terram Heuilath, & aurum, & Æthiopes illos, quos Scriptura nominat, cum iſtis fluuius; à quibus longo terrarum interiectu diſtant? Ridiculum autem videtur quod illas terras circuire dicantur, cum ſtatim à ſeparatione, ſi qua talis eſt, in mare prorumpant. Vnde Pererius fatetur eos non memorari à Coſmographis, vel exaruiſſe. Repugnant & ipſa nomina, & vno verbo tota antiquitas: nam communiſſima veterum ſententia eſt Phiſon eſſe Gangem, Gehon Nilum. Ita Ioſeph l. 1. Antiq. Epiphanius in Anchorato. Theodoretus hîc, & alii paſſim. Quod ita certum Auguſtino fuit, vt contra allegorizantes dixerit 8. de Gen. ad lit. c. 7. illa dicta flumina, & regionibus per quas fluunt, eſſe notiſſima, & omnibus pænè gentibus diffamata, ideoque eſſe litteraliter intelligenda cætera de paradiſo propter iſtorum fluminum euidentiam. Tota difficultas eſt quod fontes habeant tot centenis milliaribus diſſitos: ſed reſpondet Aug. & alii communiter, flumina quorum fontes noti eſſe dicuntur, alicubi iuiſſe ſub terras, & poſt tractus prolixarum regionum, locis aliis erupiſſe. Cuius rei plura extant exempla, vt Alphei iuxta Plinium, Pauſaniam, Senecam, & alios, & Guadianæ etiamnum in Hiſpaniis. Et ſane admodum incredibile eſt nullos fluuiorum fontes per magnum illud diluuiũ fuiſſe obturatos.

11. NOMEN VNI PHISON. Iſte eſt Ganges dictus Phiſon à phus, id eſt creſcere, quia viginti quinque omnes in ſe colligit.

IPSE EST QVI CIRCVIT OMNEM TERRAM HEVILATH. Non illam quæ eſt prope Amalecitas in Arabia; nullus eſt enim ibi fluuius qui terram illam circumeat: nec etiam illa quæ à Ioſepho & aliis, in Getulia Africæ ponitur, ſed terra Heuilath eſt India. Teſtatur enim Ioſephus & Hieron. in traditionibus Hebraïcis poſteros Iecthan, inter quos Ophir & iſte Heuilath, à Cophene fluuio Indiæ omnem Indiæ Regionem

poſſediſſe; impertinenter dicat Pererius hoc eſſe neceſſitate expreſſum, vt Phiſon poſſit eſſe Ganges. Conſtat item in Indiis etiamnum eſſe aurum optimum, imo Ganges ipſe, Plinio teſte, aurifer eſt.

12. IBI INVENITVR BIDELLIVM. Arbor eſt, inquit Plinius lib. 12. nigra, magnitudine oleæ, folio roboris, fructu caprifici naturaque; quam & in India naſci fatetur, & nominatiſſimam in Bactriana. Eſt & fructus illius arboris, gummi ſcilicet, ſeu lachryma ſtillata.

ET LAPIS ONYCHINVS. vulgo onyx, ita dictus Græcè à colore vnguis humani. De quo Plinius lib. 87. cap. 6.

13. NOMEN FLVVII SECVNDI GEHON. illum Ioſephus & antiqui conſtanter dicunt eſſe Nilum in Ægypto. nam Ierem. 2. v. 18. pro *aqua turbida*. 70. verterunt, *aquam Gehon*, quæ dicitur ibi eſſe in via Ægypti. cui accedit quod Franc. Aluarez in hiſtoria Æthiopica teſtatur Abyſſinos, & hodie Nilum vocare Guiion. Et ſane ex Eccleſiaſtici 24. v. 37. patet Phiſon & Gehon eſſe magnos fluuios: & quod Gehon dicitur aſſiſtere in die vindemiæ, optime ſoli Nilo conuenit, quia in æſtate cùm alii fluuii maxime detumeſcunt, Nilus exundat.

CIRCVIT OMNEM TERRAM ÆTHIOPIÆ. Duplex in Scripturis eſt Æthiopia, vna circa Arabiam complectens Madian, & Cedar, & adiacentes Regiones, vnde Sephora vxor Moyſis Madianitis vocatur Æthiopiſſa; altera ſupra Ægyptum, nunc Abyſſina, de qua Iſaiæ 16. v. 1. & hoc loco ſermo eſt. Nilus enim ſeu Gehon ortus non ex montibus Lunæ, vt putarunt antiqui, ſed ingenti quodam lacu Zaire dicto, totam Aethiopiam multis meandris perlabitur.

Allegorice paradiſus eſt Eccleſia, quatuor flumina Euangelica, ligna ſancti, arbor vitæ ſapientia, ſcientiæ boni & mali liberum arbitrium.

Anagogicè paradiſus eſt cælum, flumina quatuor virtutes. De quibus, & aliis vide Auguſtinum 13. de ciuit. c. 21. & fuſius 2. de Gen. contra Manichæos c. 9. & ſequent.

15. POSVIT EVM IN PARADISO. Ergo non eſt ibi formatus, ſed eò tranſlatus, vt obſeruat Tertul. 2. cont. Marcionem c. 10. & Baſil. hom. de paradiſo. Idem colligitur ex verſ. 8. & ex cap. 3. verſ. 23.

VT OPERARETVR ET CVSTODIRET ILLVM. nempe Deus hominem, vt bonus beatuſque eſſet, inquit Auguſt. 8. de Gen. ad litt. c. 10. ſed *eum*, in Hebræo femininum eſt, referens *paradiſum*. Itaque verior eſt ſenſus quem ibidem adfert. Aug. vt Adam, ne otio marceſceret, operaretur paradiſum per agriculturam non laborioſam, ſed delicioſam, & mentem prudentis magna atque vtilia commonentem, quod fuſius exponit c. 8. *Cuſtodiret* autem, vel contra beſtias ne amœnitatem eius læderent, vel etiam ſibi, ne aliquid admitteret, quate inde expelli mereretur.

16. PRÆCEPITQVE EI Adamo ſcilicet, quamuis iam formata eſſet Eua, vt ſcilicet ordinatiſſime præceptum Domini per virum ad fœminam perueniret, inquit Aug. ibid. c. 17. Hanc legem Tertul. l. aduerſus Iudæos c. 2. vocat legem primordialem, & matricem omnium præceptorum.

17. DE LIGNO SCIENTIÆ BONI ET MALI NE COMEDAS. Non quod malum eſſet lignum, ſed quia non poterat melius & diligentius commendari quantum malum ſit ſola inobedientia; quandoquidem ideo reus factus eſt homo, quia eam tetigit contra prohibitionem, quam ſi non prohibitus tetigiſſet non vtique peccaſſet, vt Aug. 2. de peccat. meritis, cap. 21.

IN QVOCVMQVE DIE, &c. MORTE MORIERIS. id eſt, certiſſimè morieris, morte non ſolius animæ, vt volebant Pelagiani; ſed vtraque, & animæ & corporis. Nam quamuis anima non fuerit illo die ſeparata à corpore, illo tamen die mori cœperunt, quo mortis legem qua in ſenium veteraſcerent, acceperunt, vt inquit Aug. 1. de peccatorum meritis c. 16. Mutata eſt enim illo die in terius, vitiatique natura, atque à ligno vitæ ſeparatione iuſtiſſima, mortis in eis etiam corporalis neceſſitas facta eſt, cum qua neceſſitate nati ſumus, vt hoc explicat c. 23. l. 13. de ciuit. Nam ante peccatum erat quidem in Adamo poteſtas moriendi ſi vellet, nunc autem neceſſitas mo-

tiendi, etſi nolit. De quo vide eundem c. 3. & 5. lib. 1. de peccatorum meritis.

18. DIXIT QVOQVE, &c. Pergit inchoata recapitulatione rerum ſexto die geſtarum, vt ex v. 2. ſuprà, & v. 17. c. 1. patet.

NON EST BONVM HOMINEM ESSE SOLVM. quia ſpicies humana, etſi non interiret, multiplicari tamen non poſſet in indiuiduis: vnde illo incommodo iam ſublato, bonum eſt hominem mulierem non tangere.

FACIAMVS ET ADIVTORIVM SIMILE SIBI. ſeu ei, nempe in natura. Nam bruta ſunt homini diſſimilia adiutoria: vnde & iumenta vocata ſunt. Hoc autem adiutorium quodnam ſit, non inuenio, inquit Aug. 9. de Gen. c. 5. ſi generandi cauſa ſubtrahatur. Rectè enim oſtendit ad omnia cætera, ſiue laborem ſpectes, ſiue ſolatium, ne ſolitudinis fortè tæderet, longe congruentius adiutorium eſſe viro maſculũ quam fœminam.

19. ADDVXIT EA AD ADAM. imprimendo per Angelorum miniſterium viſa congruentia in eorum phantaſiam, quibus tacta quò vis propelluntur. Ille enim eſt modus quo Deus & homines flectunt animantia, vt oſtendit Auguſtinus cap. 14. lib. 9.

IPSVM EST NOMEN EIVS. hoc eſt, illud in naturam eius quadrabat, quia exprimebat proprietatem eius. Ita voluit & Adami ſapientiam oſtendere, & eum quodammodo in poſſeſſionem dominii animantium introducere; ſeruis enim ſolebat nomen mutari. Piſcium generibus paulatim cognitis nomina eſſe impoſita notat Aug.

21. IMMISIT SOPOREM, profundum, vt Hebræum indicat, idque non ideo, ne ſentiret dolorem, vt vult Epiphanius hæreſi 48. innocenti enim ſine dolore coſta detracta eſt; Et quis eſt, inquit Auguſt. tract. 9. in Ioannem qui ſic dormiat, vt ei oſſa non euigilanti euellantur? Sed ideo, vt eius mens per prophetiam, futurorum particeps fieret. Et hac de cauſa LXX. ſoporem illum, *extaſim*, verterunt, in qua vidit & quid circa ſe ageretur, & quid iſtud præfiguraret: nempe ædificationem Eccleſiæ ex latere Chriſti dormientis, id eſt, morientis in cruce, quia ſacramenta quibus ædificatur, inde fluxerunt, ita Aug. ibid. & Tertul. lib. de anima cap. 43. Et ad hoc ſignificandum Moyſes verbo *ædificandi* vſus videtur.

TVLIT VNAM DE COSTIS EIVS. vere tulit, non parabolice tantum, vt Caiet. exiſtimauit; idque non ſine carne, vt patet ex v. 23.

ET REPLEVIT CARNEM PRO EA. ſimiliter non ſine coſta, inquit Catharinus cum nonnullis recentioribus, ſed Aug. 9. de Gen. ad lit. c. 13. repugnat, & Scriptura non niſi carnem nominando fauet. Vnde rectius dicitur ſola carne vulnus hians conſolidaſſe. Nec tamen vna coſta ei defuit, quia erat ei vt indiuiduo ſuperflua, vt principio totius generis, inſtar ſeminis, neceſſaria Semen verò ſiue adſit, ſiue deſit nullo modo monſtroſum facit. ita D. Tho. 1. parte q. 92. a. 3.

22. ET ÆDIFICAVIT COSTAM IN MVLIEREM, materiam reliquam adiiciendo. Quod ergo fœminam ex viro fecit, commendat concordem in multis vnitatem; ex coſta, vitæ ſocietatem. Non enim fecit ex capite, ne dominaretur, nec ex pedibus ne ſeruiret. Ita fere D. Tho. loco cit. & Aug. 12. de Ciuit. c. 21. & 26. Quod autem EAM ADDVXIT AD ADAM, ſignificat in loco aliquantum diſtante fuiſſe ædificatam, quam tamquam paranymphus, & matrimonii comprobator Adamo præſentauerit.

23. DIXITQVE ADAM: HOC NVNC OS EX OSSIBVS MEIS. hæc tandem fœmina mihi adiutorium eſt, non diſſimile, vt bruta, ſed eiuſdem naturæ; adeoque *nunc* hebraicè, *hac vice, ex oſſibus* & carnibus meis formata, vt eam arctius diligam.

HÆC VOCABITVR VIRAGO. Septuaginta, *Mulier*. ſed nec latinum, nec græcum æquat vim vocis hebraicæ q. d. vocabitur *vira*, vt olim Latini. Expreſſit hoc Symmachus vertens, *vocabitur* Ἀνδρὶς, vt obſeruauit Origenes in cap. 19. Matth.

24. QVAMOBREM RELINQVET HOMO. Deo tribuit Chriſtus hæc verba Matth. 19. v. 4. vnde vel incipiunt hîc verba Dei complentis ſermonem Adæ, vt nonnulli volunt, vel diuinitus tamquam Propheta hoc dixit, vt Aug. 8. de Gen. cap. vult. & alii veteres. Senſus autem eſt, quia mulier de viro ſumpta eſt & in coniugem à Deo data, tam inuiolabilis erit ſocietas & arcta dilectio, vt

pater & mater deſerantur, & vxori in familiæ & vitæ ſocietate arctiſſimo vinculo adhæreat, & quaſi conglutinetur, vt hebraicum & græcum ſonant.

Et ervnt dvo in carne vna, id eſt, erunt non duo, ſed vna caro, vt explicuit Chriſtus Matth. 19. verſ. 5. nempe vnitate quam facit amor coniunctiſſimus coniugum, vt indicat Amb. 1. Officiorum c. 32. vnitate quam facit vinculum ſocietatis indiſſolubilis vnitate mutui iuris, quo ſcilicet corpus alterutrius eſt vtriuſque, vt quidam: vnitate originis, quia fœmina de maſculi latere creata eſt, inquit Aug. 14. de Ciuit. c. 22. denique maximè vnitas iſta hîc locum habet, quæ fit, quando vir adhæret vxori & concubitus initur, inquit Aug. l. 2. operis imperfecti contra Iulianum. 57. & alibi paſſim, & fere communiter antiqui Patres qui in hoc ſecuti ſunt Apoſtolum. Nam 1. ad Corinth. 6. etiam cum meretrice vnum corpus fieri docet. Nam hæc vnitas eſt in coniugibus effectus, ſignum, & complementum vnitatum præcedentium. His itaque verbis excluditur polygamia vt Hieron Epiſt. ad Ageruchiam, & diuortium, vt ſatis indicauit Chriſtus loco cit. Quàm magnum autem Sacramentum in Chriſto & Eccleſia contineat iſtum Adami matrimonium, & verba Dei, explicuit Apoſtolus ad Epheſ. 5. Reliquit enim Chriſtus Patrem formam ſerui accipiens, & matrem ſynagogam, & adhæſit Eccleſiæ, factus cum ea vnus. Chriſtus vide latius Aug. Tract. 9. in Ioannem, & fuſius 2. de Gen. contra Manich. cap. 24.

25. Erant avtem vterqve nvdvs, et non ervbescebant. Nam quod eſſent cæci creati, vt putarunt hæretici apud Philaſt. hæreſi 66. vel quod non haberent intellectum generationis, vtpote nondum adulti inſtar infantium, vt putauit Iræneus l. 3. c. 33. & Theod. quæſt. 28. in Gen. ſed quia deerat cauſa erubeſcendi libido, propter quam nunc turpis eſt nuditas, vt egregie Aug. lib. 14. de Ciuit. cap. 17. Animam quippe rationalem naturali verecundiâ nunc pudet, quod in carne, in cuius ſeruitutem ius poteſtatis accepit, neſcio quâ infirmitate efficere non poteſt, vt ſe nolente, non moueantur membra, & ſe volente moueantur. Quæ propter hoc appellantur pudenda, quod aduerſùs dominam mentem, quaſi ſuæ ſint poteſtatis, ſicut libitum eſt, excitantur, vt idem explicuit 2. de peccatorum meritis cap. 22.

Capvt III.

1. Sed et serpens. Non ſimilitudo ſerpentis aſſumpta, vt Cyrillus videtur arbitratus l. 3. contra Iulian. nec etiam Diabolus vt Caiet. ſed ſicut pœna teſtatur, verus ſerpens, animal ſcilicet lubricum & tortuoſis anfractibus mobile, & ideo tali operi congruum, vt notat Aug. 14. de Ciuit. c. 11.

Erat callidior ſeu verſutior cvnctis animantibvs, partim natura ſua, qua vafer eſt, vt patet Matth. 10. v. 16. & inſidioſus, partim & maximè, vt idem Auguſt. c. 29. l. 11. de Geneſ. ad litteram, propter aſtutiam diaboli, qui in illo & de illo agebat dolum, ſicut dicitur aſtuta lingua, & ſtylus mendax ſcribarum, per quem ſcilicet mendaces mendaciter operantur.

Qvi dixit. diabolo mouente naturam eius eo modo quo ille mouere, & illa moueri potuit ad experimendos verborum ſonos. Nec mulier timuit, non quod animalia tunc ſenſate loquerentur, vt videtur exiſtimaſſe Baſilius Hom. de paradiſo, poſt Ioſeph. c. 2. l. 1. Antiquit. ſed quia ſciebat ſibi nocere non poſſe, vt Chryſoſt. Hom. 6. hîc. Miratam autem eſſe non eſt abſurdum, ideoque rei tam nouæ euentum expectate voluiſſe, hoc enim licet, quando debitis modis fit. Quis ille ſerpens fuerit curioſè quæritur, & temerè definitur.

Cvr præcepit vobis Devs? Hebraicè *Etiamne præcepit Deus*, quod 70. verterunt, *Quid quia præcepit*, id eſt, quid eſt hoc quod præcepit? Et ita per omnes verſiones ſignificatur captatio occaſionis diſputandi, & indagandi naturam & cauſas præcepti illius.

Vt non comederetis de omni ligno. Ambiguè proponit, vt intelligi poſſit præcepiſſe Deum, vt de nullo ligno comederent, vel etiam, vt de aliquo non comede-

rent: interim ſic inſinuans omnium lignorum eandem eſſe rationem. vnde mulier diſtinctè reſpondendo, ambiguitatem tollit.

3. ET NE TANGEREMVS ILLVD. Hoc ab Eua adiectum putat Amb. l. de paradiſo cap. 12. non odio præcepti, vt Ambroſio à quibuſdam imponitur, ſed vt ſuppleret præceptum Dei, quamquam ibidem alii velint Adamum ſic vxori præceptum retuliſſe, vt eam faceret cautiorem, miſcendo ſcilicet propoſiti ſui reuerentiam cum præcepto Dei.

NE FORTE MORIAMVR. Hic primus eſt ad tranſgreſſionem gradus. Deus enim geminando pœnam inculcauerat, mulier vacillare incipit addendo *fortè*. Diabolus vt nutantem vidit, ſtatim audacter negat, & ſimul duobus aliis ſplendidis mendaciis ſcientiæ & excellentiæ ſtimulos admouet. Deum denique hoc ſcire aſſerit, vt facilius perſuaderet, eum hoc non litteraliter, ſed vt Aug. ait 11. de Gen. c. 30. alicuius ſignificationis ſeu myſterii cauſa dixiſſe, quod mentis oculis ad intelligentiam aperiendis per comeſtionem patefieret.

5. ERITIS SICVT DII, non natura vel omnipotentia vel omniſcientia, ſed per dignoſcentiam boni & mali, vt Aug. 11. de Gen. c. 42. nam illam rationem diuinitatis explicant verba ſequentia, SCIENTES BONVM ET MALVM, id eſt, dignoſcetis non ex præceptis alienis, tanquam qui inſtructione egeatis, ſed per vos ipſos propriâ induſtriâ, quid bonum, quid malum, quid appetendum, quid fugiendum ſit dignoſcentes. Quibus verbis optime indicat Auguſt. c. 30. non potuiſſe Euam credere, niſi iam inſuiſſet menti eius amor quidam propriæ poteſtatis, & quædam de ſe ſuperba præſumptio, quæ per illam tentationem fuerat conuincenda & humilianda. Ex quibus ſatis manifeſtum eſt quodnam fuerit primorum hominum primum peccatum, ſcilicet ſuperbiam, ſeu amorem iſtius excellentiæ. Non quaſi talis amor excellendi innatus ſit, & intenſus in natura rationali etiam integra & perfecta, hoc enim & falſum eſt & malè à quodam recentiore Aug. imponitur, ſed quia talis amor tanquam primum peccatum auditis illis verbis exortus eſt: quem Aug. vocat ſæpiſſime amorem propriæ poteſtatis. Nam vt præclare explicat l. 2. de Gen. contra Manich. c. 15. Perſuaſum eſt illis verbis, vt ſub Deo eſſe nollent, ſed in ſua poteſtate potius ſine domino, vt legem eius non obſeruarent quaſi inuidentis ſibi, ne ſe ipſi regerent non indigentes illius interno lumine, ſed vtentes propria prouidentia quaſi oculis ſuis ad dignoſcendum bonum & malum, quod ille prohibuiſſet. Cùm ergo illud, ERITIS SICVT DII, in voluntate placere cœpiſſet, in qua complacentia ſuperbia conſiſtit, continuo ſecuta eſt in mente curioſitas, in corpore libido comedendi, & vtramque per oculos promicuiſſe ſatis indicat id quod ſequitur.

6. VIDIT IGITVR MVLIER. nempe cum affectu quodam curioſo & guloſo. Mota eſt, inquit Aug. 11. de Gen. c. 31. audax curioſitas auida experiri latentia, quidnam facto vetito ſequeretur. Itaque *vidit* illo modo.

QVOD BONVM ESSET LIGNVM AD VESCENDVM, id eſt, ſapidum palato, quantum ex colore, odore, forma coniici poterat. ET PVLCHRVM OCVLIS, propter formæ præſtantiam, & proinde ex vtroque capite ASPECTV DELECTABILE. hebraicè *concupiſcibile ad contemplandum*, quòd ſcilicet iam ſentiret pomum illud decore ſuo ad moroſum intuitum ſui rapere, quia iam animus triplici illa libidine ſuperbiæ, curioſitatis, & gulæ corruptus erat. Ex quo egregie colligit Aug. primum Adamum eodem modo ſicut 2. Matth. 4. tribus illis tentationibus, ſuperbia, curioſitate, & concupiſcentia carnis fuiſſe tentatum, & illas iuxta doctrinam Apoſt. 1. Ioan. 2. v. 16. omne omnino genus tentationum & peccatorum comprehendere. Hic ergo peccati ordo fuit, vt 1. Eua auditâ iſtâ promiſſione quaſi placeret ſibi, & ex illa ſuperbia crederet verum dixiſſe ſerpentem. 2. curioſitas ſecuta eſt tentandi, ſeu videndi effectum ſecuturum. 3. libido comedendi. Quibus internis machinis & perturbationibus ſubuerſa.

TVLIT DE FRVCTV ILLIVS, non credens inde ſe poſſe mori, ſed ſignificationis alicuius cauſa eſſe dictum, inquit Aug. 11. de Gen. cap. 30.

Deditqve viro svo, cùm ſe peccaſſe cognouiſſet, vt ſcilicet eum tanti myſterii participem faceret, ne ſola, inquit Ambr. cap. 6. lib. de paradiſo, eiiceretur ex paradiſo, aut plecteretur.

Qvi comedit, ſimul cum muliere, vt indicant 70. dum vertunt *& comederunt*. Dedit autem narrando quæ audierat & addendo ſuaſionem. Nam Adamum omnia ſciuiſſe indicat v. 17. & v. 22. Comedit autem Adam, non deceptus aut credens vera eſſe dicta ſerpentis, ſed ſimili ſuperbiæ complacentia, & experiendi cupiditate ductus, maximè quia videbat vxorem non eſſe mortuam, amicali quadam beneuolentia qua plerumque offenditur Deus, ne homo ex amico fiat inimicus, noluit eam contriſtare, ne ſine ſolatio ſuo contabeſceret, vt hoc explicat Aug. lib. 1. de Gen. cap. 40. & 42. & videtur elucere ex initio verſus 17.

7. Et aperti svnt ocvli ambarvm. non quod cæci eſſent prius creati ſicut canes, & peccando adepti ſint viſum, vt quidam apud Aug. putauerunt l. 1. de nuptiis. c. 5. ſed *aperti ſunt*, id eſt, inquit, ad intuendum & agnoſcendum quid nouum in eorum corpore acciderat, ſiue ad diſcernendum inter bonum pacificæ tranquillitatis membrorum quod amiſerant, & malum illud in quod ceciderant. Nam ab euentu dicta fuit arbor illa ſcientiæ boni & mali. Ex quo colligitur rebellionem membrorum non fuiſſe in Eua, Deo ſcilicet impediente, antequam à toto homine fœmina & viro peccatum fuiſſet completum. Non enim alioquin auſa fuiſſet ſe viro ſiſtere præſentem.

Cvmqve cognovissent, id eſt, animaduertiſſent se esse nvdos, ex illa ſcilicet impudente nouitate, & erubeſcerent quod ſubtracta iuſtitia originali in membra propria proprium perdidiſſent imperium, eo quod non amplius ad arbitrium voluntatis, ſed ad libidinis incentiuum velut arbitrio proprio mouerentur.

Consvervnt folia ficvs. Non quaſi ex illa arbore comediſſent, vt Theodoretus indicat q. 28. hîc, ſed quia latis eſt foliis & tegendæ nuditati aptioribus, quamquam Iræneus l. 3. c. 37. aſpera illa folia ficus ab eis aſſumpta velit in pœnam, delicti: alii quod congueret illis tegi membra prurientia. Sed Aug. 11. de Gen. c. 32. mauult illos occulto inſtinctu impulſos ad iſta folia, neſcientes quid ſignificarent.

Fecervnt sibi perizomata, id eſt, ſubligacula ſeu ſuccinctoria, quibus corpus circum cingitur ad tegenda verenda. Campeſtria vocat ſæpe Aug. eo quod eis iuuenes illa membra tegerent antiquo more Romano, quando nudi exercebantur in campo, inquit lib. 2. ad Bonifacium cap. 16.

8. Cvm avdissent vocem Dei, ſiue formidabilem ſtrepidum ramorum & foliorum, ſiue etiam veram aliquam vocem Dei ambulantis in aſſumpto corpore.

Ad avram post meridiem, ſub veſperam, ſcilicet quando Zephyri æſtum die refrigerantes aſpirare ſolent: quo ſignificatum vult Amb. in Pſal. 38. & Irenæus lib. 5. cap. 15. ad veſperam ſeu ſub finem mundi hominem à Chriſto fore viſitandum.

Abscondit se Adam et vxor, quia etiam ſuccincti ab illo multò vehementiùs quàm à ſe videri verebantur, qui ad eos videndos per creaturam viſibilem, vt ſolebat, velut humanos oculos adferebat. Nam vt Aug. 11. de Gen. c. 34. illa ipſa prope amicitia, qua fruiti fuerant, pudorem onerabat poſt peccatum, quæ fiduciam dabat ante peccatum, non audentes oſtendere nuditatem talibus oculis, quæ diſplicebat & ſuis.

Vocavit Adam, citando eum ad iuſticium hac voce, vbi es? Septuaginta habent efficacius, Adam vbi es? quod inquit Aug. ibidem increpantis eſt, non ignorantis aut delictum aut locum. Vnde Tertull. optimè notat l. 2. contra Marcionem c. 25. non ſimplici modo, id eſt interrogatorio ſono legendum eſſe, ſed impreſſo, & incuſſo, & imputatiuo, *Adam vbi es*, id eſt, in perditione es, vt & increpandi & dolendi exitus vox ſit, inquit ipſe. Adde & ſuggerendi: volebat enim vt ſecum recogitaret qualis ex quali factus eſſet, q. d. In quam incidiſti ex tanta fœlicitate ruinam? vt notauit Baſilius in Pſalm. 114. & ante ipſum Origenes lib. de recta fide. Porro quaſi incertus

certus rogit iuxta Tertull. vt daret ei locum ſponte confitenti delictum, & hoc nomine reuelandi. De cuius interrogationibus Dei, vide in eundem ſenſum late Hilar. in Pſalm. 119.

10. Vocem tvam avdivi et timvi, id eſt erubui, inquiunt quidam. Sed rectius Aug. 11. de Gen. 33. ſimul hinc colligit & nimium pudorem & timorem; pudorem enim fecerat erubeſcenda concupiſcentia, timorem punienda conſcientia, quia dementi ſimilis, cùm qui cordis cernebat interna, corporis occultatione fugiebat, vt ait lib. 4. contra Iulianum cap. vltimo.

Qvis enim indicavit tibi? Vrget enim preſſius ad peccati confeſſionem quaſi præformando ei verba.

Nisi qvod ex ligno, &c. id eſt, niſi quia peccaſti. Vnde Aug. ibidem, quid eſt guſtato cibo nuditas indicata niſi peccato nudatum quod gratia contegebat? gratia quippe magna ibi erat vbi animale corpus animalem libidinem non habebat.

12. Dixitqve Adam: Mvlier qvam dedisti, &c. In mulierem culpam refert. Et hoc de illa eadem vena ſuperbiæ quæ habet confuſionis deformitatem, non habet confeſſionis humilitatem, vt idem 11. de Gen. cap. 35.

Qvam dedisti mihi sociam. Oblique retorquet in Deum peccatum ſuum, vt quia par illi eſſe non potuerat, reddat Deum parem ſibi: vel potius vult oſtendere Deum peccaſſe, & ſe eſſe innocentem, vt Au .2. de Geneſ. contra Manichæos, cap. 17.

Dedit mihi, &c. Quaſi non ipſa potius debuiſſet obedire viro, & ambo Deo.

13. Serpens decepit me. Et ipſa excuſat peccatum impari ſexu, pari faſtu: quaſi cuiuſquam ſuaſio præcepto Dei debuerit anteponi. Interim propriiſſime dicit, *decepit me*, quia id quod ſuadebatur, cùm falſum eſſet, ipſa verum putauerat, tamquam ſcilicet Deus ſciens Deos futuros lignum illud inuidendo vetuiſſet, vt obſeruat Aug. c. vlt. l. 11. de Geneſi. Adam verò deceptus non fuit, ſed ſicut Salomon blanditiis vxorum ad idola colenda ceſſit nullo errore ſeductus, ita vir fœminæ, vnus vni, homo homini, coniux coniugi, non tamquam verum loquenti credidit, ſed ſociali neceſſitudine parui, & ita ſciens prudenſque peccauit, vt ait Aug. 14. de Ciuit. cap. 11. Sic ergo propriè dixit Apoſt. v. ad Tim. 2. v. 14. *Adam non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta eſt.* Alio tamen modo etiam Adam ſeductus fuit, vel quia mulierem non eſſe mortuam videns, non credidit ſe moriturum, vel certè inexpertus diuinæ ſeueritatis putauit ſe venialiter tranſgreſſorem eſſe præcepti, ſi vitæ ſociam non deſereret, etiam in ſocietate peccati, vt ibidem Aug. c. 11. & 13. Porro hebraice eſt *ſerpens ille*, ſcilicet quem tu in medio noſtri creaſti, & hîc præſens reptat. Vnde Deus tamquam ad præſentem conuertitur.

14. Qvia fecisti hoc, maledictvs es, &c. Quæ de ſerpente ſequuntur, fere antiqui PP. cum Auguſt. 11. de Geneſ. c. 36. de diabolo accipiunt. Vt tentator ille deſcribatur, inquit, qualis generi humano futurus eſſet: idque litteraliter, vt ſcilicet conditiones ſerpentis ad quas fit alluſio, non ſint niſi cortex parabolæ. Quod ſi qui tamen etiam vero ſerpenti pœnas aliquas tamquam organo diaboli hîc inflictas eſſe velint, neceſſe mihi videtur fateri, illas qualitates antea ſerpenti non conueniſſe. Neque enim hactenus exemplum vidi, vbi natura in pœnam verſa ſit in eadem prorſus manens. Vnde antiqui Scriptores qui hæc etiam de vero ſerpente exponere voluerunt vt Baſil. hom. de parad. Dydimus in Catena, Ephrem Syrus & Moyſes Barcepha c. 17. ſentiunt etiam ſerpentem antea non fuiſſe reptilem, neque terram comediſſe. Quod quidam etiam nunc non improbabile eſſe cenſent. Sed quia vel res incerta eſt, vel non minus veriſimile illas eſſe conditiones eius naturales, de diaboli pœna nos exponemus.

Pœna autem eius eſt, inquit Aug. l. 2. de Gen. cont. Manich. c. 17. vt in poteſtate habeat eos qui contemnunt Dei præcepta. & inde maior pœna, quia de hac tam infœlici poteſtate lætatur. Itaque maledictvs inter omnia animantia, id eſt abominabilis hominibus præ animantibus quæ in

ſua natura quam acceperunt, à Deo vitam innocentem peragunt.

SVPER PECTVS TVVM GRADIERIS. In pectore ſignificantur fraudes & doli, inquit hîc Hieron. vel potius vt Aug. ſuperbia, quia ibi eſt impetus quidam animi, vt ſignificetur diabolum dolis & maximè ſuperbia ad omnem hominem ſerpere.

ET TERRAM COMEDES, id eſt, terreni homines erunt cibus tuus, quos deuores omnibus diebus quibus ante extremum iudicium agis hanc poteſtatem.

15. INIMICITIAS PONAM, &c. Facile eſt hoc ſicut & maledictionem inter animantia etiam vt pœnam veri ſerpentis exponere. Nam poſt lapſum hominis factus eſt ſerpens homini abominabilis, & labefactato dominio hominis in beſtias, vtrique ſibi capitaliter inimici & horrori ſunt, ita vt reuera homo viſo ſerpente ſtatim de occidendo & conterendo capite eius cogitet, ſerpens verò in pratis latitans ambulantium calcaneo tamquam patti viciniori inſidietur. Sed iſtæ inimicitiæ non videntur eſſe niſi typus inimicitiarum quæ hîc ſignificantur interceſſuræ inter mulierem & ſemen eius, hoc eſt, Chriſtum ex vna parte, & inter diabolum & ſemen ſeu filios eius omnes infideles ex altera. Rectè autem dicit, ***ponam***, quia niſi Deus per gratiam inimicitiam illam inſerat, nemo diabolo inimicus eſt.

IPSA CONTERET CAPVT TVVM. Ita iam olim Romana Biblia, fruſtra frendente Caluino. Sic enim legit & olim Diuus Ambr. l. de fuga ſæculi c. 7. Aug. paſſim & alij poſteriores. Textus Hebræus ad quem prouocant, legit, ***hou***, id eſt, ipſe ſeu ipſum, ſcilicet ſemen, quando eſt maſculinum, & ei maſculinum reſpondet verbum. In LXX. & nunc & olim tempore Hieron. & Philonis legebatur ***ipſe***, ſcilicet Chriſtus, quia ſenſum reſpiciunt. Cauſa naturæ verſionis eſt quod Hebræum, ***hy***, id eſt ipſa, ſine punctis ſæpe iiſdem prorſus litteris ſcribatur quibus, ***hou***, id eſt, ipſe, vt hoc eodem cap. v. 12. & bis terve Geneſ. 28. v. 21. & 25. Et cum actus virilis ſignificetur, additur ei etiam verbum maſculinum, vt c. 2. v. 23. & alibi. Porro ſenſus omnium plane idem eſt quomodo cumque legas. Nam ſi legamus ***ipſe*** & ***ipſum***, ſcilicet ſemen, verus ſenſus eſt, quòd ipſe Chriſtus ſemen mulieris contriturus ſit caput, id eſt, omnem potentiam diaboli, alligans & ſubiiciens eum poteſtati hominis, qui fuerat victus, vt & ipſe calcaret omnem virtutem eius, inquit Irenæus l. 3. c. 8. Nec aliud ſibi vult lectio noſtra, ***ipſa conteret***, ſcilicet mulier, quia Eua vel potius Virgo Maria ſemen illud Chriſtum protulit, & per illum virtutem eius contriuit, vt Epiphanius hæreſ. 78. quo modo dicitur Abrahæ, ***In te benedicentur vniuerſæ cognationes terræ***, propter Chriſtum ex eo natum. Quod alibi clarius dicitur: ***In ſemine tuo benedicentur***, &c. ſcilicet in Chriſto.

ET TV INSIDIABERIS CALCANEO EIVS, id eſt, non aperta vi, ſed à tergo fraude, doliſque, & tentationibus te conaberis vlciſci, vt reptantes ſerpentes ſolent: idque inſidiando maxime ***calcaneo***, hoc eſt extremis membris, ſeu fidelibus Chriſti. Allegorice hæc intelliguntur de inimicitiis totius Eccleſiæ & diaboli, vt explicatur Apocal. 12. Tropolog. ***caput***, id eſt, initia ſuggeſtionis conterenda ſunt, antequam ſequatur delectatio: & diabolus inſidiatur calcaneo, quia per carnem qua parte ſcilicet terram tangimus, nos vult ſupplantare, inquit Auguſt. in verſum 6. Pſalm. 48.

16. MVLTIPLICABO ÆRVMNAS ET CONCEPTVS TVOS, id eſt, ærumnas conceptuum illas quas à conceptu prolis vſque ad partũ experiuntur. Quàm magnę illæ ſint & multæ vide Ariſt. l. 7. Hiſtoriæ animalium. c. 4.

IN DOLORE PARIES. Cui dolori præ magnitudine grauiſſimi dolores in Scriptura comparari ſolent. Vnde pulchre Baſilius lib. de virginitate verba iſta Epithalamium omnium nuptiarum vocat. Non fuiſſet ergo in paradiſo vllus dolor, aut ruptura parientis, ſicut nec dolor, aut cruor virginis concumbentis, inquit Aug. de peccato orig. c. 35. Quibus verbis explicat id, quod tum ibi, tum alibi dicit, & à nonnullis male intelligitur, virginitatis integritatem, id eſt, vt loquitur 14. de Ciuit. c. 26. integritatem fœminei genitalis ſaluam futuram fuiſſe, id eſt,

nulla cruenta doloroſaque ruptione lædendam.

ET SVB VIRI POTESTATE ERIS, non vt antè libens & gaudens, ſed etiam inuita. Significatur enim ſubiectio potius conditionis quàm dilectionis, ita nempe vt vir ipſam non tantũ charitate regat, ſed etiam ei nolenti dominetur, vt ſignificant illa verba.

ET IPSE DOMINABITVR TVI. Nam maritum habere dominium metuit mulieris non natura ſed culpa: quod tamen niſi ſeruetur, deprauabitur amplius natura & augebitur culpa, inquit Auguſtinus 11. de Geneſi capite trigeſimo ſeptimo.

MALEDICTA TERRA IN OPERE TVO, id eſt, in peccato tuo, ſeu propter peccatum tuum. Vnde Theodorion tranſtulit, *in trangreſſione tua*: & hoc ſignificari teſtatur hîc Hieronymus, quia Hebræa legunt, *propter te*. Sterilitas ergo terræ infligitur, vt iam opus ſit laborioſiſſimâ agriculturâ: & eâ adhibitâ.

18. SPINAS ET TRIBVLOS GERMINABIT, id eſt, non ad paſtum aliis animantibus, vt antea, ſed *tibi* ad laborem, idque in ipſis agriis, vbi pœnaliter laboraueris, vt Aug. lib. 3. de Gen, ad lit. cap. 18.

ET COMEDES HERBAS TERRÆ, nempe per tot moleſtias ante dictas. Nam alioquin etiam antea herbas comediſſet, vt patet ex cap. 1. v. 29.

19. QVIA PVLVIS ES, &c. LXX. *Terra es & in terram ibis*, id eſt hoc eris exanimis quod eras antequam eſſes animatus: tamquam diceretur, Terra es animata quod non eras, terra eris exanimis ſicut eras, vt loquitur Aug. 20. de Ciuit. cap. 2. Quibus verbis pœna mortis homini confirmata eſt, ea que ceſſit in miſericordiam, ne malum eſſet immortale, vt notat Nazianzenus oratione 38. & ſignificatur hic v. 21. Omnes has pœnas mulieris, & viri vide tropologice expoſitas late apud Aug. 2. de Gen. contra Manich. cap 19. & 20.

20. VOCAVIT NOMEN VXORIS HEVA, à verbo Hebræo ſignificante viuere vel viuificare. Quam etymologiam explicat textus. Idque in ſolatium aliquod inflictæ mortalitatis, Euam typum geſſiſſe Mariæ notat Epiph. hæreſi 78. quia hæc eſt vere mater viuentium.

21. TVNICAS PELLICEAS, id eſt corpora, inquit Orig. apud Epiphan. Hæreſ. 64. & ante ipſum quidam Caſſian. apud Clem. Alexand. 5. ſtrom. c. 8. Ne Deus ſcilicet coriarius eſſe videretur. Sed error eſt. Sunt ergo veræ tunicæ ex villoſis pellibus, vt eſſent figura mortis meritæ, iuxta Aug. 2. de Gen. contra Manich. c. 21. fecit eas Deus via ſibi nota, ſiue ex occiſis animalibus, ſiue aliter. Quamuis merito Theod. q. 39. ſuperfluum vocet curioſe iſtud inquirere, cum Deo non deſint multi modi.

22. ECCE ADAM QVASI VNVS EX NOBIS, ſcilicet quia & ipſe Deus factus eſt quantum ad ſcientiam, id eſt, experientiam dignoſcendi boni & mali, quam nos habemus per ſapientiam. Eſt ironia, ſed ita vt ſint verba Dei non tam Adamo inſultantis quam cæteros, ne ita ſuperbiant deterrentis ait Aug. 11. de Gen. c. 39. Replicatum eſt enim in caput ſuperbi, quo exitu concupiuerit quod à ſerpente ſuggeſtum eſt, *eritis ſicut Dij*.

23. 24. ET EMISIT EVM, &c. EIECITQVE ADAM, &c. ignominioſe vt Hebræa idque maximo beneficio ne in pœnæ æternitate maneret, inquit Hilarius in Pſalm. 68. an hæc contigerint eodem die quo creati ſunt protſus incertum eſt. Ita tamen vult Barcepha in fine partis primæ de paradiſo. vt ſic non fuiſſet niſi ſex horas in paradiſo: & tribuitur Irenæo c. 23. l. 5. qui tamen non niſi eodem die, hoc eſt, feriâ ſexta contigiſſe aſſerit. Auguſtinus, vbique inſinuat plus temporis eſſe inter lapſum. Videndus eſt l. 2. de peccatorum meritis cap. 22. & lib. 11. de Gen. cap. 31.

COLLOCAVIT CHERVBIM, id eſt, terribiles formas animalium, inquit Theod. q. 40. tamquam ſpectra ſcilicet ad terrendum poſita, vt nuperrimus hæreticus Iac. Chius docuit. Sed verius eſt quod ait Auguſt. loco cit. c. 40. eſſe cæleſtes quaſdam poteſtates, quæ ſcilicet vibrẽt, FLAMMEVM GLADIVM, ſiue flammam in modum gladii formatam, ſiue gladium inſtar fulguris micantem, & in omnes partes VERSATILEM, ne quis vel

homo, vel dæmon fructum ligni vitæ decerperet. Tertul. in l. de anima c. 52. *verſatilem* dictum indicat, quod ſolis in Chriſto decendentibus, ſeu morientibus cederet, non aliis: quod & Baſilio videtur placuiſſe in exhoratione ad Baptiſmum, & Nazianz. orat. 20. quaſi ſpiritus iuſtorum in paradiſum reciperentur. ſed eos in cælos recipi, ſenſus eſt fidelium.

Capvt IV.

1. COGNOVIT, quia virgo vocatur, hebraicè quaſi viro abſcondita & incognita, & eius corruptio reuelatio. Cognouit itaque extra paradiſum, vt obſeruat Aug. 9. de Gen. ad lit. c. 4. virgines enim in paradiſo fuerunt, vt plerique veteres annotauerunt cum Baſilio lib. de virg. vlli dicit cognouiſſe vxorem, vt mortalitatem prolis ſucceſſione ſolaretur, & quaſi aliam ſibi pararet immortalitatem. Peperit autem duos filios non eodem conceptu, vt Rabbini, ſed diuerſo, vt ex verſu 2. patet. Cain, id eſt, poſſeſſio, & Abel. id eſt, vanitas; quo nomine præſagit quodammodo mortem eius immaturam.

3. Vt offerret de frvctibvs terræ, non primos ſeu primitias, ſed viliores, vt notat Aug. l. de Cain c. 10. & fauet v. 4. maximéque Apoſtolus ad Hebr. 11. vbi dicit obtuliſſe Abel *plurimam hoſtiam*, Græcè *plurem*, ſeu vberiorem hoſtiam quàm Cain; nempe primogenita tamquam primos fructus. Ritum offerendi edocti fuerunt ab Adamo, vt notat Athanaſius in Epiſtola quadam pro decretis Nicænis.

4. Respexit ad Abel, tamquam ad placentem ſibi, & deinde ad mvnera eivs, quia non Abel ex muneribus, ſed munera ex Abel placuerunt, vt Greg. l. 22. moral. c. 8. Animus enim offerentis cauſa fuit, cur placeret oblatio. Apoſtolus ad Hebr. 11. aſcribit hoc fidei eius, nempe non ſoli, vt Hæretici volunt, ſed deuotioni in Deum. Vnde Tertull. 2. contra Marcionem c. 22. tribuit hoc ſimplicitati & cultui Dei. Irenæus lib. 4. cap. 34. ſimplicitati & iuſtitiæ, Chryſoſt. deuotioni. Porrò non eſſe dubitandum docet Aug. l. 15. de Ciuit c. 7. hunc reſpectum Dei potuiſſe cognoſci aliquo ſigno viſibili atteſtante, vt ex triſtitia Cain ſatis patet. Hoc ſignum Hieron. in quæſtionibus Hebraicis cum aliis multis vult fuiſſe inflammationem hoſtiæ Abelis non alterius, vnde Theodotion vertit, *inflammauit*. Hoc enim ſigno ſæpè Deus hoſtiam ſibi placere teſtatus eſt, vt Aaronis Leuit. 9. v. 24. Eliæ 3 Reg. 18. verſ. 38. & aliorum.

5. Et concidit vvltvs eivs, præ triſtitia inuidiæ qua de fratris bonitate dolebat, vt Aug. 15. de Ciuit. c. 7. Nam inuidiam, quòd ſanctius fratris ſacrificium ferre non poſſet, cauſam fuiſſe necis inferendæ, notat Nazianz. Orat. 26. Clem. Alexandr. 7. ſtrom. c. 6. & paſſim Veteres.

7. Nonne si bene egeris, tum rectiùs offerendo, tum inuidas & iracundas machinationes deponendo, recipies, id quod mereris, nempe intus pro mœrore lætitiam conſcientiæ, & foris per teſtimonium fauoris mei.

In foribvs peccatvm aderit, nonne pœna peccati tui tamquam vin dex ſceleris & ianitor foribus tuis accubabit?

Sed svb te, &c. Tv dominaberis illivs, nempe fratris tui, inquit Caluinus in hunc locum, vt telum illud pro arbitrii libertate declinet. Sed rectius Aug. c. 7. cit. dominaberis illius, inquit, nunquid fratris? abſit cuius igitur, niſi peccati? Vnde ſenſus eſt, Libido peccandi tibi ſubiecta eſſe debet, & tu illius per vires libertatis gratia roboratæ dominaris: quod breuiter dixit Hier. quia liberi arbitrii es, moneo vt non tibi peccatum, ſed tu peccato domineris. Idem eſt ſenſus verſionis Septuaginta, quæ eſt apud Veteres celebris: *Ad te conuerſio eius*, nempe concupiſcentiæ peccandi: id eſt, ad mentem domita & victa conuerti debet, vt ei ſubditæ ratio dominetur, ait Auguſt. ibid.

8. Egrediamvr foras. deeſt in Hebræis. Vnde Calu. hîc vult orationem illam defectiuam ab Hier. eſſe expreſſam. Sed errat. Hier. enim in quæſt. Heb. dicit potius hoc in noſtro textu eſſe ſuperfluum, ſe tamen in codice Samaritanorum nempe Hebraicè reperiſſe: & ita eſſe teſtis eſt codex Samaritanorum nupertimè inuentus, vt videre li-

cet in marmoribus Arundelianis. Manſit itaque in noſtris Bibliis ex verſione Septuaginta. Quod ſignum eſt iam olim eos ſicut & Thargum Hieroſolymitanum ſic legiſſe, & ex Hebraïco vertiſſe, etſi poſteriores Interpretes iis verbis careant.

10. VOX SANGVINIS, &c. id eſt, cędes iſta parricidalis tam voluntaria celerem & atrocem à me vindictam poſtulat. Tuum enim te facinus, non frater accuſat, vt Ambr. l. 2. de Cain c. 9. Vnde Apoſt. ad Hebr. c. 12. v. 24. opponit ei ſanguinem Chriſti, melius loquentem quàm Abel, quia ille effuſus in remiſſionem, veniam poſtulat, hîc vltionem. Porrò clamorem iſtum non niſi atrocibus criminibus ſcriptura tribuit, vt ſodomiæ, Gen. 18. v. 20. defraudationi mercedis, Iacobi 5. oppreſſioni viduarum & pupillorum, Exodi 22. verſ. 22.

DE TERRA, quæ ſanguinem imbibit. Contigiſſe hoc in agro Damaſceno Syriæ traditio eſt Hebræorum, vt teſtatur Hier. in c. 27. Ezech. vt inde dicta ſit Damaſcus quaſi *Damaſc*, id eſt, ſanguinis ſaccus. Alii, vt Adrichomius iactu arcus ab Hebron, in agro ſic dicto accidiſſe volunt. Quomodo Abel ſit typus Chriſti, Cain Iudæorum, ager Caluariæ, totámque hanc hiſtoriam allegoricè, vide apud Aug. l. 12. contra Fauſt. c. 9. & pulchrè apud Cyrillum Alexand.

12. VAGVS ET PROFVGVS ERIS SVPER TERRAM, quia præ carnificina conſcientiæ nihil tibi tutum credes, vt hoc indicat reſponſio Cain v. 14. Septuaginta verterunt, *gemens & tremens*, ſcilicet corporis & animi tremore.

13. MAIOR EST INIQVITAS MEA QVAM VT VENIAM MEREAR. Hebraïcè eſt, *quam parcere*, ſeu vt parcas, quod alij verterunt, *quàm vt remittatur mihi*, vt eſt apud Tertul. lib. cont. Iud. c. 15. Chryſoſtomus hîc vult eſſe verba perfectæ pœnitentiæ. Sed in contrarium ſunt ferè Veteres, qui dicunt eſſe verba deſperantis, eò quòd tantum commiſiſſet nefas quod miſericordiam condonantis excederet, vt Hier. Epiſt. 125. quæſt. 1. ad Damaſum. Probans autem ſe meritò deſperare.

14. ECCE, inquit, EIICIS ME HODIE A FACIE TERRÆ, id eſt, hominum, dum vagum & profugum velut exulem condemnando nuſquam locorum me conſiſtere ſinis, ET A FACIE TVA ABSCONDAR, tamquam præſentiam iudicis fugiens, à cuius cura abiectus ſum. Et hac de cauſa, OMNIS QVI INVENERIT ME, OCCIDET ME, tamquam Dei & hominum anathema: dum inquit Hier. loco cit. ex tremore corporis & furiatæ mentis agitatu eum eſſe intelligit, qui mereatur interfici. Hoc enim dicit ex horrore conſcientiæ. Sed à quo timebat occidi, interrogat Amb. l. 2. de Cain c. 9. qui ſolos parentes habebat in terra? Reſp. à beſtiis. Sed cùm Abel paulò ante natum Seth, hoc eſt, paulò ante annum 130. occiſus eſſe videatur, potuit tanto tempore mundus magnopere multiplicari.

15. QVI OCCIDERIT CAIN SEPTVPLVM PVNIETVR, id eſt, grauiſſimè, & multò acerbiùs quàm tu, quia tuum exemplum ſecutus eſt, nec pœnæ magnitudine admonitus manus à ſanguine effundendo voluit cohibere vt Alcuinus q. 90. in Gen. Hier. ex illa Epiſt. 125. citata legit, *ſeptimus munietur*: q. d. Non citò interficieris, ſed pœna tua couſque producetur, vt non niſi ſeptima generatione à Lamech ſcilicet occidendus ſis. Sed prior ſenſus genuinus eſt.

POSVITQVE DOMINVS CAIN SIGNVM, non litteram fronti impreſſam, vel canem ſemper præcedentem, vt nugantur Rabbini, ſed vt Theodoret. hîc & communiter alij, membrorum tremorem, quod ex verſione 70. ſumptum eſt. De quo vide v. 12.

VT NON INTERFICERET EVM OMNIS, id eſt, nullus, ſic enim crebro, non omnis in ſcriptura, pro nullus, ſumitur vt Exod. 20. v. 4. & 10. Pſal. 118. v. 133. Matth. 24. v. 22. & alibi.

16. EGRESSVSQVE CAIN A FACIE DOMINI, id eſt, à Domino ei apparente corporaliter, & conſequenter ab illa cura Dei qua ſuos tuetur.

HABITAVIT AD ORIENTALEM PLAGAM EDEN. Vnde vltra paradiſum habitaſſe colligunt nonnulli ex Septuaginta.

17. ÆDIFICAVIT CIVITATEM, non tunc, quia illi primi homines ſerâ pubertate gi-

gnebant, vt patet ex c. 5. ſed poſteà, cùm familia tantà numeroſitate creſceret, vt haberet populi quantitatem, vt Auguſt. 15. de Ciuit. c. 8. quod facilè potuit contingere ducentis annis poſt.

19. Qvi accepit dvas vxores. Polygamia iſta tamquam contra legem matrimonii c. 2. v. 24. latam improbatur paſſim à Veteribus. Vnde Tertull. ex hortatione ad caſtitatem, c. 5. Primus Lamech duabus maritatus tres in vnam carnem efficit, ideo Nicolaus Papa vocat eum adulterum. Poſt diluuium diſpenſatio hoc fecit licitum.

23. Occidi virvm in vvlnvs mevm, id eſt, per vulnus, ſeu vulnere & liuore à me inflicto, vt Hebræa. Theodoretus quæſt. 44. putat eundem hunc vocari virum à ſexu, & adoleſcentem ab ætate: q. d. virum iuuenilis ætatis. Hebræa magis exigunt fuiſſe duos nempe virum & puerum. Sed quinam illi? Hebræi & ex eis nonnulli Veteres dicunt eſſe traditionem quòd Lamech occiderit in venatione Cain putans eſſe feram: vnde ita feruens percuſſerit ad liuorem vſque puerum armigerum ſuum qui monſtrauerat, ex quo poſtea mortuus ſit. Hoc Theod. fabuloſum vocat, & fortè ſic eſt; quia aliis nonnullis circunſtantiis minus veriſimilibus hiſtoriam illam veſtiunt.

24. Septvplvm vltio dabitvr de Cain. Conſolatur, inquiunt nonnulli recentiores, iuxta hiſtoriam ante narratam, vxores ſuas hâc ratione: Nolite metuere, qui occiderit Cain, grauiter puniendus eſt iuxta legem Dei v. 15. ergò longè grauiſſimè qui me occiderit, qui non niſi caſu, & imprudens homicidium feci. Sed quotquot Veteres hanc ſcripturam attigerunt, intelligunt prædici non occiſorem Lamech, ſed ipſum Lamech longè grauiùs puniendum quàm Cain. ita Author ſermonum de Spiritu S. apud Cyprienum, Hilar. in Matth. Baſilius in regulis breuioribus interrogatione 47. Ambroſius l. 2. de Cain c. 10. Nazianz. Orat. 44. Et omnes indicant rationem, quia grauior eſt culpa eius, qui nec poſt condemnationem alterius ſe correxit. Sunt enim verba vehementis pœnitentiæ, vt notat Theodoretus quæſt. citat. & hunc ſenſum requirit phraſis Hebræa, qua Cain dicitur vlciſcendus ſeu vindicandus ſicuti v. 15. occiſor Cain. Vnde minus genuinum videtur quod Hier. Epiſt. 125. ad Damaſum, & Alcuinus ſignificari velint ſeptima generatione peccatum Cain diſſolutum iri per diluuium, peccatum verò Lamech ſeptuageſima ſeptima generatione per Chriſtum. Vide apud eundem, & alios ſenſus minus congruos.

26. Sedet Seth natvs est filivs, qvem vocavit Enos, id eſt, homo, ſed quatenus miſer, & imbecillis eſt quem Adam ſignificat, quaſi terra rubra conſtãtem.

Iste coepit invocare nomen Domini. Nempe publicè per cœtus conceptaſque ceremonias: nam Adam, Abel, Seth, etiam nomen Domini inuocauerant. Vnde Hebraïcè eſt, *Tunc cœptum eſt inuocari*, Nempe Enos ſuaſore ac duce Septuaginta verterunt, *Iſte ſperauit inuocare*, eodem ſenſu: ſpes enim eſt cauſa inuocationis. Hoc tamen Nazianz. Orat. 20. & 34. refert ad virtutis initia ſeu paruitatem. Aug. 15. de Ciuit, c. 18. putat per hoc ſimul indicari cum fuiſſe figuram exorturæ ſocietatis cuiuſdam quæ ſecundum Deum viueret in ſpe fœlicitatis æternæ, non in re fœlicitatis terrenæ. Porrò loco, *Domini*, eſt hîc nomen tetragammaton quod Moyſi primùm Exod. 6. v. 3. tot annis poſt Enos reuelatum fuit. Vnde Moyſes tamquam ſcriptor hiſtoriæ per prolepſim hîc illud ponit, non quòd ſub illo nomine Deum Enos inuocare cœperit, vt videtur velle Caietanus.

Cæterùm poſteros Seth non tantum pietatem ſed etiam ſiderales ſcientias coluiſſe tradidit Ioſeph l. 1. Antiq. c. 3. Vnde cum aquis & igne mundum eſſe pariturum ab Adamo accepiſſent, duabus columnis excitatis lateritiæ & lapideæ inuenta ſua ne delerentur, inſcripſerunt, vt ſi aquis periret lateritia, ſupereſſet lapidea. Quam ſuis temporibus in Syria extare teſtatur.

Capvt. V.

1. Vocavit nomen eorvm Adam ab Adama, id eſt, terra rubra. Dicit autem non *eius*, ſed *eorum*, vt ſignifice-

tur hoc eſſe nomen naturæ vtrique communis: quaſi diceret, Vocauit eos *homo*, ab humo, vt originis eſſent memores. Vnde Adam hîc eſt appellatiuum non proprium.

3. VIXIT AVTEM ADAM CENTVM TRIGINTA ANNIS: ET GENVIT, nempe illis completis. Et ſi anni in reliquis generationibus accipiendi ſunt, vt conſtet firma Chronologię ratio, ita ſcilicet vt annus centeſimus trigeſimus primus Adam, ſit primus vitæ Seth.

4. ET GENVIT FILIOS ET FILIAS, duodecim in vniuerſum, & duas filias, inquit Epiphanius hæreſi 39. ex Iobelęis, ſeu libro Geneſis exactè explicatæ. Sed vtrumque incertum, aut potius incredibile, tantâ ætate non plures fuiſſe genitos. Meritò autem dubitatur, cur tam ſerò genuerint primi iſti homines viuentes ſine propoſito continentiæ? Duplex reſponſio eſt. Prima quòd tantò ſerior fuit proportione pubertas, quantò vitæ totius maior annoſitas. Secunda & credibilior, quòd non ſint hic primogeniti commemorati, ſed quos ſucceſſionis ordo poſtulabat, vt perueniretur ad Noë. Nam conſtat Adamo fuiſſe natos Cain & Abel ante Seth. & an ſolos illos, affirmare quis audeat, cùm dicatur genuiſſe filios & filias? ita vtrumque docet Aug. 51. de ciuit. cap. 15.

5. ANNI NONGENTI TRIGINTA. Annos iſtos Varro apud Lactantium lib. 2. diuinarum inſtit. c. 12. voluit fuiſſe annos Egyptios, ſeu menſes, quos alii volunt fuiſſe dierum triginta ſex: vt vnus annus noſter comprehenderit decem tales. Sed certiſſimè refutantur, primo ex anno diluuii. Conſtat enim ex c. 8. v. 5. vbi numeratur menſis decimus, & v. 6. vbi alii adduntur quadraginta dies, & ex v. 10. & 12. vbi alii quatuordecim dies annum illum habuiſſe ad minimum vndecim menſes, & vingenti quatuor dies. Rurſus ex v. 4. & 14. conſtat menſem habuiſſe ſaltem vigenti ſeptem dies, vel ſi velis etiam dies proportione minui, ergò nec toto quatriduo factum erit illud tam grande diluuium. Sed quis iſtam abſurditatem & vanitatem ferat? Deinde ſtatim à diluuio dicuntur vixiſſe quingentis annis, & genuiſſe anno trigeſimo: qui ſi menſes ſunt, tantùm vixiſſent noſtros quadraginta aut quinquaginta annos, genuiſſent autem anno noſtro tertio: & ante diluuium alii anno octauo, alii ſeptimo, alii ſexto inchoato. Itaque ſi illi anni poſt diluuium ſint noſtri anni, certè, & anni illi ſeptingenti quibus eodem loco dicitur vixiſſe Sem, & nongenti quibus Noë. Adde ſi anni poſt diluuium ſint ſolares & non ante, multò longiorem futuram ætatem poſt diluuium quam ante: quod & per ſe incredibile eſt, & ipſâ ſerie annorum paulatim decreſcente ſatis refellitur. Rectiſſimè igitur Aug. l. 15. de Ciuit. prorſus tantus etiam tunc dies fuit, quantus & nunc eſt: tantus menſis, quantus & nunc: tantus annus, quantus & nunc. Ac per hoc tam magnos annos vixerunt illi antiqui, quantos poſtea vixit Abraham centum ſeptuaginta.

ET MORTVVS EST, eductus ſcilicet per ſapientiam ex dilecto ſuo, vt eſt Sapientiæ 10. Vnde vnanimi conſenſu Patres docent Adamum eſſe ſaluatum, hac de cauſa hæreſis notantes Tatianum qui hoc negabat, vt videre licet apud Tertul. in pręſcript. c. 52. Irenæum lib. 1. c. 30. & 31. Aug. Hæreſ. 25. & alios.

22. AMBVLAVIT HENOCH CVM DEO. Septuaginta, *Benè placuit Deo*, quo ſignificatur eius præ cæteris perfecta conuerſatio conformis voluntati Dei, iuxta illud Amos.

3. *Nunquid ambulabunt duo pariter niſi conuenerit eis?* explicatur clarè ſenſus iſte phraſis iſtius infrà c. 6. v. 9. & c. 17. v. 1.

24. ET NON APPARVIT, id eſt, vt explicat Apoſtolus ad Hebr. 11. v. 5. *non inueniebatur*, ſcilicet inter homines, QVIA TVLIT EVM DEVS, id eſt, vt ibidem, *tranſtulit eum ne videret mortem*, hoc eſt, viuentem cum corpore & anima tranſtulit. Vnde Aug. de pecc. orig. c. 23. Eliam & Henoch non dubitamus in quibus nati ſint corporibus, viuere. Sed quò tranſlatus? Caluinus in hunc locum putat eum ſine morte quidem (nam contrarium ei malè à quibuſdam recentioribus imponitur) exutâ tamen mortalitate receptum in cæleſtem patriam. Sed Eccleſiaſticus c. 44. v. 16. clarè dicit, tranſlatum in paradiſum, qui in veteri teſtamento non niſi ille terreſtris & notus intelligitur, niſi

aliquid addatur quod alium ſenſum poſtu-let. Et ſic ſentit D. Aug. l. 1. de pecc. merit. c. 3. poſt Hier. Epiſt. 61. ad Pammachium, Irenæum l. 5. c. 5. & alios. Vt meritò Eugubinus reprehenſione dignus ſit, cùm dicit hoc eadem facilitate refelli qua aſſeritur. Translatus eſt autem, vt quemadmodum Elias Iudæis, ita Henoch det gentibus pœnitentiam, vt eſt Eccleſiaſtici loco citato. Ex quo conſequitur adhuc eum in mortali corpore viuere, ſed ſine moleſtiis mortalitatis, vt Tertul. de reſurrect. c. 58 qui illos ideò candidatos æternitatis vocat, & Irenæus coauſpicantes in corruptelam, nempe eius aliquod auſpicium delibantes. Vt ſcilicet quamuis mortales, tamen cibis non egeant, ſed ſimilem habeant ſaturitatem, qualem Elias illis quadraginta diebus, 3. Reg. 19. in quo ſuperant ſtatum innocentiæ vt Aug. ibidem. Addunt & aliam tranſlationis cauſam, vt eſſet, ſicut Tertul. loquitur, futuræ integritatis, id eſt, reſurrectionis documentum. Vnde Epiphanius in Anchorato vocat Henoch characterem reſurrectionis noſtræ in præputio, ſicut Heliam in circumciſione. De cęteris ad Henoch ſpectantibus, ſuo loco.

27. NONGENTI SEXAGINTA NOVEM ANNI. Cùm ergo anno 187. genuerit Lamech, & hic anno 182. genuerit Noë, anno verò 600. vitæ Noë contigerit diluuium, ſequitur eum ipſo anno diluuii eſſe defunctum. Ex quo ſoluitur quæſtio, quam Aug. 15. de Ciuit. c. 11. famoſiſſimam vocat. & Hier. in traditionibus Hebraïcis diſputatione omnium Eccleſiarum ventilatam, qua Mathuſala quatuordecim annos iuxta editionem ſeptuaginta poſt diluuium vixiſſe videretur, cùm tamen inter octo illas animas in arca ſaluatas non fuerit. Nam ex Pentateucho Hebraïco Iudæorũ, cui noſtra vulgata conformis eſt, corrigendus eſt error editionis Septuaginta, quo iuxta quædam exemplaria Mathuſala 14. annis diluuium exceſſiſſe, iuxta, alia ſex annis anteuertiſſe ſcribitur, vt refert Aug. quæſt. 2. in Gen. etſi ipſe non ſic ſentiat, vt quidam putant. Corrigendus eſt & Pentateuchus Hebraïcus Samaritanorum, qui nuper ex Aſia aduectus eſt in quo anni nonnullorum Patriarcharum multò pauciores ſunt, Nam in Iared deſunt 115. in Mathuſala 249. in Lamech 124. vt videre licet apud Sel denum in marmoribus Arundellianis. Teſtatur enim Hier. hîc codices Samaritanos olim cum Iudaïcis conueniſſe.

29. ISTE CONSOLABITVR NOS, &c. *Nacham*, enim vnde Noë dictus eſt, ſignificat conſolari, etſi Septuaginta deducentes à *Noach*, id eſt requieſcere, vel requiem præſtare, eodem ſenſu verterint, iſte nos requieſcere faciet, quia, inquiunt Hebræi, Noë aratrum artémque colendæ faciliorem inuenit: alii, quia vineam plantauit, alii, quia carnium vſum adeptus eſt. Sed iſta nimis carnem ſapiunt in Propheta. Verius, quod Hier. dicit, quia ſub illo omnia retro opera quieuerunt per diluuium: quod iuſto lætitiæ cauſa fuit. Lætatur enim iuſtus, cum viderit vindictam, maximè in tanta ſæculi corruptione viuens. Adde quia ſimul præuidit genus humanum à Noë melioribus auſpiciis eſſe reſtaurandum, & maximè illum futurum Chriſti qui eſt vera conſolatio & requies noſtra typum expreſſiſſimum ædificatione, arcæ tamquam Eccleſiæ, prædicatione, generis humani reparatione, filii irriſione, quæ plerique Patres in ipſo notarunt, vt infrà.

31. CVM QVINGENTORVM, &c. GENVIT SEM, CHAM & IAPHET, non omnes ſimul, ſed tunc cœpit illos ſucceſſiuè generare eo ordine quo hîc ponuntur. An alios liberos antè non habuerit incertum eſt iuxta dicta v. 3. ex Aug. Porrò Sem ſignificat nomen, Cham calorem, Iaphet amplitudinem: quaſi dicat, famoſum, calidum, amplum.

CAPVT VI.

NOtat D. Aug. 15. de Ciuit. 21. in ſuperioribus genealogias duarum ciuitatum nobis fuiſſe propoſitas, nempe primò Diaboli in Cain, & eius poſteris, deinde ciuitatis Dei in Seth, & eius propagine: in hoc capite proponitur vtriuſque permixtio, & participata iniquitate confuſio: initio iterum ſumpto à ſexu fœmineo.

1. CVMQVE COEPISSENT HOMINES MVLTIPLICARE,

TIPLICARI, ingenti ſcilicet multitudine, idque non anno 500. vitæ Noë, ſed circa ſeptuageſimam generationem, inquit Ioſephus 1. Antiq. cap. 4.

2. VIDENTES FILII DEI FILIAS HOMINVM. Multi antiqui, filios Dei Angelos eſſe voluerunt. Cauſa duplex, tum quòd Platonicæ Philoſophiæ ſectatores, Angelos ſiue bonos, ſiue malos putauerunt eſſe corporeos, vt de Platonicis docet Aug. 8. de Ciuit. c. 14. & 15. tum quod verſione quâdam Septuaginta vterentur quæ loco *(filii Dei)* legit *Angeli Dei*, vt patet ex l. 15. de Ciuit. c. 22. & ex Philone, lib. de gigantibus. Sed non omnes eodem modo ſententiam iſtam docent. Nam alii putant Angelos cùm eſſent à Deo præpoſiti rebus inferioribus adminiſtrandis, vel cuſtodiendis hominibus, mulierum amore cecidiſſe, & ex eis genuiſſe dæmones; vt Iuſtinus in Apologia 1. & Lactantius l. 2. Inſtit. c. 14. vel gigantes, vt Athenagoras. Nec fortaſſis aliud voluit Clemens Alexand. l. 3. Pædagogi c. 1. & 5. ſtrom. c. 1. & Tertull. lib. de habitu mulierum c. 2. & de velandis virginibus c. 6. cùm dicunt Angelos ad fœminas de cælo ruiſſe, adeoque mercedem eos pro libidine cultum muliebrem docuiſſe. Alii volunt illos fuiſſe Angelos tranſgreſſores, vt Irenæus l. 4. c. 70. Qui omnes videntur ſecuti Philonem lib. citato, & Ioſeph. l. 1. Antiq. c. 4. Sed nullo modo credendum, illo tempore bonos Angelos tali vitio labi potuiſſe, vt docet Aug. 15. de Ciuit. c. 23. malos autem primùm agendo ſuccubos, deinde incubos, ſic mulieribus miſceri potuiſſe Auguſtino incertum videtur, Franciſco Valeſio lib. de Philoſophia ſacra, non incredibile, aliis planè verum, aliis planè falſum. Sed quidquid ſit de poſſibilitate, verius eſt id quod docet Auguſt. loco cit. & Theodoret. quæſt. 47. filios Dei eſſe filios Seth, idque ſiue propter præſtantiam corporis non eneruati libidinibus, ſiue potiùs propter animum in pietate & veri Dei cultu conſtantem: filias hominum eſſe filias Cain, quia tamquam caro & ſanguis nihil niſi humana & terrena cogitabant. Hi ergò cùm hactenus cognationi Cain tamquam à Deo maledictæ non permiſcerentur, pulchritudinis libidine victi deſertâque auita pietate, ACCEPERVNT SIBI VXORES, EX OMNIBVS QVAS ELEGERANT, id eſt quaſcumque ſibi placuiſſet accipere, quo indicari videtur eos nec à violentiâ abſtinuiſſe. Vnde cum earum quoque peruerſiſſimos mores diſcerent, ſicut Iſraëlitæ Madianitarum, dixit Deus:

3. NON PERMANEBIT SPIRITVS MEVS id eſt, flatus ille ſeu ſpiraculum vitæ quod eis inſpiraui, non manebit ampliùs in hominibus iſtis ſucceſſione perpetua, ſed breui delebo eos diluuio.

QVIA CARO SVNT, id eſt, toti carnales & corrupti. Sic enim caro & ſanguis ſumi ſolet in Scripturis, vt 1. ad Corinth. 15. v. 50.

ERVNTQVE DIES ILLIVS CENTVM VIGINTI ANNORVM, id eſt, habebunt centum viginti annos ad agendam pœnitentiam, vt eis elapſis diluuium inducam. Ita Hier. in quæſt. Heb. & Auguſt. 15. de Ciuit. c. 24. qui aduertunt non hæc intelligi de vita hominum naſciturorum ad 120. annos contrahenda, vt Philo & Ioſeph. proximè citati, & alij poſt ipſos putauerunt, cùm conſtet poſt diluuium eos etiam quingentos annos vixiſſe, ſed de ſpatio conceſſo ad pœnitentiam, de quo tamen Hier. propter eorum impœnitentiam detractos putat viginti annos, quia anno quingenteſimo Noë illa minatus eſt Deus. Auguſtinus contrà veriſimilius illos annos completos putat; ſed verba illa Dei circa 480. annum Noe eſſe pronunciata, quos ſcriptura more ſuo vel numero rotundo exprimat, vel certè poſt genealogiam Noë pertextam, redit ad ea quæ prætermiſerat.

4. GIGANTES AVTEM ERANT SVPER TERRAM Hoc adfert vt cauſam illius decrete punitionis; hominum ſcilicet libidines & ſuperbas impietates. POSTQVAM ENIM INGRESSI SVNT FILII, &c. Textus Hebraicus & LXX. manifeſtè reddit hunc ſenſum: Erant anteà gigantes in terra, & etiam poſtquam filij Seth coniugiis copulati ſunt cum filiabus Cain. Et verba. *Iſta ſunt*, inchoant nouam periodum. Vnde ſignificatur, ſicut obſeruat Aug. c. 23. etiam

ante iſta coniugia fuiſſe gigantes, ſed maximè tunc fuiſſe multiplicatos. Cuius rationem plerique recētiores petunt ex eo quod filij Seth integri viribus ſummo libidinis ardore filiabus Cain agglutinati ſint. Cur ergò & ante nati ex aliis fuerant? cur poſt diluuium tam multi in variis gentibus? cur non etiam inter Chriſtianos, vbi in nonnullis nec robur, nec proiectiſſima libido deeſt? Deinde quid libido, id eſt affectio animi vel ſimul corporis ad phyſicè producendam infamem illam molem corporis in prole? Quare planè verum puto primos gigantes ex vindicta peculiari natos, qua Deus hominum libidinem vindicare voluit, alios inde fuiſſe naturaliter propagatos; ita vt libido cauſa fuerit moralis. Quod inuenio notaſſe Cyrillum l. 3. in Gen. vbi dicit, Cùm filij Seth turpiſſimam ſceleratiſſimamque vitam ſequerentur, vxores eorum prodigia peperiſſe. Deus enim, inquit, ob eorum effrænatam libidinem, & ipſam humanorum corporum pulchritudinem deformem ſanè reddebat. Fuerunt enim gigantes, vt ante Cyrillum dicitur Numerorum 13. verſ. 34. monſtra humanæ naturæ, non ſolum corporis mole, ſed etiam deformitate & ſcelerum tyrannidiſque inſolentia: qualis monſtroſitas notatur etiam 2. Reg. 21. verſ. 20. Itaque non leguntur nata huiuſmodi monſtra niſi inter infideles, & quocunque vera religio intrauit, inde fugata ſunt.

Isti svnt potentes, id eſt, robuſti; qui olim ab initio fuerunt corporis proceritate, impietate ac tyrannide celebres. Hinc eſt quòd Baruch. 3. v. 26. notatur eorum ſtatura magna & belli peritia. Amos 2. verſ. 9. eorum robur Sap. 14. v. 6. & Eccleſ. 16. v. 8. eorum ſuperbia, præſumptio & impœnitentia. Vnde notat Theodoretus. q. 48. Deum non dediſſe hominibus maxima corpora, vt ſuperbiam amputaret.

5. Cvncta cogitatio cordis esset intenta ad malvm, id eſt, non ſolùm ex errore vel infirmitate mala, ſed de induſtria deliberatoque animo perpetuo directa ad perpetrandum malum. Notatur enim hyperbolicè peruerſitas & corruptio hominum illius temporis, non autem ipſius naturæ humanæ. vt nihil hic locus faciat ad tollendum ex homine liberum arbitrium, vt nonnulli Hæretici putant.

6. Pœnitvit evm, effectu, non affectu, mutando non animi ſententiam, ſed rerum exiſtentiam, quia deſtruxit id quod antè fecerat.

Tactvs dolore cordis intrinsecvs. Ad ſignificandam ſcelerum immanitatem humano more loquitur, propter ſimilitudinem effectuum quos dolentes faciunt, non motuum quos patiuntur. Vtitur autem ſcriptura talibus loquendi modis, inquit Aug. 15. de Ciuit. c. 25. vt familiariùs ſe inſinuet omni hominum generi, & ſimul perterreat ſuperbientes, excitet negligentes, exerceat quærentes, alat intelligentes.

9. Perfectvs. perfectione viæ, quæ in eo ſita eſt, vt vitando maiora peccata ad minora vitanda paulatim magis magiſque proficiat, etſi pleniſſimam illam viuendi perfectionem ſine omni peccato nondum aſſecutus ſit, vt Aug. lib. 3. ad Bonifacium. c. 7. & 2. de pecc. merit. c. 15.

14. Fac tibi arcam. non curuis ſed rectis lineis longè lateque porrectam, inquit Aug. 15. de Ciuit. c. 27. cui fauet nomen Hebraicum, quo ſignificari volunt, non arcam per modum nauis curuatam, ſed quadratam, & infrà, & antè & retrò planam, aquis tamen arcendis idoneam. Vnde capſella Moyſis eodem nomine appellata fuit. Notat verò Aug. hoc eſſe dictum Noë anno vitæ circiter 500. Vnde colligit ibidem & l. 12. con. Fauſtum, c. 18. arcam per centum annos eſſe fabricatam.

De lignis lævigatis, id eſt, politis vt ſibi benè iungantur; quæ LXX. propterea quadrata vocauerunt: id eſt, ad normam ſecta & polita. Chaldæus materiam expreſſit, *de lignis Cedri*, nempe imputribilibus, vt Aug. expendit Tract. 6. in Ioann.

Bitvmine linies intrinsecvs, ad pellendos fœtores animalium; eſt enim intenſi odoris, vt Dioſcorides: et extrinsecvs, vt reſiſtat aquis, ac tabulas ſolidè intus & extra conglutinet.

15. Trecentorvm cvbitorvm erit

LONGITVDO. Si trecentos illos cubitos longitudinis multiplices per quinquaginta cubitos latitudinis, Arcæ carina ſeu fundum continebit quindecim millia cubitorũ; quæ ſi multiplices per triginta latitudinis, exurget totius arcæ interior capacitas 450000. cubitorum ſolidorum. qui cùm ſinguli contineant pedem cum dimidio, exurgent ſexcenta ſeptuaginta quinque millia pedum ſolidorum. Riſit iſtam arcæ quantitatem tamquam nimis anguſtam Apelles diſcipulus Marcionis, cui vt Origenes ſatisfaceret, intelligi voluit ex maiorum, vt ipſe ait, traditione cubitos geometricos, qui continent ſex cubitos communes. Nec diſplicuit hoc Aug. 15. de Ciuit. c. 27. & placet nonnullis recentioribus noſtri temporis. vt locus omnibus animalibus & pabulis eſſet commodiſſimus. fuiſſet enim arca ſextuplo maior. Refellunt hoc quidam quòd immanis fuiſſet eius vaſtitas, & vix loco moueri vel aquis ſuſtineri potuiſſet. Sed hoc ineptiſſimam vocat Aug. calumniam ibidem. & meritò: non enim cogitant centum annis fuiſſe ædificatam, vt idem Aug. & Origenes & plerique Veterum tradunt: nec ab hominibus, ſed naturaliter aquis fuiſſe ſubleuandam & gubernandam à Deo, quia forma eius nauigationi erat inidonea. Sed quia capacitas non exigit cubitos geometricos, præſtat accipere communes tamquam in Scriptura paſſim vſitatos. Porrò proportio iſta longitudinis eſt ſextupla ad latitudinem, decupla ad profunditatem, quæ eſt ipſiſſimam proportio humani corporis, vt fuſius Aug. lib. cit. cap. 26.

26. FENESTRAM IN ARCA FACIES, ex materia ſcilicet pellucida. Hebræum enim ſignificat & lucem & id per quod lux recipitur. An plures fuerint, vt aliqui volunt, ſcriptura tacet.

ET IN CVBITO CONSVMMABIS SVMMITATEM EIVS. Non feneſtræ, ſed arcæ. Hinc putauit Origenes arcam à baſi paulatim in modum pyramidis à quatuor lateribus aſſurgentem, tandem in vnum cubitum ſuperius coiuiſſe. quod videtur hauſiſſe à præceptore ſuo Clemente Alexandrino lib. 6. ſtromatum c. 4. Sed quia hîc non tota arca, ſed ſummitas ſeu faſtigium in cubito conſummandum præſcribitur, verius eſt tectum arcæ delineari arcuatum, & altitudine vnius cubiti per totam longitudinem leuiter aſſurgens, vt pluuiæ vtrimque defluerent. cuiuſmodi & nunc tecta nauium videmus.

DEORSVM COENACVLA, ET TRISTEGA FACIES IN EA, hebraicè clariùs, *inferiora ſecunda & tertia facies*, id eſt, facies in arca tria tabulata, infimum, medium & tertium, quod Græci triſtegum vocant, quaſi tertium tectum ſeu contignationem. Tria verò tabulata, vnà cum ſupremo tecto arcæ efficiunt quatuor ordines manſionum: quarum infimam volunt fuiſſe locum ſaburræ & ſordium eò per parua foramina defluentium: ſecundam, animalium terreſtrium variis manſiunculis vtrimque diſtinctam, cum via ſeu tranſitu in medio: in cuius latere fuerit oſtium ad ingreſſum beſtiarum. tertiam pabuli & omnis generis ſupellectilis. quartam alitum & hominum, vbi feneſtra fuerit: & cui tectum arcæ ſupernè incubuerit.

Arcam proculdubio rerum aliquarum figuram geſſiſſe frequenter docet Aug. vt lib. 15. de Ciuit. c. 26. & 27. & alibi, & cum eo Veteres. Vnde Philo voluit eſſe figuram humani corporis. quod latiſſimè executus eſt Ambr. lib. de Noë & arca à cap. 6. vſque ad decimum. Riſit hanc explicationem ſub nomine Philonis, tamquam abſurdam Aug. 12. cont. Fauſt. c. 39. quatenus per oſtium, infimam partem corporis intelligebat. vnde ipſe appoſitè, quidquid contra garriat Calu. dicens ſe nihil ſolidi in hac Auguſtini expoſitione inuenire, totam arcæ fabricam expoſuit de Eccleſia & Chriſto, cuius corporis menſuram arcæ menſura exactè repræſentat, oſtium vulnus in latere, per quod credentes ingrediuntur, ligna quadrata ſanctos, bitumen charitatem, animalia omnium hominum genera. Vide cætera fusè l. 12. contra Fauſt. à c. 14. vſque ad 21. Et l. 15. de Ciuit. c. 26. Itemque Origenem hom. 2. de arca: & ibidem tropologicum ſenſum de anima latè.

CAPVT VII.

DIXITQVE DOMINVS: INGREDERE TV ET OMNIS DOMVS TVA, id eſt, non famulitium, ſed vxor, liberi, & nurus. nam 1. Petr. 3. v. 20. tantùm octo animę ſaluæ factæ dicuntur per aquam. Inter quas ſe dicit fuiſſe Sybilla l. 1. Oraculorum. Sed ſuſpectum eſt, ſicut incertum, quod Epiphanius vocatam dicit vxorem Noë Barthenon, alii Noëmam, Gnoſtici Noriam, exprimẽdo ſignificationẽ nominis, Pyrrha, quę fuit vxor Deucalionis. Vide hæreſ. vigeſima ſexta.

2. EX OMNIBVS ANIMANTIBVS MVNDIS, ergo etiam tunc videtur fuiſſe diſtinctio animalium in munda & immunda, nempe ad ſacrificium, poſtea etiam ad eſum. Cum enim in ſignificatione quadam iſta diſtinctio fundetur, potuit & illa tunc fuiſſe Dei inſtinctu obſeruata. Sicuti c. 9. v. 4. lex prohibens eſum ſanguinis, & c. 38. verſ. 8. præcipiens ſuſcitationem ſeminis per fratrem defuncti, ante legem Moyſis in vſu fuerunt.

3. TOLLE SEPTENA ET SEPTENA, id eſt, ſeptem paria ſeu quatuordecim. Item, BINA ET BINA, id eſt, binos maſculos & binas femellas, inquit Orig. Homil. 2. in Gen. Sed rectiùs intelligitur ex ſingulis ſpeciebus immundis binos tantùm, hoc eſt vnum maſculum & vnam femellam eſſe ſumendam: ex ſingulis ſpeciebus mundis ſeptem, vt ſcilicet vnum ad ſacrificium offerri poſſet, vt colligitur ex c 8. v. 20. Inſinuat hunc ſenſum Aug. q. 8. in Gen. & clarè Theodoretus. q. 50. & ſic intellige verſum nonum. Vnde nonnulli colligunt nullam eſſe phœnicem.

8. EX OMNI QVOD MOVETVR SVPER TERRAM. Vnde colligit Auguſtinus non neceſſe fuiſſe vt conſeruaretur in arca quæ poſſunt in aquis viuere, vt piſces & multæ alites. Item ex eo quod ſequitur, *maſculus & fœmina*, ad reparandum genus hoc dici, & propterea nec illa neceſſe fuerat ibi eſſe quę poſſunt ſine concubitu de corruptionibus naſci, & quæcunque vel ſexu carent, vel etiam fœtu, vt muli & mulæ; ſufficit enim eorum parentes, ſicut & omnium hibridum ibi fuiſſe. Ita Aug. 15. de Ciuit. c. 27. His ergo exceptis, exiſtimantur non fuiſſe in arca vltra triginta ſpecies reptilium, centum & quinquaginta quadrupedum, quarum vix ſex magnitudine equum ſuperant; paucę æquant: centũ & quinquaginta alitũ.

11. ANNO SEXCENTESIMO VITÆ NOE, &c. Sicut hic decimus ſeptimus dies menſis pertinet ad menſem ſecundum qui præcedit, ita & menſis iſte ſecundus pertinet ad annum ſexcenteſimum vitæ Noë, vt ſenſus ſit; diluuium anno ſexcenteſimo vitæ Noë non finito, vt multi putant, ſed per quadraginta ſeptem dies inchoato. Et ſic intelligendus eſt etiam v. 6. & patet etiam ex c. 8. v. 13. Vnde videtur hic menſis ſecundus eſſe ſecundus tam reſpectu vitæ Noë, quàm anni: ſcilicet vt ſimul currant. Qui proinde reſpondet Aprili & Maio, quia primus menſis Niſan reſpondet Martio, & Aprili ſupponendo mundum in vere eſſe conditum, vt maxima pars antiquorum putat. Colligitur etiam iſtum annum fuiſſe mundi 1656. non expletum, vt multi crediderunt, ſed inchoatum. Ratio eſt quia numerus ille annorum reperiri non poteſt, niſi ſimul computetur annus ſexcenteſimus vitæ Noë. Ille autem, vt iam diximus, non fuit niſi inchoatus, ergo & annus mundi 1656. Deinde c. 9. dicitur Noë vixiſſe poſt diluuium trecentis quinquaginta annis, & tamen additur vixiſſe in vniuerſum 950. annis, ergo 600. anni præcedentes neceſſariò comprehendunt totum annum diluuii, Periit autem mundus tempore verno pluuiis, vt pateret cauſam non eſſe naturalem pluuiarum; itemque maior pereuntium dolor, vt vult Amb. lib. de arca, cap. 14. & Baſil. Seleuciæ oratione ſextâ.

RVPTI SVNT OMNES FONTES ABYSSI MAGNÆ. Abyſſus magna eſt illa vaſtitas aquarum quæ in viſceribus terræ variis receptaculis continetur, omnium fontium matrix, vt Hieron. hoc loco, qui rupti dicuntur, quia ingenti copiâ aquam per vniuerſam terram diffuderunt, aëre in erumpentis aquæ locum ſubintrante; ceſſante vero fluxu dicuntur cap. 8. *clauſi*.

ET CATARACTÆ CÆLI APERTÆ SVNT.

Cataractæ eſt locus præceps in fluuiis vnde aqua ruit. Et ſubinde pro porta ſumitur, prout hîc opportunè ſumi poteſt. Nam quia vſitata Scripturæ phraſi claudi cælum dicitur, quando non pluit, vt Deut. 11. v. 17. conſequenter portæ ſeu cataractæ cæli apertæ dicuntur quando pluit; non quod ruptum fuerit firmamentum & aquæ ſupra cælos poſitæ deciderent, vt quidam imaginati ſunt, ſed quod nubes in quibus ligat aquas Deus ne erumpant pariter deorſum, diſſiluerint, vt aquæ quaſi portis fractis ingenti copiâ inſtar fluuiorum effunderentur: & ita cùm deſineret pluuia c. 8. v. 2. dicuntur cataractæ clauſæ. Vnde abiicienda eſt ſententia Petri de Aliaco in quæſtionibus in Gen. & ante ipſum Guil. Pariſienſ. qui per cataractas cęli intelligebant conſtellationes, quæ cataclyſmum illum Noë ſignificauerint, & poſteà effecerint.

13. In articvlo diei illivs, nempe decimi ſeptimi quo cœpit pluere. Vnde quod v. 7. dicitur ingreſſus Noë ante ſeptem dies, intelligitur quod totam illam familiam hominum & animalium cœperit introducere per ſeptem dies, & ipſe tandem decimo ſeptimo die ingreſſus ſit non exiturus amplius ante diluuium.

19. Operti svnt omnes montes excelsi, nullo ſcilicet excepto, ideo enim additur svb vniverso cælo. Ita Aug. q. 10. in Gen. & 15. de Ciuit. cap. 27. Et hoc etiam patet c. 8. v. 5. Vnde non audiendus Caiet. putans illos montes excipi qui altitudine ſuperant nubiloſam illam aëris regionem, vt de Olympo fama eſt, ſicut notat Aug. loc. de Ciuit. cit. & alii paſſim. Quamuis non deſint qui tantam eius altitudinem fabuloſam eſſe velint.

Capvt VIII.

3. Coepervnt minvi post 150. dies. Magna altercatio eſt vtrum hi centum quinquaginta dies comprehendant illos quadraginta dies pluuiæ, an verò ſeorſim poſt illos computandi ſint. Torniellus, Salianus, & Delrio numerant ſeorſim, ita vt cum illis quadraginta fiant 160. dies Qui malè refutantur à nonnullis ex eo quod tot dies inueniri nullo modo poſſint à 17. die menſis ſecundi quo cœpit diluuium, vſque ad 7. menſis 7. quo quieuit arca. Vix enim reperiuntur 159. Ipſi enim reſpondent, intelligi menſem ſeptimum non anni currentis, ſed diluuij. Sic enim computando fluxerunt 204. dies, ex quibus ſi detrahas illos dies 190. ſuperſunt 14. dies pro decremento aquæ vſque ad quietem arcæ. Similiter v. 5. ipſi intelligunt menſem decimum non anni, ſed ab inchoato diluuio: & ita non difficulter totam huius anni chronologiam expediunt. Vna in hoc modo computandi difficultas eſt, quòd epocham menſium nunc incipiunt ab initio anni, ſicut cognuntur incipere c. 7. v. 11. & c. 8. v. 13. nunc ab initio diluuii, vt hoc cap. v. 4. & 5. quod valde arbitrarium videtur. Præſtat ergo menſes omnes conformiter non ab inchoatione diluuii, ſed anni computare, eoſque lunares (lunaribus enim certum eſt vſos eſſe Iudæos) qui alternatim continent 30. & 29. dies, & in fine anni adiiciunt dies vndecim vt anno ſolari lunaris æquetur. Sic ergo computando illos 150. dies, continent in ſe alios quadraginta pluuiæ. Inueniuntur enim à 17. die menſis ſecundi incluſiue quo cœpit pluere vſque ad 27. menſis ſeptimi incluſiue quo arca quieuit ſuper montes Armeniæ, 159. dies: à quibus ſi detrahas illos 150. dies tam pluuiæ quàm ſtatus aquarum, ſupererunt 9. dies pro decremento aquarum vt ita verum eſſe poſſit quod hic ſequitur.

4. Reqvievit arca mense septimo, ſcilicet anni currentis, vigesimo septimo die mensis. Nam vigeſimum ſeptimum diem cum editione vulgata legunt etiam Septuaginta. Vnde quod textus hebræus habet, *aſſar ionc.* id eſt, decimo die, vnâ voce legendum eſt *eſrim*, id eſt, vigeſimo, ſubaudi, die; idque contra Caiet. & nonnullos recentiores qui legendum putant vt hebræus habet. Moti fuerunt hoc argumento quòd à 17. die menſis 2. vſque ad 17. menſis. 7. intercurrunt præcisè 150. dies, tribuendo cuique menſi dies 30. Sed errant in duobus, primò quod in omnibus menſibus lunaribus tribuant dies 30. cùm alternatim conſtent diebus 29. & 30. & ſic

non inueniuntur niſi 148. dies ab initio diluuii, vel vt ſummum 149. includendo adhuc decimum ſeptimum diem menſis ſeptimi. Quam difficultatem vir doctus quidam euadere conatur per apparitiones lunæ tardiores illo tempore diluuii, prout ex Matheſi ſe putat probare. Deinde falluntur, qui Scriptura dicit quòd ipſo 17. die menſis 7. (prout ipſi legunt) arca hæſit in montibus: quod ſecundum illum computum non videtur poſſe ſubſiſtere. Cùm enim Scriptura expreſsè dicat v. 3. aquas cœpiſſe minui poſt illos 150. dies, vel vt clarius hebraicè, à fine 150. dierum abſurdum videtur arcam geſiſſe primo die decrementi, quia aqua ſuperabat 15. cubitis montes non ſolum Armeniæ, ſed altiſſimos. Itaque legendum vt legimus vigeſimo ſeptimo die menſis ſeptimi, vt nouem diebus aqua decreuerit, ac tandem vigeſimo ſeptimo die hæſerit arca.

Svper montes Armeniæ Hebraicè, *montes Ararath*, quod habetur & Iſaiæ 37. verſ. vlt. Ararath. autem ſignificat regionem in Armenia campeſtrem, per quam Araxes fluit incredibilis vbertatis, ad radices Tauri montis, vt docet Hieron. in c. 37. Iſaiæ. Vnde obſeruat arcam reſediſſe ſuper montes Tauri altiſſimos qui imminent campis Ararath. Beroſus Chaldæus apud: Ioſephum c. 4. l. 1. Antiq. vocat eos montes Cordi eos, quorum & Curtius meminit: Chaldæus interpres montes Cordu: Nicolaus Damaſcenus apud Ioſephum montes Baris. Vnde deceptus videtur Theophilus Antiochenus nomine Ararath, dum eos vocat montes Arabiæ l. 3. ad Autolicum. Meminerunt arcæ in montibus hærentis etiam Scriptores exteri, Beroſus, Hieron. Ægyptius, Naſeas & Mnicolaus citatus apud Ioſephum. Alexander Polyhiſtor & Abydenus apud Cyril. Alexand. l. 1. cont. Iulianum initio, quorum verba ibid. vide. Teſtantur autem reliquias lignorum & bituminis diu ſuperfuiſſe, & amuleti loco adhibitas: & ad ſua vſque tempora in Armeniæ montibus arcæ reliquias duraſſe refert S. Baſilius Epiſcopus Seleuciæ, Oratione 6. de arca & Noë.

5. Decimo mense, currentis anni, non diluuii, vt diximus. prima die mensis, quæ fuit à 27. menſis 7. incluſiuè dies 63.

Apparvervnt cacvmina montivm, quia arca etſi diu antè hæſiſſet ſolo, tamen aliquot cubitis more nauis onerariæ ſub aquas penetrabat.

7. Qvi egrediebatvr et non revertebatvr, ita & LXX. & Patres iam olim legerunt cum negatione, etſi in Hebræo deſit. Vnde inquit Caluinus, nata eſt fabula retentum eſſe coruum iuuentis cadaueribus; ſed iſta Aug. & Chryſoſt. cum multis tradit q. 13. in Gen. nec diſſentit lectio Hebræa: ſenſus enim eſt quod egrediebatur & reuertebatur non ad Noë in arcam, ſed vltro citroque ad arcam & cadauera volitando. Cùm verò coruus, teſte Cypriano Epiſtola ad Nouatianum & Hilario in Pſal. 146. figuram gerat peccatoris & Apoſtatæ ad Eccleſiam non reuertentis, quid mirum ſi Caluino futilis allegoria videatur eſſe qua ipſe expreſſus eſt?

8. Dimisit qvoqve colvmbam post evm, tamquam hoſpitii ſui tenaciſſimam; dicitur autem non inueniſſe vbi requieſceret, quia etiamſi cacumina montium eſſent detecta, erant tamen vel limo & ſordibus obſita, quas oderunt columbæ, vel vadè diſſita: non enim ſolet procul à domo auolare; ſuper vniuerſam verò terram campeſtrem erant aquæ.

11. Illa venit svb vesperam portans ramvm olivæ, id eſt, ramulum frondoſum quem roſtro defringere potuerat: notum eſt enim oliuam ſemper virere, vnde tot menſibus foliorum virorem ſeruauerat. Attulit autem tamquam inſigne diuinæ miſericordiæ, inquit Amb. de arca c. 19. & ſignum pacis cum humano genere, vt Tertul. l. de Bapt. c. 8. quia inde intellegit Noë.

Qvod cessassent aqvæ svper terram, eouſque ſcilicet, vt arbores frugiferæ, ſi quæ ſupererant, aquis eminerent.

13. Igitvr sexcentesimo primo anno, vitæ Noë, vt addunt Septuaginta. Hic eſt primus annus mundi reſtaurati poſt diluuium quod adhuc durauit per menſem & 27. dies, & incipit, curritque ſimul cum an-

no mundi 1657. ita vt quinquageſimus ſextus complatur in fine diluuii. Porrò ex hac illatione, *igitur*, colligunt Torniellus & alii non alios interceſſiſſe dies inter primum diem menſis decimi v. 5. & primum diem anni 601. Noë, quàm 54. videlicet quadraginta v. 6. & bis ſeptem pro emiſſis duabus columbis. Et quia illi 54. dies non poſſunt explere totum menſem decimum, vndecimum & duodecimum anni currentis, inferunt ipſi menſem decimum intelligi debere ab inchoato diluuio, non anno. Itaque Chronologiam anni diluuii ſic formant: vt primo computentur dies 29. primi menſis & 16. ſecundi ante diluuium ex c. 7. v. 11. deinde ab inchoato diluuio, vſque ad 27. diem menſis ſeptimi excluſiuè, ſunt menſes ſex lunares & 26. dies, ſimul dies 203. ex c. 8. v. 4. tum vſque ad initium menſis decimi diluuii dies 63. vt ibidem v. 5. denique ex v. 7. & ſequent. dies quadraginta & bis ſeptem, hoc eſt, 54. qui omnes ſimul iuncti efficiunt præciſè, 365. dies id eſt, annum integrum. Sed quamuis exactè ſic omnes dies anni repetiantur; violenta tamen eſt & nimis voluntaria illa diuerſa acceptio menſium, nunc anni mundi, nunc diluuii, vt ſupra monui. Falli videntur & in eo, quòd iſtum computum putent eſſe neceſſarium. Ponunt enim hypotheſin poſt illos 150. dies c. 7. v. 24. intercurrere adhuc 13. dies vſque ad diem 27. menſis ſeptimi, quam hypotheſim non probant. Itaque accipiendo menſes anni vniformiter non difficulter Chronologia huius anni formari poteſt. Nam c. 8. v. 5. habemus 9. menſes lunares, reſtant igitur quærendi 3. menſes reliqui qui ſimul efficiunt 89. dies. Ex illis v. 6. occurrunt dies quadraginta, tum bis ſeptem dies quibus emiſſæ ſunt columbæ. Deinde reliqui dies conſumuntur partim illo ſpatio quod v. 8. indicatur quo prima columba poſt coruum emiſſa eſt. Nam verſus decimus nominans alios 7. dies, ſatis indicat inter dimiſſionem corui & columbæ alios 7. dies interceſſiſſe: partim etiam illo ſpatio quod effluxit ab vltima columba non reuertente, vſque ad initium anni 601. quo ſuperficies terræ ſiccata ſcribitur. Ratiocinatio enim ex particula illatiua, *igitur*, nullius momenti eſt. Deeſt enim tam in Hebraïco quam in Greco, vnde in noſtro textu non eſt niſi continuatiua.

14. MENSE SECVNDO VIGESIMA SEPTIMA DIE MENSIS. Colligunt hinc recentiores diluuium duraſſe annum integrum & 10. dies. ſed non rectè, vt videtur. Nam illi decem dies, vel potius vndecim includendo ſimul vigenti ſeptem, videntur eſſe illi vndecim qui lunaribus menſibus debent adiici ad æquandos annos lunares ſolaribus. Ex quo fit, vt menſes lunares non incipiant ſingulis annis eodem die anni, ſed vndecim diebus antè. Vnde Cal. menſis primi Iudaïci, ſeu Niſan anni 1629. præteriti inciderunt in 26. Martii: huius autem anni trigeſimi in 15. Martii. Itaque durauit diluuium præciſè vnum annum.

16. EGREDERE TV ET VXOR TVA. In egreſſu vxores viris inguntur, in ingreſſa vero c. 6. v. 18. ſeparantur, quo D. Amb. lib. de arca c. 21. ſignificari dicit, in ingreſſu abſtinentiam generationis, in egreſſu vſum, eo quòd illud eſſet tempus mœroris, hoc generis propagandi.

19. OMNIA ANIMANTIA EGRESSA SVNT, ex quibus propagata ſunt quorquot etiam nouo orbe reperiuntur. Nam cùm Deo tam accurata eorum cura fuerit ne diluuio delerentur, prouidentiæ ipſius fuit, vt ad inſulas, vel natando tranſirent, vel ab hominibus nauigio, vel ab Angelis transferrentur, quos tres modos profert Aug. 16. de Ciuit. cap. 7.

21. ODORATVSQVE EST DOMINVS ODOREM SVAVITATIS, id eſt, placuit ei ſacrificium ex pietate Noë, ſicut homini res grati odoris, ita Theodor. q. 53. Nihil enim, inquit, peius olet, quam oſſa exuſta, ſi de illo corporeo odore victimarum loquamur.

ET AIT. Hebraïcè additur, *ad cor eius*, ſcilicet Noë, id eſt, ait conſolans eum, hoc eſt enim loqui ad cor alicuius, vt patet Iſa. 40, v. 2.

NEQVAQVAM MALEDICTAM TERRÆ, vniuerſæ ſcilicet, PROPTER HOMINES, ſeu hominum peccata. Vbi tamen dies conſummationis exceptus intelligitur.

Sensvs enim et cogitatio hvmani cordis, quam ſcilicet humanum cor ſibi relictum effingit, vt expreſſit Hebr. legendo *figmentum cordis humani*, quod proinde ſtupidè & ſtolidè Lutherus interpretatur ipſam naturam humanam.

In malvm prona svnt. Adulterinam hanc eſſe verſionem clamat Caluinus, quia Hebraicè eſt *mala ſunt*, ſed quia non agitur de actionibus hominis deliberantis quæ ita malæ ſunt, vt ſimul peccata ſint, ſed de illis quas cor concupiſcentiis originalibus corruptum ſuopte impetu ebullire ſolet, neque tam peccata ſunt quàm cauſæ peccatorum, rectiſſime noſter tranſtulit, in malvm, id eſt, peccatum prona svnt. Datur enim ratio cur Deus non ampliùs terræ maledicturus ſit, quæ ratio non eſt peccatorum multitudo prouocans potius iram Dei, ſed difficultas benè viuendi & peccandi procliuitas.

Capvt IX.

2. Terror vester ac tremor, &c. His verbis confirmatur homini dominium quod per peccatum ablatum videri poterat omnium beſtiarum, vt ex fine v. 2. clarè patet de piſcibus, & in Hebræo, de omnibus omnino. Sic enim legit, *ſit terror veſter, &c. in omni reptile, & in omnes piſces maris; manui veſtræ tradita ſunt,* ſcilicet omnia prædicta. Terror enim iſte, quo omnes beſtiæ hominem veluti dominum ſuum timent ac reuerentur, ac domari ſe ſinunt, nec fere niſi iniuriis, vel fame laceſſitæ lædunt, excellentis huius dominij effectus eſt.

3. Qvasi olera virentia tradidi vobis omnia, nempe vt omnia animalia, ſicut olim olera comedatis ſi vultis: non enim neceſſitas comedendi imponitur, ſed poteſtas datur. Vnde colligit Iuſtinus dialogo cum Triphone nullam tunc fuiſſe diſtinctionem mundorum & immundorum quantum ad eſum. Tyrannidem non ferendam & atrocem Dei iniuriam vocat hîc Caluinus, ſi præcepto humano carnibus veſci prohibeamur, quod Deus hîc licere voluit. Quaſi vero non ſcriptura exemplis plena ſit, quibus aliquid prohibetur ab homine quod Dei permiſſionem ſpectando fuerat licitum. De quo vide Hierem. 35. v. 6. Eſther 9. v. 27. & 31. Actor 15. v. 28. & 29. &c. Rectè enim Clemens Alex. lib. 2. Pædagogi c. 1. etſi maxime propter homines omnia facta ſunt, non tamen omnibus vti bonum eſt, ſed neque ſemper, niſi tempore, occaſione & modo. Porrò idcirco Deus ſtatim à diluuio hanc veſcendi animalibus poteſtatem dedit, vt præueniret idololatriam: ſumma quippe inſania eſt, inquit Theod. q. 55. adorare quod comedis, & comedendo ſcilicet conſumitur. Ex hoc autem loco plerique Patres colligunt, Baſilius homilia 11. in Hexam. Tertul. lib. de anima c. 38. & c. 4. & 5. aduerſus Pſychicos hactenus abſtinuiſſe homines pios carnibus, quia Geneſis 1, v. 29. non niſi herbæ & fructus arborum expreſſe conceſſa fuerant. Nullum tamen alicuius prohibitionis mandatum reperitur.

4. Excepto qvod carnem cvm sangvine non comedetis, ſiue ſanguis adhuc in carne contineatur, vt in animalibus mortuis & ſuffocatis, ſiue ſeorſim ſumatur, vt in farcinibus. Cauſa prohibitionis eſt ne in beſtialem feritatem degenerent, & ad effundendum bibendum ve humanum ſanguinem animentur: quam fœditatem gentilibus vſitatam grauiter exprobrat Romanis Tertul. c. 9. Apologetici. Vnde quia legem iſtam poſitiuam quidem, ſed tamen ab Apoſtolis eadem de cauſa renouatam illo tempore adhuc obſeruabant Chriſtiani: hinc Tertul. Quale eſt, inquit, vt quos ſanguinem pecoris horrere confiditis, humano inhiare credatis? nam inter tormenta Chriſtianorum vitulos ſanguine diſtentos eis ad mouebant. Porrò illam eſſe veram rationem prohibitionis probat id quod ſequitur.

5. Sangvinem enim animarvm vestrarvm, &c. q. d. Ideo prohibui eſum ſanguinis beſtialis, quia vita veſtra mihi tam pretioſa eſt, vt ſanguinem animarum, id eſt, in quo eſt anima ſeu vita hominis, quia eſt vehiculum ſpirituum animalium & vitalium, reqviram de manv cvnctarvm bestiarvm, iubendo ſcilicet, vt per modum pœnæ occidatur, ſi hominem occiderint,

ſint, vt patet Exod. 21. v. 28. ET DE MANV HOMINIS, VIRI, ET FRATRIS videlicet ferendo legem talionis in homicidas, vt factum Exod. 21. v. 12. & ſeqq. Leuit. 24. v. 17. & alibi. Tribus autem iſtis epithetis inculcat, vt conſideratione humanitatis ſeu humanæ naturæ, & virilis magnanimitatis & fraternæ dilectionis ab homicidio reuocemur. Non deſunt tamen qui ſatis aptè velint ſanguinem hominis à beſtiis requirendum, quia vt eſt Leuit. 17. v. 11. ſanguis beſtiarum Deo in ſacrificium reſeruatus fuit, & ei offerebatur pro anima ſeu vita hominis quæ propter peccatum ab eo tolli merebatur. Sed illa quæ hîc eâdem phraſi ſequuntur, *de manus hominis*, &c. indicant priorem ſenſum eſſe genuinum.

6. QVICVMQVE EFFVDERIT, &c. FVNDITVR SANGVIS ILLIVS, id eſt hanc legem ſancio vt omnis homicida occidatur: traditur enim iudicibus ius gladii in homicidas. Ex quo conſequenter fit vt eis non fungentibus officio ſuo, miſerè plerumque homicidæ pereant, Dei vindictâ eos perſequente.

AD IMAGINEM QVIPPE DEI, &c. id eſt, quia tantæ dignitatis eſt homo, vt ſit imago mea, in quem redundat iniuria.

7. INGREDIMINI SVPER TERRAM: id eſt, inſtar piſcium magna copia ebulliendo terram occupate; hoc enim ſignificat vox Hebræa quam noſter Exodi 8. v. 3. transfert *ebullire*.

13. ARCVM MEVM PONAM IN NVBIBVS, iridem ſcilicet quæ quamuis etiam ante diluuium tamquam res naturalis in nubibus poneretur, non tamen in ſignum huius fœderis ſeu promiſſionis quam fecit Deus hominibus & beſtiis propter hominem.

PONAM IN NVBIBVS, aptiſſimè ne ampliùs vniuerſale diluuium timeretur, quia ex nubium cataractis pluuiæ deſcenderant. Vnde quia in iride ſimul color & aquæ & ignis oſtenditur: nam ex parte cæruleus eſt & rubicundus, hinc D. Gregor. hom. 8. in Ezechiel. dicit iridem eſſe teſtem iudicij facti per aquas & faciendi per ignem: itemque aquam baptiſmi & ignem amoris Spiritus ſancti ſignificari, quibus humanum genus purgatur.

18. CHAM, IPSE EST PATER CHANAAN, vnde Chananæi ſunt orti. Ex abrupto hoc interſerit Moyſes ad animandos Iudæos ſuos, ne deſperent ſe illos à Noë maledictos, Paleſtinâ depulſuros.

19. ET AB HIS DISSEMINATVM EST OMNE GENVS HOMINVM, &c. Iugulantur hoc loco omnes eorum traditiones, vel fabulæ, vel opiniones, qui plures Noë filios proferunt, à quibus certæ nationes propagatæ ſint, vt Teutonum qui à quodam Tuiſcone Noë filio ſe oriundos volunt: Beroſi Annij, qui neſcio ex qua officina triginta filios Noë ex matre Titæa, Titanas dictos protulit: Cajetani & Tornielli ad annum 6. poſt diluuium, qui propter illa verba, *Creſcite*, &c. alios filios ex Noë poſt diluuium natos eſſe arbitrantur. Verba enim illa *Creſcite*, &c. quibus nituntur, nullum mandatum continent, vt patet ex dictis ad caput primũ.

20. PLANTAVIT VINEAM, diſtribuens eam in vineta & vinum exprimens, quæ anteà inculta ſilueſcebat. Vnde Lactantius lib. 2. inſtit. cap. 13. arguit eos qui Liberum vini inuentorem putant.

21. BIBENSQVE VINVM, INEBRIATVS EST, ex inexperientia, quia neminem vinum potantem viderat, non ex intemperantia, vt docet Theodoretus quæſt. 56. & Chryſoſt. hîc hom. 29. Baſilius hom. de Elia & ieiunio, Ambroſius, & paſſim veteres, qui notant quòd non tantùm vini vires, ſed & ſumendi menſuram ac modum ignorauerit, aquâ ſcilicet illud temperando. Ex quo colligunt quoque vitem quidem ante diluuium fuiſſe & fructum eius; ſed ad eſum non ad potum. Hi ergo potiùs audiendi ſunt excuſantes Noë quàm imitator Cham Caluinus, qui Patriarcham & patrem ſuum, tamquam turpem ac pudendum in modum ſui oblitum & æternâ probri maculâ à Deo notatum ridet.

ET NVDATVS, non quod nudum ſe in terram proieſerit, vt Caluinus impudenter garrit, ſed quòd ſummus ſenſum eripuerit, vt ait Theod. loco citato.

22. QVOD CVM VIDISSET CHAM PATER CHANAAN, ex relatione Chanaan filij ſui iam grandiuſculi, vt Theod. q. 57. refert ex

Hebræis: & hoc indicatum vult v. 24. vbi Chanaan dicitur filius minor, id eſt, nepos: Cham enim non erat minor ſed, illa hiſtoria incerta eſt. Vnde alij volunt ipſum Cham vocatum eſſe filium minorem, non minimum, quia erat minor quam Sem. Ambr. lib. de arca c. 31. Minorem dictum vult non ætate, ſed ſapientia. Porrò allegoricè inebriato & nuditas Noë eſt infirmitas & paſſio Chriſti: Sem & Iapheth, ſunt fideles, Cham hæretici & omnes mali. De ſingulis circumſtatiis vide latiùs & pulchrè Aug. l. 12. contra Fauſtum c. 23. & 16. de Ciuit. c. 2. & Cyprian. Epiſtola 63. ad Cæcilium.

25. MALEDICTVS CHANAAN. Hæc verba ſunt prophetia, non maledictio, inquit Theod. q. 58. quamquam nihil vetat quin animo puniendi filium hæc dicta capiamus. Iuſtum autem ſupplicium eſt, vt Cham pœnas luat in filio, quia ipſe filius in patrem deliquerat. Non eſt autem ipſemet maledictus, quia, inquit idem Theod. & Chryſ. hìc, & Iuſt. Dialogo cum Triphone, iam à Deo benedictionem acceperat: vel fortè, ne maledictio etiam in cæteros filios, Chus, Meſrain, Phut redundaret. Vnde ſoli Chananæi, qui hìc maledicuntur, à Iudæis exciſi ſunt, ad quorum tamquam impiorum ac maledictorum deletionem vt Iudæos ſuos animaret, & ad occupandam eorum terram incitaret, hæc ſcribebat Moyſes.

SERVVS SERVORVM ERIT FRATRIBVS, id eſt, ſeruorum poſtremus ſeu viliſſimus. Quod impletum eſt in Gabaonitis cæteriſque Chananæis, qui ſub tributo omnibus exuti ſeruierunt poſteris Sem & Iapheth, Iudæis ſcilicet & poſtea Romanis. Obſeruat verò Baſilius in c. 14. Iſaiæ, & Origenes Hom. 3. in Ioſuë pœnam iſtam ſimul continere beneficium; quia hominibus peccatoribus, inquiunt, qui affectus ſuos moderari neſciunt, vtiliſſimum eſt melioribus ſubiici, vt non ſuo ſenſu malo, ſed aliorum bono regantur.

26. BENEDICTVS DOMINVS DEVS SEM Theod. videtur ſic exponere: Benedictus erit Dominus Deus à Sem ſeu poſteris eius, vt ſcilicet prædicetur pietas Sem & poſterorum eius vnde conſequenter illud v. 27. *Et habitet in tabernaculis Sem*, intelligit ipſe ſupplendum eſſe hoc modo. Et Deus habitet in tabernaculis Sem, nempe quia Deus in Prophetis & Patriarchis, in tabernaculo, in templo, ac denique in corpore humano inter Iudæos habitauit. Sed plenior ſenſus erit ſi præſenti verſu intelligamus ſignificari Deum non tantum ſtudio pietatis à Sem eſſe benedicendum, ſed etiam ab illis nationibus, idque propter abundantiam bonorum, tam ſpiritualium, quàm corporalium quibus poſteros Sem cumulaturus eſt. Nam in his futura prophetari non eſt dubium, inquit Aug. lib. 16. de Ciuit. cap. 1.

27. DILATET DEVS IAPHETH. Hic eſt ille gentilium Iapetus q. d. Dilatet Deus dilatationem elegans enim eſt paranomaſia in Hebræo יפת ליפת, Dilatet ergo eum Deus poſteritate & bonis. ET HABITET, ſcilicet Iapheth, non Deus, vt ſupra diximus voluiſſe Theod. iam enim præceſſit benedictio Sem: IN TABERNACVLIS SEM. De Sem Hebræi, de Iapheth populus Gentium naſcitur, inquit Hieron. hic, & patebit cap. ſeq. Vnde prædicitur poſteros Iapheth non ſolùm occupaturos ſedes Iudæorum, ſed etiam ſubacturos in Aſia maiore pleroſque poſteros Sem: quod per Romanos ex Iapheth ortos Aſiæ & Africæ domitores factum eſſe notat Philaſt. hæreſi 70. ſed tamen præcipuè ſignificatur Iapheth, id eſt, latitudinem gentium habitaturam in tabernaculis Sem, id eſt, in Eccleſiis Chriſti, quas ipſe Chriſtus & Apoſtoli tamquam poſteri Sem fundauerunt, vt ibidem Hier. & D. Aug. l. 16. de Ciuit. c. 2 & l. 12. contra Fauſt. c. 24. Iuſtinus dialogo citato & plerique veterum.

CAPVT X.

IN his generationibus recenſendis aliqua diuerſitas eſt. Aug. 16. de Ciuit. c. 3. & Epiphanius de Sethianis numerant generationes 72. in vniuerſum. Editio LXX. quæ Romæ nuper edita 74. Noſtra vulgata cum Hebræis 71. Sic autem orbem terrarum partiti ſunt, vt in Armenia à Tauro & Amano montibus Cœleſyriæ & Ciliciæ Sem

cum ſua poſteritate incipiens recta perrexit in Orientem, & ab Euphrate, vt Ioſephus, totam Aſiam maiorem vſque ad Indicum Occeanum occupauerit: Iapheth in Occidentem & Septemtrionem, obtinendo totam minorem Aſiam, partemque maioris verſus Septemtrionem ad Tanain vſque, denique totam Europam, & vt veriſimile eſt, etiam nouum orbem. Vnde à Poëtis, Græcis, & Latinis decantatus ille parens eorum Iapetus. Cham medius in meridiem abiuit, poſſidendo Syriam, vt Ioſephus, vſque ad Euphratem, ſcilicet Ægyptum partemque Arabiæ fœlicis, ac denique totam Africam. Vnde etiam Cham, ſignificat calidum vel nigrum. Quęnam gentes ex ſingulis ortæ ſint, valdè incertum eſt. Sequar potiſſimum veteres Ioſephum & Hieron.

FILII IAPHETH: GOMER, hinc Galatæ, vt Ioſephus & Hieronymus. Ita verò dicti videntur Græcis à colore lacteo, cum vocarentur ante Gomaræi, vel vt Mela, Gomari, quos eoſdem fuiſſe volunt Cimbros, MAGOG: hinc omnes Scythicæ gentes à quibus in Aſiam transfuſis Scythopolis & Ciuitas Magog in Syria nominari potuit MADAI, hinc ferè omnium iudicio Medi mari Caſpio & ſeptemtrionali Aſiæ vicini. IAVAN ſi puncta auferas Hebraico nomini, orietur, *Ion*. Vnde omnes docent hunc eſſe Patrem Ionum & omnium Gręcorum. Græcia enim prius Ionia dicta fuit. Vnde LXX. legunt *Iouan*: & nomen Hebraicum, Iauan, in noſtro textu Dan. 10. v. 20. & c. 11. v. 2. transfertur *Græci & Græcia*, ET THVBAL. hinc Iberi; apud Pontum Euxinum, ſiue ex illis orti ſint noſtri Iberij, hoc eſt Hiſpani, ſiue contra. In Luſitania adhuc eſt Oppidum Sethubal. ET MOSOCH. Ticho Brahe hinc putat ortos eſſe Moſcos, cui nomen fauet. Hier. & Ioſeph. Capadoces, apud quos adhuc Oppidum Maſaca, poſteà Cæſarea dicta, cuius Epiſc. Baſil. ET THIRAS, hinc Thraces.

3. ASCENEZ, vnde Germani; nam Hebræi adhuc hodie vocant Germanos Aſkeneſim, Ioſeph. & Hier. poſteros Aſcenez vocatos volunt fuiſſe à Græcis Rheginos, ſed iſtos eoſdem Rheginos eſſe Sarmatas, hoc eſt Germanos antiquos, docet Iſidor. l. 9. originum c. 2. Porrò Hierem. 51. v. 27. vocantur cum Medis aduerſus Babylonē, vnde quidam ſuſpicantur eſſe gentem Medis vicinam. ET RIPHATH, vnde Riphæi ſeu Paphlagones. THOGORMA, vnde Phryges.

4. ELISA, vnde Eliſæi poſtea Eoles dicti. THARSIS, vnde Tharſenſes ſeu Cilices, quorum metropolis Tharſus Apoſtoli Patria. Et quia Cilices in mari celebres fuerunt, hinc Tharſis ſæpe pro mari ponitur. CETTHIM hinc Cyprii & eorum vrbs Citron: vnde factum eſt, inquit Ioſeph. vt inſulas omnes & pleraque loca maritima Hebræi Cethim vocent. Quod verum eſſe patet ex 1. Machab. 1. v. 1. vbi Alexander Macedo egreſſus dicitur de terra Cethim. Num. 24. v. 24. Cethim dicitur Italia. & Dan. 1. v. 30. ſic dicuntur Rom. ET DODANIM. LXX. transferunt Rodij mutato q. in 1. aliis ſunt Dodonæi in Epiro.

5. AB HIS DIVISÆ INSVLÆ GENTIVM, Hebræi inſulas vocant terras omnes, ad quas naui itur. Vnde Hieron. ex Varrone Capitone, Phlegonte, conſtare dicit, penè omnes inſulas & totius orbis littora & terras mari vicinas Græcis accolis (quia à Iapheto orti ſunt) fuiſſe occupatas.

6. FILII CHAM. Terra Cham vocatur Ægyptus Pſal. 104. v. 23. & Pſ. 105. v. 22. quia ibi primò videtur ſedem fixiſſe. CHVS, vſque hodie ab Hebræis Chus vocatur Æthiophia, ET MESRIAM Ægyptus, Turcis Meſra. PHVTH Lybia, vnde & Mauritaniæ fluuius vſque in præſens Phuth dicitur, omniſque circa eum Regio Phutenſis. Multi, inquit Hieron. tam Græci quam Latini huius rei teſtes ſunt, vt ex Ioſepho & Plinio patet. ET CHANAAM, hinc Chananæi, qui quod fuerint vaferrimi mercatores, vt ex emporiis celeberrimis Tyro & Sidone patet, Chananæus hebraicè pro mercatore ſeu negotiatore exponitur Zach. 14. v. 21. & Iob. 40. v. 25.

7. FILII CHVS SABA. hic Saba ſcribitur per ſamech; infrà verò Saba filius Regma, per ſcin. A primo dicit Hieron. & Ioſephus vocatos fuiſſe Sabæos: ſed tamen etiam

ſecundo Sabæos eſſe dictos ex Scriptura manifeſtum eſt. Nam vbi nos habemus Sabæi Iob. 1. & Ioël.3. v.8. hebraicè eſt Saba, per ſcin. Duplex ergo Sabæa, & vtraque in Arabia fœlice inter ſinum Arabicum & Perſicum thuris fœcundiſſima quæ ſimul exprimuntur Pſal. 71. *Reges Arabum & Saba*, hebraicè *Reges Scaba & Saba*. Falluntur ergo qui ab illo primo filio Chus Reginam Saba nominatam eſſe volunt, cùm ſemper illa ſcribatur pe ſcin, vt patet 3. Regnum 10. & 2. Paralipomenon 6. ET HEVILA. ab hoc nati Getuli in Africa, vt Hieron. & Ioſeph. Nam illa Heuila de qua Gen. 25. in Arabia videtur dicta ab Heuila filio Iectan, qui fortè poſteà traiecto ſinu Perſico partem Indiæ occupauerit, & à ſe nominauerit, vt diximus ſupra cap. 2.

ET SABATHA, à quo Sabathen qui nunc Aſtabari, inquit Hieron. & Ioſeph. idque in Arabia, vt videtur, quia Ptolemæus in Arabia fœlice ponit vrbem Sabatham, & Plinius Sabatiam.

ET REGMA ET SABATACHA. Hieron. dicit antiqua nomina intercidiſſe, quamquam Ptolomæus ponat in eadem Arabia Regmam vrbem, & ad ſinum Perſicum, Sachabitas quæ nomina cum illis ſatis conueniunt.

SABA per ſchin. hinc Sabæi ſeu generaliùs Arabes, vt vult Iſidorus l. 1. Originum cap. 2. vt patet ex Pſal. 71.

ET DADAN. Gens eſt Æthiopiæ in occidenti plaga, vt Hieron. ex Ioſepho, qui hic corruptè legitur.

8. NEMROD. ipſum nomen ſignificat rebellem, nempe contra Deum, quia ſuperbæ illius turris author fuit.

IPSE CŒPIT ESSE POTENS IN TERRA, arreptà ſcilicet dominatione in alios. Antè enim videntur iure naturali ſuis præfuiſſe principes familiarum: hic verò primus, vt loquitur Hier. in traditionibus, inſuetam in populo tyrãnidem arripuit. Vnde LXX. tranſtulerant, *Cœpit eſſe gygas ſuper terram*, quia nota eſt ſuperbia & tyrannis gigantum.

9. ET ERAT ROBVSTVS VENATOR, id eſt, animalium terrigenarum deceptor, oppreſſor, extinctor, inquit Auguſtinus 16. de Ciuit c. 4. initio forſan ferarum, deinde maximè hominum. Nam venatio ferarum latrocinij ac tyrannidis eſt tyrocinium. Vnde Ambroſ. homilia 8. in Pſal. 118. Nullum, inquit, inuenimus in diuinarum ſerie Scripturarum de venatoribus iuſtum. Venator ergo CORAM DOMINO, qui rem veritate ponderat, hoc eſt, reuera & iudicio Domini talis. vel *coram Domino* quaſi in conſpectu & cum contemptu Domini talis. Vnde Aug. ex LXX. legit. *contra dominum*. Et hinc natum eſt prouerbium, vt ſicut nos virum ſtrenuum vocamus Achillem, ita diceretur, QVASI NEMROD, &c.

10. PRINCIPIVM REGNI EIVS BABYLON, vbi ſcilicet eſſet tamquam in Metropoli habitaculum regni, inquit Aug. loco citato, nempe poſt diſperſionem gentium. Simul enim cœperunt ædificare & ciuitatem & turrim, vt patet ex capite ſequenti v. 4. & 8. Vnde Ioſephus & Auguſtinus faciunt Nemrod ciuitatis illius conditorem & inceptorem operis, quam poſtea amplificauit Semiramis. Ex quibus colligitur Nemrod fuiſſe & primum Tyrannum ſeu Regem & eundem prorſus cum Belo Nini patre. Nam non tantùm Aug. l. 16. de Ciuitate c. 17. & l. 18. c. 2. ſed etiam Euſebius in Chronico docent ante Ninum regnaſſe Belum Babyloniis, quod ipſum l. 9. de præparatione Euangelica c. 4. ex hiſtoricis Ethnicis antiquiſſimis Alexandro & Eupolemo confirmat, & ibidem ex Abydeno docet Babyloniam à bello fuiſſe conditam: quod cum Scriptura ſatis apertè tribuat Nemrod, ſequitur eum eundem eſſe qui dicitur Belus. Belus autem dictus eſt quaſi Bel ſeu Beel ſeu Baal, eædem enim litteræ ſunt in voce Hebraïca, vt notat Hieron. in c. 2. Oſeæ, & ſignificat Dominum, quod optime cum hoc Scripturæ loco conuenit, quia primus potens dominator ac Tyrannus fuit, & author abiciiendi cultus veri Dei, hinc ipſe à filio Nino inter Deos relatus eſt & omnia penè Idola Orientalium nomen & cultum eius redolent, vt Baal, Beelzebub, Beelzephor, &c. Quia Ninus vniuerſo Orienti ad Indiam vſque, dominiationem ſuam & conſequenter Beli cultum impoſuit.

Regnauit autem Nemrod non tantùm in Babylone, ſed & in ARAHA, hoc eſt, Edeſſa Meſopotaniæ, & in ARCHAD, quæ dicitur Niſibis, inquit Hieron. & in CHALAMNE, quæ poſteà verſo nomine à Seleuco Rege eſt dicta Seleucia, vel certe Cteſiphon, inquit idem.

IN TERRA SENNAAR, id eſt, in agro adjacente Babyloni. Omnes enim iſtæ ciuitates ſunt in circuitu Babylonis, & duæ poſtremæ fuerunt diu limes Romani imperij aduerſus Perſas.

11. DE TERRA ILLA, Sennaar ſcilicet & Babylone. EGRESSVS EST ASSVR, id eſt pullulauit imperium Aſſyriorum, nempe quia Ninus Nemrodi filius illud fundauit in Aſſyria ſic nuncupata ab Aſſur filio Sem. Ita Hieron. qui non accipit Aſſur, vt nomen proprium viri, ſed imperij: Auguſtinus tamen 16. de Ciuit. c. 3. ſecutus Ioſephum, videtur hoc dictum intelligere per anticipationem de Aſſur filio Sem. Qui egreſſus de Babylone (Babylonia enim non erat ſortis, filiorum Cham ſeu Nemrod, ſed Sem) propter tyrannidem Nemrod, ædificauerit Niniuen, etſi poſteà ab eodem Nino expugnata, & filiis Sem erepta ſit, & ab ipſo Nino ampliata, & caput Regni Aſſyriorum conſtituta, & Niniue dicta.

12. HÆC EST CIVITAS MAGNA, ſcilicet Niue. Idem epithetum datur ei Ionæ 3. v. 2. & clarè patet ex v. 3. & 4. quanta eius fuerit magnitudo.

13. GENVIT LVDIM. ſequuntur ſex non filij ſed populi, vt ex Hebræo patet, & ab Auguſtino obſeruatum eſt loco citato. Porrò Ludim ſunt Lydi vnde Lydia non in Aſia minore, ſed in Africa de quo Iſaiæ 66. v. 19. *mittam in Africam & Lybiam.*

ET LAABIM, hoc eſt Lybies, inquit Hieron. qui antè Phutæi dicebantur, vt ſuprà verſ. 6. De reliquis gentibus, inquit Hieron. & Ioſephus, altum ſilentium, quia bello Æthiopico ſubuerſæ ſunt.

14. DE QVIBVS, nempe Chaſluim, EGRESSI SVNT PHILESTIIM, hoc eſt, Philiſtæi. ET CAPHTORIM, id eſt, Cappadoces, ſic enim transferunt ſemper LXX. & editio vulgata. Ne putes tamen eſſe illos Cappadoces notiſſimos ad Pontum in Aſia minore; hi enim ſunt in ſorte Iaphet: Sed quia Ioſephus dicit omnes iſtas octo nationes comprehenſas v. 13. & 14. habitaſſe à Gaza vſque Ægyptum, hoc eſt, vt exponit Hieron. in traditionibus Hebraïcis, vſque ad extremos fines Ægypti, hinc videntur ad littoralem plagam longè lateque per Africam habitaſſe. Illa quippe erat ſors filiorum Cham, & Meſraim patrem iſtarum nationum à ſe nominaſſe Ægyptum certum eſt. Porrò iſti Caphtorim ſeu Cappadoces terris ſuis egreſſi expulerunt Heuæos ex littorali plaga Chanaan, vt eſt Deuteronomij 2. v. 23. Succeſſerunt Cappadocibus iſtis in eadem parte Chanaam Philiſtiæ, vnde ab ipſis corruptè Paleſtina nuncupata eſt. Et quia mixtim cum Cappadocibus illis tamquam gentiles eorum in Cappadocia habitauerant, hinc Amos 9. v. 7. dicuntur Philiſtæi *egreſſi de Cappadocia*, Et Ieremiæ 47. vocantur *reliquia inſulæ*, id eſt, plagæ maritimæ *Cappadociæ*.

15. CHANAAN GENVIT SIDONEM, à quo Sidon condita eſt.

HETÆVM, &c. nomina ſunt populorum à primis progenitoribus impoſita.

16. IEBVSÆVM. à Iebus conditore vrbis Iebus, poſteà Ieruſalem.

17. ARACEVM. hinc Arcas oppidum contra Tripolim in radicibus Libani ſitum, vt ait Hieron.

SINEVM, vnde oppidum Sim prope Libanum, quamuis alij deſerti Sim & montis Sina incolam fuiſſe velint.

18. ARADIVM, qui poſſedit inſulam & ciuitatem munitiſſimam non procul à Sydone.

SAMARÆVM, qui nobilem Cæleſyriæ ciuitatem Edeſſam in habitauit, vt Hier. quamquam aliqui velint montem Samariæ incediſſe & à ſe nominaſſe.

AMATHÆVM: condidit & incoluit ciuitatem Amath ſeu Emath quæ vt Hier. & Ioſephus, adhuc exſtat, & ab Antiocho Epiphane Epiphania dicta eſt.

19. VSQVE LESA. hæc non videtur eſſe Leſa ſeu Calliroe iuxta mare mortuum, vt quidam volunt, ſed notiſſima illa ciuitas

Dan terminus terræ ſanctæ à Septentrione, quæ olim vocabatur Leſem, vt eſt Ioſue 19. v. 47. Et Laïs, Iudicom 18. v. 19.

21. FRATRE IAPHETH MAIORE. ita legit ex Septuaginta etiam Auguſt. 16. de Ciuit. c. 3. qui ſemper conſtanter docet, Sem fuiſſe primogenitum, Cham medium, Iapheth minimum, & hoc poſtulat ille ordo quem perpetuò ſeruat Scriptura in recenſcendis filiis Noë, Sem, Cham, Iapheth: Septuaginta tamen nunc legunt *Fratris Iapheth minoris*, quaſi Iapheth eſſet primogenitus. Sed ex Auguſtino patet olim Septuaginta aliter legiſſe. Textus Hebraicus vtramque verſionem patitur.

22. ÆLAM, vnde Ælamitæ progenitores Perſarum.

ET ASSVR, hinc Aſſyrij & Aſſyria, ſtatim occupata à Nino ab nepote Cham.

ET ARPHAXAD, vnde Chaldæi, vt Ioſephus & Hieron. & Chaldæa in qua Babylon quam occupauit Nemrod.

ET LVD. vnde Lydij, non illi notiſſimi in Aſia minore, ſed alij Perſis finitimi.

ARAM, hinc Syri. Syria enim hebraicè vocatur Aram.

23. FILII ARAM: HVS, hic occupauit & nominauit à ſe terram Hus Traconitidem & Damaſcum, vt Ioſephus & Hier. in qua habitauit Iob. ET HVL. hic propagauit Armenios, GETHER Bactrianos, MES Meſſineos iuxta ſinum Perſicum. Ita idem Ioſephus.

26. IECTAN GENVIT ELMODAD, &c. hic à Cophene fluuio (qui in Indum influit) omnem Indiæ regionem occupauit, vt ait Hieron. & Ioſephus, quod ex vno illorum *Ophir* ſit, veriſimile. Nam ad terram Ophir. ibatur per mare rubrum, vt ex 3. lib. Regum conſtat. Vnde & hîc fit mentio montis Orientalis, tamquam termini habitationis eorum. Nomina autem gentium, quas propagarunt, ignorantur.

31. SECVNDVM COGNATIONES ET LINGVAS, &c. Hæc clauſula aliquoties repetita ſignificat hanc diuiſionem gentium, & occupationem terrarum, non niſi poſt linguarum diuiſionem contigiſſe.

IN GENTIBVS SVIS, per hoc ſignificatur, ſingulos qui hîc numerantur, gentem diſtinctam ex ſe propagaſſe. Nam vt rectè obſeruat Aug. 16. de Ciuir. c. 3. quænam alia poſſet eſſe cauſa, cur cùm hîc multi numerentur, quorumdam tamen filij adiiciuntur, non aliorum, niſi quod horum filij aliis gentibus naſcendo acceſſerunt, ipſi autem gentes diſtinctas facere nequiuerunt? Fuiſſe illas ſeptuaginta duas, communis eſt doctrina multorum antiquorum, vt præter Aug. & Epiphanium citatum in initio, etiam Proſperi l. 2. De vocatione gentium, c. 14. & Hier. in Pſal. 44. & aliorum: tot enim ipſi numerant hic gentes iuxta LXX. Contra quod nihil faciunt argumenta quorumdam recentiorum, quod patres non conſtituant diſtinctas gentes à filiis. Hoc enim proprio ipſorum teſtimonio falſum eſt in Gomer, & Iauan, & Arphaxad, & apertiſſimè in Chus, Meſraim, & Aram: quas enim gentes fecerint nemo dubitat. Propagarunt autem illas gentes per alios filios hîc non expreſſos. Sed numerus ille ſeptuaginta duarum gentium non poteſt ſubſiſtere, iuxta editionem vulgatam, niſi duobus ſuppoſitis: Primo vt adiiciamus illi numero Cainan, filium Arphaxad, ſicut LXX. c. 11. & S. Lucas adiicit: quem Salianus ex Euſebio patrem facit Gaſphenorum; quorum & Epiphanius hæreſi 39. & Chronicum Alexandrinũ mentionem facit. Secundò vt Phalech fecerit propriam gentem, nempe per filios diſtinctos à Reu. Idem Salianus ex Euſebio ei Bactros tribuit.

CAPVT XI.

CVMQVE PROFICISCERENTVR DE ORIENTE, id eſt, de Armenia, quæ Babyloni eſt orientalis, inquit Delrio, & ex eo alii. ſed certè niſi nos fallunt omnes tabulæ geographicę, Armenia Babyloni prorſus eſt ſeptemtrionalis, vnde veriſimile eſt eos per varios circuitus, ſicut quærentes nouas ſedes ſolent, primùm ab Armenia profectos in orientem, ac deinde ab oriente melioris ſoli cauſa VERSVS TERRAM SENNAAR, id eſt, regionem Babylonis, vt 70. & Chaldæus tranſtulerunt v. 11. c. 5. Zachariæ. Dicta eſt Sennaar quaſi excuſſio dentium,

quia ibi poſteà ſuperbis illis ædificatoribus dentes quibus vox formatur, excuſſi ſunt. Vox Hebræa ſignificat initium ſiue temporis ſiue loci, & ideò ſæpe pro oriente ponitur. vnde fortaſſis commodè poſſet ſic exponi, quod proficiſcerentur à loco in quo ante fuerant, id eſt, ab Armenia.

4. CELEBREMVS NOMEN NOSTRVM. ergo ſcopus operis eſt nominis ſui æternatio, id eſt, impia & ſtulta ſuperbia, quam Auguſt. propterea l. 16. de Ciuit. c. 4. grauiter taxat, & Cyrill. in Gen. inſanum conſilium vocat, & paſſim veteres reprehendunt. vt meritò abiiciendus ſit Abulenſis, qui hanc præſumptionem à peccato purgat. Aliam cauſam operis inſinuat Auguſt. vt turris altitudine montes & ſpatium nebuloſi aëris excederent, quò ſcilicet aquas olim perueniſſe acceperant, & ſic diluuium euaderent. Ex quo magis elucet eorum ſuperba impietas, qui contra Deum ſe tueri vellent. Et hinc orta fabula gigantum bellantium aduerſus Deos. Quod autem dicunt, CVIVS CVLMEN PERTINGAT AD CÆLVM, ſignificant eſſe debere altiſſimam. Hier. in c. 14. Iſaiæ dicit fuiſſe quatuor millium paſſuum. Ventorum autem turbine diſiecta fuit, vt Thophil. Antioch. ex Sybilla l. 2. ad Autolicum, cuius reliquias ad ſua vſque tempora duraſſe, teſtis eſt Theod. q. 58. in Gen. ANTEQVAM DIVIDAMVR, nulla ſcillicet re memorabili geſta. ſatis enim ex ſua multitudine videbant ſe breui eſſe diuidendos.

5. DESCENDIT AVTEM DOMINVS. Humano modo loquitur. non enim loco mouetur Deus, qui ſemper vbique totus eſt, ſed deſcendere dicitur, inquit Aug. c. 5. l. 16. de Ciuit. cùm aliquid facit in terra, quod præter vſitatum naturæ curſum mirabiliter factum, præſentiam quodammodo eius & ſcientiam oſtendit, vnde illud, VT VIDERET, Aug. ſuo more exponit, vt videre ſe oſtenderet.

7. VENITE DESCENDAMVS, modum recapitulando tradit, quo illa deſcenſio contigit. ET CONFVNDAMVS, id eſt, permiſceamus linguas. Loquitur autem Pater ad Filium & ſpiritum ſanctum, vt Cyrillus contra Iulianum & alij quod fatetur & Aug. c. 6. verum eſſe poſſe, ſed nihil eſſe quod prohibeat etiam Angelos intelligi, vt pote per quos ita operatur Deus, vt ſint etiam ipſi cooperatores Dei, ſicut enim ad ſcientiam adipiſcendam cooperari poſſunt Angeli, etſi non poſſint illam imprimere, ſic etiam ad notitiam nouę linguę cooperari poſſunt. VT NON AVDIAT, id eſt, non intelligat VNVSQVISQVE VOCEM PROXIMI, non cuiuſlibet, ſed alterius familiæ, ergo Deus ſimul videtur operatus eſſe in ſingulis familiis obliuionem linguæ veteris, & intelligentiam nouę.

8. ATQVE ITA DIVISIT EOS DOMINVS, occaſionaliter, ſcilicet ſublato vinculo humanæ conuerſationis, id eſt, ſimilitudine ſermonis, quia vnuſquiſque ſe adiunxit iis quos intelligeret. Solus Heber cum ſua familia retinuit linguam quæ anteà omnibus dicitur fuiſſe vna & communis, & ab ipſo dicta eſt Hebræa, vt Aug. lib. 16 de Ciuit. cap. 11. quam fuiſſe primam etiam ex etymologia nominum propriorum ab Adam huc vſque manifeſtum eſt: etſi diſſentiat Theod. quæſt. 59. & 60. qui Syriacam omnium primam putat, cùm tamen non ſit niſi dialectus Hebraïcæ, & Gorropius Becanus, qui primam vult fuiſſe Cimbricam ſiue Flandricam.

IDCIRCO VOCATVM EST NOMEN EIVS BABEL, id eſt, vt Septuaginta transferunt, *confuſio*, ſeu permixtio, QVIA IBI CONFVSVM EST LABIVM, ſeu ſermo hominum, loco enim vnius ſermonis Hebraïci quo omnes ante loquebantur, varij ſermones nempe veriſimiliter 70. aut plures, iuxta numerorum genitum, ſimul auditi ſunt, & loquendo permixti. Fallitur ergo Philaſtrius hæreſi 56. & 57. putans etiam ante turris ędificationem multas fuiſſe linguas, ſed ſolam earum intelligentiam fuiſſe ſublatam. Quo tempore contigerit hęc diuiſio, magna eſt diſſenſio. Veriſimilis eſt opinio eam contigiſſe ferè in medio vitę Phalech, cui nomen illud per prophetiam à patre impoſitum eſt, à futura in diebus eius diuiſione terrarum, vnde conſequenter videtur, contigiſſe anno circiter 275. poſt diluuium.

10. SEM ERAT CENTVM ANNORVM, &c. ergò genitus eſt anno Noë 502. quod ergò

cap. 5. verſ. vlt. Noë dicitur genuiſſe Sem, Cham &c. cùm 500. eſſet annorum, ponitur numerus rotundus & completur omiſſis minutiis, ſicut Scriptura ſolet.

12. Arphaxad genvit Sale. Ita & codex Hebręus, & Caldeus, & Samaritanus. Sed. lxx. interponunt Cainan, hoc modo: *Arphaxad genuit Cainan, & Cainan genuit Sale.* Secutus eſt eos D. Lucas c. 3. v. 36. Vtri ſequendi, difficultatem ita perplexam indicauit Hier. apud Sixtum Senneſem annotatione 88. vt dixerit ſe vehementiſſimo ſtupore perculſum neſcire perſeruatari, quid mouerit Lucam. Eugubinus & ipſe Sixtus confidenter dicunt lxx. erraſſe & errorem irrepſiſſe in Lucam nempe, vt quidam volunt, per ſciolorum audaciam. Sed illud nimis immodeſtum, hoc temere dictum: neque enim vllus antiquus vel nouus D. Lucę codex vnquam fuiſſe oſtendi poteſt, pręter eum quem Beza nobis obtrudit, in quo Cainan non abeatur. Nam & Epiphanius qui profertur, multis locis ipſius Cainan meminit, vt videret licet in Panario bis, & in Anchorato. Cùm ergò textus noſtri vulgati & Hebręi authoritas tantum ſit negatiua, Lucę autem & lxx. affirmatiua, facilius autem ſilentij ratio dari poſſit quàm aſſertæ, vel confirmatæ falſitatis, hinc tutius videtur dici vtroſque iuſtas habuiſſe cauſas, vel detrahendi Cainan, vel apponendi. Moyſes enim ſicut ante diluuium vſque ad Noë, ita & poſt illud vſque ad Abraham decem tantum generationum gradus, certi ſcilicet myſterij cauſa pertexere voluit, quem numerum obſeruauit Ioſeph l. 1. Ant. c. 6. & Orig. tom. 20. in Ioann. & antiquiſſimi Hebræorum teſte Genebrardo in Chronolog. Idem etiam contigit ſine nota falſitatis D. Matthæo, qui dicit Ioram genuiſſe Oziam, omittens tres generationes intermedias, quia numerum 14. generationum ſeruare volebat, vt v. 17. c. 1. inſinuatur: Interpretes autem lxx. & Lucas, ſiue diuina inſpiratione, ſiue traditione, ſiue aliis Hebræorum libris adiuti, exactum generationum numerum. poſuerunt non attendentes ad myſticum illum 10. generationum numerum. Quod ergò obiicitur magnum fore vitium in Chronologia Moyſis, reſponderi poſſet eſſe nullum, ſed hoc ſenſum textum noſtrum eſſe explicandum, vt Arphaxad genuerit immediatè Cainan anno ætatis 18. Cainan genuerit Sale anno 17. ſic enim conſequenter verum erit quòd Arphaxad genuerit mediatè ipſum Sale, anno ſuo 35. vt nos habemus. Et tunc fatendum erit id quod veriſſimum eſſe omnes agnoſcunt, numeros annorum vt ſup. c. 5. ita & hoc loco in lxx. Interpretibus per ignorantem quorundam audaciam vehementer eſſe turbatos, vt iam olim ab Aug. & aliis animaduerſum eſt. Quod idem contingit hìc verſ. 13. vbi nos habemus annos Arphaxad 303. Hebr. 403.

26. Vixit Thare 70. annis et genvit Abram, nempe ipſo anno ætatis 70. hoc enim videtur requirere ſtabilitas Chronologiæ quam hìc texit Moyſes per Thare, Abram & Iſaac. & ita intelligunt Aug. 16. de Ciuit. c. 15. Hier. in traditionibus, Heb. & ferè vetuſtiores. Reliquos itaque filios iam genuerat, Aram ſcilicet primogenitum, & Nachor medium; genuit ergo Abraham, id eſt compleuit generationem iſtorum trium filiorum anno 70. ponitur tamen Abram primus propter dignitatem.

28. Mortvvsqve est Abram ante Thare patrem, id eſt, coràm ſeu in conſpectu, vt hebraïcè & græcè eſt. in Vr Chaldæorvm. Eſſe nomen loci patet clariſſimè ex lxx. qui legunt, in regione Chaldæorum; & ita ſentit Ioſephus dicens Vram vocari ciuitatem, vbi, inquit, vſque nunc ſepulchrum eius oſtenditur.

Et patris Iescha, hæc Ieſcha binominis eſt eadem quæ Saraï vxor Abræ ſoror Melchæ: vnde erat neptis Abræ ex fratre, non propriè ſoror, neque filia, ſed nurus Thare, ita Aug. 16. de Ciuit. c. 12. & Hier. & Ioſeph.

31. Tvllit itaqve Thare Abram, &c. monitus ſcilicet à Deo per Abrahamum. Nam Abraham vocatum eſſe à Deo adhuc in Chaldæa morantem patet ex Act. 7. verſ. 4. nam Meſopotamia. cuius ibi verſu 2. ſit mentio, Chaldæam vicinam comprehendit, quemadmodum & Plinius lib. 6. c. 26.

Cauſa

Cauſa vocationis Thare & diſceſſus fuit perſecutio quam veræ religionis causâ cum familia patiebatur, vt indicatur Iudith. 5. v. 7. & ſeqq. Porrò quia nulla hîc fit mentio Nachor, colligit Aug. l. 16. de Ciuit. c. 13. eum à paterna fraternaque pietate deciḋiſſe, & ſuperſtitioni adhæſiſſe Chaldæorum à quibus tamen poſteà ſiue pœnitens, ſiue ſuſpectus diſceſſit, & ſecutus eſt Thare in Meſopotamiam, vt liquet Gen. 24. v. 10.

EDVXIT EOS DE VR CHALDÆORVM, id eſt, de ciuitate illa ſupradicta, quàm à cultu ignis (qui & Perſis in honore fuit) ita vocatam hebraïcè volunt, quia verò Abram ibi paſſus eſt perſecutionem, quæ ſæpius per ignem ſignificari ſolet, hinc 2. Eſdræ 9. v. 7. dicitur liberatus de igne Chaldæorum, interpretando quodammodo ad propoſitum ſuum nomen vrbis *Vr*. Fabulam enim quibuſdam olere videtur illa hiſtoria quam Hebræi afferunt, quod Abraham cùm à Nemrod ignem adorare cogeretur, miraculosè liberatus ſit, Aran verò igne conſumptus, quamuis illam Hier. in trad. Heb. & Aug. quæſt. 25 in Gen. agnoſcere videantur.

VENERVNTQVE VSQVE HARAN. profani Scriptores, Charras vocant: eſt vrbs in limitibus Meſopotamiæ Craſſi clade nobilis.

CAPVT XII.

DIXIT DOMINVS AD ABRAM, non iam in Chaldæa conſtitutum, ſed in Haran, vt mox patebit. Ergò hæc eſt ſecunda vocatio Abræ apertè enim agnoſcit D. Stephanus aliam in terra Chaldæorum, Actor 7. v. 2. & 4. quam executus eſt Abram capite præcedenti v. 31.

DE DOMO PATRIS TVI. quia etiamſi iam eſſet extra Chaldæam, adhuc cum patre habitabat, vnde & ipſum iubetur deſerere, qui poſt primam vocationem eum cum familia comitatus fuerat. Vnde v. 4. vbi deſcribitur executio huius vocationis, expreſſè dicitur exiiſſe non de Chaldæa, ſed de Haran, quò iam peruenerat vi primæ vocationis, idque cum animabus quas in Haran poſt habitationem ſcilicet ſatis diuturnam fecerat. Prima enim vocatio Actor 7. deſcripta non deſignauit ei locum vbi commorari deberet, ſed nudè præſcripſit xietum ex terra & cognatione, nempe Chaldæorum, vnde ei obtemperans habitationem in Haran fixit: Secunda vlteriùs eum & ſublimiùs vocat etiam ex domo patris ſui.

VENI IN TERRAM QVAM MONSTRABO TIBI. ergò nec illam ei reuelauit, in qua ſcilicet eſſet peregrinationis terminum habiturus, ſed tantùm videtur ei generaliter præcepiſſe, vt iret verſus terram Chanaan. Nam hoc ſaltem videtur indicari v. 5. Et ſic magnopere commendatur obedientia & fides Abræ, quòd exiuerit, vt Apoſtolus ait ad Heb. 11. v. 8. *neſciens quò iret*. Virtutem Abræ ponderat Amb. l. 1. de Abram c. 2. & tropologico ſenſu docet ab omni affectu corporearum & viſibilium rerum, inter quas nobis commoratio eſt, eſſe egrediendum, de quo & Baſilius in c. 7. Iſaiæ.

2. FACIAMQVE TE IN GENTEM MAGNAM, id eſt, faciam vt ex te gens magna multitudine & dignitate propagentur.

ET BENEDICAM TIBI, id eſt, benefaciam cumulando filiis, opibus gratiâ.

ET MAGNIFICABO NOMEN TVVM, vt celebretur omnibus ſæculis, à filiis tam carnalibus, quàm ſpiritualibus.

ERISQVE BENEDICTVS, id eſt, benedictio mea non erit inanis & irrata, ſed effectus eam conſequetur.

3. BENEDICAM BENEDICENTIBVS TIBI, id eſt, non tibi ſolùm, ſed & amicis, q. d. iidem erunt mihi amici & inimici qui tibi.

ET IN TE BENEDICENTVR, id eſt, vt clariùs dicitur c. 22. v. 18. *in ſemine tuo*. Hoc autem ſemen eſſe Chriſtum exponit Apoſtolus ad Galat. 3. v. 14. & 16. & clariùs Actor 3. verſ. vlt. & penult. Significatur igitur, omnes gentes benedictionem filiorum Dei accepturas per Chriſtum, & gratiam eius, & conſequenter per Abram, ex cuius carne Chriſtus natus eſt. Vnde prædicitur hic Eccleſia creditura in Chriſtum ſeu fides gentiũ, vt Aug. 12. contra Fauſt. c. 6.

4. SEPTVAGINTA QVINQVE ANNORVM, &c. Quæſtio hîc naſcitur celeberrima, quam Hieron. in tradit. indiſſolubilem vocat, qui fieri poſſit vt Abram egreſſus ſit anno ætatis 75. cùm natus ſit anno patris 70.

& pater iam antè cap. præced. verſ. vlt. mortuus ſit annos agens 205. Hieron reſpondet nominari hîc annum 75. non ætatis Abram, ſed ex quo liberatus eſt de Vr Caldæorum, iuxta traditionem Hebræorum, Ex eo enim tempore cenſeri natum. Rectiùs Aug. quæſt. 35. in Geneſim, & l. 16. de Ciuit. c. 15. ſoluit hoc per recapitulationem, quia etſi mors Thare ante egreſſionem Abræ enarretur, non tamen antè contigerit. Sed maiorem Auguſt. mouet difficultatem ex c. 7. Actor v. 4. vbi dicitur Deus tranſtuliſſe Abraham in terram Chanaan, poſtquam mortuus eſſet pater eius. Soluunt eam nullo negotio poſt Chryſoſt. homilia 31. in Gen. Torniellus, Salianus, & alij, dicendo Abram non eſſe natum anno 70. patris Thare, vt ſupponitur, ſed ſexaginta annis poſt, nempe 130. quibus ſi adiiciantur anni 75. ætatis Abræ, incidimus in annum 205. qui eſt mortis Thare, & egreſſionis Abræ ex Haran. Solutio facilis & eſt probabilis, cuius principia ibidem Aug. indicat. Sed quia Ioſephus, Hier. & ipſe Aug. conſtanter docent, vt ſuprà diximus, Abram 70. anno Thare eſſe natum, ſicut c. 11. v. 26. clarè videtur dici, & firmitas chronologiæ hoc poſtulare videatur, hinc aliter ex illis anguſtiis exiri poteſt, dicendo nimirum Abram poſt egreſſionem in Haran, eſſe reuerſum, vt ſepeliret patrem, & poſt mortem eius iuxta ſanctum Stephanum, Actor. 7. eſſe tranſlatum in terram Chanaan, non ampliùs inde in Haran reuerſurum, vt quidam volunt: vel potiùs ſignificari illo loco Actor quòd Deus poſt mortem Thare, ſtranſtulit Abram in Chanaam, id eſt collocauit, ſeu firmiter habitare fecit, vt antiqua verſio LXX. apud Aug. habet, & Græcum etiam ſignificat: ſcilicet quia inde non migrauit ampliùs eundo ſiue in Haran, ſiue in Ægyptum, & empto agro rei propriæ poſſeſſor eſſe cœpit, etſi iam ante per annos 60. in Chanaan eſſet peregrinatus, ita difficultatē ſoluit Aug. loc. cit. de Ciuit. Dei.

5. ANIMAS, id eſt, homines ſynecdochicè. QVAS FECERANT ſibi liceret IN HARAN, id eſt, per hebraiſmum, quas comparauerant, ſiue emptione, ſiue generatione ſeruorum & ancillarum, vnde LXX. ſimpliciter vertunt. *quas poſſederant.*

6. VSQVE AD LOCVM SICHEM, prope montem Gariſim, qui poſteà, vt Hier. Neapolis dicta eſt, decem milliaribus à Hieruſalem. VSQVE AD CONVALLEM ILLVSTREM, quia ſpectabilis erat arboribus & amœnitate, vnde putant continens poſitum eſſe pro contento, quia Hebrçum plerumque ſignificat quercum ſeu quercetum. Tendebatur hæc vallis iuxta Iordanem à mari Galilææ vſque ad mare mortuum

7. APPARVIT AVTEM DOMINVS ABRAM, per Angelum: ita enim factas eſſe in veteri teſtamento apparitiones, Dei ex profeſſo docet Aug.

QVI ÆDIFICAVIT IBI ALTARE: gratias acturus pro illa promiſſione, & vt eſſet monumentum apparitionis diuinæ.

8. CONTRA ORIENTEM BETHEL, id eſt, tetendit ad montem Bethel, qui erat verſus orientem; Bethel enim in monte ſita eſt. Eſt autem prolepſis, tunc enim vocabatur Luza, quam Iacob. cap. 28. vocauit Bethel.

DIC OBSECRO, QVOD SOROR MEA SIS. non quòd mentita ſit germanitatem, vt videtur velle Ambroſius l. 1. de Abram c. 2. ſed quia verè ſoror erat, hoc eſt, propinqua ſanguine: quo ſenſu & Loth infrà c. 13. v. 8. frater dicitur, cum eſſet fratris filius, vt eſt c. 12. v. 5. Porrò indicando ſororem, non negauit vxorem: tacuit enim aliquid veri, non dixit aliquid falſi: ne ſe occiſo ab impiis captiua poſſideretur, certus de Deo ſuo quòd nihil eam turpe ac flagitioſum perpeti ſineret, vt Aug. 22. contra Fauſtum c. 33. Vnde quòd accuſat Abram Caluinus, quaſi vxorem in adulterii diſcrimen adduxerit, facit vt olim Fauſtus, qui eum vocabat ioſamiſſimum matrimonii nundinatorem. Sed c. 26. rectiſſimè reſpondet Aug. ſi Abram indicaſſet Saram eſſe vxorem ſuam, duas res tuendas commiſiſſet Deo, & ſuam vitam coniugis pudicitiam. Pertinet autem ad ſanam doctrinam, quando habet quid faciat homo, non tentare Deum ſuum. Cùm ergo vitam tueri poſſet, ſimul verò caſtitatem non poſſet, coniu-

gis pudicitiam commiſit Deo, & humanas inſidias cauit vt homo, quoniam ſi periculum quantum caueri poterat, non caueret, magis tentaret Deum quàm ſperaret in Deo, inquit Auguſt. 16. de Ciuit. cap. 19.

15. SVBLATA EST, nolens ſcilicet à nolente auulſa, non ad ſtuprum, ſed vt eſſet vxor eius, vt ex v. 16. liquet. Pharao autem eſt nomen apud Ægyptios regiæ poteſtatis, etſi vnuſquiſque regum proprio appelletur vocabulo, inquit Hier. initio cap. 3. Iſaiæ; vt Pharao Nechao, Pharao Vafre, Pharao Cenchres. Sic poſteà vocati ſunt omnes Ptolomæi, & apud Latinos Ceſares.

16. ABRAM BENE VSI SVNT, id eſt, vt hebraicè, beneficiis eum affecerunt, tam Rex quàm Principes ad eius exemplum. Effectus enim illius beneuolentiæ eſt id quod ſequitur.

FVERVNT EI OVES, &c. vnde videtur ſatis diu Sara in domo Regis fuiſſe, antequam ad eius cubile admitteretur, nimirum quia vt Hier. obſeruat in traditionibus hebraicis, & ex illo Aug. q. 26. in Gen. mos erat regius vt nulla niſi pigmentis & vnguentis per multos menſes curato corpore intraret ad Regem. De quo Eſther 2. v. 12.

17. FLAGELLAVIT AVTEM DOMINVS PHARAONEM PLAGIS MAXIMIS, id eſt, peſtilentia & ſeditione, inquit Ioſeph. cap. 9. alii plerique ſterilitatem intelligunt propter ſimilem plagam cap. 20. inflictam domui Abimelech. Theodor. quæſt. 61. dicit fuiſſe morbum qui libidinem eius fregit, quod videtur & Auguſt. ſentire c. 19. lib. 16. de Ciuit. dum dicit Pharaonem afflictionibus magis non fuiſſe permiſſum, vt ad Saram accederet. Quid enim popularis peſtis, vel ſeditio, vel ſterilitas ad impediendum concubitum Regis Pharaonis? An tamen in domum eius, vel regnum ſimiles plagæ graſſatæ fuerint, an aliæ, ex Scriptura non liquet.

18. QVARE NON INDICASTI QVOD VXOR TVA ESSET? hoc ergo ei indicatum fuit, vel à Deo, vt contigit Abimelech c. 20. vel à Sara interrogata de veritate. Allegoriam huius hiſtoriæ vide in ſimili cap. 20.

CAPVT XIII.

7. EO AVTEM TEMPORE CHANANÆVS ET PHEREZVS HABITABANT IN TERRA, nempe illa terræ plaga vbi Abram & Loth fixerant tabernacula. Nam Pherezæos habitaſſe Chananæis vicinos ſatis colligitur ex cap. 1. Iud. v. 4. & 5. & ex Ioſue 17. Hæc autem verba ex abrupto huic hiſtoriæ interponit Moyſes, vt indicet, & ſcandali vitandi, cauſa & periculi, ne fortè inter ſe dimicantes à Chananæis & Pherezeis opprimerentur: Abram hanc ſeparationem petiiſſe.

FACTA EST RIXA. ille enim eſt fructus diuitiarum, diſcordia chariſſimorum.

8. NE QVÆSO SIT IVRGIVM INTER ME ET TE: nondum fuerat iurgium, ſed timebat exoriturum: ſeruorum enim contentionibus, dominorum concordia ſolui ſolet, vnde amputauit fibram diſcordiæ, ne contagium ſerperet. Tolerabilius enim putauit vt copula ſequeſtraretur quàm gratia dirimeretur, vt hæc expendit ad formandos mores Ambroſ. lib. 1. de Abram, c. 3.

9. SI AD SINISTRAM IERIS, id eſt, ad ſeptemtrionem DEXTERAM TENEBO, id eſt, meridiem; talis eſt enim ſitus hominis orientem reſpicientis. Porrò Abram tamquam ſenior diuidit, Loth iunior eligit, ne habeat quòd conqueratur. Non enim remanet occaſio reſiliendi, cui datur optio eligendi, inquit Ambroſ. Hinc fortaſſis effecta eſt inter homines conſuetudo, vt quando terrenorum aliquid partiendum eſt, maior diuidat, minor eligat, vt notat Auguſt. 16. de Ciuit. cap. 20.

10. IRRIGABATVR SICVT PARADISVS DOMINI, id eſt, ſicut hortus ille amœniſſimus in quo Adam collocatus fuerat: ET SICVT ÆGYPTVS, quæ quotannis Nilo irrigatur, VENIENTIBVS IN SE GOR. conſtrue non cum *Ægyptus*, ſed cum *irrigabatur*, hoc ſenſu Regio illa Iordanis proficiſcentibus ex illo loco habitationis Loth in Segor, irrigabatur ſicut paradiſus, &c.

11. RECESSIT AB ORIENTE, non reſpectu loci in quo ante fuerat, ſic enim magis accedebat ad orientem, ſed reſpectu regio-

nis quam elegerat. Sodoma enim quam elegit, erat in parte maximè occidentali iſtius regionis Pentapolitanæ, quamquam Hebraicum & hic & ſupra c. 11. v. 2. verti non incommodè poſſet, locus in quo ante fuerat: קדם *Keden* enim ſignificat & orientem, ante ſeu antea, ſeu initium, vt ſæpe vertitur in Bibliis, ſenſus ergo eſſet quò profectus ſit Loth, à loco in quo antea cum Abram verſabatur. Et ſic ceſſaret vtroque loco difficultas.

12. ABRAM HABITAVIT IN TERRA CHANAAN. ſtrictè dicta quæ erat magis à Iordane remota & mediterranea, vt ex regia Chananæorum vrbe Bezech & Hebron patet Iudicum 1. v. 4. 5. & 10. Vnde Abraham ſtatim proficiſcitur verſ. Hebron, vt patet verſ. vlt. alioqui terra Chanaan generaliter ſignificat totam Palæſtinam.

PECCATORES CORAM DOMINO NIMIS, id eſt, non ſolum coram hominibus, vbi peccata vel iuſtitiæ ſubinde ſimulantur, ſed etiam in conſpectu Dei qui falli nequit. ita Hieron. in trad. heb. Quænam autem illa peccata fuerint, breuiter explicat Ezech. c. 16. v. 49. ſuperbia, ſaturitas panis, abundantia, otium, & immiſericordia. Hinc enim ortæ ſunt prodigioſæ iſtæ libidines.

15. OMNEM TERRAM QVAM CONSPISIS, TIBI DABO. non quod illam tantum daret, ſed illam præcipuè, quam videre poterat. Vnde ne putaret Abram hoc ſolùm terræ, rum ſibi dari quod circumſpicere poterat, adiicit:

17. SVRGE ET PERAMBVLA TERRAM, vt ſcilicet perambulando luſtraret eam quam vno loco ſtans oculis videre non poſſet, inquit Aug. q. 28. in Gen.

ET SEMINI TVO. & eſt exegeticum: q.d. dabo tibi in ſemine, ſeu in poſteris tuis. Ipſi enim Abræ non eſt data. Intelligitur autem ad litteram ſemen Abræ carnale, cui iuxta Aug. ibid. terra Chanaan promittitur: idque VSQVE IN SEMPITERNVM, quia nullus poſſeſſionis illius terminus à Deo conſtituitur, ita vt eam perpetuò poſſidere potuiſſent, ſi Dei mandatis obediiſſent. Ex parte enim Dei tales promiſſiones perpetuitatem habent pro toto huius ſæculi decurſu, ſi tamen conditio obſeruetur, & non aliter, vt patet Leuit. 26. v. 6. 14. & 33. Simili modo dicit Horatius: Seruiet æternum qui paruo neſciat vti, ita ferè Aug. quæſt. 31. in Gen. Sed quia Abraham ſecundum imitationem fidei, eſt pater etiam omnium gentium; hinc promiſſio iſta reſpicit etiam ſemen ſpiritale credentium & regnum cælorum, quod in æternum iis addicitur, vt Aug. indicat 16. de Ciuit. cap. 21.

SICVT PVLVEREM TERRÆ. eſt hyperbole, vt Aug. ibid. idque ſiue ſemen ſpiritale, ſiue carnale accipias, nam eius multitudo non eſt innumerabilis Deo, ſed tantum hominibus, vt indicatur hoc eodem verſu & Num. 23. v. 10.

18. IVXTA CONVALLEM MAMBRE. ita dictam à Mambre Amorrhæo, de quo c. ſeq. Eſt autem iuxta Hebron ciuitatem Paleſtinæ antiquiſſimam, vt quæ 7. annis ante Tanain vrbem Ægypti condita eſt, vt eſt Num. 13. v. 23.

CAPVT XIV.

ILLO TEMPORE. nempe ſub 4. Aſſyriorum Rege ſucceſſore Semiramidis vt indicat Aug. 18. de Ciuit. cap. 2.

AMRAPHEL REX SENNAAR, id eſt, Babyloniæ, vt dixi ad verſum 2. c. 11. ſucceſſor ergo fuit primi Nemrod ſiue Beli. Vnde Hier in trad. heb. dicit 4. iſtos reges de Babylone profectos. Idem verò erat tunc Rex Babyloniæ, & Aſſyriæ, quia Ninus condita ciuitate Niniue tranſtulerat eò imperium: & ideo Ioſephus bellum Aſſyriorum vocat.

ARIOCH REX PONTI. Hebraicè *Ellazar*, quam Hieron. in locis hebraicis ciuitatem nominat: alij Hellada in Cæleſyria. Sed non video quid vtet notiſſimam Pontum intelligere in Aſia minore, cuius Arioch fuerit Rex, tributarius Regis Aſſyriorum: conſtat enim Reges Aſſyriorum ab initio toti Aſiæ, exceptâ Indiâ, imperaſſe, vt Aug. loco cit.

REX ELAMITARVM, id eſt, Perſarum, ab Elam filio Sem de quo c. 10. v. 22.

THADAL REX GENTIVM, id eſt Galilææ ſuperioris, quæ poſteà dicta eſt gentium, quia propter mercaturam à variis gentibus,

teſte Strabone lib. 15. incolebatur: alij Regem multitudinis erronum & profugorum fuiſſe volunt.

3. IN VALLEM SYLVESTREM, id eſt, arboribus conſitam & nemoroſam, QVÆ NVNC poſt conflagrationem Pentapolis, EST MARE SALIS, id eſt, ſalſiſſimum & mortuum dictum, quia in eo nullum animal viuere poteſt.

PERCVSSERVNT RAPHAIM. LXX. *gigantes.* hoc enim Hebræum ſignificat. videntur hi habitaſſe in terra Baſan, quæ terra gigantum vocabatur Deut. 3. v. 13. vnde & ASTAROTH ſita erat in regione Baſanitide, ſedes Regis Og, vt patet Deut. 1. & in l. Ioſue ſæpiùs. Dicta eſt CARNAIM, id eſt, bicornis, quia illic Diana ſeu luna bicornis colebatur. Nam Aſtarthe ſeu Aſtaroth erat dea Syriæ & Paleſtinæ, quam multi eamdem eſſe volunt cum Iunone; nam Iuno linguâ punicâ quæ Hebraicæ vicina eſt, ſine dubitatione Aſtarthe dicitur, inquit Aug. 1. in lib. 6. Iudicum.

ET ZVZIM, quos coniectant eoſdem eſſe cum Zonzonim qui Deut. 2. dicũtur habitaſſe in terra Ammonitarum.

ET EMIM. hi habitauerunt in Moabitide, vt eſt Deut. 2. v. 10. & à Moabitis deleti ſunt.

IN SAVE CARIATHAIM. ciuitas eſt, quæ vſque hodie ſic vocatur, inquit Hier. in trad. heb. ſita eſt in planitie non procul à Pentapoli ſeu mari mortuo.

ET CHORRÆOS, ſeu Hortæos IN MONTIBVS SEIR, id eſt, Idumæa. Nam deleti ſunt poſteà Hortæi à filiis Eſau, Deu. 2. v. 12.

7. AD FONTEM MISPHAT; id eſt, iudicii, vt vertunt LXX. ita hîc dicitur per anticipationem; nam ſic vocatus eſt, eo quòd filios Iſraël murmurantes Deus ibi iudicauerit vt Hieron. & aqua ex petra excuſſa coram eis ſanctificatus eſt, vnde & Cades quaſi ſanctificatio locus dictus eſt. Eſt autem Cades vrbs in finibus Arabiæ Petræ, in deſerto Sin.

OMNEM REGIONEM AMALECITARVM, id eſt, regionem quæ multis annis poſt ab Amalecitis habitata & vocata eſt illo nomine; Amalec enim fuit vnus ex poſteris Eſau, vt eſt Gen. 36. verſ. 16.

ASASONTHAMAR, id eſt, vrbs palmarum. Eſt enim oppidum quod nunc vocatur Engaddi, balſami & palmarum fertile, inquit Hier. id nempe in ipſo pœnè littore maris mortui poſitum. Ex his videmus omnes has gentes & vrbes in circuitu Pentapolis fuiſſe ſitas.

10. HABEBAT PVTEOS MVLTOS BITVMINIS. qui in hodiernum vſque diem cernuntur in littore maris mortui, habentes ſinguli pyramides erectas, vt ait teſtis oculatus Brocardus.

12. NVNTIAVIT ABRAMI HEBRÆO, LXX. *tranſitori*, ſcilicet Euphratis, quia ex Chaldæa venerat vnde Auguſt. q. 29. legit transfluuiali. Hinc eſt quod plerique Græci ſecuti LXX. velint à tranſitu Euphratis Hebræum dictum quaſi tranſitorem, vt Theodor. q. 60. Orig. hom. 19. in Num. & alij Sed rectiùs Ioſephus l. Antiq. c. 7. Hieron. in trad. heb. volunt, Hebræum & linguam Hebræam dici ab Heber filio Sale, cuius Abram, Iſaac & Iacob linguam & nomen retinuerunt, reliquis filiis in alias linguas diuiſis. Placuit & hoc Aug. lib. 16. de Ciuit cap. 1. & 13. qui meritò retractauit lib. 2. Retract. cap. 16. id quod multis locis indicauerat Hebræos dictos quaſi Abrahæos: nam hic ipſe Abram dicitur Hebræus.

14. NVMERAVIT, ſeligendo magis idoneos, EXPEDITOS, id eſt iam inſtructos antè ad bellum, vt indicant Hebræa, VERNACVLOS, ſeu ſeruos domi ſuæ natos eoſque trecentos decem & octo, vt ſcias, inquit Ambroſ. hîc c. 3. non quantitatem numeri, ſed meritum electionis expreſſum: & quòd fidei merito, non populoſo exercitu vicerit. Putat enim Ambroſ. myſticè hoc numero ſignificari dominicam crucem & nomen, vt eſt in præfatione librorum de fide, crucem quidem quia T. Græcum habet formam crucis & ſignificat. 300. I. verò & H. exprimunt nomen Ieſus: quaſi ſignificetur electio credentium in Chriſtum qui hoſtes ſuperent. Quam conſiderationem hauſit Ambroſ. ex Clem. Alex. l. 6. Stromatũ c. 4. vnde poſteà Deus eundem Epiſcoporum numerum elegit, qui fidei

virtutem Arrium ſuperarent in Conc. Niceno, vt mihi, inquit Ambroſ. videatur hoc eſſe diuinum, quod eodem numero in Conſiliis fidei habemus oraculum quo in hiſtoria pietatis exemplum, quod & Hilarius lib. de Synodis obſeruauerat.

15. ET DIVISIS SOCIIS, ANER, MAMBRE, ET ESCOL IN DIVERSAS TVRMAS, vt ſpeciem numeroſi exercitus præferret. Dan autem, cuius hîc fit mentio, oppidum eſt Phæniciæ, terminus terræ ſanctæ à ſeptemtrione, ſicut Berſabee ab Auſtro. Commiſcentur ibi Ior & Dan ontes, & Iordanem efficiunt. Tempore Moyſis dicebatur Lais aut Leſem, inde Dan Ioſuê 16. v. 49. poſteà Paneas, & Ceſarea Philippi.

17. VALLIS REGIS, fortè Melchiſedech, Ioſephus vocat campum regium. Eadem autem videtur eſſe vallis quæ ſuprà cap. 2. v. 6. dicitur vallis illuſtris.

18. AT VERO MELCHISEDECH. Spiritum ſanctum putauit fuiſſe author Quæſt. veteris & noui teſtamenti quæſt. 109. Melchiſedeciani hæretici, virtutem Dei. Orig. & Dydimus diſcipulus eius apud Hieron. Epiſtola 126. Angelum fuiſſe ſentiunt: ſed errant. Verus enim homo fuit, ſiue ipſe Sem vt Hebræi, in eadem Epiſtola Hier. & poſt illos Toſtatus & aliqui recentiores, ſiue potiùs regulus aliquis Chananæus vt ibidem Hier. ex ſententia ſancti Hippolyti, Irenæi & aliorum veterum. Significat autem idem quod Rex iuſtitiæ; typum enim geſſit Chriſti non ſolum ſacerdotio & ſacrificio, ſed etiam nomine & regno, vt Apoſtolus ad Hebr. 7. fuit enim REX SALEM: quaſi diceret: Rex pacis. Salem iſta eſt ex communi ſententia eadem quæ Hieruſalem, vt Ioſephus tum hîc, tum l. 7. belli Iudaici c. 18. vbi Melchiſedech eius conditorem facit. Et hoc myſtico eius ſacerdotio magis conuenit, etſi Hier. Epiſtola citat. velit eſſe Salem prope Betſan ſeu Scythopolim.

PROFERENS. vox iſta etiam in Hæbreo eſt quidem generalis ad quamlibet productionem, etiam non ſacram: tribuitur tamen & ſacræ adductioni hoſtiæ, vt patet Iud. 6. v. 18. Aug. q. 35. in lib. Iudic. legit, offeram ſacrificium, pro, portans. Et *proferens* hic idem eſſe quod offerens, non ſolùm poſtulat ratio quæ ſtatim redditur, & vnanimis Patrum ſenſus, Theodoreti q. 65. Hier. ad verſum 2. Pſal. 75. Ambr. c. 1. lib. 1. de Sacramentis, & aliorum, ſed etiam antiquiſſimorum Rabbinorum, qui omnes intelligunt hanc prolationem fuiſſe oblationem panis & vini. Vnde Rabbini veteres, teſte Genebrardo, in initio tertiæ ætatis Chronologiæ, ne quis putaret fuiſſe panem & vinum commune, non appellant panem & vinum Melchiſedech, ſed Mincha & Neſech, id eſt, oblationem & libamen, quæ priùs ſacro ritu Deo oblata fuerant tamquam ſacrificium pacificum in gratiarum actionem pro obtenta victoria ac deinde Abrahæ & ſociis diſtributa, ſicut in ſacrificiis pacificis fieri ſolet. Fruſtra ergo laborat Caluinus in hunc locum, dum ex eo quod Abraham & reliqui hoc pane & vino refecti fuerint quod hic non dicitur, imò iam antè refectos fuiſſe, ſatis inſinuatur v. 24. iuncto cum v. 11. contendit ea non fuiſſe Deo oblata, quòd hîc ſatis clarè dicitur, & optimè cum refectione cohæret.

ERAT ENIM ratio prolationis panis & vini, ſcilicet vt eſſet materia circa quam ſolito ſacerdotii munere fungeretur. Reclacitrant hic Hæretici, eo quòd in Hebræo ſit, *Et erat ſacerdos*. Vnde Caluinus iungit cum ſequentibus hoc modo: Et cùm eſſet ſacerdos Dei altiſſimi, benedixit ei; vt detur ratio benedictionis & decimationis, ſed repugnat ei omnium SS. Patrum ſenſus, qui ſacerdotium referunt ad oblationem panis & vini: quos citatos vide apud Bellarm. l. 1. de Miſſa c. 6. Repugnant & Hebræa, Græca, & Caldaica, quæ terminant periodum in voce *altiſſimi*, & ſic referunt ad præcedentia, vt explicent ritum illius magni ſacerdotii Melchiſedech, ſecundum cuius ordinem & non Aaronis, Chriſtus ſacerdos in æternum dicitur. Particula verò, *&* Hebræis ſæpiſſimè eſt cauſalis, quando ita contextus poſtulat; vt infrà c. 28. v. 3. *habet enim virum*, hebraicè, *& habet virum*. Item c. 27. v. 36. *ſupplantauit enim me*, hebraicè, *& ſupplantauit me*. Pſal. 39. v. 13. *quia vana ſalus hominis*, hebraicè &

græcè, *& vna ſalus hominis*, vt obſeruauit ibid. Theodoretus.

Sacerdos. quidam nouatores vertunt, Princeps, quia ſemel vox hebraica ſic videtur ſumi 2. Reg. 8. v. 18. vbi LXX. vertunt. *Principes aulæ* Sed obſtant eis non ſolùm omnes verſiones, Græca, Caldaica, Latina, quæ vertunt *ſacerdos*, ſed & ipſe Apoſtolus ad Heb. 7. v. 1. qui legit. *Melchiſedech Rex Salem ſacerdos*, grecè ἱερεὺς *Dei ſummi* Et Pſalm. 109. v. 4. *Tu es ſacerdos* ἱερεὺς *ſecundum ordinem Melchiſedech*. Significatur enim Chriſtum fuiſſe ſacerdotem ſecundum ritum offerendi ſacerdotii Melchiſedech. Et ſanè cùm celeberrimum ſit in Paulo & Dauide iſtud Chriſti ſacerdotium, non potuerunt aliò quàm ad hunc locum reſpicere, cùm nulla eius fiat alibi mentio. Verus ergo ſacerdos fuit Melchiſedech, nec alio ritu, quàm offerendo panem & vinum, vt rectiſſimè dixerit Aug. l. 16. de Ciuit. c. 22. ex ſenſu totius Eccleſiæ hic apparuiſſe ſacrificium (nempe in typo) quod nunc à Chriſtianis offertur toto orbe terrarum.

19. Benedixit ei, Melchiſedech Abrahamo vtique maior minori, vt Apoſtolus ad Hebr. 7. v. 7. Vnde hæc benedictio non eſt laus, vel ſimplex bona imprecatio, qua etiam minor maiori benedicit, ſed ſecunda actio ſacerdotalis, qua quis ex authoritate diuina vel officio publico benedicit aliis, vt ſacerdotes populo Num 6. v. 23. Iacob filiis ſuis Gen. 47. & 49. Salom. Ecc. congregatæ 3. Reg. 8. v. 55.

20. Et dedit ei decimas. non Melchiſedech Abrahæ, ſed Abraham Melchiſedecho tamquam ſacerdoti ſacrificanti & benedicenti ſibi, contra nonnullos præpoſteros Iudæos: omnem enim dubitationem tollit Apoſtolus ad Hebr. 7. v. 2. & 4. Hęc eſt ergo tertia actio ſacerdotalis, quam exercuit erga ſummum illum Patriarcham tamquam minorem, vt collegit ibidem Apoſtolus.

22. Levo manum, id eſt, iuro illo ritu.

23. Qvod a filio svbtegminis, eſt prouerbialis locutio, id eſt, nec viliſſimum quid accipiam, ſeu vt Ambroſ. hic, nihil omnino. Minuit enim fructum triumphi, inquit, mercedis ſuſceptio. vsqve ad corrigiam Gallicæ. Gallica eſt genus calcei militaris, ſicut & Actor. 12. v. 8. vnde hebraicè eſt *calceus*.

Ne dicas, id eſt, ne iactes ex tuis & ciuium pauperum incommodis me eſſe ditatum: aut tam ſplendida mercede me tibi opitulatum eſſe, & proinde eſſe obnoxium. In quo dat ſpecimen generoſi, continentis, & miſericordis Imperatoris.

Capvt XV.

1. His itaqve transactis, cùm ſpreuiſſet terrenam mercedem, & meritò Aſſyriorum reditum, & Chananæorum inuidiā vereretur, locutus eſt ei Deus.

Per visionem, non per ſomnium, ſed vigilanti factam, vt ex v. 5. colligitur.

Noli timere, hoſtes Aſſyrios vel Chananæos.

Ego protector, quia inſtar ſcuti, vt eſt hebraicè, à malis te protegam, & pro bonis operibus tuis.

Ego ero merces tva, tam in hoc quàm in futuro ſeculo, maior omni mercede terrena.

2. Qvid mihi dabis? Quia Deus mercedis mentionem fecerat, ſuggerit ipſe Abram quid rerum temporalium in hac vita ſibi dari velit, ego vadam, id eſt, moriar absqve liberis, ſicut Chriſtus dicit, *Ecce filius hominis vadit*, id eſt, diſcedit ex hac vita.

Et filivs procvrationis, &c. id eſt, & procurator meus habet filium Damaſcum Eliezer, quem ego cogar adoptare in filium, vt ſit hæres meus illud vero, *Damaſcus Eliezer*. non videtur eſſe appoſitio, quaſi habuerit illa duo nomina: ſed Eliezer eſt genitiuus: quaſi dicat. Damaſcus ille Eliezeri filius. Ab hoc Damaſco conditam aiunt, & nuncupatam vrbem Damaſcum, inquit Hieron, in Trad. vt parui momenti eſſe videatur, quod quidam ab abundatia vini rubri eam dictam volunt. quaſi per דם *Dam ſac*, id eſt, ſanguinis ſaccus, & græcè quaſi αἷμα ἀσκός. Mirari autem quis poſſet, cur Abraham promiſſionis [illegible] c. 12. & 13. de multiplicandis filiis ita diffidat. Sed rectè

aduertit D. Aug. lib. 22. contra Fauſtum c. 32. quòd Abraham cùm videret ſibi non naſci filios, & tamen ſemini ſuo factam promiſſionem teneret primò de adoptione cogitauerit & filiis adoptiuis. Et hoc eſt quod hic dicit iſte.

3. VERNACVLVS HÆRES MEVS ERIT, in quo ſcilicet complebitur promiſſio tua. Hanc opinionem ei tollit Deus, promittendo ei filium non per adoptionem, ſed per carnalem generationem.

5. NVMERA STELLAS SI POTES. nempe quia homini ſunt innumerabiles, vnde quicunque vniuerſum ſtellarum numerum comprehendiſſe & conſcripſiſſe iactitantur, ſicut Aratus vel Eudoxus, eos huius libri contemnit authoritas, inquit Auguſt, 6. de Ciuit. c. 23.

Sic ERIT SEMEN TVVM, nempe vt ſtellæ, quantùm ad ſplendorem, numerum, ſublimitatem, cæleſtem conuerſationem, ac tandem reſurrectionem. Putat enim Aug. ibidem per ſtellas cæli promitti filios ſpirituales, ſicut per puluerem terræ c. 13. v. 16. filios carnales. Quam ſtellarum conſiderationem ponderarunt ante Auguſt. etiam Irenæus lib. 4. cap. 16. & Origenes ſæpiùs. Nam ſpirituales filios, nempe per imitationem fidei Abrahæ, eſſe etiam promiſſos Abrahæ declarat Apoſtolus ad Galat. 3. *Semen Abrahæ eſtis, ſecundùm promiſſionem heredes*. Non tamen ſic illi ſunt promiſſi vt excludantur hic filii carnales. Nam Moyſes claris verbis etiam carnales Iudæos propter multitudinem, ſtellis comparat Deut. 1. v. 10. vtrique ergo promittuntur ad litteram, immediatè carnales filii: & vlteriùs ſpirituales.

6. CREDIDIT ABRAHAM DEO, promittenti filios illos ex Sara ſibi naſcituros. Nam quamuis hoc Dei promiſſio non expreſsè dicat, ſic tamen intellexit Deus & Abraham, vt indicat Apoſt. Rom. 4. v. 19. & 21.

ET REPVTATVM EST EI, illud opus fidei, AD IVSTITIAM, nempe à Deo, cuius iudicium & reputatio non fallitur. Ex quo ſequitur contra Hæreticos veriſſimam fuiſſe Abrahæ iuſtitiam qua ſic per iſtum fidei actum tamquam inſigne opus iuſtitiæ iuſtificatus fuit, ſicut veriſſima eſt iniquitas quæ alicui à Deo ad peccatum reputatur: Porrò reputari ad iuſtitiam nihil eſt aliud quàm iuſtificari, ſiue inchoando iuſtitiam; ſiue augendo inchoatam, vt hic factum eſt in Abraham, qui erat iuſtus. Fides autem iſta iuſtificationis huius cauſa fuit, tum ratione difficultatis obiecti, quia rem naturaliter impoſſibilem, vt Apoſtolus illo c. 4. v. 20. indicat, ſoli diuinæ veracitati & poteſtati inhærens credidit; tum ratione modi, quia ſine diffidentia, promptiſſimè, obedientiſſimè, affectu in Deum ardenti credidit, qualis fides, circa quodcunque obiectum reuelatum verſetur, non poteſt non eſſe cauſa iuſtitiæ, vel inchoandæ, vel augendæ, ſicut & aliud quoduis iuſtitiæ opus. Simili enim modo 1. Machabæos, 2. dicitur Abrahæ reputatum ad iuſtitiam quod intentatione fidelis manſerit. & Pſal. 105. quòd Phinees ſtetit & placuit iram Dei nempe quia fuernt actiones actualiter iuſtæ, & ex habituali iuſtitia profluentes, eamque ſuo merito augentes.

8. VNDE SCIRE POSSVM? Non de fide ſua deficit aut hæſitat, cùm Apoſtolus ſine diffidentia credidiſſe doceat, ſed modum quærit implendæ promiſſionis, vel aliquam adhiberi ſimilitudinem rei quam crediderat, vt Auguſtinus 16. de Ciuit. cap. 24. & Theod. quæſt. 64. in Gen. & ad hoc pertinet ſequens Dei reſponſio:

9. SVME MIHI VACCAM TRIENNEM ad paciſcendum tecum & ad ſignificanda futura: Numerus ternarius tum animalium terreſtrium, tum ætatis eorum, ſignificat tres generationes, Caath, Amram, & Moyſis, quibus in peregrinatione eſſent manſuri; turtur ſignificat 4. generationem quæ ex Ægypto auolarunt, & vt gemebundi turtures in deſerto manſerunt: columba domeſtica tempus, quo fixerunt domicilium in terra promiſſa: diſſectio animalium afflictiones varias: aues integræ finem afflictionum: volatus volucrum ad cadauera varias inuaſiones hoſtium in itinere Abraham abigens, prouidentiam Dei propter Abraham illos defendentem. ita Theodoretus quæſt. 65. Sed D. Auguſt. fuſè exequitur

quitur aliam præclaram totius huius viſionis ſignificationem, quam vide l. 16. de Ciuit. c. 24. & ferè ſimilem toto ſermone 54 de tempore: nam animalia ſignificant omnes gentes, quadrupedia carnales, aues, ſpiritales, diuiſio, ſchiſmata carnalium, turtur contemplatiuos, columba actiuos, veſpera finem mundi, clibanus ardens diem iudicii, horros Abrahæ timorem etiam iuſtorum, cætera vide locis citatis.

10. Divisit ea per medivm, vt poſteà inter diuiſiones illas tranſeundo Deus fœdus cum Abraham percuteret, & quaſi iuramento confirmaret ſe ratam facturum ſuam promiſſionem. Nam vt D. Cyrill. docet l. 10. contra Iul. & Theod. hic, ille erat antiquitus apud Chaldæos ritus inſtituendi fœderis, vt clarè exprimitur Ierem. 34. verſ. 18. & latiùs deſcribitur à Liuio lib. 1. Decadis 1. vnde Virgilius, Cæsâ iungebant fœdera porca. Illà verò diſſectione ſignificabatur ita ſe diſſecari velle; ſi fallerent.

Aves avtem non divisit, quia ſoli ſacrificio non fœderi deſtinatæ fuerant.

12. Sopor irrvit, id eſt, grauis ſomnus, vt eſt hebraicè, immiſſus ſcilicet à Deo vna cum extaſi, vt verterunt LXX. in qua vt Aug. 2. Retract. c. 43. omnia ſequentia ei demonſtrata ſunt, vnde & horror Abrahæ ſignificat anguſtias poſteritatis eius in Ægypto, vel in fine mundi, vt ſuprà.

13. Qvod peregrinvm fvtvrvm sit semen tvvm. Iſaac & eius poſteri: de illis enim non de Iſmaele agitur.

In terra non sva, Chananæa ſcilicet, Meſopotamia, & maximè Ægypto.

Qvadringentis annis, qui referri debent ad omnia tria præcedentia, peregrinationem, ſeruitutem, & afflictionem, & inchoari non à die apparitionis huius, ſed nati ſeminis, ſcilicet Iſaac, qui fuit annus 100. Abrahæ, & 25. à vocatione & promiſſione facta anno 75. Abrahæ, vt ſuprà c. 12. v. 4. Cùm ergo conſtet ex Apoſtolo ad Galat. 3. v. 17. Iſraelitas eſſe egreſſos ex Ægypto & legem datam poſt 430. annos ab illa promiſſione, ſi detrahas illos 25. annos à die promiſſionis vſque ad natiuitatem Iſaac, ſupererunt à nato Iſaac vſque ad egreſſum ex Ægypto 405. anni qui numero rotundo prætermiſſis minutiis more ſcripturæ ſignificantur. Ita D. Aug. loco de Ciuit. cit. & fusè q. 47. in Exodum, quem ferè recentiores ſequuntur.

16. Generatione qvarta revertentvr hvc. id eſt, ſeculo, ſeu centenario quarto abſoluto liberabuntur: quamquam alii intelligant quatuor generationes in tribu regia Iudæ, quia Eſron qui in Ægypto natus eſt, genuit Aran, ecce 1. generatio. Aran genuit Aminadab, ecce 2. Aminadab, genuit Naaſſon, ecce 3. Naaſſon genuit Salmon, ecce 4. & eius tempore terram promiſſionis ingreſſi ſunt.

Nondvm enim completæ svnt iniqvitates Amorrhæorvm, id eſt, menſura illa peccatorum, quibus ſecundum iudicium iuſtitiæ diuinæ debetur excidium Amorrhæorum, nondum eſt impleta ſed tantum poſt 400. annos erit, omnia enim Deus diſponit in menſura & pondere. ita Theodoretus in fine Pſal. 104.

17. Apparvit clibanvs fvmans, vt ſymbolum Ægyptiacæ ſeruitutis, quæ per fornacem ferream exprimitur. Deut. 4.

Et lampas ignis, vt figura Dei apparentis, poſteà in columna ignea.

Transiens inter divisiones illas, ad paciſcendum fœdus cum Abraham, vt ſtatim ſequetur, & explicatum eſt. verſ. 10.

18. A flvvio Ægypti. Non illo magno Nilo, ſed alio paruo, qui diuidit Ægyptum & Paleſtinã, prope vrbem Rhinocoluram: ita Aug. 16. de Ciuit. c. 24. qui ſæpè vocatur torrens Ægypti, vt Ioſuë 15. v. 47. Impleta eſt iſta promiſſio ſub Dauide & Salomone, qui regnauit ab Euphrate vſque ad fines Ægypti: ſub quo etiam iſtæ vndecim gentes factæ ſunt tributariæ, etiamſi habitarent extra terminos Chananææ, vt vult Aug. quæſt. 21. in Ioſuë quamuis dici poſſet faciliùs has 11. gentes ſub illis ſeptem quæ communiter exprimuntur Exod. 33. v. 2. & maximè Deut. 7. v. 1. tamquam ſub maioribus & præclarioribus comprehendi.

Capvt XVI.

1. Ingredere ad ancillam. Grauiter vtrumque hîc accuſat ſpiritu Manichæo Caluinus: vtrumque defendit Aug. multis locis. Ratio defenſionis in eo conſiſtit, quod nunc temporis propter authoritatem diſpenſantis Dei inculpabilis eſſet polygamia; vnde Sara vel neſciens quo pacto Dei promiſſio de propagando Abrahæ ſemine eſſet implenda, vel Dei nutu impulſa, vt indicat Ioſeph. & Aug. 22. contra Fauſtum c. 32. ſuæ ſterilitati credidit eſſe ſolatium ſi fœcundum ancillæ vterum, quoniam naturâ non poterat voluntate faceret ſuum, & coniugali poteſtate vteretur ad pariendum ex altera, quod non poterat ex ſeipſa. Abraham verò ad generandam prolem non ad explendam libidinem, nec inſultans zelanti, ſed obediens coniugi deprecanti, non concubinam, ſed vxorem accepit, vt expreſsè hoc patet ex v. 2. & 3. ita ferè Aug. 6. de Ciuit. c. 25. & l. 2. contra aduerſarium legis & Prophetarum c. 9. Theodoret. & Ambroſ. in hunc locum.

5. Iniqve agis contra me, id eſt, vt hebraicè eſt, iniuria qua me afficit ancilla mea tibi imputanda eſt, ſi diſſimulas reprimere eius inſolentiam.

Ivdicet Dominvs, vtrum non rectè expoſtulem tecum.

6. Vtere et libet, compeſcendo eam, non ſæuiendo: qua dimittendi facilitate oſtendit Abraham ſe in Agar non voluptatem ſuam, ſed voluntatem vxoris impleuiſſe; accepiſſe, nec petiiſſe; acceſſiſſe, non hæſiſſe; ſeminaſſe, non amaſſe, inquit Aug. loco cit. de Ciuit.

Affligente eam Sarai. Non eam quam beneficio ſuo matrem fecerat, crudeliter oderat, ſed in ea ſuperbiam ſalubriter edomabat, vt Aug. Epiſtola 48. Ex quo colligit & ibid. & Epiſtola 50. etiam rectè Eccleſiam corporalibus pœnis affligere hæreticos non ſæuiendo, ſed diligendo.

7. Qvæ est in via Svr. Nam vt Ægyptia recta in Ægyptum tendebat: Sur enim deſertum extenditur, vt Hier. de locis heb. vſque ad mare rubrum & Ægypti confinia.

11. Ismael ad verbum ſignificat, exaudiuit Deus: eſt enim non tam verbale quàm ipſum verbum futuri temporis cum ſignificatione præteriti.

12. Hic erit ferus homo: hebraicè, פרא *Pere*, id eſt, onager, ſeu aſinus ſilueſter, quò Noſter alludit. Significatur futurum non tantùm ipſum, ſed totam eius poſteritatem ſcilicet Iſmaelitas ſeu Saracenos vagos & incertis ſedibus in ſolitudine vagantes, inquit Hier. in traditionibus: ideoque.

Manvs eivs contra omnes: id eſt, omnibus infeſti erunt, & omnes ipſis, quia inquit idem, vniuerſas gentes quibus deſertum Pharan ex latere iungitur, incurſant, & impugnantur ab omnibus.

Et e regione, ſeu in conſpectu & ex oppoſito, vniversorvm fratrvm, Iſaac & aliorum qui ex Cethura procreati ſunt.

Figet tabernacvla, in deſerto Pharan, vt eſt Gen. 21. v. 21. tamquam qui neminem timeat. Pharan enim directè eſt ex oppoſito habitationis fratrum eius. Hanc indolem ſilueſtrem Saraceni à ſuo primo parente hæreditarunt, & adhuc ſeruant Nomades vagantes per deſerta, & in tabernaculis habitantes: quos latè depinxit Marcellinus l. 14. n. 3.

13. Vocavit, id eſt inuocauit, nomen Domini, gratias agendo verbis ſequentibus.

Tv Devs qvi vidisti me, &c. vidi posteriora, hoc eſt, tergum non faciem eius qui vidit me, tamquam inobediens dominæ. Nam vt D. Greg. hom. 23. in Euangelia, notat de Chriſto in ſpecie peregrini apparente; talem ſe ſolet Deus exibere in corpore, qualis apud homines eſt in mente: perfectis perfectè; imperfectis imperfectè.

Capvt XVII.

1. Postqvam nonaginta et novem annorvm esse cœperat, ita vt putare iam poſſet promiſſiones Dei in Iſmaële eſſe implendas, vt aduertit D. Aug. 16. de Ciuit. c. 26.

Apparvit ei Dominvs, Angelus ſcilicet vice Domini, & inuiſibili ſpecie, vt v. 22. patet.

Ego Devs omnipotens, qui poſſum omnia promiſſa mea per omnipotentiam perficere, & per inexhauſtam munificentiam illa volo implere. Nam Hebraïcum *Saddai* quod hîc habetur, deducitur à שד *Sad*, id eſt, vber, q. d. Deus vberrimus, munificentiſſimus, & ipſa vbertas non indigens aliquo, cùm ipſe det omnibus vitam & inſpirationem & omnia, vt vim illius nominis exprimit Apoſtolus Actuum 17. v. 25. Vnde D. Hieron. Epiſtola 136. ad Marcellam vertit robuſtum & ſufficientem ad omnia perpetranda. Itaque vt huius omnipotentiæ vbertatem ſentias.

Ambvla coram me. Hebraïcè, *in conſpectu meo*, id eſt, ſic viue tamquam qui me ſemper inſpectorem ac teſtem habeas, prouidens me dominum in conſpectu tuo ſemper.

Et esto perfectvs in omni virtute & actione. Huius enim perfectionis aſſequendæ medium efficaciſſimum, promptiſſimum & facillimum eſt perpetua illa Dei præſentia, de quo Clem. Alex. in fine capitis 5. lib. 3. Pædagogi.

4. Ego svm, id eſt, nihil aliud ſum quam ipſum eſſe, & ideo immutabilis eſſentia & voluntate; itaque quamuis diu diſtulerim promiſſum meum,

Pactvm mevm tecvm nempe ſtabile eſt & immutabile de ſemine tuo multiplicando: in cuius pignus nomen tibi muto vt non voceris Abram, id eſt, pater excelſus, ſed Habraham quaſi ex *abram* & *hamon*, id eſt, pater excelſæ ſeu magnæ multitudinis, hoc enim ethymon Deus ipſe exprimit, qvia patrem mvltitvdinis, vt eſt Hebraïcè, ſeu mvltarvm gentivm constitvi te. Vbi promittuntur ad litteram etiam carnales filii, vt ex v. 6. patet, ſed maximè ſpirituales, id eſt, gentes habituræ principem Abraham imitatione fidei, vt expreſſè declarat Apoſtolus ad Rom. 4. v. 11., 16. & 17. & latiùs Iuſtinus Dial. cum Tryphone: illæ namque ipſis etiam Iudæis teſtibus *goim*, id eſt gentes propriè vocantur.

6. Regesqve ex te egredientvr, nempe Saracenorum ex Iſmaël, Idumæorum ex Eſaü, Iſraël, & Iuda ex Iacob. Ex his videmus, quamuis ſæpiùs promiſſiones ad Abraham repetitæ ſint, ſemper tamen fieri maiores & expreſſiores.

7. Statvam pactvm, &c. fœdere sempiterno. Reſpectu ſeminis ſpiritualis, id eſt, credentium in Chriſtum, hoc eſt manifeſtum: reſpectu carnalis etiam fœdus perpetuum eſt ex parte Dei, quia nullus ei terminus præſtituitur, vt dictum ſuprà. Si autem fœderis conditionem rumpant priores, quid mirum ſi Deus illud non ſeruet? conditio autem fœderis eſt,

Vt sim devs tvvs et seminis tvi, id eſt, vt me ſolum habeatis & colatis Deum, obediendo ſcilicet voluntati & mandatis meis: hoc enim ſi ſeruetis.

8. Dabo &c. terram peregrinationis, id eſt, in qua nunc peregrinaris, in possessionem æternam, id eſt, poſſidendam vt propriam, à qua vos nunquam expellam.

Eroqve Devs eorvm, id eſt, viciſſim prouidentia, cura & fauore oſtendam me eſſe Deum eorum; & eos eſſe populum meum.

9. Tv ergo &c. q. d. cùm ergo ab hac lege totum fœdus pendeat, cvstodies, id eſt cuſtodi, pomiſſiuum pro imperatiuo, inquit Aug. lib. 1. locutionum, obſeruando ſcilicet legem pacti iam dictam.

10. Hoc est pactvm mevm, hoc eſt vna pars & conditio obſeruanda, itemque ſignum pacti, vt explicat v. 11.

Circvmcidetis &c. omne mascvlinvm, ergo non fœminas, vt voluit Strabo, quod clarius ſignificat v. 11.

11. Circvmcidetis carnem præpvtii. Sed cur in illo membro? præter ſignificationem varias rationes tradit Philo lib. de cicumciſione; vt morbi carbunculi vitationem, fœcunditatem maiorem, vnde gentes circumciſæ ſunt populoſiſſimæ, maioremque puritatem. Addit author quæſtionum apud Iuſtinum q. 102. aliam perpulchram, vt eſſet ſignum quod de ſua meruerit ſibi ex Sara ſterili fœcunditatem. Et videtur huc reſpicere Apoſtolus cùm ad Rom. 4. v. 11. vocat circumciſionem *ſigna-*

culum iuſtitiæ fidei qua eſt in præputio.

VT SIT IN SIGNVM FOEDERIS, id eſt, vt illo ſigno fœdus meum in carne tua & poſterorum quaſi in tabulis inſcribatur, quo vtrique admoneamur & vos eſſe populum, vt Circumciſione ab aliis diſtinctum, ita meo cultui dedicatum, & me eſſe Deum veſtrum, ſicut antè pacti ſumus. Et huius quidem rei litterale ſignum eſt circumciſio. Allegoricum verò baptiſmi, quo præputium, id eſt, peccatum maximè originale illo membro traductum circumciditur, idque octauo die, quia per Chriſtum fit illa circumciſio, ſeu per reſurrectionem eius octauo die factam, vt Apoſtolus ad Coloſſ. 2. v. 11. & 12. & latiùs, Aug. lib. 6. contra Iul. cap. 7. Cyprian. Iuſtin. & alii paſſim Tropologicè ſignificat circumciſionem cordis & carnalium voluptatum, vt idem Apoſtolus ad Rom. 2. v. vlt. Anagogicè ſignificat perfectiſſimam circumciſionem omnis mortalitatis per reſurrectionem, vt Origenes. in fine cap. 2. Epiſtolæ ad Rom.

12. INFANS OCTO DIERVM. Præuenire octauum diem erat illicitum: ita videtur ſentire Cyprian. cum Conc. Epiſcopòrum, vt colligitur ex Epiſtola 59. ad Fidum, nempe propter vitæ periculum, ob quam cauſam differri diutiùs poterat, vt patuit in deſerto ex Ioſuè 5. v. 7.

TAM VERNACVLVS, id eſt, verna ſeu ſeruus dominatus, QVAM EMPTITIVS, id eſt, pecunia comparatus.

CIRCVMCIDETVR. Hebraïcè *circumcidendo circumcidetur*: hoc eſt, omnino volo vt circumcidatur. Eſt enim non prædictio, ſed præceptum reſpectu vtrorumque: ſic enim intelligit Aug. 16. de Ciuit. c. 26. & ipſe Abraham infra v. 23. vtrique enim ſunt poſſeſſio Domini, tametſi quidam recentiores minus circumſpectè velint emptitios non fuiſſe obligatos ad circũciſionem.

ET QVICVMQVE NON FVERIT DE STIRPE VESTRA. Non eſt membrum diſtinctum à præcedentibus, quaſi omnis alienigena etiam ingenuus circumcidi deberet. ſed referendum eſt ad *emptitius*, hoc ſenſu: ſeruus emptitius etiam ille, qui non fuerit de ſtirpe veſtra &c. & ita infra verſu vltimo, empti tij, & alienigenæ, id eſt, ſerui empti eti a malienigenæ circumciſi ſunt.

41. MASCVLVS CVIVS PRÆPVTII CARO &c. Multi hoc de ſolis adultis intelligunt. Sed LXX. & ex eis multi veteres repetunt, octauo die; quod etiam Noſter antè verſu 12. poſuerat: & quamuis non addas, ſententia generalis eſt, vt etiam de paruulis intelligi poſſit.

DELEBITVR ANIMA ILLA non parentum propter negligentiam, nulla enim pœna hìc ſancitur parentibus, ſed ipſa anima incircumciſi maſculi.

DELEBITVR DE POPVLO. Nempe de populo Dei, tam carnali ſcilicet Iudaïco, quia non habebitur Iudæus, quàm ſpirituali nempe iuſtorum, eò quòd paruulus peccato originali non deleto, adultus inſuper per contemptum circumciſionis pereat. Nam de deletione illa qua anima per mortem æternam perit, conſtanter hunc locum intelligit Aug. lib. 16. de Ciuit. 27. & in libris aduerſus Iulianum ſæpiſſimè: vt hæc ſententia ſit ſimilis prorſus illi, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, &c.* quod enim eſt octauo die non circumcidi, hoc eſt in Chriſto non baptizati: & quod eſt perire de populo ſuo, hoc eſt non intrare in regnum cœlorum, vt inquit idem libro 2. contra Iulianum, capite 6.

QVIA PACTVM MEVM IRITVM FECIT, videlicet de circumciſione adhibenda: illius enim neglectus eſt cauſa cur pereat. ſicut & neglectus baptiſmi, Cauſa, in quam, negatiua: ſed cauſa poſitiua reſpectu paruulorum eſt peccatum originale. Et hinc eſt quod Aug. paſſim intelligat pactum quod Deus ad Adamum fecerat Geneſeos 2. quod in parente Adamo peccando paruulus irritũm fecit, vt eſt lib. 2. de nuptiis cap. 11. Non tamen vetat Aug. quin etiam pactum de impetra circumciſione intelligi poſſit in paruulo, etiamſi à paruulo non irritatum, vt ex fine cap. 27. lib. 16. citato patet. Hæc D. Auguſtini expoſitio in eo fundatur, quòd circumciſionem tamquam peculiarem ceremoniam ad remiſſionem peccati originalis inſtitutam fuiſſe ſentiat, de quo vide lib. de peccato originali, cap. 30.

quod poſt illum amplexi ſunt diſcipuli eius, Proſper in Epiſtola ad Demetriadem; Fulg. lib. de Incarnatione cap. 15. Gregorius, & pleriique poſteriorum PP. Etſi ferè ante Aug. in Circumciſione non niſi vim diſtinguendi Iudæos à cæteris gentibus agnoſcere videatur.

NON VOCABIS SARAI, id eſt, domina mea, quaſi tuâ ſolius vel familiæ tuæ eſſet domina, SED SARA, id eſt, domina abſolutè, quia per filium Iſaac omnium gentium erit domina.

17. ET RISIT. Riſus Abrahæ exultatio eſt gratulantis, non irriſio diffidentis. Et quod addit, POTASNE CENTENARIO &c. non ſunt verba dubitantis, ſed admirantis. Ita Aug. 16. de Ciuitate cap. 26. & patet ex Apoſtolo ad Rom. 4. verſ. 19. Vnde etiam id quod ſequitur.

18. VTINAM ISMAEL VIVAT CORAM TE, ſunt verba non incredulitatis, ſed profundæ humilitatis, q. d. Satis me conſolatus es ſolo nato Iſmaële. Hic igitur viuat in ſe & numeroſa poſteritate, & abundè recreatus fuero. Ita ferè Chryſoſt. non enim videtur hîc Abraham ad vitam iuſtitiæ Iſmaëli optandam reſpexiſſe, vt patet ex reſponſione Dei, v. 20. vt parum ſolidè hinc colligant Hebræi Iſmaëlem eſſe ſaluatum.

19. PACTVM MEVM STATVAM AD ISAAC, id eſt, promiſſa mea de terra Chanaan, quòd ero Deus veſter, quòd in ſemine tuo Chriſto benedicentur omnes gentes, ſtabiliter complebo non in Iſmaële, ſed Iſaac, quod nomen ſignificans riſum ei impoſitum fuit occaſione riſus Abrahæ hoc cap. non riſus Saræ cap. ſequenti, vt obſeruat Hieron. in Trad. heb. Et quia Iſaac typus eſt Chriſti, ſignificat lætitiam toti orbi per Chriſtum adferendam. Vnde pulchrè notat Aug. 16. de Ciuit. c. 6. toto hoc cap. apertiora promiſſa eſſe de vocatione gentium in Iſaac tamquam filio promiſſionis, id eſt, quem non per naturam, ſed gratiam Deus Abrahæ de anu ſterili promiſit ac dedit, quod quia per regenerationem futurum erat, hinc imperatur circumciſio octaua die omnium etiam ſeruorum, vt ad omnes illam gratiam renouationis per Chriſtum octauo die, id eſt, dominico reſurgentem pertinere ſignificet. Mutantur nomina, omnia reſonant nouitatem, & in teſtamento vetori obumbratur nouum, vt Aug.

25. ISMAEL TREDECIM ANNOS IMPLEVERAT. Hinc Arabes poſteri Iſmaëlis decimotertio anno ſe circumcidunt, vt tradit Ioſeph. lib. 1. Antiquit cap. 13. Nec mirum eos à præſcripto octauo die receſſiſſe, quia nec ipſi, nec poſteri Eſaü, ſed ſola ſtirps Iacob hæres promiſſionum illud pactum tenebatur obſeruare.

CAPVT XVIII.

SEDENTI IN OSTIO TABERNACVLI, excubando in aduentum hoſpitum, vt eis occureret, vt præueniret, vt rogaret ne tranſirent. Idque IN IPSO FERVORE DIEI. In meridie, cùm alij requieſcere ſolent, & hoſpites ad diuerſorium declinare, prout hæc expendit Ambr. lib. 2. Officiorum c. 12.

2. APPARVERVNT ET TRES VIRI. Deum in his tribus viris apparuiſſe certiſſimum eſt, ideo enim Scriptura ſemper vocat eum qui apparet & loquitur nomine Tetragrammaton, quod Deo ſoli proprium eſt, vt liquet verſu 1. 13. 17. & ſeqq. Plerique tamen veterum putauerunt vnum eorum fuiſſe Dominum eumque Filium Dei, reliquos duos Angelos, eò quòd ſic vocentur cap. ſeqq. ita Iren. ſæpius lib. 3. c. 6. l. 4. c. 23. Tertull. l. 2. contra Marcionem cap. 27. & lib 3. c. 9. Iuſtinus ex profeſſo. dialogo cum Tryphone, Hilarius ſtrenuè hoc probat lib. 4. de Trinit. & ferè omnes ante Auguſt. Sed cùm hac expoſitione abuterentur Ariani contra dignitatem Filij Dei, vſque adeo vt Conciliabulum Syrmienſe hoc ſub anathemate definiret Can. 14. vt eſt apud Hilarium lib. de Synodis, Auguſtinus totis viribus propugnare cœpit, tum alibi in veteri teſtamento, tùm hîc apparuiſſe Angelos in corporibus aſſumptis, in quibus non ſolùm Abraham, ſed & poſt diſceſſum vnius ipſe Loth cap. 19. verſ. 8. Dominum agnouit: cui per ſingularem numerum loquebatur etiam cùm eos homines eſſe arbitrarentur. Nam hoc eos putaſ-

ſe ex illis miniſteriis humanis lauandi & cibandi patet, & ex Epiſtola ad Hebræos c. 13. v. 2. tametſi aliquid in eis ita excelleret, vt in illis eſſe Dominum, ſicut in Prophetis, dubitare non poſſent, & hinc eſt quod etiam ſubinde pluraliter Dominos vocant. Tres autem qui apparent, veluti legati Trinitatis figuram gerunt, ille qui cum Abraham loquitur Dei Patris, duo reliqui Filii & Spiritus ſancti, quia cap. ſeq. v. 13 ſeq. miſſos dicunt: ita S. Auguſt. lib. 2. de Trinit. c. 11. lib. 16. de Ciuit. cap. 29.

ADORAVIT IN TERRAM, id eſt, profundè inclinauit ſe ad exhibendam reuerentiam orientalibus vſitatam, de quo c. 23. v. 7. & 12.

3. ET DIXIT: DOMINE. Hinc manauit illud vſurpatum ab Eccleſia: Tres vidit & vnum adorauit, de quo Amb. lib. de Fide reſurrectionis verſus finem.

4. LAVATE PEDES VESTROS, id eſt, ſinite vt lauentur à miniſtris, vel potiùs à me ipſo, vt Hieron. Epiſtolâ 26. Moris hoc erat in locis orientalibus, refrigerationis, munitiei d, refocillationis & humanitatis cauſa, vt patet præter loca innumera Lucę 7. v. 4.

ET REQVIESCITE SVB ARBORE, quercu ſcilicet, hæc enim eſt celebris illa quercus, ſeu ilex Mambré multis tempore Conſtantini culta ſuperſtitionibus, cuius veſtigia etiam ſuo tempore exſtitiſſe tradit Heron. in Epitaphio Paulæ: cùm exaruiſſet, alia ex radice pullulauit, quam etiam hodie ſupereſſe: teſtis eſt Saliniacus.

5. PONAMQVE BVCCELLAM PANIS Modeſta inuitatio, cùm eos ſplendidè tractet.

IDCIRCO ENIM DECLINASTIS, id eſt, vt enim hâc meâ vti poſſeris hoſpitalitate, Deus iter veſtrum ad me direxit.

6. TRIA SATA. Satum Hebraïcè idem eſt quod modius Hebraicus continens modium cùm dimidio Italicum, vt docet Hier. in c. 13. Matth. v. 33. ex Ioſepho lib. 9. Antiquit. cap. 2. tria autem talia ſata faciunt vnum ephi.

FAC SVBCINERICIOS PANES. Eſt genus panis inſtar placentæ in ſartagine vndique calidis cineribus tectâ cocti, vt ex tempore vſui eſſe poſſit, cuius tamquam delicati meminit Athenæus l. 6. & Saracenis ac Mauris adhuc vſitatus eſt.

10. VITA COMITE. Non eſt conditio, ſi viuam, ſed promiſſio vitæ & prolis, id eſt, reuertar ad te anno proximo, eodem tempore, & eritis viui, vt vertit Chaldæus & habebitis prolem.

11. DESIERANT SARÆ FIERI MVLIEBRIA, id eſt, menſtrua ad concipiendum fœtum neceſſaria. Tres igitur erant cauſæ reddentes ei nunc conceptum naturaliter impoſſibilem, ſterilitas à iuuentute, defectus menſtruorum, & ætas vtriuſque tam prouecta, vt Sara ex Abraham non poſſet concipere, etiam ſi fluxiſſent menſtrua, & non fuiſſet antè ſterilis. Nam grandæuus ex iuuencula poteſt gignere, vt Abraham ex Cetura, & contrà grandæua ex iuuene. Si verò vtriuſque ætas in vnam ſummam ducta 100. annos excedat, hæc noſtrâ mundi ætate, ex ſe mutuo non poſſunt gignere, etiam ſi ex aliis poſſent: ita late D. Aug. l. 3. contra Iulianum c. 11. & lib 16. de Ciuit. c. 8. Et hoc ſenſu dicitur ad Rom. 4. v. 19. emortuum corpus Abrahæ non abſolutè, ſed reſpectu Saræ,

12. QVÆ RISIT OCCVLTE, Hebraicè, *intra ſe*, vt riſu quaſi refutaret quod verbis non erat auſa. Riſus enim Abrahæ admirationis & lætitiæ fuit, Saræ dubitationis, quod ab illo diiudicari potuit qui corda nouit, inquit Aug. q. 36. in Gen. hinc enim eſt quod Angelus eam reprehendit. Clemens tamen Alexand. 6. Stromatum, c. 5. ſentit eam riſiſſe eo quòd congreſſus eam puderet, ſed minùs aptè.

18. CVM FVTVRVS SIT IN GENTEM MAGNAM, id eſt, cùm multa maiora ei beneficia præſtiturus ſim; his enim verbis, vt Aug. lib. 16. de Ciuit. c. 20. duo illa breuiſſimè, pleniſſimeque promiſſa ſunt, gens Iſraël ſecundùm carnem, & omnes gentes ſecundum fidem.

20. CLAMOR SODOMORVM. Clamorem Scriptura ſolet ponere pro tanta impudentia & libertate iniquitatis, vt nec verecundiâ, nec timore abſcondatur, vt docet Aug. lib. 1. locutionum, tunc enim enormitate ſuâ, quaſi clamore vindictam poſtulat. Ita-

que DESCINDAM. de quo c. 11. v. 5. ET VIDEBO more humano loquitur, non ignorans, ſed nos inſtruens ne ſcilicet ex ſuſpicione vel rumore proſiliamus ad puniendum, ſed propriùs eorum commiſſa ſcrutemur, in quos vindicandum arbitramur, vt Ambr. hîc. Quod iudicibus notandum eſſe monet Greg. 19. Moralium c. 23. aliàs 24. ne mala hominum antè præſumant credere quàm probare, quamquam Aug. quæſt. 29. & Tertull. l. 2. contra Marcionem c. 25. velint eſſe humanum comminandi modum ſub ſciſcitationis obtentu, ſed videtur minùs appoſitè ad noſtrum textum.

28. DELEBIS PROPTER QVADRAGINTA QVINQVE, id eſt, nunquid delebis vrbem, quia ſunt tantùm 45. iuſti & non quinquaginta? quod clariùs Hebraicè & Græcè dicitur, *nunquid delebis propter quinque?* qui ſcilicet deſunt numero quinquagenario.

Porrò notandum in hoc capite præclariſſimum exemplar hoſpitalitatis, quod exhibuit Abraham: nam affectum in peregrinos oſtendit v. 1. & 2. humanitatem v. 3. & 4. alacritatem v. 6. liberalitatem v. 7. benignam humilitatem v. 2. 3. & in fine octaui, ciuilitatem v. 26. quas virtutes in eius facto expendunt Ambroſ. & Chryſoſt. hîc.

CAPVT XIX.

1. IN FORIBVS CIVITATIS. non vt Iudex, ſicut patet v. 9. ſed vt exciperet aduenientes hoſpites, iuxta Ambroſ. quos eâdem quam ab Abraham didicerat humanitate & humilitate ſuſcipit, intelligens ex ſignis eſſe diuinitùs miſſos, etiamſi homines eſſe iudicaret, vt Aug. quæſt 41. in Gen.

8. ABVTIMINI EIS. Putauit fortaſſe tantâ ſubmiſſione furorem eorum placandum, vel conſideratione generorum, qui Sodomitæ erant, eſſe reuocandos, & ſic non peccaſſe Loth. Aug. tamen lib. contra mendacium c. 9. & quæſt. 42. in Gen. magis hoc perturbationi Loth, quàm conſilio tribuit, quod alienum timendo peccatum non attenderit ſuum, quo voluit ſubdere filias libidinibus impiorum. Nam aperta fiebat iniuria filiabus, de quibus lædendis Sodomitæ non cogitabant.

11. PERCVRSERVNT CÆCITATE, non propriè dicta; ſic enim ſua calamitate turbati, non oſtium domus Loth, ſed duces itineris à quibus inde abducerentur, inquirerent, ait Aug. l. 22. de Ciuit. c. 19. ſed græcè eſt, ἀορασία, id eſt, non videntia, cùm vnum videtur, & non aliud qualem paſſi ſunt illi qui quærebant Elizæum 4. Regum 6. & ambulantes cum Chriſto Lucæ 24. ſicut idem Aug. explicat q. 43. in Gen.

16. DISSIMVLANTE ILLO. Hebraïcè, tardante & moras nectente, ſiue difficulter ſua relinqueret, ſiue ſupellectilem componeret, ſiue vt vult Ambroſ. generis ſuis diſceſſum ſuaderet.

17. SALVA ANIMAM TVAM, id eſt, vitam tuam, etiam contemptâ domo & omnibus.

NOLI RESPICERE POST TERGVM, nempe corporaliter, vt littera ſonat, ſicut ex pœna vxoris Loth patet. Itaque externum illum actum prohibendo frænat ſimul internos, vnde ille prouenire poterat, ſcilicet commiſerationis de interitu impiorum, curioſitatis, doloris de amiſſione rerum dilectarum, ac denique pœnitentiæ de egreſſu ſuo. Hinc retrò reſpicere ex hoc loco pro pœnitere vſurpatur Lucæ 9. Significatur enim hoc præcepto non eſſe animo redeundum ad veterem vitam, qua regenerati exiuimur, ſi vltimum iudicium euadere cogitemus, vt Aug. 16. de Ciuit. c. 30. Loth enim gerit figuram iuſtorum, Angeli gratiæ, Sodoma mundi ſeu vitiorum carnis, moris virtutis aut continentiæ, Segor vitæ coniugalis, ita ferè Gregorius III. parte curæ paſtoralis, admonitione vigeſima octaua.

NEC POSSVM IN MONTE SALVARI. Et hîc eadem perturbatione timoris non credit Deo, qua anteà illud de filialibus proſtituendis dixerat, vt notat Aug. quæſt. 44. ne videlicet ideo, quia facta iſta credimus, etiam nobis facienda credamus, & violemus præcepta dum paſſim ſectantur exempla, lib. contra Mendacium cap. 9.

20. NVMQVID NON MODICA EST, vt eam precibus meis dones propter eius paruitatem. Et hinc Segor, id eſt, parua dicta eſt, precibus Loth ab incendio liberata: cuius vt adhuc exiſtentis ſæpè in Scripturis men-

tio fit. Fallitur igitur Theod. quæſt. 69. putans eam terræ hiatu abſorptam, eò quòd anteà Bala, id eſt, abſorpta vocaretur.

24. Plvit Dominvs a Domino, id eſt, Pater à Filio, ita expoſuit tota antiquitas. Ignatius ad Antiochenos, Irenæus l. 3. c. 6. Iuſtinus dialog. cum Tryph. Tertull. ſępiùs. Cyprian. Athanaſ. Amb. Aug. & alii, qui vnanimiter diſtinctionem Filii à Patre, inde aduersùs Arianos colligunt, vt meritò explodi debeant noui hebraïzantes, quidam, qui dominum à ſe & omnipotentia ſua pluiſſe volunt.

Svlphvr et ignem. In ipſa qualitate vltionis notans maculam criminis. Sulphur enim peccati fœtorem, ignis libidinis ardorem ſignificat, inquit Greg. l. 14. Moralium cap. 10.

25. Et svbvertit civitates has, non tredecim, vt quidam, ſed quatuor; nam quinta Segor precibus Loth ſaluata eſt.

Et omnem circa regionem, per 580. ſtadia longitudinis, & 150. latitudinis, vt Ioſephus l. 3. de Bello Iud. cap. 5. Adrichomius, per 4. aut 5. dies longitudinis, & ſex milliaria latitudinis: tantæ namque magnitudinis, eſt lacus ille fœdiſſimus Aſphaltites dictus in quem conuerſa eſt regio ſeu mare mortuum, ita vocatum, quia nihil in eo viuere poteſt: quod etiam hodie velut os inferni ſemper fumat, vt teſtis oculatus Borchardus.

Et cvncta terræ virentia. Nam vt idem ait, terra ad quinque aut ſex leucas ſterilis & inutilis reddita eſt, ita vt ne germen quidem producat. Fructus quidam edulibus ſimiles, ſed carpentium manibus in fumum diſſoluuntur, & cinerem. De horrendis huius vindictæ veſtigiis legendus eſt Borchardus, Adrichomius, Ioſephus, Tertull. in carmine.

25. Respiciensqve vxor eivs, ſiue timore, ſiue clamore pereuntium excitata, ſiue aliis cauſis, versa est, corpore non anima tamquam immortali, in statvam salis, vt illius contemplatione condiantur homines ne ſint fatui, ne retro reſpiciant: ne malum exemplum dantes ipſi remaneant, & alios condiant, inquit Aug. in Pſal. 75. v. 12. Eſt autem ſtatua effigie muliebri, quam & ſuis temporibus extitiſſe oculati teſtes referunt Ioſephus l. 1. Antiq. c. 12. Borchardus, Saligniacus in ſuis itinerariis, & alii: nempe inter Engaddi & mare mortuum. Nam ſi qua particula mutiletur, ſtatim renaſcitur, vt Irenæus l. 4. c. 51. & Tertull. in carmine: qui & menſtrua ei fluere aſſerit. Pœna hæc fuit, quia amabat Sodomam, inquit Clemens Alexand. oratione contra gentes; quia impudicos, caſtis licet oculis, aſpexit, vt Ambr. l. 2. de Virginibus: quia priſtinis vitiis tenebatur adſtricta vt Hier. Epiſtola 46. vel potiùs quia infidelis vel inobediens Angelo, vt Sapientiæ c. 10. v. 7. *incredibilis anima memoria ſtans figmentum ſalis.*

31. Nvllvs virorvm remansit in terra, putabant enim ignis diluuio mundum periiſſe, ſicut futurum audiuerant, & ſe ad ſtirpis ſeminarium relictas, vt ait Origen. hom. 5. nam & ipſe & Ambroſ. & Theod. hic eas ab inceſtu excuſant; Iren. quoque l. 4. c. 51. ſimplicitati & innocentię factum tribuit. Sed rectiùs Aug. l. 22. contra Fauſt. c. 43 potiùs numquam eſſe matres quàm ſic vti parte debuerunt. Vnde & iſtæ inceſtûs reæ, vtpote, à quo & patrem ita abhorrere ſentiebant, vt ipſæ id ſe impleturas eſſe non crederent, niſi eius ignorantiam procurarint: & ille culpandus non quantum ille inceſtus, ſed quantum illa meretur ebrietas. Vnde etiam ſecunda ebrietas fuit peior prima.

Allegoriam Loth & filiarum eius reſpectu Chriſti & Synagogæ & Eccleſiæ, vide apud Irenæum ſupra.

Porrò contigit incendium Sodomæ anno Abrahæ 99. tunc enim ei promiſſus eſt Iſaac poſt annum naſciturus c. 18. v. 14. Natus eſt ergo conſequenter Iſaac, Moab & Ammon eodē anno, ſcilicet 100. Abrahę.

Capvt XX.

2. Tvlit eam. Videlicet inuitam, & inuitam retinens: & hac de cauſa punitus eſt, non pro adulterio, à quo v. 6. excuſatur. Quæritur autem quomodo in illa ætate pro Saræ pulchritudine periclitari metuebat Abraham? Sed inquit Auguſt. quæſt

quæſt. 48. magis formæ illius vis miranda eſt quæ adhuc amari poterat, quàm quæſt. difficilis putanda: nimirum quia vel Deus illam auxit, vt fecit in Iudith, vel quia homines tunc duplo longiùs quàm nunc viuerent, ætas eius fuiſſet quaſi 45. annorum.

3. EN MORIERIS. Niſi ſcilicet eam reddideris, quam nunc vxorem alterius eſſe noſti.

6. *SCIO QVOD SIMPLICI CORDE.* Quia in hoc facto adulterii conſcientiam non habebat, vt Aug. 3. contra Iulian. cap. 19. quamuis aliquod peccatum in eius facto ibidem agnoſcat, credo violentiæ & regiæ licentiæ, vt ſuprà verſ. 2.

ET IDEO CVSTODIVI TE NE PECCARES. Nempe adulterio etiam materiali, vel fortè etiam verò, dùm non ſatis rem examinauit, vel ſecuritatem non dedit liberè veritatem profitendi.

ET NON DIMISI, morbo congreſſum impediens, vt patet verſu 17.

9. INDVXISTI SVPER ME PECCATVM GRANDE, id eſt, pœnam grandem, vt ſæpè peccatum ſumitur: vel etiam adulterium quamuis ignoranter, vel minus ſcienter committendum.

ET SVPER REGNVM MEVM. Quia regum delicta in populum redundare & vindicari ſolent, vt in Dauide patuit.

12. FILIA PATRIS MEI Thare; ſed ex filio Aran, ET NON FILIA MATRIS MEÆ, quia Aran ex alia matre natus eſt. q. d. eſt ſoror de paterno genere, non materno, vt Aug. lib. cont. mendacium c. 1. Porrò ex hac hiſtoria duo colliguntur. Primò non licuiſſe tempore Abrahæ matrimonia inter fratrem & ſororem, alioqui nec Abraham vtiliter eo pretextu vſus fuiſſet, nec Abimelech v. 5. rectè collegiſſet non eſſe vxorem, quia ſoror erat, vt docet Aug. l. 22. contra Fauſtum c. 35. Secundò eadem de cauſa Saram non potuiſſe eſſe natam ex eodem proximo patre, etſi non proxima matre, quaſi fuiſſent frater & ſoror germana, licet non vterina, vt ſignificatum voluit hoc verſu Caiet. & quidam alii recentiores.

16. ECCE MILLE ARGENTEOS, ſupple ſiclos, id eſt, mille florenos. Siclus enim continet quatuor drachmas, quarum quæque valet circiter 5. ſtuferos.

DEDI FRATRI TVO, ſcilicet ironicè. Nam *Saram* ridet. HOC ERIT TIBI IN VELAMEN OCVLORVM, quo caput obnupta ſeu tecta teſteris te eſſe nuptam ſeu coniugatam, & ſimul pulchritudinem ab aliorum aſpectu tegas ne rurſus vt innupta abducaris. Nam olim coniugatæ velo tegebantur, ſeu obnubebantur, vt Rebecca cap. 24. verſu 65. vnde & nuptæ dictæ

ET MEMENTO TE DEPREHENSAM, in iſta ſimulatione; vt in poſterum ſis cautior & veridica, ſicut ſenſum tranſtulerunt Septuaginta.

18. CONCLVSERAT DOMINVS OMNEM VVLVAM, aliqua inualetudine, vt aut impregnanda concumbere aut parere impregnata non poſſet, inquit Aug. 3. cont. Iul. cap. 19. Simili autem morbo etiam ipſum Abimelech fuiſſe tactum inſinuatur verſu 17. & 6. non ergo ſignificatur ſterilitas fœminarum, quia tantillo tempore deprehendi non potuit.

CAPVT XXI.

7. QVOD SARA LACTARET FILIVM. Ne quis fortè diceret eſſe partum ſuppoſitiuum, ipſa lactauit quem peperit. Quo prouocentur fœminæ meminiſſe dignitatis ſuæ lactando filios ſuos. Plus enim amare filios ſolent quos ipſæ lactauerunt, inquit Ambroſius hic. Vnde Fauorinus apud Gellium matres dimidiatas vocat quæ alieno lacte proles alunt.

8. GRANDE CONVIVIVM IN DIE ABLACTATIONIS. Quem quidam Hebræi fuiſſe volunt annum duodecimum, Hieronymus in traditione, quintum, ita vt Iſmael tunc fuerit 18. annorum; poſteà verò decreſcente hominum ætate factus eſt tertius, vt indicatur 2. Mach. 7. verſu 27. Cur autem in die ablactationis, non natiuitatis vel circumciſionis? Auguſtinus quæſtione 50. in Geneſ. ſolui non poſſe putat, niſi referendo ad ſpiritualem ſignificationem: tunc ſcilicet eſſe debere magnum gaudium, cùm factus fuerit homo ſpiritualis, id eſt, talis profectu, vt non ampliùs lacte, ſed

ſolido virtutum cibo alatur. De quo & Ambroſius, hîc, & Orig. Hom. 7. in Geneſ.

9. LVDENTEM CVM ISAAC, aliquid intelligunt pugnantem: ſic enim ludere accipitur 2. Reg. 2. v. 14. veriùs dixeris, ſubſannantem ſeu illudentem, ſicut hoc verbum transfertur infrà cap. 39. verſ. 14. & ita vexantem. Vnde Auguſtinus tract. 11. in Ioannem: illa luſio, inquit, illuſio erat: & hinc eſt quod Apoſtolus ad Galatas 4. verſu 29. luſum illum vocet perſecutionem, vt ibidem oſtendit & ponderat Auguſt. Hinc aliqui putant Iſmaëlem intentaſſe mortem Iſaac. Cauſam vexationis dat Hieron. in illud cap. 4. quod tamquam maior natu primogenita ſibi deberi exiſtimaret: quod cum verſu ſequenti ſatis conſenrit. Doluit fortaſſis etiam tanti fieri Iſaac præ ſe.

10. EIICE ANCILLAM ET FILIVM EIVS, non quia filius ancillæ erat: nam liberi Iacob ex ancilla nati hæredes fuerunt, ſed quia ſuperbus in fratrem, vt Auguſtinus tract. 11. in Ioann. coniectabat enim Sara ex illis præludiis, tandem creſcente odio filium ſuum eſſe opprimendum.

12. QVIA IN ISAAC VOCABITVR TIBI SEMEN: Hoc eſt, etſi Iſmaël etiam ſit ſemen tuum, vt eſt verſu ſequenti, ſolum tamen genus Iſaac erit, & vocabitur ſemen tuum, in quo complebo benedictiones & promiſſiones tibi pro ſemine factas. Iſte quidem ad litteram eſt ſenſus: quid tamen his verbis vlteriùs & magis principaliter ſignificetur, explicat Apoſt. ad Rom. 9. v. 8. videlicet quòd qui filii ſunt promiſſionis, ęſtimantur in ſemine, hoc eſt, non quicumque carnaliter ex te nati ſunt vocabuntur veri filii Abrahæ; ſed illi qui ſicut Iſaac ſunt filii promiſſionis, id eſt, per diuinam promiſſionem & gratiam dati, & ad fidem conuerſi. Nec ſolùm iſta verba, ſed omnia iſta geſta Saræ & Agar, ad aliquid magis principaliter ſignificandum à Spiritu ſancto directa ſunt, vt ſatis etiam indicatur hic v. 11. & 12. Agar itaque allegoricè eſt teſtamentum vetus, Sara nouum, Iſmaël ſecundùm carnem natus, Iſraëlitæ carnales, Iſaac ſecundùm repromiſſionem Dei natus, ſunt filii Abrahæ ſpirituales, id eſt Eccleſia, luſus perſecutio Chriſti & ſpiritualium, exhæredatio Iſmaëlis reiectio carnalium Iudæorum; ita ferè Apoſtolus ad Galat. 4. & Rom. 9. v. 7. & 8.

14. TOLLENS PANEM, id eſt panes, ET VTREM AQVÆ, quæ in ſolitudine propinqua deeſt. Nihil dedit præterea, etiamſi valde diligeret puerum, quia certus erat de Dei promiſſione, quæ v. 15. exprimitur; ita Theod. q. 71. in Gen. Eſt & hoc figura hæreditatem cæleſtem carnalibus Iudæis auferri, relictis tantùm temporalibus.

DIMISIT EAM, facto cum ea diuina authoritate diuortio, quantum ad thorum, non quantum ad matrimonium.

15. ABIECIT PVERVM, non ab humeris, erat enim facilè 18. annorum, ſi Iſaac anno 5. ablactatus eſt, vel ſexdecim, ſi tertio, vt obſeruat Aug. q. 53. in Gen. ſed abiecit, inquit, ab animo tamquam moriturum. Et ſic infrà dicitur, TOLLE PVERVM, id eſt, reſume curam eius, & TENE MANVM EIVS, vt ambulantes cum alio ſolent.

19. APERVITQVE OCVLOS EIVS, non vt videret; ſed vt aduerteret puteum, ſeu fontem aquę, quem mœrore turbata non viderat.

20 ET FVIT CVM EO. Deus ſcilicet, vt apertè Hebræa & Græca, id eſt, direxit eum Deus ac iuuit. Iudaïca fabula eſt ex hoc verſu fortaſſe nata Iſmaëlem vacaſſe latrociniis.

23. NE NOCEAS MIHI. Hebraïcè, *ne mentiaris*, ſcilicet fallendo datam hîc fidem, hoc enim non fit ſine nocumento.

ET POSTERIS MEIS, filio ſcilicet nepoti, vt eadem Hebræa, vnde videtur tertia generatio deſignari, quod notandum, ne putentur poſteri Abrahæ contra fidem datam expuliſſe poſtea Paleſtinos, quamquam alii velint poſteros huius Abimelech à Cappadocibus diu ante ingreſſum Iſraëlitarum fuiſſe prorſus expulſos, & hoc indicari Deuter. 2. v. 25.

31. VOCATVS EST LOCVS BERSABEE: à *beer*, id eſt, puteus, & שׁב *ſcavam*, id eſt, iurauit; ſic enim reddit etymologiam ipſe

textus,vnde minus congruum videtur quòd à שבע, id eſt, ſeptem annis deductum volunt. Hinc dicta eſt vrbs vicina Berſabée, terminus Paleſtinæ ab Auſtro ſeu verſus Ægyptum, ſicut Dan à ſeptemtrione verſus Libanum.

CAPVT XXII.

1. QVÆ POSTQVAM GESTA SVNT. Quo anno Iſaac hæc hiſtoria contigerit, incertum eſt. Ioſephus enim hîc, & eum ſecuti multi alii putant anno 25. Genebrardus poſt Seder Olam & Hebraïcas traditiones anno 37. alii 12.

TENTAVIT, id eſt, probauit, DEVS ABRAHAM: vt eius obedientia innoteſceret, hominibus, non Deo. Neque enim omnis eſt culpanda tentatio: quia & gratulanda qua fit probatio, inquit Auguſt. 16. de Ciuit. cap. 32. Vtilitas autem huiuſmodi tentationis eſt, quia aliter animus humanus ſibimet ipſi innoteſcere non poteſt, niſi vires ſuas ſibi non verbo ſed experimento, tentatione, quodammodo interrogante, reſpondeat, vt ait ibidem.

2. TOLLE FILIVM TVVM. Singula & verba mirificam energiam ſpirant, dum filius, & vnigenitus, & dilectus, & Iſaac, & offerendus, & in holocauſtum præſcribitur, & in monte longinquo, vt ſcilicet interea dum iter ageret, ſuis cogitationibus & affectibus diſcerperetur, ſicut hæc & alia ad hanc hiſtoriam pertinentia expendit egregiè Origen. Hom. 8. in Gen. & Ambr. toto cap. 8. lib. 1. de Abraham.

VADE IN TERRAM VISIONIS: hebraïcè, *Moria*, quod noſter deduxit à *raa*, id eſt, vidit: vnde LXX. *terram excelſam* vertunt, Aquila *lucidam*: ſenſus eſt ergo: Vade in terram valdè viſibilem, nempè montem ſua celſitudine conſpicuum. Hic mons vnus quidem, ſed in multos colles diuiſus eſt, & in eorum vno ædificatum eſt poſteà templum in area Ornam Iebuſæi, vt Ioſeph. hîc. & clarè patet. Paralip. 3. v. 1. In altero, ſcilicet Caluariæ, immolandus fuit Iſaac, & immolatus fuit Chriſtus: cuius Iſaac & nomine, & natiuitate, & immolatione typus fuit. Ita apud Aug. ſerm. 71. de tempore, refertur ex Hieronymo. Vocatus eſt ergo Moria, non ab Abraham v. 14. ſed ab ipſo Deo, vel à natura loci: quamuis alii etiam terram viſionis & lucidam dictam velint, quia ibi fuit poſteà oraculũ Dei & lex data & Spiritus ſanctus effuſus, vt Hier. in Trad.

OFFERES EVM IN HOLOCAVSTVM, non quòd crederet Abraham Deum victimis delectari humanis: ſed diuino intonante præcepto, obediendum eſt, non diſputandum, inquit Aug. loc. cit. Nam promiſſionem Dei quòd ſibi in Iſaac vocaretur ſemen firmiter tenens, non hæſitauit quin ſibi reddi poſſet immolatus, qui dari potuit non ſperatus, prout indicat Apoſt. ad Heb. 11. v. 19.

3. DE NOCTE CONSVRGENS, id eſt, ſummo manè, vt Hebræa: inſciâ ſcilicet vxore, vt Ioſeph. & fit veriſimile ex v. 5. ne ſcilicet ab illa fortaſſis impediretur.

4. DIE AVTEM TERTIO. Quia vt inquit Hieron. in Trad. à Geraris, id eſt, regione in qua Berſabée, domicilium Abrahæ, vſque ad montem Moria, id eſt, ſedem templi, iter eſt trium dierum: vnde tertio die, ſcilicet inchoato, eò peruenit: eſt enim iter circiter 36. milliarum. Vbi obſeruat Theod. q. 72. totidem dies & noctes Deum feciſſe in Abraham ſui amoris periculum, vt inter naturam conſtitutus & fidem, fidei daret palmam victoriæ, tanquam in omnibus gerens typum Chriſti.

REVERTEMVR AD VOS. Arbitrans quia & à mortuis ſuſcitare potens eſſet Deus, vt ait Apoſtolus ad Heb. 11. v. 9 Quibus verbis ſatis excuſatur Abraham à mendacio, ſicut & Auguſt. lib. 16. de Ciuitate cap. 32. eum excuſat contra accuſationem quorundam qui eum mentitum putant.

9. IMPOSVIT SVPER ISAAC. Non per tres dies integros portanda, ſed tantum quamdiu ſolus eſſet cum patre, vt ex ſerie narrationis patet. Eſt autem Iſaac expreſſiſſima figura Chriſti crucem ſuam portantis, vt obſeruat Aug. loco cit. & alibi ſæpiùs, & vnanimiter PP. Amb. Hieron. & alii. Imò hoc videtur voluiſſe Apoſtolus, quando, de Iſaac dicit, *vnde eum & in parabolam accepit*, id eſt, in ſimilitudinem & figuram Chriſti.

9. CVMQVE ALLIGASSET ISAAC: ne inuoluntariis motibus & indecentibus fortaſſis turbaret ſacrificium: & maximè vt per nouam figuram Chriſtus in cruce fixus exprimeretur. Nam iſtam immolationem præfiguraſſe ſacrificium crucis omnium antiquorum ſenſus eſt. Vnde hîc completum eſt quod Chriſtus dicit Ioannis 8. *Exultauit Abraham vt videret diem meum*, ſcilicet paſſionis & reſurrectionis, vt docet D. Macharius oratione de Exaltatione crucis, & Ambr. hîc. Certatim autem antiqui Patres circumſtantias huius hiſtoriæ & virtutem vtriuſque celebrant: vide ſingula accuratè & eloquenter ponderantes Zenonem Veronenſem Serm. 1. de Abraham, & maximè Sermone de Patientia, D. Ambroſ. lib. de fide reſurrectionis. Omnes verò virtutes hîc concurriſſe breuiter oſtendit lib. 1. Officiorum cap. 25.

11. ABRAHAM, ABRAHAM. Hîc reuocauit præceptum, quemadmodum imperauerat, ne aut non plenè audiret, aut fortuitam vocem putaret, vt inquit Ambr. hîc repetiuit vocem tamquam veritus ne præueniretur officio deuotionis, & vna vox impetum ferientis impedire non poſſet.

12. NON EXTENDAS MANVM, &c. Deus enim fidem non mortem quærit, votum non ſanguinem ſitit, placatur voluntate non nece: Filium enim ſicut offerri iuſſit, ſic non permiſit occidi, vt Chryſologus Serm. 18.

NVNC COGNOVI. Non quòd antè non ſciuerit, ſed quia nunc erat tempus profitendi ſcientiam, vt Hilarius in fine lib. 9. de Trinit. quo ſignificat Deum humano modo loqui: NVNC COGNOVI, id eſt, certiſſimo experimento deprehendi. Auguſtinus tamen huiuſmodi locutiones exponere ſolet, *cognoui*, id eſt, cognoſci feci, ſcilicet à te & aliis. Nec tamen propter ſe Deus, ſed propter alios homines tentat vt probet. Vires enim dilectionis ſuæ hominem latent, niſi diuino experimento etiam eidem innoteſcant, inquit quæſt 57. & 58. in Gen. de quo vide & 16. de Ciuitate capite 23.

13. VIDITQVE POST TERGVM ARIETEM INTER VEPRES HÆRENTEM CORNIBVS, vt eſſet paratus & quaſi ligatus ad ſacrificium. Et hîc iterum figura Chriſti ab antiquis paſſim obſeruata, qui, inquit Aug. c. 32. cit. antequam immolaretur ſpinis Iudaïcis coronatus fuit; quamquam Tertull. lib. contra Iudæos c. 13. per cornua arietis, cornua crucis indicari putat. Vnde Aug. lib. 3. contra Maximinium c. 26. ſub diſiunctione dicit. Quis erat ille aries qui cornibus tenebatur in vepre, niſi Chriſtus crucifixus vel ſpinis coronatus?

OBTVLIT HOLOCAVSTVM PRO FILIO. Per Iſaac itaque liberatum incorruptio diuinitatis Chriſti, per arietem oblatum humanitas crucifixa fuit ſignificata. Ita diſcrimen harum duarum figurarum notauit Origenes Hom. 8. in Gen.

14. APPELLAVIT NOMEN LOCI, DOMINVS VIDET. Hebraicè, videbit ſeu prouidebit idem enim verbum eſt hîc Hebraicè quod ſuprà verſ. 8. tranſlatum fuit, *prouidebit*: nam hæc Dei viſio ſeu prouiſio victimæ pro Iſaac fuit occaſio imponendi nominis: & hinc eſt quod illud *videt*, variis modis eodem redeuntibus ſuppleri poteſt; nempe, videt afflictionem vel obedientiam, vel victimam: nam eâdem operâ Deus vidit hæc omnia. Ex eodem verbo videndi vocatus eſt mons Moria, ſeu viſionis: non tamen ex hoc facto: nam vt dictum eſt initio capitis ante tentationem Abrahæ videtur fuiſſe vocata terra Moria ſeu viſioni.

IN MONTE DOMINVS VIDEBIT, id eſt, in illo monte qui vocatur Dominus videbit, vt exprimatur tantùm materialiter nomen montis; ſed ſi debuiſſet dici, in monte Dominus videt. Vnde quia & in Latina tempus præſens in futurum mutatur, & in Hebræa actiuum in paſſiuum, Dominus videbitur, hinc veriſimilius eſt id quod dicit D. Hieron. eſſe prouerbium ex illo ſcilicet facto & monte natum, vt ſi quando in anguſtia conſtituti ſunt & optant Domini auxilio ſubleuari, dicant, In monte Dominus videbit, id eſt, ſicut Abrahæ miſertus eſt, ita miſerebitur & noſtri. Vnde idem ibidem notat, quòd Iudæi in ſignum arietis dati ſoleant, etiam nunc cornu clangere D. Ambroſius qui legit ſicut Hebraïca &

Græca, *Dominus videbitur*, ſeu *apparuit*, putat propheticè ſignificari reuelationem paſſionis Chriſti quæ per arietis oblationem expreſſa fuit.

16. Per memetipsvm ivravi. Quia non poterat per maiorem. Per hanc autem iurationem docet Apoſtolus ad Hebræos 9. verſ. 17. ſignificaſſe ſe Deum immobilitatem concilii ſui, vt per duas res immobiles, ſcilicet promiſſionem ſimplicem & iuramentum, fortiſſimum habeamus ſolatium nempe aſſequendæ huius benedictionis. Proinde indicat Apoſtolus hanc benedictionem ſeu promiſſionem quæ ſequitur non tantùm reſpectu carnalis Iſraël, ſed maximè reſpectu ſpiritualis intelligendam. Et hinc eſt quod per illa verba, *Sicut ſtellas*, PP. intelligunt communiter promitti Abrahæ filios ſpirituales per immitationem fidei ipſius, id eſt, promitti Eccleſiam noui Teſtamenti, per *arenam maris* poſteros ſecundùm carnem. Vide dicta ad verſum 5. cap. 15.

17. Possidebit semen portas inimicorvm, id eſt vrbes, & propugnacula, ſiue Chananæorum, ſiue dæmonum, vt vtriuſque reſpondeat. Nam id quod ſequitur, *benedicentur in ſemine tuo.* manifeſtè ad Chriſtum pertinet, per quem omnes gentes benedictionem gratiæ & ſalutis æternæ conſecutæ ſunt, vt clarè explicat Apoſtolus ad Galat. 3. v. 16.

21. Hvs primogenitvm. Ab iſto Hus vult Hieron. in trad. deſcendiſſe Iob: à Buz veniſſe Balaam, qui in libro Iob vocetur Eliu Buzites: à Caſed denominatos eſſe poſteà Chaldæos, quamquam alii ab Arphaxad deriuent: Camuel eſſe patrem Syriorum, id eſt, Damaſcenorum: nam Syriorum generaliter pater eſt Aram, vt ſuprà dictum eſt cap. 10.

Capvt XXIII.

In civitate Arbee, id eſt, quatuor, inquit Hieron. in trad. quia ibi Abraham, Iſaac, Iacob, & Adam conditi ſunt: alii, quia ibi quatuor viri præclari, Aner, Eſcol, Mambré, & Abraham habitauerunt: vel etiam quia ibi quatuor fœminæ celebres ſepultæ ſunt, Eua, Sara, Rebecca, Lia. Sed ex Ioſué 15. v. 13. liquet, Arbe nomen eſſe proprium viri patris Enac, à quo ciuitas vocata eſt ciuitas ſeu Cariath-Arbé, poſteà Hebron; vnde illud Hebron hoc loco vel propheticè à Moyſe poſitum eſt, vel aliis poſteà appoſitum.

Venitqve Abraham. Ex Berſabée, inquiunt multi, eò quod Sara in Hebron profecta ibi eſſet mortua. Nam & ante mortem Saræ cap. præced. v. 19. & poſt mortem cap. ſequent. v. 62. & 67. habitauit Abraham in terra Auſtrali ſeu Berſabée. Sed incerta eſt collectio, nam ſæpè mutabat habitationem, & illud *venit* phraſi Hebraica non ſignificat, niſi, accinxit ſe ad planctum, ſeu ſolemne officium & pompam funeris celebrandam, quo finito ab eo ſurrexit.

4. Date mihi, ſcilicet pretio, ivs sepvlchri, Hebraicè poſſeſſionem, nempe quæ mihi ſit propria. Idololatrarum enim cadaueribus nolebat ſe & poſteritatem ſuam immiſceri.

6. Princeps Dei es apvd nos: Id eſt, omnes te reueremur tanquam principem Deo coniunctiſſimum, vel eximium & magnum: ita vt nullus tam inhumanus futurus ſit, qui prohibere te velit, ne in ſelectiſſimo & optimo ſepulchro eius Saram ſepelias.

9. Spelvncam dvplicem. Eò quòd eſſet ſpelunca interior intra aliam exteriorem, vel quòd duos haberet ambitus, vt Procopius. Adhuc tempore Ioſephi exſtabat optimo marmore fabricata, vt ait lib. 5. belli Iudaici cap. 7.

Pecvnia digna, id eſt iuſto pretio, ne ſi gratis acciperet ab hæredibus poſteà, vel prohibentibus, vel facilè repetentibus, vel poſtulantibus ſibi communem ſepulturam, naſceretur controuerſia, ac deniqne ne videretur terram ab hominibus accipere quam ei promiſerat Deus, inquit Irenæus lib. 5. cap. 32.

10. Qvi ingrediebantvr portam, id eſt audientibus ciuibus, qui ad portam confluebant, tanquam ad locum publicum, in quo coram Magiſtratu firmabant

tur contractus & agitabantur lites, vt patet Ruth. 4. Mos enim Veterum fuit, inquit D. Greg. 19. Moral. cap. 15. aliàs 11. vt ſeniores in porta conſiſterent, & cauſas introeuntium iudicarent.

16. APPENDIT PECVNIAM: Olim enim certo pondere appendebatur pecunia, ſeu rudis maſſo argenti vel auri, poſteà etiam accedit ponderi ſignatio, vnde manſit apud latinos verbum expendendi, ſcilicet pecuniam.

QVADRINGENTOS SICLOS, id eſt circiter quadringentis florenis noſtratibus, ſeu Brabanticis. Siclus autem idem quod græcè ſtater à *ſcahal* ponderare dictus erat: erat enim certum pondus videlicet 34. drachmarum Atticarum, vt teſtatur Ioſephus l. 3. Antiquitatum c. 10. & Hieron. in verſum vltimum c. 17. Matthæi, & Philo lib. de Legibus ſpecialibus. Vbi ſiclos illos qui habentur Leuit. 27. v. 3. & ſequentibus, per drachmas explicans, omnes quadruplo plures ponit, quam eſt numerus ſiclorum. Ex quo ſequitur ſiclum appendiſſe ſemiunciam, & duos ſiclos facere vnciam, hoc eſt drachmas Atticas octo, quarum quæque valet circiter quinque ſtuferis.

Difficultatem tamen faciunt LXX. qui ſiclum explicare ſolent per didrachmum, id eſt duas drachmas, ſed LXX. explicabant ſiclum per drachmas Iudaïcas, vt multi volunt, vel per drachmas Alexandrinas, vbi vertebant Scripturam. Quæque autem, drachma ſiue Iudaïca, ſiue Alexãdrina continebat duas Atticas. Quod verò ſiclus hîc dicitur argenti, alibi auri aut æris, ſolam differentiam metalli notat, non ponderis.

PROBATÆ MONETÆ PVBLICÆ. Hebraïcè, inter mercatores tranſeuntis, quia illi habent accuratam rationem ponderis in pecunia.

Venditio iſta ſepulchri quibuſdam minus probata fuit, vt Hieronymus in Traditionibus Hebraïcis, ſed fortè ex aliorum ſenſu loquitur, vt in illo libro ſæpe ſolet. Nam vendere agrum ad ſepulturam, ſolâ prædij habitâ ratione, ſiue non ſacrum qualis hic ager fuit, ſiue ſacrum, tam per conſecrationem ſeu benedictionem, vt inter Chriſtianos fieri ſolet, quàm per ſolam mortui illationem, vt apud Paganos, non eſt illicitum.

17. CONFIRMATVSQVE EST AGER, id eſt ſtabilis iure poſſeſſus.

CAPVT XXIV.

ERAT AVTEM ABRAHAM SENEX, 140. ſcilicet annorum, quia Iſaac qui anno 100. patris natus eſt, duxit vxorem anno ſuo 40. vt eſt c. 25. v. 20. Idque triennio poſt mortem Saræ, inquit Aug. 16. de Ciu. c. 33.

2. DIXIT AD SERVVM SENIOREM, œconomum illum, de quo ſupra c. 15. v. 2.

PONE MANVM SVBTER FŒMVR MEVM, ſedentis ſcilicet.

3. VT ADIVREM TE, id eſt vt adigam te ad iurandum mihi hoc ritu. Hebræi putant, teſte Hieronymo in Traditionibus, iuratum fuiſſe per circumciſionem more gentis: quod idem videtur ſentire Theodoretus quæſt. 73. in Gen. Sed cur ergo nunquam tale iuramentum petitur in Scriptura, niſi à Patriarchis Abraham hîc, & à Iacob cap. 47. Signum hoc, non fuiſſe ritum genti communem, ſed verum eſſe quod Auguſt. docet q. 62. in Gen. & lib. 16. de Ciuit. cap. 33. magnam hîc eſſe de Chriſto prophetiam, quòd ſcilicet Dominus cœli & terræ in ea carne venturus eſſet, quæ de illo fœmore propagata eſt. Nam Hebræi ſicuti per vterum & lumbos, ita & per fœmur ſignificant generationem, vt patet Geneſ. 47. v. 10. & 46. verſ. 26. Exod. 1. v. 4. Itaque idem eſt ac ſi diceret. Appone manum ad fœmur, tanquam ad rem ſacram, & iura mihi per Meſſiam, qui mihi promiſſus eſt, ex illo fœmore naſciturus. Senſum iſtum præter Auguſtinum, plerique antiquorum tradiderunt, Ambroſius & Hieronymus hîc, Gregorius apud S. Paterium lib. 1. ſuper Gen. cap. 53. & alij.

VT NON ACCIPIAS VXOREM, &c. vt intelligeremus, fidem & mores bonos in aſciſcenda vxore eſſe ſpectanda.

Quomodo enim poteſt congruere charitas, ſi diſcrepet fides? vt latè Ambroſius hîc. Vnde nulla hîc mentio offerendæ dotis. Itaque quia maledicta erat & impia

progenies Chanaan, ne impietas in poſteritatem ſuam transfunderetur, iubet eum proficiſci *in terram ſuam*, non Chaldæam, ſed Meſopotamiam, vt patet verſ. 10. vbi proficiſcitur ad *vrbem Nachor*, Haran ſcilicet, vbi cum patre habitauerat, & cognatio habitabat.

7. IPSE MITTET ANGELVM SVVM. Ex quo liquet quis fuerit antiquorum Hebræorum ſenſus de adminiſtratione rerum humanarum per Angelos. Idem videre licet infrà c.48.v.16 & apud Tobiam latè.

12. OCCVRRE, OBSECRO, id eſt adſis mihi vt iuues: occurſus enim in Scriptura pro adiutorio ponitur, quamquam in Hebræo ſit, *fac occurrere*, ſcilicet id quod peto, vxorem idoneam filio domini mei, idque ſigno ſequente mihi oſtende, nempe non pulchritudine corporis, inquit Theodoretus q.73. ſed hoſpitalitate, affabilitate, manſuetudine, vt ſcilicet moribus Patriarchæ congrueret, ne contentionem parerent mores contrarij. Petiuit autem ſignum iſtud ſine vitio tentationis Dei; tum quia fidebat verbis Abrahæ qui ei Dei directionem promiſerat, & familiaritati eius cum Deo; tum quia ad hoc à Deo videtur fuiſſe incitatus, cuius effectus & ſignum fuit tanta eius humilitas, & voti eius conſecutio.

21. IPSE AVTEM CONTEMPLABATVR EAM TACITVS, cum admiratione, vt in dicant Hebræi, propter formam, officioſitatem & humaniſſimam charitatem.

22. PROTVLIT VIR, ſcilicet poſtquam genus eius interrogando reſciuiſſet, vt patet v. 47.

IN AVRES AVREAS, id eſt ex auro, non inauratas. APPENDENTES, ſcilicet vtraque ſimul, SICLOS DVOS, ſingulas verò ſiclum vnum. Longè aliter Hebræa: indicant enim ſingulas appendiſſe tantùm dimidium ſicli, cum quo conuenit quod LXX. dicunt, ſingulas appendiſſe vnam drachmam nempe Hebraïcam, quæ valet duas Atticas, hoc eſt dimidium ſicli, vt dictum eſt capite ſuperiori ad verſ. 19. Vnde vt noſter textus cum Græco & Hebræo concilietur, ſciendum eſt ſiclum olim fuiſſe duplicem, vnum maiorem continentem quatuor drachmas Atticas, ſeu duas Hebraïcas, de quo hactenus: alterum minorem, qui erat dimidium maioris, hoc eſt, continebat tantùm duas drachmas Atticas, ſeu vnam Hebraïcam. Vnde Epiphanius libro de ponderibus & menſuris deſcribit ſiclum iſtum eſſe dimidium ſtateris, hoc eſt ſicli maioris, & continere quartam partem vnciæ, ſeu duas drachmas. Noſter igitur ponens ambas appendiſſe duos ſiclos, intelligit minores: Hebraicus legens vnam appendiſſe dimidium ſicli, intelligit maioris, hoc eſt vnum minorem. Plerumque tamen cùm in Scripturis de ſiclis mentio fit, intelligitur ſiclus maior.

27. NON ABSTVLIT MISERICORDIAM ET VERITATEM. Miſericordiam in pollicendo, veritatem in præſtando: Miſericordia enim videtur in Scripturis ferè comprehendere omne genus virtutis liberale, veritas id quod debetur ex obligatione alicuius virtutis. Vnde alibi ſæpè vocantur miſericordia & iuſtitia maximè in Pſalmis, quæ Auguſtinus quæſt. *66.* in Gen. idem dicit valere quod miſericordiam & veritatem. Vide & infrà verſ. 49. vbi veritas videtur ſignificare id quod ex virtute pietatis debebant cognato ſuo Abrahæ.

28. NVNTIAVIT IN DOMVM MATRIS SVÆ, id eſt ad Gynæceum ſe contulit, vbi ſeparatim à viris habitabant mulieres, partim quia erat iſte mos Orientalibus: vnde infra verſ. 67. introducitur Rebecca in tabernaculum *Saræ*: partim quia tunc vigebat polygamia, & pax familiæ poſtulabat, vt ſeorſim vxores ſingulæ habitarent

41. A MALEDICTIONE, id eſt à pœna iuſiurandi, quæ hoc ipſo incurritur cùm violatur, etiamſi nulla execratio ei coniuncta fuerit.

49. ET VADAM AD DEXTRAM, &c. vt ſciam quò me conferre debeam. Erant enim adhuc alij filij Nachor, vt cap. 22. patet, qui nubiles filias habere poterant.

50. RESPONDERVNTQVE LABAN ET BATHVEL. Hunc Bathuelem inſinuat Ioſephus lib. 1. Antiq. cap. 16. eſſe fratrem Laban, dum dicit Bathuelem patrem iam defunctum fuiſſe, nec veriſimilitudine caret,

cùm & hic Laban ei præponatur: & v. 53. & 55. non niſi fratrum & matris fiat mentio quamuis dici poſſet Laban pro ſene Bathuele totam familiam adminiſtraſſe.

A Domno egressvs est sermo. Sermo ſeu verbum Hebraïcè ſæpiſſimè ſignificat rem aut negotium, q. d. res iſta Dei voluntate ſic geſta eſt.

51. Ecce coram te est, id eſt in poteſtate tua, vt ſit vxor Iſaac. Sicvt locvtvs est Dominvs, nempe ſigno illo iam dicto declarando voluntatem ſuam: ita Auguſt. qu. 67. in Gen.

53. Prolatisqve vasis, id eſt, mundo muliebri: vas enim Hebræis omne genus ſuppellectilis & inſtrumenti ſignificat.

57. Qværamvs volvntatem eivs, non de matrimonio: in hoc enim iam conſenſerat, vt patet ex donis ei datis v. 53. ſed de repentina profectione, ita liquet ex verſ. ſeq.

62. Per viam qvæ dvcit ad pvtevm. Puteus iſte ſeu fons erat in deſerto non longè à ciuitate Berſabee in extremis finibus Paleſtinæ verſus Auſtrum ſeu Ægyptum vnde nondum, videtur migraſſe Abraham.

63. Ad meditandvm, animo ſcilicet à diſtractionibus domeſticis in Deum reuocato.

64. Descendit de camelo, ſcilicet poſtquam rogaſſet ſeruum quis eſſet: eſt enim ordo præpoſterus.

65. Tollens cito pallivm, nempe æſtiuum, Græcè theriſtron, quo, inquit Hieronymus in cap. 3. Iſaiæ, hodie quoque Arabiæ & Meſopotamiæ operiuntur fœminæ aduerſus æſtum.

Opervit se, docens, ait Ambroſius hic, verecundiam nuptiis præire debere. Vnde & nuptiæ dictæ quòd pudoris gratiâ puellæ ſe obnuberent. Hinc Tertullianus lib. de velandis virginibus cap. 11. dicit quod Rebecca hoc velamine confeſſa fuerit ſe nuptam ſpiritu, & ſe virginem negauerit, nimirum quia deſponſata.

Expoſitionem allegoricam totius capitis habes apud. S. Paterium libro 1. ſuper Gen. cap. 53. collectam ex D. Greg. Abraham enim deſignat Deum Patrem, Iſaac Filium, ſeruus Apoſtolos qui Chriſto coniungunt Rebeccam, id eſt Eccleſiam ad fontem, aqua, id eſt ad fluenta Baptiſmi & Scripturarum: tradit inaures, id eſt obedientiam: & armillas, bonam ſcilicet operationem. Laban ſignificat carnales, qui fœnum & paleam, id eſt ſtipendia temporalia prædicatoribus tribuunt: Iſaac egreſſus in agrum, & Chriſtus in mundum. Cætera vide latè.

Capvt XXV.

1. Abraham aliam dvxit vxorem. Hebraïce, *& addit Abraham & accepit vxorem.* Qua phraſi ſatis ſignificatur fuiſſe diſtinctum matrimonium à prioribus cum Sara & Agar contractis, contra Hebræos qui teſte Hieron. in Traditionibus, putant hanc Cethuram fuiſſe Agar, veriſimile eſt fuiſſe iuniorem quàm Agar, vt ſenex tam prouectæ ætatis ex ea liberos poſſet gignere, iuxta regulam D. Auguſtini ab eo ſæpe repetitam, de qua ſuprà, qua ſcil. docet ſenem valde prouectum ex adoleſcentula poſſe gignere, non ex vetula, tametſi illa ex iuuene poſſet conciperequamuis dici poſſet munus fœcunditatis conceſſum à Deo, in eo perſeueraſſe, vt Auguſtinus l. 3. contra Iulianum c. 11. Cauſa ducendi litteralis nullo modo incontinentia fuit, ſed vt vnà cum prolibus cultus Dei inter gentes propagaretur. Myſticam addit Auguſt. l. 16. de Ciuitate Dei c. 34. & quæſt. 70. in Gen. vt ſicut Apoſtolo teſte per Agar & Iſmaël ſignificati, fuerant carnales veteris Teſtamenti id eſt Iudæi, ita per Cethuram & filios eius carnales noui Teſtamenti, id eſt Hæretici: quod latiùs explicat in c. 4. ad Galat. Factum hoc eſſe poſt mortem Saræ & matrimonium Iſaac, & conſequenter anno facile 140. Abrahæ, ſatis ex ordine huius hiſtoriæ videtur eſſe manifeſtum & ita tenet Auguſtinus ibidem.

Qvæ peperit ei Zamram, &c. pleraque nomina ignota ſunt, excepto *Madian*, vnde *Madianita*, & *Dadan* ſeu Dedan, qui videntur fuiſſe negotiationi dediti & Idumæis vicini, de quo Ezechielis, cap. 25. v. 13. & cap. 27. vel 15. & 20.

3. Assvrim,

3. Assvrim, &c. ſunt nomina populorum quæ Hieronymus in Traditionibus exponi dicit, *Aſſurim* negotiatores, *Latuſim* æris & ferri metalla cudentes, *Leomim* multarum tribuum principes.

Opher. Hebr. Epher. Hunc ait Ioſephus ex Alexandro Polyhiſtore citante verba Cleodemi, ſubegiſſe Lybiam, & à ſe Africam nominaſſe. Cæterum omnes iſtos ibid. Ioſephus tradit & ex eo Hieronymus occupaſſe Trogloditicam regionem & Arabiam fœlicem, vſque ad terminos maris Rubri.

5. Deditqve Abraham cuncta qvæ possederat Isaac, ſicut ſunt domus ſeu tabernacula, puteus, ager emptus in Hebron (nam alia immobilia non habebat) ſeruitia cæteraque ſupellex: hoc eſt ergo, eum omnium hæredem reliquit, iuxta dictum Saræ cap. 21. v. 10.

6. Filiis avtem concvbinarvm. Agar & Cethuræ. Concubinæ Patriarcharum veræ erant vxores quantum ad prolis productionem attinet; ſed non ducebantur illo ſolemni ritu vt aliæ, nec penes illas erat plena familiæ adminiſtratio, ſed ferè famulabantur vxori primariæ, tanquam dominæ & matrifamilias, denique filij non ſuccedebant in hæreditatem, niſi pater vellet, vt factum eſt cum filiis Balæ & Zelphæ. His ergo.

Dedit mvnera, id eſt legata, non hæreditatem vel primogenituram. Pulchrè autem notat Auguſtinus ſupra eſſe ſignificatum, quædam dona Dei ſiue Sacramentorum ſiue ſignorum, id eſt miraculorum dari Iudæis & Hæreticis, velut filiis concubinarum, hæreditatem autem charitatis & vitæ æternæ ſoli Iſaac, id eſt filiis promiſſionis.

Et separavit eos, ne de terra promiſſionis cum poſteris Iſaac contenderent.

Ad plagam Orientalem Hebraïcè, *ad Orientem, ad terram Orientis*, id eſt prorſus ad Orientem. Nam Iſmaëlitę erant propinqui & orientales reſpectu Iſaac; ſed Cethuriani erant vlteriùs orientales etiam reſpectu Iſmaëlitarum. Vnde quia Iſmaël habitabat inter Iſaac ad Occidentem & Cethurianos ad Orientem, dicitur v. 18. coram cunctis fratribus obiiſſe.

8. Et deficiens, ſenectute, non morbo, mo tvvs est in senectvte bona, ſiue ſpectes ætatem, ſiue virtutem.

Plenvs diervm, id eſt ſatur vitæ, vt Hebræa cupiens diſſolui.

Congregatvsqve est ad popvlvm svvm, id eſt ad ſocietatem iuſtorum qualis ipſe erat: cui dicitur moriens apponi, eo quòd nulli poſt mortem remaneat ſollicitudo tentationum & periculum peccatorum, quibus ſeparatur à populo Dei, ait Auguſtinus q. 168. in Gen. & lib. de peccato originali cap. 30. vbi inſinuat hanc phraſim etiam malè morientibus poſſe attribui, quia ſcilicet & ipſi congregantur ad malos tamquam ad populum ſuum. Vnde minùs rectè colligunt Hebræi ex ſimili phraſi v. 17. Iſmaëlem eſſe ſaluum.

13. In vocabvlis et generationibvs Hebraïcè, *In vocabulis generationes ſuas*, ſeu ſecundùm generationes, id eſt in vocabulis quibus poſteri in ſua quique gente appellati ſunt: ſinguli enim qui hîc nominantur, gentem a ſe nominatam reliquerunt.

Primogenitvs Ismaelis Nabaioth. Hinc Nabuthæi, & regio Nabathæa in hodiernum vſque diem dicitur, ait Hieronymus, eſtque pars Arabiæ.

Deinde Cedar. in deſerto, inquit idem, in eadem Arabia ſcriptis celebres habitant Cedareni.

14. Dvma, vicini Idumæis, vt patet Iſaiæ 21. v. 11. Ex his tribus fratribus manauit prouerbium Hebraïcum, *Maſmia Duma Maſſa*, id eſt audi, tace, perfer.

15. Thema. Hinc vrbs & regio Theman, & Eliphaz Themanites amicus Iob. Hi ergo filij, inquit Ioſephus lib. 1. Antiq cap. 13. quidquid terrarum eſt inter Euphratem & mare rubrum habitant.

18. Ab hevila vsqve Svr, id eſt, in tractu illo qui eſt inter Aſſyriam & Ægyptum: hæc enim Heuila eſt diuerſa ab ea quam ſup. cap. 2. in India poſuimus.

20. Filiam Bathvelis Syri de Mesopotamia. Meſopotamia enim eſt pars

Syriæ latiſſimè ſumptæ, vocaturque Syria interamnis ſeu Syria Naharaim, & Syria Padan. Eſt & alia Syria Damaſci, vbi Damaſcus eſt, & tertia Syria Soba, vulgò Celeſyria, ſeu caua Syria in vallibus ſcilicet Inter Libanum & Antilibanum ſita; denique Syria Maacha à filio Nachor dicta, de quo ſup. cap. 22. v. vltimo.

22. COLLIDEBANTVR IN VTERO PARVVLI. Quaſſando & coarctando ſe mutuo quaſi contendentes vter prior exiret vt eſſet primogenitus. Et ſic intelligendum illud *geſtiebant*, vt legit Auguſt. ex LXX. ſeu exultabant, ſcilicet cum violento quodam colliſionis motu: hinc enim timens Rebecca abortum & mortem, dicit: SI MIHI SIC FVTVRVM, &c. Hæc lucta ſignificat luctam malorum cum bonis in vtero Rebeccæ, id eſt, Eccleſiæ vt Aug. ſerm. 78. de tempore.

PERREXITQVE VT CONSVLERET DOMINVM. Ad Melchiſedech, aiunt quidam, ſiue is fuerit Sem, ſiue alius. Alij, perrexit ad altare quod etexerat Abraham, id eſt, iuxta domum ſuam: ita probabiliter Theodor. quæſt. 75. prægnans enim erat & itineribus faciendis minùs idonea.

23. DVÆ GENTES SVNT IN VTERO TVO, id eſt, capita duarum gentium, Idumæorum ſcilicet & Iudæorum. ET DVO POPVLI EX VTERO TVO DIVIDENTVR, id eſt, moribus, animis, legibus, religione, ſedibus ſeparabuntur. ET MAIOR SERVIET MINORI, id eſt, ſenior ſeu nati ex filio ſeniore ſeruient iuniori. Hoc Auguſt. q. 73. in Geneſ. dicit hiſtorica proprietate eſſe impletum tempore Dauidis, ſub quo populus Iſraël deſcendens ex Iacob iuniore tributarios fecit Idumæos natos ex Eſaü, vt eſt 2. Reg. 8. v. 14. Excuſſerunt quidem iugum ſub Ioram, ſed Hircanus iterum eos ſubiugauit & circumcidi fecit, vt teſtatur Ioſephus 13. Antiq. cap. 17. Et quamuis Aug. etiam lib. 16. de Ciuit. c. 35. admittere videatur hunc ſenſum & litteralem, conuenientius tamen credi dicit in aliquid maius intentam fuiſſe iſtam prophetiam, quia, vt ait, nemo Chriſtianorum ferè hoc aliter intellexit, quàm maiorem, populum ſcilicet Iudæorum minori populo Chriſtiano ſeruiturum. Sic enim & intellexit Irenæus, lib. 4. c. 38. Cyprian. lib. 1. aduersùs Iudæos c. 19. Ambroſ. & alij paſſim. Seruitus autem illa non tantùm in temporali ſubiectione intelligenda eſt, ſed maximè ſpirituali, quia ad promouendam ſalutem gentium ſeruiunt, tum illo ipſo formidabilis illius deſertionis exemplo, tum inter cætera quòd, vt Auguſt. ſerm. 78. de tempore, & alibi ſæpiſſimè, velut cuſtodes ſacrorum librorum ſeruiunt Chriſtianis ad ipſoſmet confutandos & gentibus perſuadendam veritatem de Chriſto. Et quia iſta Eccleſiæ prælatio maximum eſt diuinæ prædeſtinanationis opus, & Eccleſia plerumque pro potiori eius parte intelligatur: hinc populus minor ſignificat electos Eccleſiæ ſiue ſpirituales quibus ſeruiunt reprobi, ſiue carnales & mali tamquam populus maior, non tantùm numero, ſed & tempore. Seruiunt autem bonis, eos per malitiam ſuam exercendo & ipsâ comparatione admonendo, vt in eis diſcant tremere iudicia Dei, & agere gratias Deo quòd ab eis non ſuo merito, ſed Dei gratia diſcernuntur, vt Auguſt. Epiſtola 157. & latiùs dicto ſermone 78. de tempore, & tetigit Apoſtolus ad Rom. 9.

25. RVFVS ERAT. Hebraïcè admoni vel edom, id eſt, rufus, quod nomen ei poſteà vel confirmatum vel impoſitum eſt à coctione rufa, vt eſt verſu 30.

TOTVS IN MOREM PELLIS HISPIDVS. Scilicet non tantùm capite, ſed toto corpore, ad præſignandā agreſtem eius indolem.

VOCATVMQVE EST NOMEN EIVS ESAÜ, q. d. factus ſeu perfectus: hirſuties enim eſt adultorum non paruulorum. Eadem de cauſa dictus eſt Seïr, id eſt, piloſus, vt vocatur à Iacob Gen. 27. v. 11. & hinc Idumæa quam incoluit, vocata eſt terra Seïr.

PROTINVS ALTER EGREDIENS, &c. immediatè ſcilicet poſt, quaſi negans ſe poſteriorem, & ita contendens de iure primogeniti. Hinc enim plantam fratris tenens quaſi indicabat ſe propter ſolam naturalem impoſſibilitatem non potuiſſe ſimul exire. Et ideo Iſaac vocauit eum IACOB, id eſt,

plantam tenens ſeu ſupplantator, vt explicatur c. 27. v. 36.

27. Homo agricola. Heb. *viragri*, id eſt, libenter foris in agris verſans. Iacob autem vir simplex, id eſt, animi ſinceri & innocentis, nemini nocentis, fraudis & ſimulationis expers. Non enim hic ſimplicitas eſt oppoſita prudentiæ, ſed malitiæ & dolo.

Habitans in tabernacvlis, id eſt, domi manens & rei domeſticæ non venationis curam gerens. Nam alioqui tota familia habitat in tabernaculis; ſed oſtendere vult mores contrarios duorum fratrum. Vnde Gregor. l. 5. moral. c. 7. aliàs 8. per venatorem Eſaü eorum vitam vult eſſe figuratam qui in exteriores voluptates carnis effuſi ſunt: per Iacob eos qui ſimplices in cogitatione & conſcientiæ habitatione conſiſtnt.

30. Da mihi de coctione hac rvfa, id eſt, de pulmento ſeu pulte iſta rufa. Erat facta ex lente, vt eſt v. 34. quæ vt Aug. in Pſal. 46. eſt cibus Ægyptiorum. Magnificatur enim, inquit, lenticula Alexandrina, & venit vſque ad terras noſtras.

31. Vende mihi primogenita tva, id eſt, ius primogenituræ. Hoc erat quadruplex. Primò habebat duplicem portionem in hæreditate diuidenda, ait Theod. quæſt. 77. & clarè patet Deut. 21. v. 17. & 1. Paralip. 5. v. 1. Secundò erat Princeps & Dominus fratrum ſuorum, vt patet c. 27. v. 37. quia ſcilicet patri in dignitate ſuccedebat. Hinc tanta veneratio Iacob erga Eſaü c. 32. v. 4. & c. 33. Tertiò primogeniti ex ſtirpe Noë videntur fuiſſe Sacerdotes, vt tradit ex Hebræis Hier. Epiſtola 126. quod obſeruatam poſteà in filiis Aaron. Et in Trad. Heb. ad c. 27. tradit eos habuiſſe veſtimentum peculiare ſacerdotale. Cui non repugnat, vt putat Delrio, quòd Abraham non primogenitus, tamen ſacerdos fuerit; hoc enim extra ordinem ei à Deo concedi potuit. Quartò denique peculiari benedictione pater moriens primogenitis benedicebat. Ius ergo ad iſta quatuor Eſaü vendidit.

32. Respondit: en morior. Non famis neceſſitate, facilè enim erat in tam opulenta domo famem pellere, ſed intemperantis & impotentis deſiderii magnitudine. Vbi diſcimus, inquit Aug. 16. de Ciuit. c. 27. in veſcendo non cibi genere, ſed auiditate immoderata quemque culpandum. Vide de hac & aliis intemperantiæ ſpeciebus fuſiùs D. Greg. l. 30. Moralium c. 13. aliàs 27.

33. Ivravit ei, ſcilicet ſe ceſſurum, nec repetiturum. Et vendidit primogenita, id eſt, totum ius primogeniti, & conſequenter ſacerdotij. Vnde non tantùm gula peccauit, ſed etiam contra ſanctitatem rei venditæ, ſcilicet ſimonia, vt meritò ab Apoſtolo *profanus* vocetur ad Heb. 12. Sed quomodo licuit Iacob emer, & ad emendum ſollicitare? Reſpondeo, vindicauit ſibi & extorſit ius non alienum ſed ſuum, quia Dei dono ac diſpoſitione ſibi per matrem reuelata donatum erat. Et ita redemptio potiùs eſſet vexationis quàm vera ſpecies emptionis rei ſacræ: ita multi nodum expediunt. Sed quia valdè incerta eſt illa traditio Hebræorum, quod ius primogenituræ comprehenderet ſacerdotium, faciliùs forſan reſponderi poſſet, totum ius fuiſſe temporale & vendi potuiſſe. Profanum tamen vocari Eſaü, quia vſque adeo immundus & gulæ deditus erat, vt primogenituram quæ propter paternam benedictionem peculiare Dei donum erat illo tempore propter viliſſimam eſcam contemneret ita ferè Græci in illum locum.

Capvt XXVI.

1. Abiit ad Abimelech. Sentit D. Aug. q. 75. hunc eſſe eumdem qui cap. 20. appetiit matrem Iſaac: quia idem Phicol dux exercitus nominatur: Facilè enim 100. annos idem regnare poterat in tanta hominum longæuitate. Potiùs tamen inclinat eò vt per recapitulationem hæc narrentur, etiamſi diu ante facta ſint. Quod ſi autem diuerſi ſint, dici poterit quòd ſicut Abimelech erat commune nomen Regum Geratæ, ita Phicol erat nomen præfectorum militiæ. Significat enim, omnis facies, quaſi omnium militum ora in hunc eſſent conuerſa.

Cvstodierit Abraham cæremonias.

De circumciſione, & aliis poſitiuis cultus diuini legibus loquitur. Colligit autem ex hoc verſ. Aug. 16. de Ciuitate c. 36. paternæ fidei & obedientiæ merita fuiſſe potiora quàm Iſaac, quia propter Abraham hæc benedictio filio promittitur.

8. VIDIT EVM IOCANTEM CVM REBECCA, eo ſcilicet modo & familiaritate quo cum ea quæ coniux non eſſet, iocari ſeu ludere non liceret, inquit Aug. l. 22. contra Fauſtum c. 46. Hoc autem viri ſancti non inaniter ſed prudenter faciunt. Deſcendunt enim quodam modo ad fœminei ſexus infirmitatem, vt aliquid blanda hilaritate vel dicant vel faciant, non eneruantes, ſed temperantes virilem rigorem: quod tamen ei quæ vxor non eſt qui dixerit aut fecerit, turpis eſt, vt ibid. explicat. Abſit ergo, vt Cynica impudentia coniuge vſus fuerit in propatulo, vt poſt Rabbinos ſenſit quidam recentior.

12. SEVIT AVTEM ISAAC IN TERRA, non propria, quia carebat, ſed conducta, ET INVENIT IN IPSO ANNO, ſterili ætate ſcilicet, CENTVPLVM. Qui ferè eſt numerus extremæ fertilitatis, vt patet in illa gradatione, quæ habetur Matth. 13. v. 8. quamuis centuplum hîc poſſet accipi pro exceſſu valdè magno.

BENEDIXITQVE, id eſt, quia benedixerat ei Deus, benedictione ſcilicet temporali, vt ſequitur; hoc enim idcirco notatum eſt à Scriptura, vt ſanâ fide intelligamus, inquit Auguſt. quæſt. 76. in Gen. etiam iſta temporalia dona nec dari poſſe, nec ſperari debere etiam cùm ab infirmioribus appetuntur, niſi ab vno Deo.

18. FODIT ALIOS PVTEOS QVOS FODERVNT SERVI PATRIS, id eſt terram eruit & purgauit, idque quia in illis puteis faciliùs & certiùs, & minori cum inuidia aquas inuenturus eſſet, & vt renouaretur patris memoria. Ad cuius imitationem, veteres ſacrarum litterarum interpretationes eruendæ ſunt; ne quotidie noua monſtra explicationum naſcantur, vt aptè hoc loco ſignificatum vult Delrio.

22. LATITVDO, quia liberior & abundantior adaquatio nobis ſuppeteret, hoc enim ſignificat illud NVNC DILATAVIT NOS DOMINVS, id eſt, ex anguſtiis repugnantium nos liberauit.

26. CVM VENISSENT DE GERARIS ABIMELECH, &c. de Abimelech & Pericol ſuprà diximus, ſed Ochozath, Hier. in Trad. putat Hebraïcè ſignificare cœtum, ſeu collegium amicorum, vt ſignificetur Ochozath cum cæteris amicis Regis veniſſe LXX. vertunt, *Ochazath pronubus Regis*, qui ſcilicet Regem ad thalamum nuptialem duxerat, quod ab amicis intimis ſponſi fieri ſolet; vnde & D. Ioannes quaſi Chriſti paranymphus amicus ſponſi appellatur Ioan. 3. v. 29.

29. NEC FECIMVS QVOD TE LÆDERET, ſed alii fecerant ipſis diſſimulantibus. Latronum iſta indoles etiam miſericordia eſt, magni beneficii loco computare, quòd non totum abſtulerint, iuſtorum autem diſſimulare.

33. APPELLAVIT ABVNDANTIAM. Idem eſt hic puteus quem Abraham foderat c. 21. & à Gераritis obſtructus fuerat, vt eſt hic v. 18. Vocauerat eum Abraham *Berſabée*, id eſt, puteus iuramenti, vel vt alii volunt, puteus ſeptem, ſcilicet agnarum, ſed Iſaac, vt notat Hier. in Trad. eodem penè ſono mutando ſtridulam litteram ſcin in ſin Ephræiticum, vocat eum Berſabée, id eſt, puteum ſaturitatis, ſeu abundantiæ, ita vt indifferenter vtrouis modo pronunciaretur. Nomen autem illud primùm, puteo, deinde vrbi adhæſit.

34. DVXIT VXORES, parentibus inuitis, vt credibile eſt.

35. QVÆ AMBÆ OFFENDERANT. Propter malos mores LXX. notant fuiſſe contumaces, & contentioſas aduerſus Iſaac & Rebeccam: Thargum idololatras.

CAPVT XXVII.

1. SENVIT AVTEM ISAAC. Erat enim 137. annorum, & conſequenter Eſaü & Iacob 77. vtpote nati anno patris 60. Vnde ſequitur Iſaac adhuc 43. annos cum ſenectutis incommodis eſſe luctatum, & valdè maturè de morte cogitaſſe.

4. FAC MIHI INDE PVLMENTVM. Hebraïcè, guſtamenta, ſeu ſapidos & delica-

uiores cibos, tamquam in diem ſolemnem benedictionis : & quibus aſſuetus ſum, vt ſequitur & colligitur ex c. 25. v. 28. vbi indicatur etiam occaſio cur Iſaac Eſaü dilexerit. Nam vt Theod. q. 77. obſequium poteſt etiam crudeliſſimos quoſque mitigare, maximè patrem : & idcirco eum Iacobo licet moribus præſtantiori præponebat.

9. AFFER DVOS HŒDOS: Non quod tam robuſtæ naturæ ſenex fuerit, vt vtrumque abſumeret, ſicut colligere videtur Procopius ſed iuxta Theod. Tharſenſem, vt partes magis teneræ & delicatæ aſſumerentur.

13. IN ME SIT ISTA MALEDICTIO. Chryſ. putat ex amoris exceſſu voluiſſe Rebeccam pro filio pœnam excipere; ſed rectiùs obſeruat Theod. quæſt. 78. ex fiducia implendæ prophetiæ, *Maior ſeruiet minori*, ſic eſſe locutam. De rebus enim certiſſimis dicitur: Ego periculum in me ſuſcipiam.

15. ET VESTIBVS ESAÜ VALDE BONIS, id eſt, optimis & pretioſiſſimis, quibus rariùs vtebatur. Nam fuiſſe odoratas paret v. 27. Vnde Hebræi apud Hier. in Trad. ſacerdotales fuiſſe colligunt, ſed minùs rectè: veſtes enim tales non conueniſſent Eſaü laſſo & puluerulento ex venatione redeunti: & illis videtur caruiſſe, cùm ad patrem venit.

16. PELLICVLASQVE HŒDORVM CIRCVMDEDIT MANIBVS. Inſtar chirothecarum vt hirſutus videretur ſicut Eſaü: quod multò meliùs præſtant pelles hœdinæ quàm agninæ. Præfigurat autem peccata: per eum verò qui ſe illis operuit ille ſignificatus eſt, qui non ſua ſed aliena peccata portauit, inquit Aug. lib. contra mendacium c. 10. Totius hiſtoriæ huius allegoriam latiùs exequitur Hier. Epiſt. 125. q. 3.

19. EGO SVM PRIMOGENITVS TVVS ESAÜ. Laborant in factis & dictis Iacob explicandis authores & in ſententias diſtracti ſunt. Quidam enim tam verbis quàm factis mentitum volunt ſe eſſe Eſaü illum maiorem natu: hoc enim omnibus modis videtur patri voluiſſe perſuadere: quod ſine dubio mendacio carere non poteſt. Ita ſentit Caſſianus vel Abbas qui ibi loquitur Collatione 17. c. 17. Chryſoſt. hîc & ante omnes Orig. l. 6. Stromatum, vt refert Hieron. Apolog. aduerſus Ruffinum, qui omnes volunt mendacium illud fuiſſe licitum. In quo Platonem imitati ſunt, putantes mendacio ſubindè vt medicamento ſeu helleboro propter magnum bonum aſſequendum vti licere; quod meritò ab Auguſtino lib. contra mendacium improbatum & ab Eccleſia condemnatum eſt. Alii ſimiliter Iacob mentitum eſſe ſentiunt, ſed officioſè & venialiter. Mouentur maximè v. 19. & 24. præſertim quia velle omnes ſanctos à venialibus peccatis excuſare, irriti laboris eſt. Quam ſententiam propter facilitatem plerique recentiores amplexi ſunt, Marius, à Lapide Delrio, & alii ante ipſos.

Sed venialia ſanctorum magnorum maximè illorum qui in ſcripturis de ſimplicitate & ſinceritate commendantur, non ſolent tam ſplendido apparatu inſtrui, nec ita de induſtria & ex deliberato propoſito ad aſſequendum aliquod temporale bonum, ſed & ſubita quadam perturbatione vel ſubreptione committi. Vnde ſatius arbitror cum probatiſſimis Eccleſiæ D D. D. Th. 2 2. q. 110. ar. 3. ad 3. ac D. Aug. lib. contra mendacium c. 10. factum illud ab omni peccato vindicare. Res tota inde pendet, quid ſignificare voluerit Iacob: ſi enim vera veraciter ſignificentur dictis eius, nihil debet putari factum dictumque mendaciter: ſed ideo putantur mendacia, quia non ea quæ verè ſignificantur dicta intelliguntur, inquit Aug. ſed ea quæ falſa ſunt, dicta eſſe creduntur. Cùm igitur conſtet hanc benedictionis præreptionem & à Deo fuiſſe prædictam, & ſpiritu diuino geſtam, & ab Iſaac diuinitùs illuſtrato approbatam, & ab Apoſtolo vt rei maximæ myſterium explicatam, non video ſanè quid impediat, quo minùs, vir innocentiſſimus Iacob diuinitus etiam intellexerit quid à ſe figuratiuè ageretur, & ſignificare hoc intenderit. Gerebat autem in hoc facto hœdinas pelles induendo, figuram eius qui aliena peccata portauit: verbo autem dicens *Ego ſum primo genitus tuus Eſaü*, figuram populi Gentilium, qui ſubſtituendus erat in locum Iudæorum, ſicut hoc communis conſenſus Veterum agnoſcit, Origenes

Homil. 5. in libro Iudicum, Hilarius in Pſal. 134. Ambroſius lib. 2. de Iacob cap. 2. & in Pſal. 118. Tertullianus 3. contra Marcionem, Auguſtinus paſſim, Gregorius Homil. 6. in Ezechielem, & penè omnes qui illam hiſtoriam tetigerunt. Vnde ſi populo gentili dicere licuit ſecundùm Apoſtolum ad Galat. *Nos ſumus ſemen Abrahæ*, etiam Iacob inſiguta eius licuit dicere, *Ego ſum primogenitus*, *Eſaü*, *feci quod præcepiſti*, quia populus Gentilis eſt ille populus qui pœnitentià ductus fecit volutatem Dei, Iudæis promittentibus & non facientibus: ille etiam eſt qui Deo gratos cibos bonorum operum obtulit.

Dicuntur autem hæc ſine mendacio, quia ſicut in metaphoris & parabolis, ita in quibuſlibet figuratè factis aut dictis non ipſa figura, ſed veritas eius quod figuratur, intuenda eſt. Vnde & Auguſtinus admittit fore mendacium, ſi voluiſſet verbo vel facto ſignificare ſe eſſe fratrem Eſaü Præter hunc explicandi modum aſſerit & alium D.Thom. & Theodor. q. 80. in Gen. quod ſe primogenitum Eſaü dixerit iure, non natiuitate, quia primogenita ei debebantur. Itaque fecit id quod ſibi vt primogenito præceptum fuerat, cibos ſcilicet afferre ad accipiendam benedictionem: hoc enim ſpectabat intentio Iſaac, non materialem venationem. Vnde ſatis feciſſet ei Eſaü litteraliter, etiamſi ſine ſagitta aut arcu caſu aliquo feram patri gratiam inueniſſet. Sed vtrum hanc ſolutionem D. Aug. approbaret, non ſatis liquet.

27. ECCE ODOR FILII MEI, id eſt fragrantia veſtium filii mei eſt SICVT ODOR AGRI floribus & fructibus PLENI. Hinc ergo partim prædictionis & prophetiæ, partim benedictionis occaſionem diuinitus ſumens, illam latiùs per partes explicat.

28. DET TIBI DEVS DE RORE CÆLI. Sub quo non eſt dubium etiam pluuiam intelligi. Roris tamen potius meminit, quia cùm in Paleſtina vix pluat niſi menſe Octobri vt ſemen germinet, & Aprili vt matureſcat, reliquis menſibus rore perfundi & ali fruges.

ET DE PINGVEDINE TERRÆ, vt ſcilicet terra non ſit arida, ſabuloſa, ſaxoſa, vel nimis aquoſa; ſed moderatâ pinguedine fertilitatem nacta profundat ABVNDANTIAM FRVMENTI ET VINI, id eſt omnia ad cibum & potum neceſſaria. Et hæc quidem quantum ad opes, nunc ad imperium.

29. SERVIANT TIBI POPVLI, id eſt poſteris tuis ſubiiciantur & ſeruiant Chananæi, Moabitæ, Idumæi, & alii populi.

ET ADORENT TE TRIBVS, id eſt reuereantur & honorent, etſi non ſeruiant: quod de Iſmaelitis & aliis non ſubiectis intelligi poteſt.

ESTO DOMINVS FRATRVM TVORVM, id eſt fratris tui & poſterorum eius, nempe tam iure quàm facto: iure enim primogenituræ ſubiicitur ei Eſaü: facto verò Idumæi poſteà Iudæis ſubiugati ſunt à Dauide 2. Reg. 8. v. 4. QVI MALEDIXERIT TIBI, &c. Prophetia eſt, quaſi dicat, Ita Deus poſteritatem tuam diliget, vt inimicus futurus ſit inimicis tuis, & amicus amicis. Et hæc quidem ad litteram. Sed ſine dubio aliquid amplius Dei ſpiritus hac benedictione in Chriſto implendum intendebat. Explicant hoc paſſim veteres PP. Theodoretus q. 81. & breuiter Auguſtinus lib. 16. de Ciuitate cap. 37. Benedictio, inquit, Iacob prædicatio Chriſti eſt in omnibus Gentibus. Odore nominis Chriſti ſicut ager mundus impletur. Eius benedictio eſt *de rore cæli*, id eſt verborum pluuia diuinorum, & de *vbertate terræ*, id eſt de congregatione populorum. Eius eſt multitudo *frumenti & vini*, id eſt multitudo populorum quam colligit frumentum & vinum in Sacramento corporis & ſanguinis eius. Ei *ſeruiunt gentes*, ipſum *adorans* principes ſeu *tribus*; ipſe eſt *dominus fratris ſui*, quia populus eius nempe Chriſtianus dominatur Iudæis. Ipſum *adorant filii patris eius*, id eſt filii Abrahæ ſecundùm fidem, &c. ita Aug. Anagogiè de reſurrectione exponit Irenæus lib. 53. cap. 5. Mixtim autem allegoricè & tropologicè tractat accuratè hanc hiſtoriam D. Greg. Hom 6. in Ezechielem.

33. EXPAVIT ISAAC STVPORE VEHEMENTI LXX. *exſtaſim paſſus eſt*, in qua notat Auguſtinus qu. 80. factam eſſe illam animi

mutationem, vt Iſaac ſe deceptum videns vitaret indignationem, confirmaret benedictionem. Quis hic non maledictionem expectaret irati ſi hæc non ſuperna inſpiratione, ſed terreno moregererentur, inquit idem l. 16. de Ciuit. c. 37. O res geſtas, addit, ſed propheticè geſtas! in terra, ſed cælitus: per homines, ſed diuinitus. Vnde mox Deo obtemperans Iſaac addit:

Et erit benedictvs, id eſt rata erit & effectum habebit eius benedictio: præcipuus enim benedicens non erat Iſaac, qui in perſona errans, meritò, velut irritam reuocare potuiſſet benedictionem ſuam; ſed erat Deus, cui ſic placebat vni non alteri gratiæ ſuæ dona largiri.

35. Venit germanvs tvvs fravdvlenter. lxx. *cum dolo* Qui Iacob mentitum volunt, dolum malum intelligunt: alii dolum bonum, quale eſt ſtratagema in bello iuſto ad vindicandam ſibi rem ſuam, vel factum aliquod, rectum, vnde fit vt alius decipiatur. Hinc Lyranus notat nomen Hebraïcum eſſe indifferens ad vtrumque, & hic accipi in bonam partem, quia Iſaac iam ſciebat diuinitus hoc eſſe geſtum.

38. Cvmqve ejvlatv magno fleret, quia tum temporis conſtabat benedictionem & maledictionem præſertim poſtremam patris efficaciſſimam eſſe, exempla ſunt in filiis Noë, Ioſeph, Iacob. Petebat autem Eſaü non quamlibet benedictionem, ſed primogenito propriam, & hanc negat Apoſtolus ad Hebræos 12. verſ. 17. eum cum lacrymis inuenire potuiſſe. Nam hæc benedictio Eſaü, qua ei promittitur pinguendo terræ & ros cæli, ſunt minima benedictionum Iacob. Vbi notat Tertullianus 3. contra Marcionem cap 24. Iacobo qui Eccleſiam gentium figurabat, primò promitti cæleſtia, deinde terrena; contrà verò Iudæis per Eſaü figuratis primò terrena, deinde cæleſtia.

40. Vives in gladio: Rapaces enim & bellicoſi fuerunt Idumæi poſteri Eſaü, vt latè Ioſephus lib. 4. de bello Iudaïco.

Et fratri tvo servies. Hoc impletum eſt tempore Dauidis 2. Reg. 8. v. 14. & rurſum tempore Hircani Aſſamonæi, qui ſubiugauit Idumæos iterum & eis circumciſionem impoſuit, vt teſtis Ioſephus lib. 13. Antiq. cap. 17.

Tempvsqve veniet, &c. ſub Ioram ſcilicet filio Ioſaphat: tunc enim Idumæa rebellauit & excuſſit iugum, vt patet 4. Reg. 8. verſ. 22. & per 800. circiter annos libera fuit: denique paucis annis Hircano ſubiugata rurſum per Herodem Antipatri Idumæi filium, & per poſteros eius imperauit Iudæis vſque ad excidium Hieroſolymæ.

45. Cvr vtroqve orbabor filio vno die? dum ſcilicet ſe vel mutuis occident vulneribus vel vno mortuo alter fugiet. Hinc prudentiſſima matrona ne patrem ſenem rei veritate contriſtaret, prætexit cauſam veram, ſcilicet matrimonium cum aliqua bene morata ex ſua familia. Contigit autem hæc præreptio benedictionis, & fuga Iacob anno eius 77. vt ex inferiùs dicendis clariùs, conſtabit.

Capvt XXVIII.

4. Det tibi benedictiones Abrahæ, id eſt benedictiones Abrahæ promiſſas de danda illi terra Chanaan, & benedicendis in eo omnibus gentibus, vt ſcilicet in te non Eſaü compleatur. Vnde ſicut ſupra c. 21. quando dixit Deus *in Iſaac vocabitur tibi ſemen*, Iſmaël & filii Cethuræ excluduntur à promiſſionibus Abrahæ factis, ita & hic filii Eſaü, ita Auguſt. 16. de Ciuitate cap. 38.

9. Ivit ad Ismaelem, id eſt ad familiam eius; nam ipſe iam videtur mortuus facilè à 14. annis: fecit hoc Eſaü ad placandos aliquantulum parentes.

10. Egressvs Iacob de Bersabee, ſine opibus, ſine comite, cum baculo viatorio, vt eſt c. 32. v. 10. quia tamquam fugiens iram fratris vt eſt in lib. Sapientiæ c. 10. v. 10.

Pergebat Haran, vrbem Meſopotamiæ, quæ ſt 9. vel 10. dierum itinere inde diſtabat. Hæc ergo deſolatio Iacob alioqui ditiſſimi, fuit occaſio ſequentis viſionis.

12. Viditqve in somnis, proinde fuit imaginaria iſta viſio.

Scalam stantem. Valde diuerſis modis iſta ſcala à Patribus explicata eſt. Sed

litteralem eius oſtenſæ ſenſum declarant verba Dei verſ. 15. *Ero cuſtos tuus*, & locus Sapientiæ cit. vbi ſapientia, id eſt Deus, dicitur deduxiſſe iuſtum per vias rectas & cuſtodiſſe eum, &c. nimirum voluit illum Deus conſolari & animare oſtenſione prouidentiæ & curæ ſuæ. Nam loco parentum ei offertur Deus, loco patriæ cælum, loco fratris irati, Angeli adiutores, loco humani cuiuſlibet adiutorij Dei, prouidentia à cælo pertingens vſque ad terram & omnia moderans, quam varia Angelorum miniſteria quaſi gradibus quibuſdam diſtinguunt; ita ferè Theodoretus qu. 82. in Gen. & Cyrillus Alexandrinus libro 10. in Gen. Et huc tendunt omnia verba Dei animantis Iacobum variorum bonorum promiſſione.

Allegoricè ſcala ſignificat deſcenſum Verbi per Incarnationem, vt gradus ſcalæ ſint diuerſę generationes, iuxta Matthęum deſcendentem & Lucam aſcendentem vſque ad Deum. Hunc ſenſum tradit Theodoretus Tharſenſis, à quo aliquantulum diſcedit D. Auguſtinus ſerm. 79. de Tempore, ſi tamen eſt eius, vbi Dominum innixum ſcalę exponit Chriſtum in cruce pendentem. Sed tropologicum ſenſum plerique proſecuti ſunt, vt Baſilius in Pſalmum 1. per ſcalam intelligit virtutis exercitationem, in qua per varios aſcendendi ac deſcendendi gradus alij proficiunt, alij deficiunt. Proſequitur hoc Zeno Veronenſis Sermone de ſcala Iacob, qui etſi per ſcalas duo Teſtamenta intelligat, gradus tamen vult eſſe diuerſa pręcepta per quę proficimus aut deficimus, & vt Tertullianus ait 3. contra Marcionem cap. 14. itinere quaſi per ſcalas in cœlum tendimus, quò alij perueniant, alij decidant, Domino quaſi ad iudicium pręſidente. Nec diuerſus eſt ab iſto ſenſus D. Bernardi, qui ſcalam vult eſſe diſciplinam religioſam. Tangit eumdem Auguſtinus in Pſal. 119. & Serm. pro illo 79. ſed tamen mauult per aſcendentes & deſcendentes Angelos intelligi ſolos bonos qui aſcendunt, cùm omnia humana quadam ineffabili mentis contemplatione tranſcendunt: deſcendunt verò quando carnalibus hominibus de diuinis rebus loquuntur, vt capere poſſint.

16. VERE DOMINVS EST IN LOCO ISTO, non ſicut eſt vbique, ſed tamquam vbi peculiarem operationem & fauorem præſtet: vnde addit, ET EGO NECIEBAM: non enim ignorabat Deum vniuerſa implere & gubernare. Hinc ergo.

17. PAVENS, id eſt venerabundus & ſacro præſentis maieſtatis horrore concuſſus dicit.

QVAM TERRIBILIS. Græcè, quàm metuendus ſeu quanta reuerentia vel reuerentiali timore præ cæteris tractandus EST LOCVS ISTE, quia ſcilicet NON EST HIC ALIVD NISI DOMVS DEI, in qua Deus cum Angelis ſuis habitat, ET PORTA CÆLI, per quam Angeli de cœlo ad homines deſcendunt Dei dona præferentes, & iterum ad cœlum redeunt. Ex quo patet quàm procul fuerit iſte ſanctus Patriarcha ab errore noſtrorum Hæreticorum, qui omnia loca æqualiter profana & ſacra putant, nec vllum ſibi Deum eligere, quem præ cæteris apparitione, beneficiis, miraculis illuſtret, & vbi coli velit.

18. EREXIT LAPIDEM, id eſt rectum ſtatuit inſtar columnæ.

IN TITVLVM. Hebraïcè in ſtatuam, id eſt in monumentum ſeu memoriam rei quæ ſibi acciderat, vt ſcilicet poſſet in reditu locum illum venerari, & Dei beneficium in illo recolere, vt eum feciſſe conſtat cap. 35. v. 7.

FVNDENS OLEVM DESVPER, non tam ad libandum vel ſacrificandum, quàm ad conſecrandum lapidem Deo, vt eſſet quaſi initium altaris quod poſteà ſtruxit ad ſacrificandum in eodem loco. Ritum iſtum conſecrandi per oleum Deus poſtea ſtabiliuit, præcipiendo Moyſi varias vnctiones, & Eccleſia in altarium ſuorum conſecratione meritò imitata eſt. Porrò lapis vnctus ſignificat Chriſtum, quia Chriſtus à Chriſmate ſeu oleo quo vnctus eſt præ conſortibus ſuis, dictus eſt. Ita D. Auguſtinus in Pſ. 44. & in illo Sermone 79. de Tempore.

19. APPELLAVITQVE NOMEN VRBIS BETHEL, id eſt domum Dei ſicut locum

ante

ante nominauerat verſ. 17. quæ prius Luza, Hebraicè Luz, id eſt nux, à nucum copia vocabatur. Lyranus putat hanc eſſe Hieroſolymam, & ideo Iacob etiam vocaſſe domum Dei, propter templum ſcilicet & portam cæli, propter Chriſti paſſionem ibi futuram, ſed multùm fallitur. Diſtat enim multis milliaribus ab Hieroſolyma, ſitaque fuit in tribu Ephraïm, vbi Ieroboam vitulum aureum populo adorandum propoſuit: vnde vocata fuit à Prophetis Bethauen, id eſt domus vanitatis vel idoli. Bethel autem eſt figura Eccleſiæ, quæ verè eſt domus in qua Deus inhabitat in æternũ, & porta per quam cælum ingredimur.

20. Vovit etiam votvm, nempe de tribus rebus non præceptis.

21. Primò. Erit mihi Dominvs in Devm, id eſt peculiari ac diligentiori cultu eum qui mihi ſemper Dominus ac Deus fuit, venerabor & colam vt talem. Secũdo.

22. Lapis iste vocabitvr domvs Dei, id eſt, & lapis & locus in quo lapis eſt, à me habebitur ſanctus ac Deo conſecratus ad hoc vt eum ibi per ſacrificia tamquam in altari colam: ſic enim intellexit & fecit Iacob poſt reditum, vt patet ex cap. 35. v. 3. & 7. Denique.

Cvnctorvm qvæ dederis mihi, decimas offeram tibi Nam iſtas nullo præcepto Deo debebat. Ex quo manifeſtum eſt, res etiam non præceptas licitè Deo voueri poſſe, contra Nouatorum quorumdam errorem.

Capvt XXIX.

5. Nostis Laban filivm Nachor, id eſt nepotem Nachor ex filio Bathuele. Sed Nachor nominatur, quia notior, & familiæ totius caput. Porrò filius frater, & ſimilia nomina in Scripturis generatim ſignificant cognatos, vt alibi diximus: vnde infrà v. 12. & 15. Iacob nepos Laban ex eius ſorore Rebecca vocatur frater Laban.

11. Oscvlatvs est eam: conſuetudinis enim fuit, inquit Auguſtinus quæſtione 87. maximè in illa ſimplicitate antiquorum, vt propinqui propinquos oſcularentur, quod & hodie multis in locis fit. Fletus autem teneri amoris ac lætitię ſignum fuit, non mœſtiæ qua ſe ab Elipha filio Eſaü doleret eſſe ſpoliatum auro & argento, quod Racheli offerre poſſet, vt nugantur Rabini.

Et indicavit ei, &c. ordo inuerſus eſt: hoc enim videtur pręceſſiſſe ante oſculum.

17. Lia lippis erat ocvlis. Hebraicè *teneris*, LXX. *infirmis*. quod quidam volunt ad oculorum pulchritudinem pertinere, quando non eſt magnus exceſſus. Vnde Chaldæus tranſtulit *pulchris*, quaſi Lia oculis pulchra, Rachel tota facie fuerit. Sed antitheſis inter ſpeciem Liæ & Rachel, videtur potius deformitatem aliquam verę lippitudinis ſignificare: & ita communiter antiqui Patres accipiunt, qui hinc pulcherrimum Allegoriam ac tropologiam exculpunt Allegoriam tradit Iuſtinus Dialogo cum Tryphone, quod Lia ſignificet Synagogam, Rachel Eccleſiam, pro quarum vtraque Iacob, id eſt Chriſtus, ſeruiuit. Lię debiles erant oculi, ita & hebetes Synagogę, &c. Tangit eam & Hieronymus Epiſt. 11. ad Ageruchiam. Tropologiam explicat Gregorius breuiter l. 6. Moralium in fine: Nam Rachel, id eſt viſum principum, ſignificat vitam contemplatiuam; Lia, id eſt laborioſa, actiuam. Vnde Rachel pulchra, ſed ſterilis: Lia Lippa, ſed fœcunda: mens enim cùm contemplando otium appetit, plus videt, ſed minùs filios Deo generat: cùm verò ad laborem prędicationis ſe dirigit, minus videt, ſed amplius parit. Rachel amatur, Lia toleratur: hęc tamen pręcedit, & illa ſequitur; quia prior eſt in recta hominis eruditione labor operandi quę iuſta ſunt, quàm voluptas intelligendi quę vera ſunt; tametſi omnes, ſi fieri poſſet, mallent ad perfectæ ſapientię delicias peruenire, quam labor oſis iuſtitię operibus tolerandis occupari. Proſequitur hęc accuratiſſimè & ad morum inſtitutionem aptiſſimè D. Auguſt. lib. 22. contra Fauſtum à cap. 5. vſque ad 59.

18. Qvam diligens Iacob, non propter ſpeciem, ſed virtutem: ſic enim vxor à viro bono non libidinis cauſa diligenda eſt. Speciem tamen adiecit Deus, ne animus mariti offenſus deformitate in adulte-

rinos amores facilè detorqueatur. Et iſta conſideratione, vt amor conſtantior ſit, & minùs laborioſa concupiſcentię fręnatio, formoſa deformi pręferri poteſt.

SERVIAM PRO RACHEL SEPTEM ANNIS, vt in hac ſeruitute tam dura Rachelem mihi vxorem emam, quia aliis bonis carebat: moris enim erat olim non tantùm apud Hebręos, ſed etiam exteras nationes, vt vir vxorem muneribus emeret, vt Iſaac Rebeccam c. 24. v. 53. Dauid Michol centum præputiis 2. Reg 2. v. 14. Vnde Saül 1. Reg. 18. v. 25. negat ſibi opus eſſe ſponſalibus aliis ad tradendam ei vxorem. Sic Sichem pro Dina offert quidlibet cap. 34. v. 11. & 12. Sordibus Laban ſeruitutem talem in conſanguineo admiſit, & filias indotatas vendidit, ſicut ipſæ filiæ conqueruntur cap. 31. verſ. 14. & 15.

20. VIDEBANTVR ILLI PAVCI DIES PRÆ AMORIS MAGNITVDINE, id eſt labor dierum videbatur exiguus: vt ſit metonymia, dies pro labore diei: nam alioquin àmantibus etiam breue tempus longum eſſe ſolet; ita D. Auguſtinus qu. 88. Vnde Nazianzenus Orat 28. Leue eſt amore laborare, tametſi dilatio iſtam modeſtiam adferat. Ex quo colligi poteſt quàm caſtus fuerit amor Patriarchæ. Eloquenter deducit hinc Chryſoſt. Hom. 55. quantus debeat eſſe amor laborumque tolerantia pro potiundo Deo, in vita æterna.

VESPERE LIAM INTRODVXIT, &c. honeſtatis enim & verecundiæ cauſa veſpere tradebantur nuptiæ ad thalamum viri: forte & fraudis occaſionem captauit Laban. Vnde quòd tantùm manè cognouit Iacob eſſe Liam, non vino tribuendum, vt vult Ioſephus; ſed partim tenebris, partim ſilentio ſponſæ & modeſtiæ ſponſi curioſitatis vacui. Peccauit itaque Laban non ſolùm fraude, ſed etiam ſtuprum & adulterium filiæ procurando, & ipſa Lia conſentiendo. Inceſtus defuit, cùm Iacob vtramque licitè retinuerit. Conſuetudo verò quam prætexit Laban, ficta non vera videtur fuiſſe: palam enim nuptias quaſi Rachelis celebrabat: & ſaltem hoc ante oportuiſſet indicatum.

27. IMPLE HEBDOMADAM DIERVM HVIVS COPVLÆ, ſeu matrimonij, id eſt imple ſeu exſpecta ſeptem dies quibus durant ſolemnia nuptiarum huius matrimonij, & iis finitis tradam tibi pleno iure etiam vxorem Rachel, ſic tamen vt pro ea aliud mihi ſeptennium ſeruias: infame enim fuiſſet Lię dimitti à Iacob, ſicut meritò poterat, & indecorum intra dies nuptiales aliam ſuperinduci: nam ſeptem dies tunc temporis nuptiis ſolemnes erant vt nunc tres, ſicut obſeruat Auguſtinus q. 89. & indicatur etiam Iudicum 14. v. 12. & 17.

28. HEBDOMADA TRANSACTA, dierum ſcilicet nuptialium, RACHEL DVXIT VXOREM: non enim annos ſeruitutis eſſe intelligendos, vt malè putauit Ioſephus, itemque Chryſoſt. Homil. 56. ſed dies nuptiales obſeruauit Hieronym. in quęſtion. Hebraïcis, & Auguſt. loco citato, & ſatiș colligitur ex v. 30. & 31. itemque ex contentionibus Liæ & Rachel ante natiuitatem Ioſeph, quæ contingit anno vlt. ſeruitutis quia poſt eum natum ſeruiuit alios annos ſex pro gregibus, vt eſt c. 30. v. 25. & c. 31. v. 41.

30. AMOREM SEQVENTIS PRIORI PRÆTVLIT, ſcilicet magis Rachelem amando, quia altera deformis & inuito obtruſa fuerat. Et hoc vocat Scriptura paulò pòſt *deſpectam eſſe Liam*, ſeu vt Hebraïcus & Græcus *exoſam*, id eſt minùs dilectam. Sed deformitas eius à Deo fœcunditate compenſata eſt, quam *vuluæ apertionem*. Scriptura vocare ſolet v. 31. & alibi, vt ſic ſaltem diligeretur. Vnde Lia Dei beneficium agnoſcens, ſingulorum filiorum natiuitatem ſingulari gratitudine ad Deum authorem, & mariti amorem refert. Vnde primum vocauit Ruben, id eſt videte filium, quem ſcilicet Deus humilitatem, id eſt abiectionem meam videndo, mihi dedit: alterum Simeon, id eſt auditio, ſcilicet Dei: tertium Leui, id eſt cohæſio ſeu copula, ſcilicet amoris maritalis: quartum Iudam, id eſt confeſſio ſeu laus.

CAPVT XXX.

1. DA MIHI LIBEROS. Petitio eſt in ſpeciem blaſphemia, quaſi ab ho-

mine penderet fœcunditas: vnde Chryſoſtomus Hom. 56. verba Rachel dicit eſſe inſipientiæ plena, & inconſideratam ac muliebrem petitionem animæ ab æmulatione impugnatæ.

Alioqvin moriar, præ deſiderii ac mœrotis magnitudine, quamquam ibidem Chryſoſtomus putet eſſe minas violentiæ mortis ſibi inferendæ, vnde Iacob vxoris inſipientiam reprimens.

2. Nvm, inquit, pro Deo ego svm, vt tibi ſcilicet proles dare queam? Deus enim ſicut ſibi ſeruarit iuxta dictum Hebræorum, clauem pluuiarum, alimoniæ ſepulchrarum ſeu reſurrectionis, ita & generationis.

3. Vt pariat svper genva mea, id eſt vt filium naſcentem pro meo genibus excipiam; alludit enim ad morem matrum filios ſuper genibus ſtatuentium, dum eis blandiuntur, vt indicatur Iſaiæ 66. verſ. 12. vnde Iob 3. v. 12. *Quare exceptus genibus?*

Et habeam ex illa filios, vt ſcilicet famula mater fieret carne, ipſa verò voluntate, ancillaris vteri fœcunditatem in vſum iuris ſui poteſtate licitâ vindicando, inquit, Aug. 22. contra Fauſtum c. 31. & 48. Vnde perſpicuum eſt Rachelis deſiderium non ex libidine, ſed prolium amore fluxiſſe, vt in iis promiſſa Dei quæ à marito audierat, complerentur.

4. Deditqve illi Balam in conivgivm: quod numquam faceret mulier, vt inquit Auguſt. ſi in corpore viri carnali concupiſcentiâ teneretur: zelaret enim potiùs pellicem, non faceret matrem. Nec peccauit Iacob numeroſa illa polygamia; nam præterquam quod tunc eſſet licita, ad omnes vxores præter Rachel, importunitate, vel ſoceri, vel vxorum adactus fuit, vt notauit Theod. quæſt. 84 Defendit autem eum ex profeſſo contra calumnias Fauſti, Auguſt. lib. 22. cit. cap. 27.

6. Ivdicavit mihi Dominvs, id eſt, cauſam ſeu contentionem quam habui cum ſorore de fœcunditate, mihi adjudicauit: efficiendo me quoque fœcundam, vnde vocauit filium Dan, id eſt, iudicium.

8. Comparavit me Devs cvm sorore, id eſt, in lucta quam cum ſorore habui, arte meâ & induſtriâ me fecit Deus ei parem, imò ſuperiorem: hunc ſenſum videntur Hebræa reddere quæ variis modis transferuntur: vnde vocavit evm Nephthali, quaſi dicat, aſtutè colluctantem.

11. Dixit feliciter. Hebraïcum *Begad*, ſi ſumatur vt vna vox ſignificat in euentu ſeu fortuna, vt habent lxx. id eſt fortunatè: quam ſignificationem Noſter hoc loco ſpectauit: ſin vt duæ voces, ſignificat. Venit accinctus, ſcilicet miles vel exercitus, id eſt, tanta mihi turba venit filiorum, vt exercitus videatur, quæ eſt cauſa fœlicitatis meæ. Et hanc etymologiam ſpectauit Iacob Gen. 49 verſ. 19.

14. Egressvs Rvben. Contigiſſe hoc videtur poſt natos ſex filios ex Lia & Zelpha, & conſequenter erat Ruben circiter quinquinnis vel ſexennis.

Reperit Mandragoras. Mandragora planta eſt ferens pomula crocei coloris; vnde Hebraïcè vocantur *Dodim*, id eſt, vbera. Auguſtinus l. 22. contra Fauſtum c. 56. dicit ſe propter hunc locum plantam iſtam diligenter examinaſſe, ac deprehendiſſe rem eſſe pulchram, & ſuaue olentem, ſapore autem inſipido, & ideò ſe neſcire cur eas Rachel tantopere concupiuerit, niſi fortè propter pomi raritatem & odoris iucunditatem. Notant tamen Phyſici Dioſcorides & Ariſt. l. 2. de generatione animalium habere vim ciendi menſtrua, & conſequenter purgandi & ad conceptum præparandi: quod cùm fortaſſe ſciret Rachel, prolis auida, fructum illum ardenter appetiit. Nam quod de nimia frigiditate fructus illius affertur, qua potiùs conceptui noceat, reſpondetur non eſſe nouum, vt fructus vno in loco, per exceſſum alicuius qualitatis noceant, alio proſint, ſiue quod ſoli diuerſitate qualitas corrigatur, vt in pomis Perſicis & melonibus notum eſt, ſiue quod exceſſus frigoris ad exceſſum caloris vteri in locis calidis temperandum, ſit vtilis, vt vult Lemnius de herbis ſacræ Scripturæ. Tropologicè, Mandragora, quia odorata ſignificat odorem bonæ famæ, quæ a laborantibus in agro Eccleſiæ quorum Lia fi-

gura eſt, inuenitur. Explicat illo ſenſu ſingulas partes huius hiſtoriæ fusè & pulchrè Auguſt. à c. 56. vſque ad 59. l. 22. contra Fauſtum. Allegoriam vide apud Cyrillum Alexandrinum lib. 11. in Gen. & ſingulorum Patriarchatum nomina applicat affectibus animæ Richardus de Sancto Victore lib. 12. de Patriarchis.

15. PARVMNE TIBI VIDETVR QVOD PRÆRIPVERIS MARITVM? Lia potiùs vtpote Iacobo obſtruſa præripuerat maritum Racheli: vnde ex hoc loco colligi videtur, quod Iacob ex amoris illius magnitudine de quo c. 29. v. 20. frequentiùs vel libentiùs cum Rachele verſaretur: nam tabercula habebant diſtincta, vt patet c. 31. verſ. 33. viciſſitudinem tamen atque ordinem fuiſſe certum in conſuetudine coniugali, pacis ſcilicet cauſa manifeſtum eſt ex eo quod Lia occurrens marito ei dicit.

16. AD ME INTRABIS. Quid enim opus erat, inquit Aug. c. 49. vt eum altera conduceret, niſi quia ordo alterius erat, vt ad eam maritus intraret? neque enim ad aliam vnquam acceſſiſſet, niſi eum conduxiſſet.

DORMIVITQVE CVM EA, nempe cum Lia deformiore, relicta Rachele. Ex quo rectè Aug. colligit c. 50. magnitudinem temperantiæ Iacob, qui tamquam planè vir, tam viriliter fœminis vtebatur, vt delectationi carnali non ſubijceretur, ſed dominaretur, magis quid deberet quàm quid ſibi deberetur, attendit: nec ad propriam voluptatem ſua poteſtate abuti voluit, ſed illius debiti redditor quàm exactor eſſe maluit.

18. APPELLAVIT NOMEN EIVS ISSACHAR, id eſt merces, non tam mandragorarum, vt videtur velle Hieron. in Traditionibus, quàm beneuolentiæ, quâ ancillam viro tradiderat in vxorem, ſicuti ipſamet exponit.

20. SEXTVM verò APPELLAVIT ZABVLON, quaſi habitaculum, quaſi quod vir eius cum ipſa iam eſſet habitaturus, ſeu coniungendus.

24. VOCAVIT ISOSEPH. Ioſeph dictus quaſi addens vel accreſcens, vt eſt c. 49. optat enim in futuro plures filios ſibi à Deo dari.

26. DA MIHI VXORES ET LIBEROS PRO QVIBVS SERVIVI TIBI. Ex quibus planè colligitur hactenus Iacob ſeruiuiſſe pro vxoribus, hoc eſt iam euolutos eſſe 14. illos annos ſeruitutis. Vnde quia omnis fructus ſeruitutis ceſſerat hactenus ipſi Laban, iuſtum eſſe dicit Iacob vt domui ſuæ prouideat, & ideo petit dimiſſionem natus eſt ergo Ioſeph illo 14. anno ſeruitutis, & conſequenter 91. vitæ Iacob: patet hoc ex eo, quia Iacob anno 2. famis Ægypti cùm ſtaret coram Pharaone, agebat annum vitæ 130. ille enim erat 39. Ioſeph, quia annò 30. ætatis eſt factus princeps Ægypti, vt eſt c. 41. v. 46. poſt quæ ſecuti ſunt ſeptem anni vbertatis & duo famis: detractis ergo 39. annis Ioſephi ex 130. Iacobi ſupererunt 91. Ex quo conſequenter ſequitur anno ætatis 77. veniſſe in Meſopotamiam & ſurripuiſſe benedictionem, vt ſuprà dictum eſt.

32. GYRA OMNES GREGES TVOS, id eſt, coge illos in gyrum. ET SEPARA CVNCTAS OVES VARIAS, id eſt diuide totum gregem in duas partes, ſeparando oues vnicolores à diuerſicoloribus, ſeu habentibus vellera ſparſa variis coloribus, ita ſcilicet vt ego paſcam ſolas vnicolores. Et quodcumque natum fuerit ex illis vnicoloribus FVRVVM, id eſt ſubnigrum, & quaſi exuſti coloris, non plenè ſcilicet albi, nec plenè nigri, ET MACVLOSVM, habens magnas maculas albas aut nigras in vellere, VARIVMQVE, Hebraicè *punctatum*, id eſt habens minores maculas inſtar punctorum ſparſas, ERIT MERCES MEA: reliqua verò pleni ac ſaturi coloris, ſiue albi ſiue nigri, erunt tua.

33. RESPONDEBITQVE MIHI CRAS IVSTITIA MEA, id eſt integritas qua verſabor in pecoribus tuis, teſtimonium in futurum mihi reddet, quòd nihil mihi vindicauerim vnius coloris. Nam omnia pecora quæ non fuerint trium iſtorum generum vel varia, vel furua, vel maculoſa, FVRTI ME ARGVENT, teſtabuntur illa ex grege vnicolore qui tibi cedet, ſiue ouium, ſiue caprarum, me furto ſuſtuliſſe. Et hic videtur planus eſſe ſenſus Scripturæ, qui in Hebraico & Græco valdè confuſus eſt, vt ſanctus Hieronymus conqueritur in Traditionibus Hebraicis.

34. Dixitqve Laban: Gratvm habio qvod petis. Nec mirum; pactum enim pro Iacob videbatur eſſe iniquiſſimum: naturaliter enim naſci ſolent pecudes vnicolores ex vnicoloribus, quæ debebant cedere Laban: caſu autem ſubinde maculoſæ, quæ cedebant Iacob.

35. Separavit varios et macvlosos, ſeruans ſcilicet omnes illos à ſe ſeorſim paſcendos.

Cvnctvm avtem gregem vnicolorem, &c. Contrarium videtur dicendum, nempe quod maculoſos tradiderit filiis ſuis, vnicolores verò Iacobo. Vnde nonnulli putant ſignificari quod poſtquam oues peperiſſent, tradiderit greges vnicolores ex eis natos filiis ſuis. Sed contextus videtur loqui de prima pecorum ſeparatione antequam peperiſſent. Vnde alii putant hîc indicari ſecundum pactum, quod Laban cognito euentu ſibi contrario, de nouo cum Iacob fecerit. Sed ex v. 40. & ſequentibus liquet hîc narrari executionem primi pacti. Alii textum noſtrum volunt eſſe corruptum, & legendum eſſe adiecta negatione *non vnicolores*; ſed omnia cohærent, ſi intelligamus gregem vnicolorem traditum fuiſſe in manus filiorum vt ſimul cum Iacobo eumdem gregem paſcerent, & aduigilarent ne quid ſibi Iacob præter pactum vſurparet ex fœdibus vnicoloribus, eoſque ſimulatque adoleuiſſent, patri ſuo ſegregarent.

37. Tollens virgas popvleas, &c. An ex aſpectu virgarum diuerſicolorum diſcolor fœtus naturaliter natus fuerit, diſſentiunt Authores. Theod. q. 88. in Gen. operationi diuinæ tribuit. Contrà Aug. q. 93. & Hieron. in Traditionibus Hebraicis, tribuunt naturæ, & hoc ſatis indicatur v. 39. vbi calor coitus, vt cauſa notatur: cùm enim ſit maxima vis imaginationis, quando anima vehementi tenetur deſiderio, Iacob in ipſa potandi auiditate oues & capras faciebat aſcendi, vt ex duplici deſiderio, dum & auidè bibunt & aſcenduntur à maribus, tales fœtus conciperent, quales vmbras arietum & hircorum deſuper deſcendentium ſimul cum virgis variegatis mixtas in aquis contemplabantur: hanc enim eſſe conceptus etiam fœminarum naturam, vt quales oculis vel mente conſpexerint conceptus tempore, talem etiam ſobolem procreent, multis exemplis teſtatum eſt. Vnum narrat Aug. 5. contra Iulianum c. 14. ex Sorana medico, Regem quemdam ſolere pulchram pictuaram vxori concipienti proponere, vt pulchras proles pareret, & quæſt. 93. citata adducit ex Hyppocrate mulierem ſuſpicione adulterij liberatam, quod puerum pulcherrimum vtrique parenti diſſimilem peperiſſet ex aſpectu picturæ in cubiculo inuentæ. Vnde Quintilianus ita defendit mulierem quandam quæ Æthiopem peperat, vt notat Hier. Fatendum tamen videtur diuinam operationem magnopere adiuuiſſe naturam, vt oues vnicolores tam conſtanter parerent fœtus varios, vt ſatis indicat v. 12. cap. ſeq. vbi Angelus indicat hoc à ſe factum propter iniquitatem Laban.

41. Qvando primo tempore ascendebebantvr oves, ſcilicet tempore verno, ponebat virgas in canalibvs, vt ſcilicet maculoſos parerent: fœtus enim illi verni robuſtiores & fortiores ſunt.

42. Qvando vero serotina admissvra erant, tempore ſcilicet autumnali, non ponebat eas: vel enim bis erant grauidæ pecudes quotannis, vt Auguſt. hîc notat & Virgilius de Italicis ouibus canit; vel quædam in vere, quædam in autumno aſcendebantur. Hanc autem ſeruabat æquitatem Iacob in arte illa noua, vt ſic & ipſe ſui laboris præmium acciperet, & Laban non penitus ſpoliaretur: quod iniquum fuiſſet, vt Auguſtinus & Hieronymus notant, quamuis ex alio cap. nulla fuiſſet iniuſtitia, quia Dei authoritate totum fiebat, vt ſatis notatur cap. ſeq. verſ. 9. & 16.

Capvt XXXI.

7. Mvtavit mercedem meam decem vicibvs, ſcilicet per ſingulas pariendi vices, nunc aſſignans mihi maculoſas, & cùm benè mihi ſuccederet, iterum vnicolores, & rurſum maculoſas; idque ſpatio quinque annorum, bis quotannis, & ſic fiunt decem vices: nam ſexto anno Iacob pertæſus aufugit. Sex enim annos ſerui-

uit pro gregibus, vt eſt verſ. 41. ita Hieron. hîc, & Aug. quæſt. 95. in Gen. Pro *decem vicibus*, LXX. legunt, *decem agnis*, id eſt, decem temporibus patiendi aguas, ſicut dicimus, decem vindemias vel meſſes, pro decem annis, vt notat Auguſt. ibid.

19. RACHEL FVRATA EST IDOLA PATRIS SVI. Hebraïcè eſt, *Teraphim*, quod ſignificat ſtatuas humanâ formâ, vt clarè patet 1. Reg. 19. v. 13. & illas in primis per quas dæmon reſponſa dabat, vt indicatur Zachar. 10. v. 2. Itaque Laban adhuc tum erat idololatra: nam infra v. 30. vocat idola Deos ſuos, quod cùm nemo Catholicorum faciat, ineptè Caluinus iſtis idolis imagines Catholicorum comparat. Meritò itaque credi poteſt, Rachel id feciſſe vt patri occaſionem idololatriæ tolleret, ſicut notat Theodoretus quæſt. 89. & Nazianzenus oratione 42. Nam Rachel noluiſſe Deos illos, quaſi penates colere ſatis ex illa eius pietate in Deum colligi videtur, quæ capite ſuperiori exprimitur v. 22. & ſequentibus. Nam quod c. 35. Dii alieni domus Iacob abiiciuntur, hoc ſignum eſt quidem in familia eo vſque remanſiſſe idololatriam, non tamen neceſſariò in Rachel, niſi fortè ſimul Deum verum & idola coluerit, ſicut hoc de Laban ſatis colligitur ex v. 30 iuncto cum. v. 50. & 53. Potuit etiam Rachel idola furari alia ex cauſa, vt ſcilicet materia eſſet loco dotis, quam pater nullam dederat, vt eſt v. 14. & 15. vbi ſe venditas dicunt, nempe pro ſeruitute Iacob tamquam pretio.

35. IVXTA CONSVETVDINEM FOEMINARVM ACCIDIT MIHI Simulat ſe fluxu menſtruo laborare, vnde tam hîc quàm ſup. cap. 18. v. 11. vbi nos habemus *muliebria*, Hebraïcè dicitur via, ſeu conſuetudo mulierum.

SIC DELVSA SOLLICITVDO QVÆRENTIS EST, eò quòd non crederet mulierem ſic affectam velle diis inſidere.

36. TVMENSQVE IACOB CVM IVRGIO. Tumor, ſeu vt Hebraïcè eſt ſimpliciter ira, internam commotionem ſignificat, iurgium externam, quia patientia iniuſtè læſa, etiam in miriſſimis, ſubinde fit furor. Egregiè autem defendit ſe, & tanquam exemplar veri paſtoris proponit Commendat enim ſe primò à benedictione Dei, ſeu fœcunditate ouibus impetrata, id eſt, ab amore erga gregem & dominum gregis. Secundò ab animo non mercenario, qui nec cibum è grege quæſierit Tertiò à fide mirabili, quadamnum omne, ſiue à beſtiis, ſiue ab hominibus illatum ſolueret. Quartò à tolerantia incommodorum. Quintò à vigilantia pro ſalute gregis. Denique à perſeuerantia in tam diuturna viginti annorum & laborioſa ſeruitute, vt meritò exemplum eſſe poſſit omnibus paſtoribus gregis Chriſti: de quo vide nonnulla apud Chryſoſt. Hom. 57. in Geneſim.

42. NISI TIMOR ISAAC AFFVISSET MIHI. Non quo Iſaac timuit, ſeu reuerentus fuit Deum, quaſi illius merito liberatus fuiſſet; ſed timor ſumitur pro obiecto timoris, id eſt, Deus quem timuit Iſaac, vt Chaldæus explicat & Theod. quæſt. 90. & ſatis indicat v. 53. vbi Iacob iurat per illum timorem patris ſui. Sic Iſaiæ 8. v. 13. dicitur Dominus ipſe pauor veſter & ipſe terror veſter, & in Pſal. vocatur ſpes & refugium.

47. QVEM VOCAVIT LABAN TVMVLVM TESTIS, &c. verſus iſte 47. Hebraïcè habetur contrario modo, ſcilicet quod Laban vocauerit aceruum teſtimonii, & Iacob, tumulum teſtis, in quo conciliando ſe torquent nonnulli, ſed quia tumulus teſtis & aceruus teſtimonii idem planè ſignificant, ſicut Deus verus & Deus veritatis, hinc noſter non fuit ſolicitus de illa differentia, ſed tantùm vt eandem rem diuerſis nominibus exprimeret, vel certè verba textus noſtri incuriâ librariorum inuerſo modo ſcripta ſunt.

APPELLATVM EST NOMEN EIVS GALAAD. Hebraïcè, *Gal-ed*, id eſt, tumulus teſtis, & inde totus mons & regio & vrbs inflexo paululum nomine, Galaad appellatur. Ex quo patet ſuprà v. 21. & 23. montem vocat Galaad anticipatè, ſicut etiam in aliis pleriſque locis contingit hinc verò additur Hebr & *Mitſpas* & ſpecula, ſupple, vocatum eſt nomen eius, ex eo ſcilicet quod Deus intueatur: hoc noſter omiſit, quia in altero nomine, tumulus teſtis,

hoc continetur: Dei enim teſtari eſt intueri.

53. DEVS NACHOR. Videtur idola intelligere miſcens Deum verum falſis. Iacob reiicit illos, & per ſolum timorem patris Iſaac, id eſt Deum verum iurat, permittens alteri, vt in iſto fœdere per falſos Deos iuraret.

CAPVT XXXII.

1. FVERVNT EI OBVIAM ANGELI DEI. Tutelares ſcilicet Chananææ, nam hactenus ab Angelis Meſopotamiæ deductus & cuſtoditus fuerat. Hinc videtur eos vidiſſe per modum duorum caſtrorum, nam vox Hebraica *Mahanaim* eſt dualis numeri ſignificans duo caſtra. Sicut ergo Eſaü ſucceſſit in locum Laban, & afflictio afflictioni, ita Deus voluit conſolationem & cuſtodiam Angelorum obuiantium conſolationi & cuſtodiæ diſcedentium ſuccedere, vt diſceret ſub tali præſidio non formidare humanas inſidias. In huius rei memoriam ædificata eſt ibi, vel nominata vrbs Mahanaim.

3. IN TERRAM SEIR, id eſt. Idumæam, quæ ab ipſo Eſaü aliàs Seir, & Edom dicto ſic nominata eſt. Seceſſerat eò inuiſus parentibus, Deo ſcilicet ſic diſponente, vt terra Chanaan ſolis poſteris Iacob relinqueretur.

6. PROPERAT IN OCCVRSVM CVM QVADRINGENTIS VIRIS. Putant multi tanto comitatu veniſſe Eſaü horandi fratris & oſtentandæ potentiæ cauſa. Sed veriſimilius eſt nocendi causâ hoc eſſe factum. Et ſic ſine vlla fluctuatione intellexit Iacob, vt ex ſeq. patet, & fauet verſ. 12. cap. 10. libri Sapientiæ.

7. PERTERRITVS DIVISIT IN DVAS TVRMAS, vt vnâ percuſsâ, altera ſaltem fugâ ſaluaretur. Sed quomodo, inquies, cum his conſiſtit fides debita promiſſis Dei. Reſpondet Auguſt. fieri potuiſſe, vt etiam occiſis turmis omnibus, alio modo Deus poſteà ſua promiſſa compleret. Addit verò q. 102. in Gen. hoc exemplo nos admoneri, vt quamuis credamus in Deum, faciamus tamen quæ facienda ſunt ab hominibus in præſidium ſalutis, ne prætermittentes ea, Deum tentare videamur.

10. MINOR SVM CVNCTIS MISERATIONIBVS TVIS, id eſt, indignus ſum quem tot beneficiis & promiſſis miſericorditer præſtitis cumulaueris, ET VERITATE, id eſt, fidelitate quam in exequendis illis promiſſis incepiſti mihi declarare. Ipſa ergo promiſſio, & quæ illam præcedunt beneficia purè ad miſericordiam pertinent: quæ verò ſequuntur tamquam executio promiſſionis pertinent ad veritatem, ſeu fidelitatem ac iuſtitiam. Et ſic intelliguntur miſericordia & veritas, quarum toties in Scripturis mentio eſt, vt ſatis colligitur ex Apoſtolo ad Rom. 15. v. 1. & 9.

Porrò iſta oratio eſt exemplar perfectæ orationis, in qua elucent gratitudo, humilitas, fiducia & obſecratio per promiſſa Dei.

16. SINGVLOS SEORSIM GREGES. Vt pompa eſſet decentior vt muneris magnificentia faciliùs deliniret animum Eſaü. Vnde & ſingulis gregibus diſtinctos præfecit directores, vt ex verſu 17. & 19. liquet, & ſpatium inter greges eſſe voluit, vt diutiùs animum fratris detineret.

21. MANSIT NOCTE ILLA IN CASTRIS, id eſt, in turba ſuorum: vel etiam in loco illo eodem, vbi viderat caſtra Angelorum: nondum enim inde profectus fuerat, quia eſt, ad ripam torrentis Iacob, qui ex montibus Arabiæ inter Philadelphiam & Geraſath in locum Geneſaret fluit. Manſit autem NOCTE ILLA, id eſt, vna parte noctis: nam mox ſequitur,

22. CVM MATVRE SVRREXISSET, id eſt, vt habent Hebræa, *in ipſa nocte*, traiecit vxores, liberos & greges per vadum Iacob, & ipſe SOLVS MANENS orationis feruentioris cauſa, luctarus eſt VSQVE MANE iſtius eiuſdem noctis.

24. ET ECCE VIR LVCTABATVR CVM EO. Virum iſtum fuiſſe Filium Dei ſecundam perſonam Trinitatis ſenſerunt multi veteres, vt Iuſtinus Dialog. cum Tryphone, Clemens Alexand. lib. 1. Pædagog. cap. 7. & alij, idque non tantùm repræſentatiuè, vt multi eos exponunt, ſed reuera & entitatiuè, vt apertiſſimè patet ex Athanaſio lib. 4. contra Arianos, & Hilario

lib.4. de Trinitate, qui hoc ex profeſſo probant. Sed verior eſt ſententia D. Auguſtini tum hîc qu. 104. tum lib.16. de Ciuit. c.39. & aliis locis, eum qui hîc luctatur cum Iacob, verè fuiſſe Angelum, ſicut c. 12. v.3. Oſeæ clarè aſſeritur. Fuit autem non Angelus malus, vt aliqui imperitè tribuunt Hieronymo in c. 6. ad Epheſ. & Origeni lib.3. Patriarch. quorum vterque docet contrarium: ſed bonus, quia benedictionem ab eo petiit Iacob, & contra Deum præualuiſſe dicitur. Luctabatur verò non ſpirituali vel imaginaria lucta, ſed re vera in corpore aſſumpto: Hebræus enim legit, *pulueriʒabatur*, id eſt, luctando puluerem excitabat, vt fieri ſolet, & tactus nerui corporeus fuit, & retentio corporea. Cauſa luctæ fuit, ſicut Theodoretus notat, vt fiducia roboraretur fratrem ſuum quem metuebat à ſe ſimiliter eſſe ſuperandum. Sic enim explicat ipſe Angelus v.28. & indicatur Sapientiæ 10. verſu 12.

25. QVOD EVM SVPERARE NON POSSET. Angelus ſcilicet Iacobum, Deo nempe mandante ne ſuperaret, vel etiam vires ipſi Angelo non concedente, vel vires Iacobi augente.

TETIGIT NERVVM EIVS, id eſt percuſſit ac læſit tendinem illum qui coniungit extremitatem fœmoris cum eſſe ſuperiore: qui tactus EMARCVIT, id eſt, ſtupidus factus eſt & luxatus ſeu extenſior factus, quàm vt ad motum faciendum eſſet idoneus. Hinc enim claudicauit Iacob, ad breue ſcilicet tempus, paulò pòſt, vt veriſimile eſt ab eodem Angelo ſanatus. Idcirco autem tetigit, vt Iacob intelligeret efficaciam ſuæ virtutis, & quàm facilè potuiſſet ei præualere, quando Deo præualere videbatur: itemque ne phantaſticam putaret fuiſſe luctam.

26. NON DIMITTAM NISI BENEDIXERIS MIHI. Magno affectu eum hoc petiiſſe ſatis indicat Ozeas loco citato qui dicit eum fleuiſſe & rogaſſe. Vnde pro benedictione impetrauit noui nominis impoſitionem, vt nequaquam vocaretur.

28. IACOB, id eſt, non ſolùm Iacob quaſi tantùm fraude ſupplantaret fratrem, ſed ISRAEL. Duæ ſunt præcipuæ huius nominis rationes etymologicæ; vna vt deriuetur ab *Is raah & el*, quaſi vir videns Deum. Hæc eſt communis antiquorum PP. Origenis. Baſilij, Nazianzeni, Chryſoſtomi, & aliorum, quam & Auguſt. lib. 16. de Ciuit. cap. 39. & aliis locis tangit, ita vt Hieron. in Traditionibus Hebraicis dicat eſſe omnium penè ſermone detritam. Et iuxta illos dicendum erit, Scin nominis, is eſſe mutatum in Sin. Hanc etymologiam reiicit ibidem Hieronymus & affert ſecundam, vt ſignificet, *princeps cum Deo*, ſiue vt alij, *dominans Deo*, à Sara, id eſt, dominari principatu, & el, Deus. Et hanc rationem dat hîc ipſe Angelus, & Ozeas cap.12. v.3. & 4 & Hebraïcum genuinè præfert, omneſque Græci interpretes, Aquila, Symmachus, Theodotion & LXX. expreſſerunt, vt Hieron. notat. Senſus eſt ergo, hoc tibi erit loco benedictionis meæ, vt voceris & reipſa ſis Iſraël, id eſt, dominans & præualens Deo, vt per hoc intelligas & confidas te multò magis contra Eſaü, & quoſlibet homines præualiturum, & hanc vel ſimilem benedictionem videtur ei vlterius, v. 29 reipſa impertitus eſſe: Vnde Iacob quærit nomen eius vt illud tamquam benefactoris magni poſſet in periculis inuocare. Detrectat autem hoc Angelus, ne à Iudæis ſuperſtitiosè coleretur.

30. VOCAVIT NOMEN LOCI PHANVEL, id eſt, facies Dei, eò quòd vidiſſet DEVM, id eſt, Angelum qui Deum repræſentabat.

FACIE AD FACIEM. Nempe reſpectu corporis aſſumpti, non per imaginationem ſcilicet, ſicut & Exod. 33. v. 11. Deus dicitur locutus Moyſi facie ad faciem, ſicut homo loquitur ad amicum ſuum quem oculis ſuis videt. Non ergo ſignificatur hîc viſio diuinæ eſſentiæ, tametſi eadē illa phraſis talem viſionem ſignificat 1. Cor. 13. v. 12.

ET SALVA FACTA EST ANIMA MEA, id eſt, liberatus ſum ab omni animi mœrore & timore fratris mei Eſaü. Pax enim & ſerenitas animi ad bonorum Angelorum apparitiones ſolet infundi, & earum eſſe ſignum. Vnde etiam Iacob fidenter fratri ſuo poſteà procedit obuiam.

3. Non

3. Non comedunt nervum illum qui fœmur iungit: vt hæc abſtinentia eſſet perpetuum præſentis beneficij monumentum, iuxta Chryſoſt. Hom. 58. in Geneſ. Ex quo contra hæreticos manifeſtum eſt, abſtinentiam quorumdam ciborum ex ratione abſtinendi eſſe metiendam, vt ſit religioſa vel ſuperſtitioſa, honeſta vel damnabilis. Tropologicè hæc lucta Iacob eſt typus eorum qui beatitudinem ſuam luctando quærunt, & Deum per contemplationem nituntur apprehendere: in quibus tangitur à Deo neruus, id eſt, carnalis concupiſcentia ſopitur, & claudicant, quia vni tantùm pedi, amoris ſcilicet Dei inſiſtere incipiunt. Proſequitur hæc D. Gregor. lib. 4. Moralium cap. 39. aliàs 40. & fuſius Hom. 14. in Ezechielem.

Allegoricè Angelus, inquit Auguſt. lib. 16. de Ciuit. cap. 39. typum Chriſti euidentiſſimè gerit, cui vtique volenti in lucta ſeu paſſione præualuere Iudæi. A quo tamen etiam ſuperato benedictionem tandem impetrant, qua in fine ſaluandi ſunt, & Iſraël vocandi, id eſt, viſuri Deum. Idem autem Iacob benedictus & claudus, quia ex eodem populo quidam crediderunt, quidam per infidelitatem claudicauerunt à ſemitis ſuis. Similia habet qu. 104. in Geneſim.

Capvt XXXIII.

Divisitqve filios Liæ et Rachel. Non ad pugnandum, vt videtur velle Ioſephus, nullus enim eſt hîc apparatus ad pugnam, ſed potiùs ad ſupplicandum diuerſis vicibus, ſi eſſet neceſſe. Hæc eſt tem ſecunda turma earum de quibus fit mentio cap. præced. v. 7. prima enim continebat pecora & famulos, & longè præcedebat; altera omnes vxores & liberos in diuerſas claſſes diſtinctos, quæ ſequebatur.

3. Et ipse progrediens, Hebraïcè additur, *ante eos*: non ante omnes turmas, quia prima diu præceſſerat, ſed ante turmam ſecundam vxorum & liberorum, vt ab illis periculum auerteret.

Adoravit pronvs in terram septies, per modica ſcilicet interualla. Adorauit autem non Deum, vt aliqui ſuſpicantur, ſed fratrem Eſaü, ciuili illa adoratione ſeu profunda incuruatione honorauit; vt tam inuſitata humilitate animum ferocem frangeret.

10. Qvasi viderim vvltvm Dei. Videtur eſſe locutio hyperbolica ad exprimendum vultum veneratione dignum, tamquam in quo eſſet quædam imago Dei. Cùm enim aliquid magnum Hebræi volunt exprimere, vocant illud Dei, vt, cedros Dei, montes Dei, &c. Similem locutionem habes Eſther 15. v. 16. & 2. Reg. 14. v. 20. vbi cum Angelo fit comparatio. Vnde & hîc Pagninus tranſtulit: *Ac ſi viderem vultum Angeli*, & ab eo non abhorret D. Auguſt. qu. 105. in Gen. Elohim enim & Angelum & Deum ſignificare poteſt. Porrò tanta ſubmiſſio nihil præ ſe ferebat iuris ac dignitatem primogeniti quam olim affectaſſe, vel accepiſſe videbatur: & hinc eſt quod Eſaü facilè oblitus fuerit præteritorum, cùm videret nihil ſibi debitum ſubtrahi.

11. Et svscipe benedictionem, id eſt, munus ex Dei benedictione profectum, & quo tibi benedictum & benefactum velim. Nam cum munere quo benefacit amicus, etiam animum quo alteri bene vult, & verba quibus ei benedicit, ſolet mittere: & ex his cauſis factum eſt vt Hebræi munus benedictionem vocent, & Græci temporibus Chriſtianis Eulogiam.

14. Ad Dominvm mevm in Seir. Abulenſis putat eum hoc non intendiſſe, & ita mentitum eſſe. Sed Auguſt. qu. 106. ſatis indicat, veraci quidem animo promiſiſſe, ſed poſteà mutaſſe animum: ne ſcilicet gratia malè ſarta denuò leui aliqua occaſione rumperetur. Quamquam etiam non conſtet ex ſcriptura quòd promiſſum non impleuerit.

19. A filiis Hemor patris Sichem. Act. 7. v. 17 vocatur Hemor filius Sichem. Vnde nonnulli, vt Beda, volunt Homor ſimul habuiſſe filium Sichem & patrem Sichem: alii ſuſpicantur in Actis loco filii, ponendum, patris; ſed non eſt neceſſe eò fugere: quia D. Stephanus de alia emptione loquitur, quam fecit non Iacob ſed Abraham.

CENTVM AGNIS, id eſt, nummis, inquiunt quidam, quibus ſignum ouis vel agni impreſſum erat: ſed rectiùs intelligas veros agnos, ſicut Hieronymus tum hic, tum aliis locis verbum Hebraïcum tranſtulit, cui & quidam Rabbini conſentiunt. Nam quod Act. 7. fit mentio pretii argenti, iam dictum eſt agi de alia emptione.

20. INVOCAVIT SVPER ILLVD, &c. oblato ſcilicet ſacrificio. Ex Hebræo tamen etiam aliter multi vertunt, & vocauit illud FORTISSIMVS DEVS ISRAEL, id eſt, vocauit illud altare, ſeu inſcripſit hoc nomine, *fortiſſimus Deus Iſraël.* Vt ſcilicet fuerit illa inſcriptio altaris, ſeu *fortiſſimo Deo Iſraëlis*, ſupple, ſit hoc altare dedicatum: ſicut Gedeon vocauit altare ſuum *Domini pax*, Iud. 6. v. 24. & Rubenitæ, *Teſtimonium noſtrum quòd Dominus ipſe ſit Deus*, Ioſue 22. verſ. vltimo, & Ethnici inſcripſerant aræ Athenis, *Ignoto Deo*, Act. 17. v. 23.

CAPVT XXXIV.

1. EGRESSA EST AVTEM DINA VT VIDERET MVLIERES, &c. Ioſephus notat feſtum fuiſſe, quò multi confluere ſolent. Obſeruant hîc paſſim curioſitatis vitium & præmium eius defloratiqnem, vnde Tertull. Neceſſe eſt, inquit, virgo publicatione ſui periclitetur, dum percutitur oculis incertis & multis, dum digitis demonſtrantium titillatur, &c. lib. de velandis virginibus cap. 14. Contigit hic raptus Dinæ anno circiter eius 15. vel 16. Nam nata eſt eodem tempore quo Ioſeph, vel paulò ante, vt colligitur ex cap. 30. & capta eſt ante venditionem Ioſeph, quæ narratur inferiùs c. 37. v. 2. contigiſſe, cùm eſſet annorum ſexdecim. Itaque cùm omnes filii Iacob, excepto Beniamin, nati fuerint intra ſeptennium ſecundum commorationis eius cum Laban, ſequitur Simeonem, qui circiter ſex annis ſenior erat Ioſepho, tùm fuiſſe 22. annorum, & Leui 21.

Tropologiam huius hiſtoriæ ad animas alienarum rerum curioſas applicatæ, vide apud D. Greg. 3. parte Paſtoralis curæ c. 1. admonitione 30. & aliam apud Philonem lib. de migratione Abrahæ planè in fine.

12. AVGETE DOTEM, in compenſationem iniuriæ: nullam enim ab ipſa dotem peto. ET MVNERA POSTVLATE, cuiuſmodi fratribus dari ſolent ſicut fecit famulus Abraham cap. 24. v. 53.

13. RESPONDERVNT IN DOLO; id eſt, fraudulenter; vltionem enim meditabantur, verbis pacem ſimulabant, quam perfidiam vt Ioſephus à ſua gente amoliretur, nulla facta mentione circumciſionis Sichimitas vino ſepultos fingit eſſe trucidatos.

25. DIE TERTIO QVANDO GRAVISSIMVS VVLNERVM DOLOR EST. Opinionem hanc concepiſſe Hebr. putat Calu. ex cæde tertiæ diei, probationem autem non eſſe ſatis firmam. Sed non aduertit eſſe ipſum Moyſen qui hoc aſſerit, & eſſe verum Hypocrates lib. de fracturis confirmat, quia tunc bilis ſolet ad vulnus confluere, quæ ſua acrimonia inflammationes & febres parit, cùm prima die non niſi vulneris diuiſio ſentiatur quæ citò prætetit, ſecunda verò pituita defluat, quæ mitis & placidus humor eſt.

SIMEON ET LEVI FRATRES DINÆ, tanquam fratres, eadem matre nati, & ideò magis exacerbati. Tribuitur autem illis quia principes & authores facti fuerunt, inquit Auguſt. q. 108. duces enim ſe famulorum præbuerunt quos magno numero fuiſſe ſatis colligi poteſt ex 318. vernaculis quos vnus Abraham in prælium eduxit. Grauiter autem & multipliciter eos hoc facto peccaſſe, quidquid aliqui eos excuſando dixerint, non eſt dubium. Peccarunt enim *dolo* ſeu mendacio v. 13. ſacrilegio ſeu abuſu ſacramenti circumciſionis v. 15. perfidia, frangendo pactum ac datam fidem eodem v. 15. belli iniuſtitia, quia vſurpata poteſtate: non enim erant ipſi caput & principes familiæ cuius eſt bellum indicere: vindictæ magnitudine, totam ciuitatem delendo innoxiam v. 25. & ſeqq. denique impœnitentia & pertinacia in ſcelere etiam poſt increpationem patris. Vnde meritò vocat eos Iacob, *vaſa iniquitatis bellantia*, & maledictum eorum furorem, quia pertinacem Gen. 49. Nec Iudith excuſat eos cap. 9. v. 2. ſed laudat tantùm iudicium

Dei in Sichimitas, & zelum pudicitiæ quem Simeon habuit in ſtrupratores, non tamen laudat factum ſeu modũ exequendi zelum.

CAPVT XXXV.

1. INTERIA LOCVTVS EST DOMINVS AD IACOB. Interea dum mœſtus & de hoſtium inuaſione ſollicitus eſt Iacob, conſolando locutus eſt ei Deus, vt notat Chryſoſt. hic.

ACCENDE IN BETHEL, tamquam in locum tibi ex meo præſidio tutiorem futurum: vbi ſicut antè in fuga tibi apparui & opitulatus ſum, ita & nunc te protegam.

2. ABIICITE DEOS ALIENOS. Hebraïcè, *Deos alieni*, ſupple populi ſeu alienigenarum. Credibile planè eſt fuiſſe ex præda Sichimorum ſublatos. Nam quod aliqui dicunt Iacob non habuiſſe hactenus otium vel commoditatem purgandi familiam ab idololatria, videtur à religione tanti viri alienius, quandoquidem facilè per decennium quietè habitaſſet in Chanaan à reditu ex Meſopotamia.

MVTATE VESTIMENTA VESTRA, induendo veſtem lugubrem in ſignum luctus & pœnitentiæ, ſicut Exodi 33. verſ. 6. factum eſt poſt vitulum adoratum: ſed quia præcedit, *mundamini*, ſcilicet corporali lotione ab immunditiis corporis, verius videtur præcipi, vt veſtes cultiores & mundas induant, externaque munditiæ internam proſitendo ad feſtum Domini ſe parent. Similis enim apparatus & ſanctificatio præcipitur Iudæis Exod. 19. verſ. 10.

4. ET INAVRES QVÆ ERANT IN AVRIBVS EORVM. Supple Deorum alienorum ad eos ornandos, vt notat Aug. q. 111. in Gen. qui vocat eas phylacteria idolorum. Non ergo inaures ſuas dederunt, quia illis ornari receptus vſus erat, vt in Rebecca patuit.

INFODIT EA, ne quod veſtigium idololatriæ ſupereſſet. Vnde prius liquefacta & confracta fuiſſe veriſimile eſt, vt fecit Moyſes Exod. 32. v. 20 & Ezechias 4. Reg. 18. v. 4.

SVBTER TEREBINTHVM. Ioſuē vltimo verſu 26. videtur hæc eadem arbor quercus vocari ſub qua fœdus percuſſit Ioſuē cum populo, & putant aliqui eandem eſſe quæ Geneſis 12. v. 6. transfertur conuallis, alij quercus illuſtris, vox enim Hebræa vtrumuis ſignificat.

5. TERROR DEI, id eſt, à Deo immiſſus: timentes enim ſe Deus terribiles facit. operando, vt Aug. hîc notat, in mentibus hominum, vt promiſſa ſua in Iacob & filiis tueretur.

7. APPELLAVIT NOMEN LOCI, DOMVS DEI, id eſt, appellauit Bethel, confirmans nomen quod iam c. 28. dederat; idemque iterat v. 15. Hebr. habetur, *Vocauit locum el Bethel*, id eſt, Deus Bethel, quo videtur ſignificari, quòd inſcripſerit loco ſeu altari in loco erecto titulum illum, *El Bethel*, ſeu Deo Bethel, hoc ſit ſacrum: ſicut c. 33. v. vltimo ſimile quid notauimus.

8. MORTVA EST DEBORA NVTRIX REBECCÆ, quæ cum Rebecca matre Iacob in Chanaan venerat, vt eſt cap. 24. v. 59. Hebræi eam remiſſam volunt ad reuocandum Iacob, & in reditu mortuam.

10. NON VOCABERIS VLTRA IACOB, id eſt, non vltrà ſolo nomine, Iacob vocaberis quaſi tantùm ſupplantaror Eſaü, ſed ISRAEL, id eſt, dominans Deo & per Deum omnibus in circuitu inimicis, vt non timeas eos. Confirmat enim nomen antè impoſitum, & magna promiſſa per illud ſignificata, vt Aug. notat quæſt. 114. in Gen. qui exponens *Iſraël*, vt ſit idem quod *videns Deum*, ſignificari dicit ſummum illud præmium futuræ vitæ poſt decurſum ſcil. præſentis, vbi antè inimici ſupplantandi ſunt.

14. EREXIT TITVLVM LAPIDEVM, id eſt monumentum, nempe ipſum altare ſupra quod ſacrificat, & effundit LIBAMINA. id eſt, vinum ad libandum, & OLEVM ad conſecrandum.

18. FILIVS DEXTERÆ, id eſt, fœlix ac ſtrenuus, ideoque mihi chariſſimus. Dextera enim fœlicitatis & fortitudinis ſymbolum eſt. Vnde Hieronymus in Trad. filius dextræ, inquit, id eſt, virtutis. Nam in Scripturis frequentiſſimè dextera pro potentia ponitur, & Chriſtus dicitur ad dexteram Patris ſedere, id eſt, in æquali poteſtate, fœlicitate & bonis cum Patre. Myſticè hoc in S. Paulo impletum eſt, qui antè

matri ſuæ Eccleſiæ filius doloris fuit, patri verò Chriſto filius dexteræ & virtutis.

19. Sepvlta in via qvæ dvcit Ephratam. Inter Hieruſalem & Bethleem. Nam Ephrata & Bethleem, inquit Hieron. hic eiuſdem loci vocabula ſunt. Sepulta eſt ibi propter calores. Idcirco enim videtur ſuperiùs facta mentio verni temporis, quod in Hebron idcirco transferri non poſſet. Porrò titulus ſeu monumentum Rachelis extructum erat 12. lapidibus, qui tempore Bredenbachii adhuc ibi erant.

21. Fixit tabernacvlvm trans tvrrim gregis. Ita vocata eſt à gregibus quos ibi pauit Iacob, vt Hieron. in Trad. vbi & Paſtoribus in Chriſti natiuitate apparuit Angelus, vno circiter milliari à Bethleem. Vnde falluntur Hebræi, qui teſte Hieronymo putant eſſe locum vbi templum poſteà ædificatum eſt, ac turrim gregis vocari quaſi cœtus & congregationis. Quod enim Michæas c. 4. v. 8. vocat Sion turrim gregis, figuratè intelligendum eſt.

26. Qvi nati svnt ei in Mesopotamia. Quomodo cùm Beniamin in terra Chanaan ſit natus? Quidam apud Aug. quæſt. 117. putant hoc dici, quia Beniamin in Meſopotamia conceptus; fuit ſed ipſe rectè oſtendi hoc eſſe falſum; natus eſt enim facilè decennio poſt egreſſum ex Meſopotamia. Vnde dicuntur ibi nati, quia maior pars ibi nata eſt, per ſynecdochen.

28. Completi svnt dies Isaac 180. annorvm. Ergo cùm Iacob natus fuerit anno eius 60. agebat tunc Iacob annum 120. qui erat annus 29. Ioſeph. hoc eſt, 13. annus venditionis eius, quià 16. finito venditus eſt. Itaque anticipatè narrat ea quæ pectant ad Iſaac, vt poſteà res Iſmaëlis & Ioſeph proſequatur.

Capvt XXXVI.

1. Ipse est Edom, id eſt, qui alio nomine vocatur Edom, itemque Seïr, pluribus enim nominibus olim & viri & fœminæ vocabuntur. Ex quo magnæ tenebræ oriuntur in concilianda iſta genealogia cum alia, quæ habetur 1. Paralip. 1. v. 36. & ſeqq. Similiter vxor Eſaü, quæ hîc vocatur Ada filia Elon Hethæi, dicitur c. 26. in fine Iudith filia Beeri & quæ illic Baſemath filia Elon, hîc dicitur Oolibama filia Adæ: & quæ hic Baſemath vocatur, cap. 28. verſ. 9. dicitur Maheleth.

6. Tvlit Esaü vxores svas, &c. poſt ſepulturam ſcilicet Iſaac, diuiſamque hæreditatem cum fratre, diſceſſit autem non coactus armis Iacob, vt Iudæi ſomniant, ſed ſponte propter gregum copiam, Deo ſcilicet ſic prouidente vt Chanaan maneret poſteris Iacob. Diſceſſerat quidem Eſaü antè in Idumeam, vt eſt c. 32. v. 3. ſed non animo ſtabiliter permanendi, vnde in Chananæam cum familia reuerſus, Idumæam repetit ſedem ſtabilem fixurus.

8. Ipse est Edom. Id eſt ipſe Eſaü, non mons Seïr, alio nomine vocatur Edom: & tamen mox vocatur pater Edom, id eſt, Idumæorum.

15. Hi dvces filiorvm Esaü. Iidem recenſentur hic qui antè, ſed hic tamquam duces familiarum ſuarum, diu enim poſteà creati ſunt Reges totius Idumææ, vt indicatur verſ. 31.

20. Isti svnt filii Seïr, id eſt incolæ montis Seïr, Horrhæi ſcilicet. Horrhæos iſtos expulerunt Eſaüitæ Deut. 2. v. 12. meminit eorum propter Thamnam concubinam Eliphaz v. 12. & 22. & quia primi incoluerunt Idumæam, vt Hier. in Tradit.

24. Qvi invenit aqvas calidas. Hebraicè, eſt *haiammim*. Quod Aquila Symmachus, Theodotion & LXX. non tranſtulerunt, ſed ſeruauerunt vocem *Iameim* vel *Iamin*: Chaldæus *gigantes* tranſtulit; legens, vt videtur, *enim*. De quo Deuter. 2. v. 10. & 11. Recentiores multi & Rabbini transferunt *mulos*, quaſi admiſſionem equi vel onagri & aſinæ inueniſſet: quam ſententiam & Hieron. in Trad. notat, nec tamen probat. Nam vox Hebræa nuſquam pro mulis poſita inuenitur. Iraque dicendum videtur noſtrum rectè tranſtuliſſe, *aquas calidas*. Sublatis enim punctis quæ ad textum nihil faciunt, legi poteſt *Iammin*, ſicut & D. Hieronymus legit, quod ſignificat congregationem quamlibet aquarum vt notauimus ad v. 10. c. 1. Gen. *Calidas* au

tem adiecit noſter, vel quia vt Hieronymus refert. Punicè hoc nomen aquas calidas ſignificat, & ex viciniitate illius linguæ cum Hebræa idem hoc loco indicari ceirſuit, quod ſanè maiori probabilitate fecit, quam ij qui *mulos* transferunt: vel certè pro *hè* demonſtratiuo, quod nunc legimus, olim erat *Ghet*, vt eſſet *Chamiain* quaſi compoſitum ex *Cham* calidus & *Iamin* aquas, vnde putant eum fuiſſe balneorum inuentorem.

31. Antequam haberent Regem filii Israel. Hæc verba, vel Prophetico ſpiritu à Moyſe ſcripta ſunt ſciente Regem habituros filios Iſraël, vel certè ab Eſdra, vel aliis addita ſunt.

33. Regnavit Iobab filivs Zaræ. Hunc volunt plurimi, tum antiqui, tum recentiores eſſe Iob. Secuti videntur appendicem quandam LXX. interpretum, quæ adiecta eſt ad librum Iob, vbi dicitur Iob fuiſſe de ſtirpe Eſaü quintum ab Abraham, & proinde coæuum Moyſi: fauet & ipſum nomen. Hebræi tamen ac D. Hier. in Trad. Heb. ſentiunt Iob eſſe de ſtirpe Nachor fratris Abraham, cuius filius primogenitus erat Hus, vt eſt cap. 22. verſ. 21. Et ſanè Iobab non eſſe Iob multò veriſimilius videtur: vixit enim Iob poſt cladem 140. annis, & in vniuerſum facilè 220. aut multò plures, ad quam ætatem nemo eorum quos tempore Moyſis, ac diu ante vixiſſe conſtat, pertigit, vt proinde multò antiquior Moyſe fuiſſe videatur. Ratio verò nominis qua nituntur, potiùs repugnat. Nam in tota ſcriptura Iob numquam Latinè, nec Hebraïcè vocatur Iobab, ſed ſemper Iof, vbi eſt repugnantia in ipſis litteris radicalibus. Sed de his latiùs in lib. Iob.

37. De flvvio Rohoboth, id eſt, in quo ſita eſt vrbs Rohoboth, vt eſt 1. Paralip. 1. v. 48.

40. Hæc ergo nomina dvcvm, id eſt, poſt Reges iam enumeratos ſucceſſerunt iterum duces pro Regibus in Idumæa, ita clarè dicitur 1. Paralip. 1. v. 51.

Capvt XXXVII.

2. HÆ generationes eivs, id eſt, hæc quæ ſequuntur non ſpectant ad generationem Eſaü, ſed Iacob: ad quem nunc reuertitur, vt originem deſcenſus Iſraëlitarum in Ægyptum patefaciat.

Ioseph cvm 16. esset annorvm, id eſt, cùm eos expleuiſſet, & inchoaſſet 17. hoc eſt enim quod textus Hebræus habet, & ex eo Ioſephus & LXX. Ioſeph fuiſſe 17. annorum, id eſt, inchoaſſe 17. hic erat igitur annus Iacob 107. quia Ioſeph anno eius 91. natus eſt.

Accvsavitqve fratres svos, cum quibus verſabatur, filios ſcilicet Balæ & Zelphæ.

De crimine pessimo nonnulli murmurationem aduerſus patrem accipiunt, ſed crimen peſſimum videtur ſignificare vitium aliquod fœdum & infame, vnde & vox Hebræa infamiam malam ſignificat. D. Thomas 2.2. q. 154. a. 12. ad 4. ex Gloſſa indicat fuiſſe vitium cum pecoribus contra naturam, quod quamuis Lyranus vereatur dicere de Patriarchis, videri tamen poſſet à moribus eorum non fuiſſe ita alienum, vt colligi poſſet ex inceſtu Ruben, vindicta ſtupri Dinæ, fornicatione Iudæ, peccatis Her & Onan, venditione Ioſeph.

3. Eo qvod in senectvte genvisset evm, id eſt, poſt cęteros filios; nam alioqui omnes præter Benjamin in Meſopotamia vno ſeptennio nati ſunt. Aderant & alię amoris cauſę, quia Ambroſ. lib. de Ioſeph c. 2. illum plus amabat, in quo maiora virtutum inſignia prçuidebat; de quo Chryſoſtomus Hom. 62. Hæc virtutum varietas vt idem Ambroſius notat, ſignificatur myſticè per tvnicam qua Ioſeph induebatur, polymitam, id eſt, multis liciis, ſeu filiis, iiſque multi coloribus textam, vt magis indicant Hebręa, & LXX. qui tranſtulerunt *variam*.

10. Increpavit evm pater svvs. Non ęgrè ferens ſomnia, ſed vt fratrum odia mitigaret, & ſimul eum contineret in modeſtiâ: refutat autem eum ex abſurditate talis adorationis: nam & filium à parentibus adorari abſurdum videtur, & mater eius Rachel iam erat mortua: vnde Auguſt. q. 93. in Gen. myſticè hoc refert ad exalta-

tionem Chriſti & adorationem exaltati, cuius Ioſeph expreſſiſſimus typus fuit. Fortaſſis Iacob per matrem intelligit Balam, quæ Rachele mortuâ inſtar matris ei erat; vel certè, vt alij putant, Liam, quia erat vxor patris, & idcirco vulgo etiam mater dici ſolet.

25. ET RESINAM, eſt humor tenax adhærens arboribus. Laudatiſſima erat in monte Galaad, & inde in Ægyptum portabatur, vt patet ex Ierem. c. 8. v. 22. & c. 46. v. 11. Et hinc eſt quod mercatores iſti dicuntur venire ex Galaad. Vocantur autem nunc Madianitæ, qui erant etiam ex poſteris Abrahæ, ſed ex Cethura nati, vt patet ex c. 25. verſ. 2. nunc Iſmah. quia vicini habitabant non procul ab Ægypto & mixti veniebant. STACTE verò eſt myrrhæ lachryma à στάζειν, ſeu ſtillando ita dicta.

28 VENDIDERVNT EVM. Vt eo ſi non occiſo, ſaltem vendito pateret, quàm falſa eſſent ſomnia eius, ſed ſi erant vera, fruſtra obſiſtebant implendæ veritati: ſin falſa, fruſtra inuidebant erranti: non enim inuidia, ſed miſeratione dignus eſt, qui illuditur. Vnde rectè obſeruat Gregorius lib. 6. Moral. c. 12. tam occultam & miram eſſe prouidentiæ vim, vt homines cùm eius conſilium fugere volunt, inde voluntatem Dei peragant, vnde hanc immutare contendunt, & eiusconſilio dum reſiſtere nituntur, obſequantur, quod fusè & pulchrè proſequitur & exemplis probat.

VIGINTI ARGENTEIS. Supple ſiclis, quorum quilque valet circiter ſemiuncia, & ita eſſent viginti ferè floreni noſtrates. Cùm enim in ſcriptura ponuntur *argentei*, vel *aurei*, ſubaudiri ſolent *ſicli*. Multi olim legerunt *trigenta*, vt conueniret cum pretio venditi Chriſti. Sed Hebræa & Græca legunt vt noſter, *viginti*, etſi LXX. malè legant *aureos*. Neque enim vt ait Hiero. in Trad. viliori metallo Dominus venundari debuit quàm Ioſeph.

34. SCISSISQVE VESTIBVS, quod ſignum luctus antequis fuiſſe plurimis exemplis in ſcriptura manifeſtum eſt. Per quod ſignificabant cor dolore & mœrore eſſe ſciſſum.

INDVTVS EST CILICIO. In indicium triſtitiæ & luctus, quod poſteri deinceps imitati ſunt, non ſolùm Iudæi, ſed & iam olim Chriſtiani. Vnde Cypr. lib. de lapſis Chriſtiani pœnitentis habitum deſcribit; ſtratum ſolo adhærere cineri, in cilicio volutari & ſordibus. Eſt autem hæc prima in ſcripturis mentio cilicij, Hebraïcè ſacci nempe cilicini, qui fiebat ferè ex pilis caprinis ſeu hircinis. Et quia, vt Varro notauit, primùm tonſura caprarum in Cilicia eſt inſtituta, nomen hoc Cilices inuenerunt, vt à Cilicia veſtis cilicium diceretur.

35. DESCENDAM AD FILIVM LVGENS IN INFERNVM, id eſt, fruſtra me conſolamini; luctus meus durabit, quoad vel filium meum videam in eorum cœtu qui in inferno ſeu loco inferiori ac ſubterraneo (quem nos limbum dicimus) detinentur. Necdum enim, inquit Hieron. epiſt. 23. ad Paulam, paradiſi ianuam Chriſtus effregerat. Locum iſtum pro iuſtis pertinaciter negant hæretici. Vnde Hebraïcum *Scheol* vertunt *ſepulchrum*, ſicut & nonnulli Catholici. Et quamuis ſubinde ſic accipi poſſe videatur, conuenientius tamen hîc prout dixi, ſumitur, eò quòd filium ſuum à beſtia deuoratum & proinde ſepultura caruiſſe exiſtimaret. Simili planè phraſi Hebraïcè dicuntur illi qui Num. 19. v. 33. viui abſorbentur à terra, deſcendere viui in infernum, vbi *Scheol* ſepulchrum ſignificare non poteſt.

36. VENDIDERVNT PVTIPHARI EVNVCHO PHARAONIS, qui tamen vxorem habuit, vt patet c. 39. Hebræi nugantur eum poſteà Eunuchum eſſe factum à Deo puniente peccatum eius quo Ioſepho abuti voluit, vt apud Hieronym. in Tradit. ideoque factum eſſe ſacerdotem Hieropoleos. Sed verius Eunuchum hîc ſumi pro principe ſeu præfecto, ſicut Chaldæus tranſtulit, vnde & c. 40. duo præfecti, pincernarum & piſtorum, Eunuchi vocantur. Ratio nominis eſt, quod quia olim Eunuchis committebatur cuſtodia Gynecæi, hinc factum vt eſſent familiares & intimi Regibus: vnde & cubiculi regij cuſtodes, adeoque maximi aulæ principes præcipuè apud Orientales ſic vocari cœperunt. Quamquam vox Græca εὐνοῦχος non videatur ſignificare

propriè caſtratum, ſed cuſtodem cubilis regii, ab εὐνὴ & ἔχω quaſi cubile ſeruo, ſicut nunc, qui apud principem aureâ claui inſignes ſunt; ita vt potiùs nomen iſtud primò præfectis aulæ, ac deinde caſtratis impoſitum videatur.

MAGISTRO MILITVM. Hebraïcè, *Principi iugulantium*, ſcilicet militum. Vnde & LXX. verterunt, *archimagiro*, nam μαγειρεύειν teſte Hieronym. occidere ſignificat: quamquam aliqui veteres minus aptè verterint LXX. *Principem coquorum*, qui occidunt animalia. Fuit itaque præfectus militiæ ſiue vniuerſæ ſiue cuſtodiæ regiæ, cui erat poteſtas occidendi ſontes, vt exemplum Banaiæ probat, qui cùm eſſet præfectus cuſtodiæ Salomonis Adoniam & Ioab occidit.

Quia Ioſeph celeberrima Chriſti figura fuit, operæ pretium eſt typos in vita eius expreſſos breuiter tangere. Primus eſt ipſum nomen quod Geneſis 49. v. 22. *accreſcens* exponitur, & ſignificat eum lapidem qui cùm eſſet paruus, factus eſt mons magnus & impleuit vniuerſam terram. Ioſeph in ſenectute gignitur, quia Chriſtus in vltima mundi ætate venit & plus omnibus à patre diligitur. Ille tunicâ polymitâ induitur, Chriſtus humanitate pario perfectionis & virtutum genere ornatâ. Ille ad fratres, hic ad Iudæos carne fratres mittitur viſitandos. Illi fratrum occuſatio & ſomnia rerum futurarum odium pepererunt, huic redargutio Pharizæorum peccantium & prædicatio regni futuri. Manipulus adoratus eſt Chriſtus ipſe, quem omnes Prophetę, Apoſtoli, B. Virgo, & Angeli, velut Sol & Luna & ſtellæ adorarunt. Fratres de morte Ioſeph cogitant, Iudæi de nece Chriſti. Ille tunicâ exuitur quæ ſanguine hœdi tincta fuerat, Chriſtus humanitate proprio ſanguine tinctâ in qua vt hœdus hoſtia pro peccatis factus eſt. Ille in ciſternam veterem mittitur, Chriſtus deſcendit ad inferos emittens vinctos ſuos de lacu in quo non erat aqua, Zachariæ 9. v. 11. Ille venditur 20. argenteis, hic 30. Ille in Ægyptum abducitur, Chriſtus inter gentes crediturus. Tangunt nonnulla horum Hieron. lib. 1. aduerſus Iouinianum. Tertull. lib. cont. Iudæos cap. 10. & l. 3. contra Marcionem c. 18. ſed maximè Ambroſ. lib. de Ioſeph toto cap. 3. & Serm. 81. de Tempore apud Auguſt.

CAPVT XXXVIII.

1. EODEM TEMPORE Scilicet quo venditus eſt Ioſeph impleto anno ætatis ſuæ 16. Iudas ergo vtpote triennio circiter ante Ioſeph natus erat tunc ferè 19. annorum, & 23. anno pôſt deſcendit cum patrę in Ægyptum. Ex quo patet potuiſſe filiorum eius matrimonia & partum Thamar de Iuda contingere ante deſcenſum in Ægyptum, maximè ſi filius anno circiter 16. vxorem Thamar duxerit. Tres enim hi filij triennio circiter ſe videntur ætate ſuperaſſe. D. Auguſtin. qu. 128. in Gen. videtur admittere, quòd illud *eodem tempore*, ſignificare poſſit aliquantulum ante venditum Ioſeph. Interponit Moyſes hanc hiſtoriam ex abrupto, vt genealogiam Chriſti texeret qui ex Thamar & Iuda ortus eſt.

8. NEQVAQVAM IN CONSPECTV DOMINI: id eſt, verè & intolerabiliter nequam. D. Auguſt. l. 22. contra Fauſtum c. 84. vocat malignitatem qua noceret aliis, ac diſtinguere videtur peccatum Her à peccato Onan. Alii tam Hebræi quàm Chriſtiani idem ferè peccatum intelligunt, nempe mollitie aci retractionis in concubitu; hac tamen differentia quòd Her illud commiſerit ex libidine, ne concipiendo & pariendo vxoris pulchritudò læderetur; Onan ex inuidia ne fratri primogenitus filius accenſeretur.

ET AB EO OCCISVS EST. Ex quo patet enormitas illius peccati; quam & Ethnicus Poëta agnouit, qui illud ſcelus ingens vocauit, & mollem comparat homicidæ.

9. INGREDERE AD VXOREM FRATRIS. Ne familia fratris intereat. Poſteà hoc lege ſancitum eſt, ſed anteà vſu receptum, ſicut & alia nonnulla legalia, vt Sabbatum, diſcretio animalium immundorum, circumciſio, abſtinentia à ſuffocato & ſanguine.

11. ESTO VIDVA. Videbatur enim hoc ſpecioſo titulo, Thamar à matrimonio ſuæ familiæ excludere velle, & filio ſuo aliam vxorem quærere: quod quia illam non la-

tebat, hinc artificium iſtud in Iudam commenta eſt.

14. Depositis vidvitatis vestibvs. Erant enim olim viduis peculiares veſtes, vt patet in Iudith, ſicut & nunc.

Assvmpsit theristrvm, id eſt, velum æſtiuum: quo ſe tegeret ne agnoſceretur. De quo dixi cap. 24. v. 65. eſt enim peplum ad tegendam faciem, quo etiamnum vtuntur fœminæ multis locis.

Sedit in bivio itineris. Vbi, inquit Hieron. diligentiùs debet viator aſpicere quodnam iter capiat. Fecit hoc vt ſic in oculos Iudæ incurreret. Nam in biuiis olim ædificari ſolitas fornices ſeu cauponas fornicarias inſinuat Ezechiel c. 16. v. 15.

16. Nesciebat enim qvod nvrvs sva esset. Hoc addit, vt conſtet non inceſtu peccaſſe Iudam vel inchoato adulterio, ſicut fecit Thamar, ſed ſimplici tantùm fornicatione. Excuſat eum ab omni peccato Rabbi Moyſes Maymonis tertiâ parte Moræ c. 49. eò quòd fornicatio ante datam legem eſſet licita, ſicut congreſſus cum vxore, & merces meretricis eſſet ſicut dos eius. Sed fornicationem eſſe iure non tantùm diuino, ſed etiam naturali peccatum contra humanam ſocietatem, docet Auguſt. tum alibi ſæpiùs, tum lib. 22. contra Fauſtum cap. 61. Quod autem aliqui, vt Theodoretus q. 94. & latiſſimè Ambroſ. lib. 3. in Lucam, videntur excuſare Thamar, illi non volunt factum excuſare, ſed facti circumſtantias, vt quod non voluptatis, ſed prolis cauſa ex ſtirpe Abrahę ſuſcipiendæ fecerit: & quod Deus aliquid illo facto ſignificare, & quaſi prophetare voluerit. Nam in factis hominum, quæ ad imitandum proponuntur, magnopere intereſt bona an mala ſint: ad ſignificandum verò aliquid per illa facta nihil intereſt ſicut nihil intereſt legentis vtrum ex minio reperiat ſcriptos nigros Æthiopes, & atramento candidos Gallos vt Aug. hoc declarat lib. 22. contra Fauſtum cap. 83.

24. Prodvcite eam vt combvratvr. Poſt crimen conuictum & partum, inquiunt multi, qui benignius de hac Iudæ precipitatione ſentiunt. Sed ex textu difficulter hoc colligi poteſt; potiùs enim indicat, inauditam & immediatè ad ipſam ignis pœnam, productam fuiſſe à Iuda non tamquam accuſatore, ſed Iudice, ſicut & ipſe re intellectâ pœnam videtur remiſiſſe. Nam Patriarchæ tamquam regiâ pollentes authoritate iudices ſuarum familiarum fuerunt. Decernitur autem ei combuſtio, quia non erat ſui iuris, ſed deſponſata filio Iudæ.

26. Ivstior me es. Non quaſi non abſolutè grauiùs peccaſſet, ſed deſiderium habendę prolis quo ducta ſe ſocero ſuo ſuppoſuerat minus culpandum iudicat, quàm libidinoſi concubitus ardorem, quo ipſe velut ad meretricem victus intrauerat, vt ait Aug. lib. illo 22. cap. 61. & latiùs Ambr. lib. 3. citat in Lucam. Indicat pręterea ſe ei dediſſe cauſam quęrendi talem concubitum, pręſcindendo ſpem habendę prolis ex filio, ſicut cum ea pactum fuerat, & indirectè eam cogendo ad caſtitatem. Vnde Ambr. Illa experiri voluit exactorem ipſum ſuæ caſtitatis.

Vltra non cognovit eam. Sicut nec Sela filius Iudæ, qui aliam videtur duxiſſe vxorem, vt aliqui colligunt ex c. 26. v. 19. Vterque ab ea abſtinuit propter affinitatem: nam ſi vir & vxor iam non duo ſunt ſed vna caro, non aliter nurus eſt deputanda quàm filia, vt Auguſt. loco citato.

27. Ligavit coccinvm, id eſt, filium coccineum, ſiue quia primò obuium fuit, ſiue ſuperſtitionis cauſa, ſicut in Sileſia & Morauia etiamnum fieri, teſtis eſt Delrio. Videtur hoc feciſſe obſtetrix, ne qua confuſio fortaſſis orietur, vter cenſeri deberet primogenitus. Hoc enim ſignificatur illis verbis:

28. Iste egredietvr prior. Hebraïcè *egreſſus eſt* id eſt, cenſeri debet prior natus, ſi quaſi ſimul naſcantur, quia prior manum protulit. Sed ſe deceptam in eo videns dicit altero fratrem illum præuertente.

29. Qvare divisa est propter te maceria? id eſt, quare rupiſti membranulam illam ſecundinarum, quæ veluti ſepes gemellos concluſos tenet, vt ante fratrem exires, & ei præriperes primogenituram?

ram? Vnde ei nomen Phares inditum quaſi diuiſio, aut diuiſor ſecundinarum, ita Hier. in Tradit. Ex quo patet hæc verba obſtetricis non eſſe referenda ad Zaram, vt multi faciunt, qui manu diuiſerat ſecundinas, ſed ad ipſum Phares egreſſu ſuo diuidentem illam maceriam.

30. QVEM appellauit Zara, id eſt, orientem, inquit Hieron. ſiue quia primus apparuit, ſiue quod plures iuſti ex eo nati ſint, vt lib. 1. Paralip. videre licet.

Allegoriam capitis huius ab initio vſque ad verſum 27. id eſt, vſque ad pactum Thamar, vide fusè apud Aug. lib. 22. contra Fauſtum à cap. 84. vſque ad 87. Myſterium verò partus gemellorum explicuit breuiter Irenæus lib. 4. cap. 42. fuſiſſimè Ambroſ. lib. 3. in Lucam ad v. 33. cap. 3. & accuratè Theodoretus quæſt. 95. in Gen. Nam Zara populum credentem ſignificat, in cuius manu coccinum, id eſt, fides paſſionis Chriſti: manum præmiſit, id eſt, exiguam partem corporis ſui ſiue paucos iuſtos ex fide ante legem; naſcitur ante eum Phares, id eſt Iudæi ſeu lex & circumciſio veluti media inter præcedentes & ſequentes: inde naſcitur totus Zara, id eſt, tota gentilium ſeu credentium Eccleſia ex fide ſanguinis Chriſti iuſtificanda.

CAPVT XXXIX.

6. NEC QVIDQVAM ALIVD NOVERAT. Non Ioſephus, quaſi commendaretur eius abſtinentia, ſed herus Ioſephi, vt ſenſus ſit, Tantam fidem habuit Ioſepho, vt nihil rerum ſuarum ſatagens in vtramque aurem dormiret, nec vllas rationes accepti vel expenſi exigeret, tantùm menſæ accumberet & frueretur iis quæ à Ioſeph apponerentur: patet ex verſu 8. ex ſimili phraſi infra verſ. 23.

ERAT AVTEM IOSEPH PVLCHRA FACIE. Non affectata venuſtate, ſed gratia naturali. Hoc ſe pulchriorem ratus ſi non diſpendio caſtitatis, ſed cultu pudoris ſpecioſior probaretur.

7. POST MVLTOS DIES, id eſt, poſt decem vel vndecim annos captiuitatis, cùm eſſet circiter 27. annorum. Nam anno 30. liberatus eſt ex carcere, in quo amplius biennio fuerat, vt patet cap. 41. verſ. 1.

INIECIT DOMINA OCVLOS IN IOSEPH. Non vt anteà inculpatos, ſed laſciuos. Itaque vt Ambr. lib. de Ioſeph, cap. 5. non ipſe ſe oſtentauit nec cœpit incautam, ſed illa retia ſua miſit, & ſuis hæſit vinculis. Vnde rectè ibidem monet, vt diſcant viri cauere etiam oculos fœminarum. Nam quamuis quando ars deeſt & faceſcit illecebra, nullum ſit crimen decoris, amantur tamen etiam & qui nolunt amari.

DORMI MECVM. Prima adulteræ oculorum tela fuerunt, ſecunda verborum. Sed qui non capitur oculis, poteſt verbis reſiſtere, inquit Ambr. quia facilis eſt defenſio, vbi adhuc liber affectus eſt.

8. ECCE DOMINVS MEVS. Indicatur hîc primum frænum quo retinebatur animus Ioſeph, reuerentia erga Dominum ſuum, cui vt mancipium ſeruiebat.

OMNIBVS MIHI TRADITIS. Secundum eſt gratitudo in herum tam beneficum, qui omnia fidei eius commiſerat.

9. PRÆTER TE. Tertium eſt fidelitas in herum, quia à te me prohibuit, vt habent Hebræa.

QVOMODO ERGO POSSVM HOC MALVM FACERE? Quartum eſt horror turpitudinis flagitij.

ET PECCARE IN DEVM MEVM? Quintum & potentiſſimum horror offenſæ diuinæ, quæ ex tot humanis conſiderationibus iam tactis redundabat in Deum grauiſſima: quo timore & Suſanna perculſa fortiter in tentatione ſtetit, vt indicatur Danielis 13. v. 23. Hæ ſunt totidem ſplendidiſſimæ virtutes ſanctiſſimi adoleſcentis, quibus accedit ſexta indicata illis verbis.

10. HVIVSMODI VERBIS PER SINGVLOS DIES, &c. Nempe inuicta conſtantia aduerſus tam violentam & aſſiduam tentationem in illa ætate & conditione.

11. CVM OPERIS QVIDPIAM ABSQVE ARBITRIS FACERET. Ad faciendum opus ſuum, inquiunt Hebræa, id eſt, opus ex officio ſibi incumbens, quod Chaldæus exponit, *Cùm chartas rationum reuolueret.* Hinc excuſat eum Ambroſius, quia etſi

iuſtus debuit præuidere ne furenti mulieri copiam adoriendi daret, & eius illa peccato periret, tamen neglecti officii etiam à Domino cauere debuit offenſam. Deinde, inquit, adhuc ſermonis non comprehenſionis putabat audaciam. Itaque excuſatur quod ingreſſus eſt, prędicatur quod elapſus.

12. Relicto pallio fvgit. Non extorſit vi, quod ei facilè fuiſſet, propter reuerentiam dominę, non precibus aut rationibus propter periculum ſuum. Contagium enim iudicauit, ſi diutius moraretur, ne per manus adulteræ libidinis incentiua tranſirent, inquit Ambr. lib. de Ioſeph. c.5. Vnde Hieronym. lib. 1. contra Iouinianum comparat hac eadem de cauſa tactum iſtum morſui tabidiſſimæ canis, cuius virus ſerpit etiam per veſtimenta. Itaque apud Aug. ſerm. 250. de tempore rectè monetur, contra libidinis impetum apprehende fugam ſi vis obtinere victoriam, Quod ex illo Apoſtoli 1. ad Corint. 5. *Si fugite fornicationem*, omnes viri ſpirituales vnanimiter commendant. Meritò itaque magnus vir Ioſeph, qui venditus ſeruile neſciuit ingenium, adamatus non redamauit, rogatus non acquieuit, comprehenſus aufugit.

16. Retentvm pallivm ostendit marito. Ita ingenium mulierum eſt, nihil audacius & impudentius illis deprehenſis, facillimè enim ex amore in odium migrant. Vnde vt Proſper parte prima Prædictionum cap. 27. Amat & perſequitur, concupiſcit & ſæuit.

19. Nimivm credvlvs. Quia vt obſeruauit Philo lib. de Ioſeph, non animaduertit veſtem eſſe indicium violentiæ, ſed muliebris, patientię verò & modeſtiæ adoleſcentis. Nam ſi dominæ vim inferre voluiſſet, pallium retinuiſſet, & vt fortior facilè extorſiſſet. Deinde nimium credulus, quia inaudita cauſa damnauit. Notat & alio ex capite modeſtiam Ioſeph Ambroſius Epiſtola 19. quod cum calumniam iſtam ſuſtineret, maluit falſum crimen ſubire quàm verum referre. Vox eius non audiebatur, ſed innocentia loquebatur. Nam faciliùs maritus vxori quam ſeruo ſine teſtę loquentibus crediſiſſe.

Geſſit & hic Ioſeph Chriſti typum, quem explicat Proſper loco proximè cit. Sed aptius Rupertus hîc; mulier enim Ægyptia eſt Synagoga, quæ Chriſtum purum hominem credens adulterino complexu amplecti voluit carnalia bona ab eo exſpectando. Ipſe pallium, id eſt, litteram & ceremonias legis eis relinquens, fugit foras ad gentes. Quamquam Ambroſius cap. 6. ſignificari velit, quod Chriſtus carne velut veſte exutus ad carcerem inferni deſcenderit, in quo ſicut Ioſeph tres annos, ita & ipſe tres dies fuit.

Capvt XL.

1. ALiqvantvlvm temporis flvxerat. Hebraïcè eſt, *Et fuerunt per dies in carcere*, quod Pagninus tranſtulit, *Et fuerunt per annum in carcere*. Dies enim abſolutè ſolent pro anno Hebraïcè poni, ſicut in Hebræo clarè patet Leuit. 25. v. 29. vbi ſimilis phraſis à noſtro tranſlata eſt, *donec vnus compleatur annus*. Similiter Iudicum 17. v. 10. Significatur ergo eos ſub Ioſeph in carcere fuiſſe per vnum annum: cùm ergo cap. ſequenti v. 1. dicantur fluxiſſe adhuc duo anni, ſcilicet à liberatione principis pincernatum ante ſomnium Pharaonis, ſequitur triennium & fortè amplius fuiſſe Ioſeph in carcere. Porrò pro *principe carceris*. Hebraïcè eſt *princeps militum*, id eſt, ipſe Putiphar dominus primus Ioſephi tradidit eos Ioſepho. Vnde videtur ille Putiphar fuiſſe præfectus cuſtodię regiæ & aulæ: nam ad ipſum ſpectabat miniſtros regios punire.

5. Vidervnt somnivm ivxta interpretationem congrvam sibi: id eſt, quiſque vidit ſomnium prænuntians id quod congrua interpretatio Ioſeph & euentus patefecit.

8. Et non est qvi interpretetvr nobis. Non quaſi deeſſent in Ægypto qui munus iſtud profiterentur, ſed quia poteſtas conſulendi deerat per carcerem. Vnde Ioſeph quaſi conſolando dicit.

Nvnqvid non Dii est interpretatio (id eſt, non propterea deſperetis: ſolius Dei eſt ſomnia interpretari, vnde

poteſt & mihi Dei cultori ſolutionem inſpirare.

13. POST QVOS INCHOATOS. Quia conuiuium Regis contingit die tertio.

19. AVFERET CAPVT TVVM. Hebraïcè additur, *deſuper te:* quod clarè ſignificat capitis truncationem. Vnde Philo Iudæus lib. de Ioſeph vult prius decollatum, & poſteà in cruce ſuſpenſum fuiſſe. Quamquam alii velint minus congruè ſignificati tantùm eius interfectionem in cruce.

ET LACERABVNT VOLVCRES. Quia quamuis Deut. 21. v. 23. eadem die cadauer ſuſpenſi ſepeliri iubetur, gentiles tamen ſinebant illud in cruce putreſcere.

Suggerit hîc inſignem Tropologiam D. Ambroſius lib. de Ioſeph, de fluxa gratia Principum. Ioſeph etiam hîc figuram Chriſti expreſſit, vt explicat Proſper parte 1. de prædictionibus cap. 18. Nam duo in carcere cum Ioſeph conſtituti ſunt, duo latrones cum Chriſto crucifixi; quorum vnum puniuit Chriſtus per debitum ſupplicium, alterum per indebitam gratiam liberauit. Quamquam Rupertus latiùs & exactiùs hoc prædeſtinationis & reprobationis myſterium exponens, etiam Pharaonem velit geſſiſſe figuram Dei; duos Eunuchos generis humani peccato damnati: ex quo pro beneplacito ſuo vnum gratis liberat, alterum iuſtè condemnat.

CAPVT XLI.

1. POST DVOS ANNOS, à liberatione principis pincernarum. Hæſit ibi tam diu Ioſeph, vt culpas quibus & ſancti obnoxij ſunt tam diuturna afflictione dilueret, & ſic in hoc tempus ſomnii Pharaonis eius liberatio ſeruaretur. Eò enim dirigebat Deus variam iſtam fortunam Ioſeph. Nam & iſtam eandem cauſam fuiſſe notat Thodor. q. 98. in Gen. cur non permiſerit Deus Iacobo innoteſcere captiuitatem filij, vel Ioſepho eam patri ſignificare, ne ſcilicet redemptione conſilium Dei impediretur, de implendis ſomniis Ioſeph, de nutriendo mundo per induſtriam Ioſeph, de ducendo Iacob cum omni familia in Ægyptum, & de cæteris quæ in poſteris eius adimpleta fuerunt, & Abrahamo iam olim prædicta cap. 15. Gen. verſ. 13. & ſequentibus.

PVTABAT SE STARE SVPER FLVVIVM, id eſt, iuxta Nilum, ſiue in terra altiore quam Nilus, & ſic ſæpè ſumitur *ſuper* pro *iuxta*, vel *prope*, phraſi Hebraïca, vt clarè patet Gen. 24. verſ. 13. & obſeruat Auguſt. quæſt 132. in Gen.

2. ET PASCEBANTVR IN LOCIS PALVSTRIBVS, id eſt, in pratis aliquantò ſcilicet à flumine remotioribus, quo ſignificatur vbertas primorum annorum: ſicut contra quòd macræ boues paſcebantur.

3. IN IPSA AMNIS RIPA: ſignificatur ſequentium annorum ſterilitas. Vbertas enim Ægypti non oritur ex fluuiis, vt in Europa, ſed ex ſtata & annua Nili exundatione quæ quò maior fuerit eò annus fertilior, quò minor eò ſterilior: rigat enim Nilus terram & limo quaſi fimo obducit.

9. CONFITEOR PECCATVM MEVM. Non obliuionis Ioſephi, vt quidam putant, talis enim præfatio potiùs nocuiſſet ei apud ſuperbum Regem: ſed peccatum quo te olim offendi. Hoc enim aulicæ adulationi magis congruit: nam ita liberalitatem regiam efferendo animum eius ſibi conciliat.

16. ABSQVE ME DEVS, &c. LXX. *ſine Deo non reſpondebitur*, &c. quaſi dicat. Non putes me mea ſagacitate tibi reſponſurum: eſt Deus qui, licet per os meum, tibi reſpondebit proſpera, vt ſpero. Amolitur enim errorem illum humanum, quo dona Dei homines hominibus tribuere ſolent, bonorum fonte neglecto.

26. SEPTEM BOVES, &c. SEPTEM ANNI SVNT, id eſt ſeptem annos ſignificant: eſſe enim figurarum eſt ſignificare. Hinc etiam *Petra erat Chriſtus*, quia ſignificabat Chriſtum. Ita vtrumque locum explicat & regulam iſtam tradit Auguſt. qu. 57. in Leuit. Similes locutio erat capite præced. verſ. 12.

34. & 35. QVINTAM PARTEM FRVCTVVM CONGREGET IN HORREA. Nempe regia, præter illud, ſcilicet quod quiſque priuatim ſibi reponere poterit.

ET OMNE FRVMENTVM, nempe illius quintæ partis, SVB PHARAONIS POTESTATE CONDATVR. Quinta verò pars ſufficie-

bat, tum quia in penuria parciùs viuitur, tum quia illa quinta pars facilè tanta fuit in tam magna frugum abundantia, quantus totus prouentus mediocris vbertatis aliorum annorum, vt colligitur ex v. 49. Accedit quod etiam in ipſa ſterilitate aliquid ſeminatum fuerit, vt ex c. 47. liquet, & aliquid veriſimiliter collectum, vt proinde per hyperbolen dictum videatur cap. 45. verſ. 6. nec arati poſſe nec meti.

42. TVLITQVE ANNVLVM DE MANV SVA, ſignatorium ſcilicet ad obſignanda quælibet decreta. Traditio enim annuli traditionem poteſtatis continet, & amoris magni indicium eſt: ſic enim & Alexander tradito annulo ſibi ſucceſſorem deſignauit.

VESTIVITQVE EVM STOLA BYSSINA, id eſt, veſte byſſina: ſtola enim Græcis generaliter veſtis eſt. Quæ ſit inter byſſum, ſericum, goſſipium, & bombicinum apud antiquos diſtinctio, magna contentio eſt. Hoc conſtat, byſſum fuiſſe non partum vel opus alicuius vermis, quomodo nos eo nomine vulgò vtimur, ſed fuiſſe lini ſpeciem valdè pretioſi, quo magnates veſtiebantur

TORQVEM AVREAM, id eſt, catenam auream, vt ornamentum in proſperitate, vt vinculum in aduerſitate, inquit Philo. Populus enim plerumque non virtutem, ſed fortunam reſpicit.

43. FECITQVE EVM ASCENDERE SVPER CVRRVM SECVNDVM. Hebraïcè additur, *qui ſibi*, id eſt, qui erat Regis currus. Currus ergo erat Regis in quo vehebatur is qui erat ſecundus à Rege tamquam Regi proximus. Currus enim & olim & nunc dignitatis indicium eſt, vt ex facto Abſalon & Adoniæ regnum affectantium patet 2. Reg. 15. & 3. Reg. 1. verſibus primis.

VT OMNES GENV FLECTERENT. Hebraicè eſt, *Abrech*, quod transfertur dupliciter, vel vt ſit vna vox Hebraica ſignificans *flecte genu*, vel vt Hebræi & Hier. in Tradit. vt ſint duæ voces ſignificantes *pater tener*, vt ſignificetur, inquit, quod iuxta prudentiam quidem pater omnium fuerit, ſed iuxta ætatem tenerrimus adoleſcens. Sic enim infrà Ioſeph c. 45. v. 8. quaſi explicans vocem ſibi acclamatã dicit ſe eſſe *quaſi patrem Pharaonis*. Nam intimi conſiliarij Regum & maximè primus inſtar patris olim habebatur. Vnde Artaxerxes dicitur Aman coluiſſe patris loco Eſther 13. v. 6. Et Præfecti prætorio appellabantur patres ab Auguſtis, vt patet ex litteris Conſtantini ad Ablauium. Itaque velle eſſe vocem Ægyptiam, cùm manifeſtè radicem Hebraïcam præ ſe ferat, eſt diuinare ſine fundamento. Non enim eſt nomen propriũ, ſicuti id quod ſeq. v. 45.

44. EGO SVM PHARAO. Iuramentum eſſe voluit: ſed iuramenti nullum indicium. Significat ergo ſe eſſe Regem, & idcirco ſe & velle & poſſe efficere vt omnes eius nutui obediant, quod hyperbolica phraſi explicat

45. SALVATOREM MVNDI. Hebraicè ſignificat vt ait Hier. in Tradit. abſconditorum repertorem ſeu reuelatorem. Et ſic multi exponunt ad radices Hebraïcas reſpicientes. Sed ibidem Hieron. putat eſſe vocem Ægyptiam ſignificantem, vt noſter tranſtulit, ſaluatorem mũdi, eò quod orbem terræ ab imminente famis excidio liberauerit. Quod Hieron. non ſine cauſa dixiſſe veriſimilius eſt, cùm fuerit ſagaciſſimus indagator propriorum nominum, & Ægyptum quoque luſtrauerit.

DEDITQVE EI VXOREM FILIAM PVTIPHARE. Hunc eumdem fuiſſe herum Ioſephi putant Hebræi, quorum ſententiam Hieron. videtur ſequi, vel certè refert. Sed rectiùs Aug. ſentit fuiſſe diuerſum, quamuis eius argumenta contra Hebræos non concludant, qui fabulantur eum poſtea eiuratum fuiſſe. Sed hoc fabulam olere ſupra diximus. Diuerſum igitur eſſe patet clarè ex nomine, quod c. 37. eſt vnum vocabulum, hîc verò duo, & aliis litteris ſcribitur.

SACERDOTIS HELIOPOLEOS. Hebraïcè *On* dicitur Ptolomæo *O vion* à cultu Solis nomen ei inditum eſt. Ciuitas erat celeberrima in Ægypto, de qua Strabo in Geographia.

46. TRIGINTA ANNORVM ERAT. Ex quo patet 14. annos Ioſephum velut mancipium & captiuum ſeruiiſſe. Cui loco ſi iungas alium c. 47. v. 9. quo Iacob poſt 9. annos, id eſt, 7. fertilitatis & 2. famis dici-

tur ſtetiſſe coram Pharaone & fuiſſe 130. annorum, firmum fundamentum habemus Chronologiæ vitæ Ioſeph & Iacob, vt ſuprà etiam notandum eſt.

47. In manipvlos redactæ segetes. Prudentiæ hoc fuit ſingularis, cuius quatuor dat rationes Philo lib. de Ioſeph. Præcipuæ ſunt, ne frumenta tegminibus nudata citiùs vitiarentur, & vt iumentis ſimul ſeruaretur pabulum, quibus & culmi & paleæ prodeſſe poterant.

51. Oblivisci me fecit Devs. Manaſſe enim ſignificat, obliuiſci faciens, ſicut Ephraim, creſcens. Carpit hoc loco Ioſephum Caluinus, quaſi honoris dulcedine obnubilatam habens mentem in Ægypto ſibi placuerit, & ab Eccleſia exulauerit, vel ferè à Dei grege diſceſſerit. Sed impudens hęc calumnia eſt in eum quem Scriptura teſte Sapientiæ 10 v. 14. Sapientia non dereliquit venditum, & mendaces oſtendit eos qui maculauerunt eum. Nihil enim aliud ſignificat Ioſeph, quàm ſe Deo gratias agere quòd tanto honore & commodis ſe cumulauerit, vt non opus eſſet ampliùs, ſicut antea, ad commoda paternæ domus aſpirare. Nam quanta in Deum paternamque domum pietate poſteà fuerit, liquet ex ſequenti hiſtoria.

54. In vniverso orbe fames prævalvit, id eſt, regionibus Ægypto vicinis, Chananæa, Syria, & cæteris. Nam vſu Scripturæ vniuerſus orbis ſeu omnis terra, vt eſt infrà v. 56. ſæpè non ſignificat totum omnino terrarum orbem, vt patet Lucæ 2. vbi dicitur ab Auguſto iuſſus deſcribi vniuerſus orbis, quem Romani numquam poſſederunt: & vox Apoſtol. dicitur exiuiſſe in omnem terram, cùm nec hodie hoc rigoroſè accipiendo implètum ſit, & omnem dubitationem tollit v. 5. c. 2. Actorum. Eſt & hîc Ioſeph luculenta figura Chriſti, quam tradit Proſper prima parte prędictionum c. 29. Ioſeph enim è carcere eductus eſt Chriſtus ex inferis reſurgens & exaltatus coram gentibus: ſomniorum expoſitio de rebus futuris, eſt Euangelij prædicatio: honoris inſignia, gloria corporis & animæ: præco eum præcedens Ioannes Baptiſta: nomen ei datur Saluatoris mundi: horrea per Ægyptum, Eccleſiæ gentium: annona collecta pabulum veritatis ex Scripturis & Patribus congregata. Vide de his latiùs Proſperum itemque Ambroſ. hîc cap. 7. & fuſiſſimè Rupertum.

Capvt XLII.

8. Fratres ipse cognoscens. Ex tanto enim numero facilè erat vel vnum cognoſcere, & inde cæteros, maximè quia Ioſepho non poterat eſſe dubium in tanta fame & aduentantium multitudine eos quoque eſſe venturos.

Non est cognitvs ab eis. Tum quia anno 17. ab eis auulſus fuerat; poſt quam ætatem maximæ ſolent mutationes fieri, tum quia nulla ſuſpicio in eos cadere poterat tantæ mutationis fortunæ.

9. Exploratores estis. Culpam ſimulationis & mendacii impingit Ioſepho Caluinus, ſicut & obliuionis quod ſomniorum minùs memor fuerit. Sed errat in vtroque: in hoc quidem quia nullum delictum eſt non omni tempore de ſomniis ſuis cogitare: in illo verò quia Ioſeph iſta tamquam iudex iam fratrum factus tentatiuè dicit. Nam reo ſolet iudex multa falſa obiicere, vt ea accuratè poſſit diluere. Verba ſunt igitur non affirmantis ſed obiicientis, cuiuſmodi ſunt & illorum qui veritatem argumentando oppugnant. Fecit hoc Ioſeph duabus de cauſis. Primò, vt ita multarum rerum veritatem de patre & fratre Benjamin, quas ſcire deſiderabat, ex ipſis eliceret. Secundò, vt grauiſſimum illud crimen venditionis ad eorum correctionem puniret. Nam vt D. Greg. Homil. 21. in Ezechielem, memor culpæ & remiſſor iniuriæ, mala fratrum nec reddere ſtuduit, nec ſine purgatione laxare. Nam qui iſto diuinæ diſcretionis ſpiritu carent, aut ſic dimittunt peccata, vt non corrigant, aut ſic quaſi corrigendo feriunt, vt non dimittant. Iudex autem eorum erat factus Ioſeph, quia crimen adhæret perſonæ, & tale erat, vt & ipſimet faterentur intrà ſe meritò ea pati.

Vt videatis infirmiora terræ venistis. Infrà vocantur immunita terræ,

per quæ ſcilicet faciliùs ab hoſtibus Ægyptus poſſit inuadi. Crimen hoc aptiſſimè refellunt, dicendo ſe omnes eſſe filios vnius viri, neque enim ſimul omnes quiſquam pater mitteret ad explorandam terram hoſtilem.

14. Hoc est qvod locvtvs svm, &c. Iterat eiuſdem criminis obiectionem, vt fortiùs refellant, hoc ſenſu, niſi probetis eſſe verum quod de fratre minimo dicitis, meritò habebimini mendaces in cæteris, & exploratores. Nam ſuſpicabatur Ioſeph, vt notat Chryſoſt. hîc, ne quod ipſe expertus erat, ſimile quid in Beniamin fratrem ſuum vterinum ex eodem liuore commiſiſſent.

15. Per salvtem Pharaonis. Hebraicè, *viuit* vel *viuat Pharao*, id eſt, iuro per vitam Pharaonis mihi chariſſimam, vt ſcilicet ita Deus eam ſaluet, vel non ſaluet, ſicut ego verum dico. Imprecatiuum enim ſenſum habet, cùm hoc de creatura dicitur, aſſertiuum cùm de Deo, vt viuit Deus, id eſt, per vitam Dei, ſeu per Deum.

Non egrediemini, ſcilicet non omnes, vnum enim vſque in reditum retinuit. Iterum reperit in hoc iuramento Caluinus quòd meritò, inquit, culpetur, & profanam adulationem vocat; ſed quod ad rationem iſtam iuuandi attinet, rectè D. Thom. docet 2. 2. q. 89. ar. 6. iſtis iurandi formulis non aſcribi diuinitatem creaturæ, ſed obligari rem chariſſimam, v. g. vitam Pharonis Deo in qua exerceatur eius indicium ſi falſat ſicut Apoſtolus. 2. ad Corinth. 1. teſtem Deum inuocat in animam ſuam, vnde non eſt etiam profana adulatio, ſed magna reuerentia erga Regem tam beneficum. Major difficultas eſt in repetito hoc iuramento verſu 16. nec enim ſequitur eos eſſe exploratores, etiamſi falſa dixiſſent, ſed rectè monet D. Auguſt. quæſt. 139. ſenſum eſſe, exploratores deputabimini merito mendacii veſtri, & exploratorum pœna digni; ſicut 3. Reg. 18. verſ. 24. Deus qui exaudierit per ignem, ipſe ſit Deus, id eſt, habeatur Deus.

17. Tradidit eos cvstodiæ tribvs diebvs: pro triplici crimine in Ioſeph commiſſo, mortis intentatæ, proiectionis in ciſternam, & venditionis. Sed cur ſimul Ruben innocentem? quia fortaſſis nocentem putauit cum cæteris. Nam verba Ruben quibus Ioſephum è manu fratrum liberare nitebatur, abſente Ioſeph, dicta fuerant, vt patet c. 37. v. 21. & 23. quamquam ex alio capite nec ipſe Ruben fortaſſis erat omnino innocens, quia tamquam primogenitus fortius reſiſtere potuiſſet, minando delationem ad patrem. Adde denique ſontes cum inſontibus in publica calamitate plecti, quando non poſſunt ſine incommodis excipi.

21. Merito hæc patimvr. Hic eſt effectus afflictionis, vt in ſe redeat peccator, & cauſam quærat, & ita ad pœnitentiam perducatur, quod enim forſitan viginti tres anni efficere non potuerant, triduum afflictionis efficit. Addit Theod. qu. 102. quòd hinc apertè conſtet conſcientiæ iudicium eſſe ineuitabile eò quòd refricet memoriam ſceleris ante tot annos perpetrati, & hoc eſt quod dicunt,

22. En sangvis eivs exqviritvr, id eſt, mors Ioſeph reperitur & punitur, quia miſeriis eum interfectum putabant.

25. Tollensqve Simeon: quia videtur in eo maxima pars culpæ fuiſſe, vt notat Theodor. & ante eum Philo lib. de Ioſeph. Si enim Ruben & Iudæ fauentibus ſuum adiunxiſſet ſuffragium, dubium vix eſſe poſſet, quin facinus non fuiſſet admiſſum.

35. Exterritisqve simvl omnibvs: non ſimulatè, vt quidam putant, ſed vero timore, tum quia cauſam neſciebant, tum quia ſuſpectum meritò eſſe poterat, ne qua fraus à ſe putaretur admiſſa, & ita ſiue redirent ſiue manerent, vel in ſe vel in Simeonem captiuum deuolueretur calumnia. Ita timorem illum exponit Philo. Nam ex v. 28. ſatis patet non niſi vnum ſaccum in via fuiſſe apertum, & ita ignoraſſe quid eſſet in reliquis: capite verò ſequenti v. 21. videtur poni numerus pluralis pro ſingulari.

39. Absqve liberis me esse fecistis. Hyperbólica locutio, ab effectu turbato expreſſa. Amantibus enim ac dolentibus ſi pauca deſint, omnia deeſſe putantur. Talis eſt & illa verſu ſequente.

37. Dvos filios meos interfice, nam inhumana illa & turbida periphraſi tantùm ſignificat, certò certiùs ſe illum reducturum. Quomodo & in his quæ iſto capite narrantur Chriſti figuram Ioſeph expreſſerit, vide Proſperum lib. de prædi. cir. cap. 50. & Rupertum hîc.

Capvt XLIII.

6. In meam hoc fecistis miseriam. Præbendo occaſionem per multiloquium veſtrum. Quid enim erat opus loqui de Beniamin? & ita ſolum occaſio ſignificabatur, non finis. Quamquam fortaſſis ſuſpectum habens eorum affectum in liberos Rachel, etiam taxare voluerit eorum iniquiorem animum.

9. Ego ſvscipio pvervm. Phraſi Hebraïca puerum vocat, quia minor erat cæteris. Nam alioquin erat circiter viginti quatuor annorum, vtpote natus cùm Ioſeph venderetur, id eſt, cùm eſſet 16. annorum.

Nisi redvxero, ero peccati revs. Ingenua & reuerentiæ plena oblatio: animo enim ingenuo nihil grauius eſt quàm violaſſe æquitatem & honeſtatem, ac vultum eius quem amat & reueretur, erubeſcere. Vnde Origenes notat Hom. 14. in Leuit. multò grauius fuiſſe id quod obtulit Iudas, quàm quod Ruben: ideoque patrem id pluris æſtimaſſe committendo filium illi non huic.

11. Modicvm resinæ. Galbanum eſſe volunt, qui eſt ſuccus arboris. Et storacis: eſt lachryma arboris quæ ſtyrax appellatur, vnde nominatum eſt vnguentum quod capillis cum odore flauedinem conciliat. Et sthactes, multi volunt Pſ. 44. v. 9. vocari guttam, tametſi ſit aliud verbum in Hebræo. D. Baſilius dicit eſſe tenuiſſimam ſpeciem myrrhæ. Nam quod liquidiùs exprimitur gutta dicitur, quod craſſiùs myrrha. Et terebinthi: arborem pro ſucco ponit, qui vulgò *termentina* dicitur.

16. Introdvc, &c. occide victimas. Hebraicè, *macta mactationem*: iubet enim animalia occidi, non ad ſacrificium, ſed ad conuiuium, & ita ſæpè victima in Scriptura ſumitur maximè in Hebræo, quaſi materialiter, pro animali quod in ſacrificium Deo mactari ſolet, vt patet Iſaiæ 34. v. 6. & alibi.

23. Probatam ego habeo, id eſt, mihi ſolutam deputo & fateor me accepiſſe, quod Hebraicè clariùs legitur; *pecunia veſtra venit ad me.*

32. Seorsim Ioseph, &c. Tres ergo erant menſæ: vna pro Ioſeph ſolo, tamquam præpoſito totius Egypti: altera pro fratribus, tertia pro proceribus Ægypti.

Qvi vescebantvr simvl, id eſt, in eodem triclinio. Nam profanvm pvtant convivivm, quod ſcilicet fieret in eadem menſa cum Hebræis, partim quia ex ſuperbia vitam paſtoralem auerſabantur, partim quia Hebræi Deos Ægyptiorum oues ſcilicet & boues & cætera animalia ſolebant occidere & comedere, vt indicatur Exod. 8. verſ. 26.

33. Sedervnt coram eo, quia vt Philo lib. de Ioſeph, nondum diſcumbendi mos receptus erat.

Primogenitvs ivxta primogenita sva. Hebraicè, *iuxta primogenituram ſuam*, id eſt, loco qui ei iure primogeniti debebatur, ceu primo: & ſic cæteri iuxta ætatis ordinem, & vltimus Beniamin.

Et mirabantvr nimis, partim, quòd illo natiuitatis ordine tam exactè eſſent collocati à Ioſeph, vel eius œconomo, vt Chryſoſt. notat, partim propter exceſſum partivm Beniamin ſeu miſſuum & ferculorum eius, qvas ab eo acceperant, id eſt, quæ à facie ſeu menſa Ioſeph maioris honoris cauſa ferebantur ad illos: hoc enim clarè indicant Hebræa & LXX. qui verterunt *tulerunt partes ab eo ad illos.* Maior autem pars venit ad Beniamin.

Ita vt qvinqve partibvs excederet. Aliqui volunt quinque fercula fuiſſe miſſa & in ſingulis duplum habuiſſe Beniamin: ſic enim accepiſſet quintuplo ampliùs: ſed difficulter ex textu hoc poteſt colligi. Alii quinque fercula eum amplius accepiſſe volunt quàm reliquos fratres, eò quòd Hebraïca dicant eum multiplicaſſe donum Beniamin quinque partibus. Sed noſter textus ponit exceſſum in magnitudine,

quòd ferculum Beniamin quintuplo maius fuerit, & hoc ſignificat illa *multiplicatio*, id eſt, augmentum in Hebræo. Fecit hoc ad oſtendendum maiorem affectum erga Beniamin vt erga fratrem vterinum: & vt ſic filii Rachel, qui non erant niſi duo, filiis Liæ qui ſeptem in vniuerſum erant æquarentur, vt voluit Demetrius, cuius verba ex Alexandro Polyhiſtore refert Euſeb. l. 9. de præparatione Euangelica, c. 21.

Et inebriati svnt cvm eo, id eſt, ſatiati & exhilarati. Nam vt Hieronym. in Tradit. Heb. idioma linguæ Hebraïcè eſt vt ebrietatem pro ſatietate ponant. quod & Aug. obſeruat quæſt. 144. in Gen. contra ebrioſos qui ex hoc loco patrocinium ſibi quærebant: nam Pſal. 64. v. 10. dicitur, *Viſitaſti terram & inebriaſti eam.* Nam ita inebriari, vt ebrioſi inebriantur, nec ipſi terræ vtile eſt, quia maiore quàm ſatietati ſufficit, humore corrumpitur, ſicut vita ebrioſorum, qui non ſatietate ſe replent, ſed mergunt diluuio. Quem typum Chriſti geſſerit Ioſeph in tota hiſtoria capitis huius, latè declarant Proſper c. 31. libri ſæpè citati, & fuſiſſimè Ambroſ. c. 8. 9. & 10. in quo peculiariter obſeruandum quòd velint Beniamin figuram fuiſſe ſancti Pauli, qui ex Beniamin ortus fuit. Hic primo itinere hærebat domi, quia Paulus initio paternæ legis vinculis tenebatur. Inde venit ad Ioſeph. quia conuertitur ad Chriſtum: propter illum fratres ſuſcipiuntur, per hunc Iudæi in Eccleſiam vt domum Ioſeh inducuntur. Ille plus amatetur à Ioſeph, hic multò pluribus donis à Chriſto donatus eſt: vide accuratiùs ſingula in citatis.

Capvt XLIV.

2. Scyphvm argentevm. Fecit hoc Ioſeph vt experiretur quo animo eſſent in fratrem Beniamin, & quomodo tuliſſent illam prælationem eius. Anxietas enim pro liberatione, vel neglectus eius oſtenſurus erat vtrum cum fratribus remitti poſſet, an apud ſe deberet retineri, ne quid ſimile cuiuſmodi ipſe expertus fuerat in illum quoque ex ſimili inuidia molirentur. Ita Theodoret. quæſt. 105. Ioſephus, & Philo libr. de Ioſeph. Meritò autem iſta quoque calamitate fratres afflixit, propter cauſam quam diximus c. 42. v. 9. vbi etiam indicatum eſt quomodo non ſint mendacia quæ tentandi gratiâ dicuntur. Et quamuis aliqui peccatum aliquod in iſta calumnia Beniamin innocentis commiſſum putent, non apparet tamen cur ſine peccato non poſſet huiuſmodi leuis infamia quæ ſtatim diſſipatur, aliqui concitari, quando hoc fit in conſeruationem vitæ & libertatis ipſius. Et ſic excuſat factum hoc Auguſtinus. Non enim, inquit, fecit eos calamitoſos, quia totum agebat vt eorum gaudium differretur, & ob hoc agebat, vt eadem dilatione cumularetur.

5. In qvod avgvrari solet. Grauiter Ioſephum peccaſſe, & peccata peccatis cumulaſſe vult Caluinus Patriarcharum vitam vbi poteſt paſſim vellicans: ſed modeſtiore, ſanctiſſimũ virum variis excuſant modis. Aug. q. cit. in Gen. non ſeriò ſed loco dictum putat & ſic non deputari mendacium. Alii non eſſe mentitum Ioſephum volunt quia nihil affirmat, ſed aliis dicendum præſcribit. Sed nec aliis licet mendacia præformare, præſertim talem ſuperſtitionem ſibi imponendo. Vnde rectiùs videtur dici quòd verbum Hebraicum generaliter vſurpetur pro experiri ac tentare & explorare, vt vertunt Aben-Eſra, Thargum, & Paginus, & ſic noſter Gen. 30. v. 27. vertit idem verbum, *experimento didici*, id eſt, ex experimentis conieci & collegi, vnde Virgilius ſi quid veri mens auguratur, & latinæ phraſes vſitatæ in quibus auguror pro coniecto & præſagio ſumitur. Augurari ergo in illo ſcypho, ſolebat id eſt, tentare animos hominum, ſiue abſcondendo illum, vt ſciret fidelitatem fratrum erga Beniamin, ſiue etiam bibendo, ſecundùm illud Poëtæ:

Reges dicuntur multis vrgere culullis.
Et torquere mero quem perpexiſſe laborant.

Quod genus explorandi vocat idem, leue tormentum: & Plato lib. de Legibus eſſe modeſtum, celeberrimum, ſine periculo. Simili ergo modo & ille locus facilè explicari poteſt.

15. An ignoratis qvod non sit similis mei in avgvrandi scientia, id eſt, explorandi occulta; alludit enim ad expoſitiones ſomniorum de rebus futuris propter quas erat celebris factus apud Ægyptios. Non opus igitur eſt recurrere ad alias quamuis non omnino incommodas ſolutiones huius loci, vt quòd nihil affirmet Ioſeph, ſed interroget tantum, & proinde nec mentiatur, nec augurem ſe fateatur: vel quòd ex Ægyptiorum peruulgata opinione loquatur: vel quòd ioco quaſi ſubridendo. Hebraica & lxx. facilem exitum afferunt, quem ponderant. Theodoret. & Auguſt. Legunt enim, *neſcitis quia augurando augurabitur homo ſicut ego?* ideſt, neſcitis augurari ſolere magnantes in dignitate conſtitutos, ſicut ego ſum? vt ſcilicet nihil de ſe aſſerat, ſed de moribus procerum.

20. Et pver parvvlvs. Erat circiter 24. annorum, vt ſuprà dictum eſt, vocatur ergo paruulus, Hebraicè, *paruus*, quia natu minimus, ſic enim idem nomen Hebræum transfertur verſ. 23. & 26. Puer verò dicitur, quia vt Hieron. in Tradit. ad caput 19. Gen. verum eſt illud Hebraicæ linguæ idioma, quòd omnis filius ad comparationem parentum infans vocetur & paruulus. Nec mireris, inquit, barbaram linguam habere proprietates ſuas, cùm hodieque Romæ omnes filii vocentur infantes, quod hodiernum vſque diem in aulis quibuſdam vſitatum eſt. Simili idiotiſmo linguæ dicit Ioſeph.

21. Ponam ocvlos meos svper illvm, id eſt, beneuolus ei ero & fauens, lxx. *Curam illius geram.*

Allegoriam totius capitis perſequitur D. Ambroſ. cap. 9. lib. de Ioſeph. quem Chriſti typum etiam hîc eſſe vult, & Beniamin Pauli: quamuis alii non malè Iudam Chriſti figuram ſtatuant, qui peregrinantium in Ægypto ſuſcepit patrocinium, ac tanquam aduocatus noſter ſe in ſeruitutem, ac mortem prò nobis obtulit.

Capvt XLV.

1. Non se poterat vltra cohibere, id eſt, non poterat ampliùs ſuſtinere perſonam accuſatoris, & reprimere lacrymas quas inuito excutiebat concurſus ille multorum affectuum, tum ſuorum, tum fratrum. Cùm enim ipſe per ſe tenerè amaret fratres, & aliunde tam ſeria eorum eſſet anxietas & conſternatio, & pathetica illa oratio Iudæ, tam ingenuum amorem, ac fidelitatem in Beniamin, & patrem declararet, naturalis compaſſio inuito extorſit lacrymas, ſicut & nunc vel ſolum lecta hiſtoria facere ſolet.

2. Elevavitqve vocem, quæ repreſſa fuerat ſimul cum repreſſione lacrymarum, vnde maiore conatu vtrumque effudit, ita vt proximi etſi egreſſi qui ſatis animaduerterant aliquid ſingulare intercedere, potuerint inaudire verba.

3. Ego svm Ioseph, & inde rumor ad omnes domeſticos proferri. Porrò quia voce tam inopinata velut fulmine in caput ruente percuſſi ſunt, hinc eſt quod præ timore & conſcientia ſceleris.

Nihil poterant respondere, quia timor, vt D. Thomas 1. 2. q. 44. a. 4. impedit operationes externas defectu caloris.

4. Accedite ad me. Hoc dicit ne vel fortuitò verba eius exaudire poſſet quiſquam alius, vt notat Philo venditionis enim erat facienda mentio quam nolebat Ægyptiis innoteſcere. Ex quo patet fides, conſtantia, & æquanimitas Ioſeph in dimittendo & celando fratrum facinore. Porrò hæc manifeſtatio inopinata eſt lucuлentiſſimus typus iſtius conuerſionis poſtremæ, quia fratres Chriſti, id eſt, Iudæi in fine mundi repente Chriſtum à ſe venditum & crucifixum mirabili lætitia & ſtupore tamquam verum Meſſiam & mundi Saluatorem ſunt agnituri. Ambroſius refert ad apparitionem quæ poſt reſurrectionem Chriſti Apoſtolis facta eſt.

5. Neqve vobis dvrvm esse videatvr: vt ſcilicet proptereà vobis inuicem iraſcamini: Hebraicè enim eſt, *Ne ira ſit in oculis veſtris*; hoc dicit, quia nonnulli fuerant præcipui venditionis authores, aliis renitentibus quos non vult idcirco iraſci cæteris: vnde v. 24. eadem de cauſa diſcedentibus dicit, *Ne iraſcamini in via* Vt verò

examinatos metu magis erigeret, conſolatur eos conſideratione diuinæ prouidentiæ & honorum quæ Deus ex facto illo elicuerat, tum pro ipſis, tum pro ſe:

Pro salute enim vestra misit me Devs. Vtens ſcilicet benè facto malo, & dirigens illud in bonum finem fœlicemque hunc exitum: minus enim æſtimantur mala, ex quibus tanta bona præter opinionem cõſequuntur. Vnde diſtinguenda eſt miſſio à venditione: venditio erat ex voluntate venditium & magnum ſcelus permiſſium à Deo; miſſio verò in Ægyptum & exaltatio cæteraque inde conſecuta erant ex voluntate & decreto Dei. Nam niſi fratres hanc occaſionem exequendi eius obtuliſſent, alia via Deus voluntatem ſuam fuiſſet executus, hoc eſt ergo quod ſequitur:

8. Non vestro consilio, &c. quibus non erat curæ quò me Iſmahelitæ abriperent aut venderent, & quid inde vlteriùs ſequeretur.

Sed Dei voluntate hvc missvs svm dirigentis & venditionem & abductionem in iſtum finem quem videtis. Malitiam itaque Deus non facit, tamen cùm ab aliis inuentam poſſit prohibere, non prohibet, ſed vtitur ea ad neceſſarias cauſas, & ipſis qui eam faciunt: nam per illos efficit claros & probatos eos qui ad virtutum gloriam tendunt, vt latiùs explicat. Origenes Hom. 14. in Numeros. Ex quo etiam refutatæ manent blaſphemæ voces quibus Caluinus in hunc locum vtitur, dum inane commentum vocat, quòd Dei tantùm permiſſu, non autem conſilio aut voluntate mala fiant.

10. Habitabitis in terra Gessen. Hebraicè, *Goſen*, quam quidam olim in Arabia eſſe putauerunt, vt ait Hieron. in Trad. Rabbini putant eſſe Thebaïdem, ſed falluntur. Nam Thebaïs eſt in ſuperiore Ægypto æſtu torrida: Geſſen in inferiore, nempe in itinere ex Chanaan. Elegit eam Ioſeph, tum quòd eſſet multum aquis irrigua & paſcendis pecoribus idonea, tum quòd faciliùs inde regredi poſſent in Chananæam ſibi promiſſam à Deo.

12. Qvod os mevm loqvatvr, id eſt, videtis me ipſum eſſe, patrium ſermonem noſtis, vultum agnoſcitis & vocem. Inculcat hoc ne rem tam incredibilem præſtigias eſſe putent.

22. Singvlis binas stolas, id eſt, veſtes. Hebraicè *mutatorias*, quas idcirco noſter binas tranſtulit, vt vna depoſita, feſtiuiori die aſſumi poſſet alia.

Trecentos argenteos. Chaldæus addit, *ſiclos*, & ſic ferè intelligitur, quando argenteus abſolutè legitur in Scriptura, de quo ſuprà.

26. Qvasi de gravi somno evigilans. Hebraicè ſimpliciter. *Cor eius debilitatum eſt* ſeu *elanguit*, quaſi ceſſando à motu, vt exponunt nonnulli. Et inde dici ſtatim volunt.

27. Et revixit spiritvs eivs, ſolito motu cordis redeunte. Noſter per metaphoram rem clarè explicuit, quod ſcilicet tam inopinati nuntii admiratione quaſi ſtupens, & hebes, & elinguis manſerit, & incredulus, ſicuti ſolent, qui ſubitò ex graui ſummo violenter excitantur, viſis verò clauſtris & muneribus, quaſi mente ſibi redditâ ex illo ſtupore & ſpiritu ad officia ſua redeunte, incœperit rem comprehendere & credere, & loqui.

28. Svfficit mihi. Id eſt, non eſt quod quidquam amplius in hac vita deſiderem à Deo, votis enim omnibus meis & ſpei ſufficit vita filii.

Capvt XLVI.

1. Ad pvtevm ivramenti, id eſt, Berſabée, vt vocatur Hebraicè, & exponitur cap. 21. verſ. 31. Hic puteus eſt in via Ægypti venientibus ab Hebron, vbi habitabat Iacob.

3. Noli timere. Timuiſſe igitur & perplexus fuiſſe videtur Iacob de hoc itinere, cauſa erat, quia ex vna parte preſſus neceſſitate famis à Ioſeph prædictæ, cogebatur cum tota familia in Ægyptum migrare: ex alia verò videbatur Dei promiſſis repugnare, ſi fortè poſteritas delinita opibus Ægypti, quæ offerebantur, & à Ioſeph & Rege bene tractata nollet reuerti in Chananæam. Hanc perplexitatem tollit ei Deus dicendo.

4. Ego descendam tecvm, vt dux itineris & cuſtos tui, ac ſeminis tui.

Et inde addvcam te revertentem, ſcilicet in poſteris tuis, hoc enim ſenſu dicit, *in gentem magnam faciam te tibi*, quia poſteri in gentem magnam creuerunt in Ægypto, & illis propriè erat promiſſa terra Chanaan.

Ioseph qvoqve ponet manvs svper ocvlos, & proinde tibi ſuperſtes erit, vt hoc poſtremum officium pietatis tibi præſtet. Magnum enim parentum ſolatium eſſe ſolet, vt amantiſſimi filiorum poſt ſe ſuperſtites maneant, & morientibus præſto ſint.

15. Qvos genvit in Mesopotamia Syriæ, partim mediatè, partim immediatè. Nam ſolos illos ſex filios cum vna filia Dina genuit in Meſopotamia, reliqui nati ſunt in terram Chanaan.

Omnes animæ triginta tres. Ex hoc numero excludi debent Her & Onan, ſicut & Scriptura excludit, dum dicit eſſe mortuos in terra Chanaan. Nam cum iis eſſent 35. includi verò debet ipſe Iabob, alioqui numerus iſte reperiri non poteſt. Aliqui Liam includere volunt, ſed illa videtur mortua ante ingreſſum, vt indicat v. 31. c. 49. nec vlla alia vxorum Iacob hîc commemoratur. Alii Iochabed adiiciunt matrem Moyſis, ſed illa diu pòſt in Ægypto nata eſt. Debet ergo ſuppleri ex v. 8. vt intelligatur cum liberis ſuis etiam ipſe Iacob.

Cvnctæ animæ. Animas pro hominibus dictas a parte totum ſignificante locutione nullus ambigit, inquit Aug. q. 150. in Gen. Non enim animæ egrediuntur de fœmoribus, ſed homines, idque ratione carnis tantùm. Per fœmora autem partes vicinæ ſignificantur, vnde alibi dicuntur filii, fructus ventris, alibi eſſe in lumbis patris. Cunctæ ergo animæ.

Sexaginta sex. Hinc excludi debent tam Iacob quàm Ioſeph & duo filii eius in Ægypto nati, tot enim reperiuntur, illis quatuor excluſis, vnde Scriptura illos adiiciens ſtatim verſ. ſeq. dicit omnes animas ingreſſus in Ægyptum eſſe 70. in qua computatione tres occurrunt difficultates. Prima eſt, de filiis Phares filii Iudæ. Iudas enim duxit vxorem eodem tempore quo Ioſeph venditus eſt, ſcilicet circa annum eius 16. vel 17. vt patet ex initio c. 38. à quo tempore vſque ad iſtum ingreſſum, qui eſt annus ſecundus famis, id eſt, Ioſephi 39. non intercedunt niſi 23. Fieri autem non potuit vt tam paruo tempore Iudas habuerit Selam filium ſuum natu minimum maturum nuptis, vt patet ex v. 14. c. 38. & poſtea ipſe genuerit ex Thamar deſponſatas Selæ, filium Phares, vt eſt ibid. v. 29. & rurſum Phares filios illos duos qui ponuntur hoc cap. v. 2. Proinde quidquid dicant Hebræi, qui volunt omnes fuiſſe natos ante ingreſſum, omninò videtur dicendum, iſtos duos filios Phares natos eſſe in Ægypto, & hîc ingreſſos poni vel quia in lumbis patris ingreſſi ſunt, vel quia ſubingreſſi totum illud tempus comprehenditur, quo Iacob vixit in Ægypto, hoc eſt, 17. anni quibus facilè habere filios potuit Phares.

Altera difficultas eſt de decem filiis Beniamin. Sed quia Beniamin erat circiter 23. aut 24. annorum, tempore ingreſſus, facilè potuit genuiſſe tot liberos ex pluribus vxoribus. Nam pater eius vno ſeptennio genuerat duodecim ex vxotibus non multum fœcundis. Difficultas grauior fit iuxta LXX. qui ponunt aliquos horum filiorum fuiſſe nepotes Beniamin. Sed tunc reſpondetur, ſicut ad primam difficultatem.

Tertia eſt de 70. animabus quæ ingreſſæ dicuntur. Nam LXX. interpretes etſi Deuter. 10. v. 22. nobiſcum conſentiant, tamen tum hoc loco, tum Exodi 1. v. 5. ponunt animas 75. & illos ſecutus eſt D. Stephanus Act. 7. 7. v. 14. Hæretici facilè ſe expediunt. Nam Caluinus non dubitat locum Actorum eſſe librariorum errore corruptum. Sed omnes codices noui teſtamenti Græci & Syriaci conſentiunt, & tempore D. Hieronymi conſenſerunt. Reſpondetur igitur LXX. interpretes addidiſſe vnum filium Manaſſe *Machir* & nepotem *Galaad*. Itemque duos filios Ephraim *Sutalaom* & *Taam* & vnum nepotem ſcilicet *Edom*, qui cum aliis efficiunt 75. Nam ipſi per ingreſſum Iacob in Ægyptum non vnum

diem aut annum intelligunt, ſed totum illud tempus quod vixit Ioſeph, per quem factum eſt vt intraret. Joſeph enim dicitur cap.50. vidiſſe filios Manaſſe & Ephraim vſque ad tertiam generationem, id eſt, vſque ad pronepotes illos iam dictos. Ita ſoluit S. Auguſt. lib. 16. de Ciuit. cap. 40. Sed cur non ſimiliter nepotes aliorum, qui toto illo tempore nati ſunt, accenſentur ingredientibus Ægyptum, ſicut nepotes Iudæ & Ioſeph? Ratio eſt dignitas illarum tribuum, quia vtraque fuit regia, diuiſâ ſcilicet primogeniturâ Ruben in has duas tribus. Ex illa ſunt orti Reges Iuda; ex hac Reges Iſraël. Adde Ioſeph fuiſſe cauſam ingreſſus, & principem totius Ægypti.

14. Viri pastores svmvs. Commendatur hæc vita in Patriarchis, vt ait Auguſt. qu.153. in Gen. quia hæc eſt ſine vlla dubitatione iuſta ſeruitus & iuſta dominatio, cùm pecora homini ſeruiunt non homines, & homo pecoribus dominatur. Iuxta primam illam inſtitutionem, *& præſit piſcibus maris & beſtiis*, &c.

Detestantvr Ægyptii pastores ovivm: tanquam occiſores & comeſtores Deorum ſuorum, colebant enim boues, hircos, & oues. Ex quo colligas humilitatem Ioſeph, qui non eſt dignatus fratres agnoſcere eos qui Ægyptiis erant deteſtabiles.

Capvt XLVII.

2. Extremos qvoqve fratrvm. Aliqui ad ætatem referunt, vt extremi ſint ſeniores ſeu primo nati ex quaque vxore Iacob. Alii ad dotes corporis & animi, idque vel vt extremi ſint præſtantiores & maiores quos eo fine obtulerit vt dominium Ioſeph magis eſſet acceptum Ægyptiis, vtpote qui tales fratres haberet, vt vult Lyranus, vel potiùs extremos, id eſt, viliores aſpectu & magis contemptibiles, ne ad aulam vel militiam aſſumerentur, & earum corruptelis imbuerentur; itemque ne Ioſeph cum fratribus fierent Ægyptiis inuidioſi, ſi in iiſdem ſtudiis occuparentur.

4. Non est herba gregibvs. Cur ergo erat in Ægypto, cùm defectus ille ex communi ſterilitate oriretur? Auguſt. qu. 160. reſpondet, etſi frumenta deeſſent in Ægypto, quæ ex inundatione Nili creſcunt, herbas tamen paludibus non defuiſſe, quia eius indolis ſunt vt magis feracia gignant paſcua, quando aqua Nili minus exundat. Accedit terram Geſſen fuiſſe magis irriguam.

6. Constitve magistros pecorvm meorvm: quæ alebant Ægyptii, vt patet v. 16. ſi non ad eſum, ſaltem ad vtilitatem ex lacte, lana, labore, & venditione capiendam.

9. Dies peregrinationis meæ, quibus tanquam peregrinus ſine fixa ſede totâ vitâ oberraui Meſopotamiam, Chananæam, Ægyptum; & maximè quibus tanquam peregrinus huius vitæ patriam æternam ſanctis pollicitam exſpecto, vt Auguſt. qu. 156.

Centvm triginta annorvm: quibus ſi addas 60. annos vitæ Iſaac quando ei natus eſt Iacob, & rurſum alios 25. quibus Abraham ante natum Iſaac peregrinatus eſt in terra Chanaan, exurgent 215. anni poſt vocationem Abrahæ ex Haran vſque ad ingreſſum in Ægyptum. Et rurſum cùm tunc ageretur annus ſecundus famis, qui erat 39. Ioſeph, ſi ſubtrahas illos triginta nouem annos Ioſeph, ex ætate Iacob, ſequitur Ioſeph natum eſſe anno Iacob 91. qui cùm eſſet decimus quartus ſeruitutis Iacob pro Rachel, ſequitur anno ætatis 77. veniſſe in Meſopotamiam, & ſurripuiſſe benedictionem Eſaü.

Parvi, id eſt, pauci, ſi comparentur cum annis maiorum meorum, vt ſtatim explicat, & maximè cum æternitate ad quam propero.

Et mali, id eſt, laboribus & ærumnis pleni: Iacob enim exemplar fuit patientiæ, ſicut Abraham fidei.

10. Et benedicto Regi, id eſt, cùm fauſta Regi eſſet apprecatus, dicendo ei, vale, vel ſimile quid. Simili modo & ſuprà v. 7. dicitur benedixiſſe, id eſt, bona dixiſſe & apprecatus eſſe Regi: vnde & 2. Regum 14. v. 21. Ioab abiens *adorauit & benedixit Regi*, & Gieſi iubetur neminem benedicere, vt eſt Hebraicè, id eſt, vt no-

ſter tranſtulit, neminem ſalutare: ſic & 4. Reg. 4. v. 29.

11. In Ramesses vt præceperat Pharao. Pharao præceperat dari terram Geſſen, vt eſt v. 6. vnde neceſſe eſt: vt colligit Auguſt. q. 157. Rameſſen eſſe in terra Geſſen: eſt enim vrbs poſteà exſtructa ab Iſraëlitis Exodi 1. verſ. 11. quantumuis vt Hieron. in locis Hebraïcis, olim vniuerſa prouincia ſic vocaretur.

14. E quibus omnem pecuniam congregavit. Nempe ex tota Ægypto & Chanaan, ita vt nihil in eis ſupeteſſet, vt clarè exprimit textus Hebræus.

Et intulit in ærarium Regis. Nihil ſcilicet in ſuum vſum conuertens, vt fit in corruptelis huius temporis. Qua in re magnam abſtinentiam Ioſeph & fidem eius notat Auguſt. q. 159. & Philo lib. de Ioſeph. Quod verò emit & pecora, prudentiam eius arguit, qui & brutis conſeruationes ſtraminum & palearum prouiderat.

20. & 21. Subiicitque eam, &c. et cunctos populos, &c. Hebræus & Chald. clariùs explicant hanc periodum & effectum huius ſeruitutis, videlicet quòd cunctos populos migrare fecerit ad ciuitates, nempe vltro citroque alios aliorum loco collocans: ſic enim noui coloni difficulter poterant ſibi quidquam de nouo vindicare, vtpote remoti ab antiquis ſuis poſſeſſionibus.

22. Præter terram Sacerdotum. Conceſſit hanc immunitatem Pharao ſacerdotibus idolorum, nullo ſcripto iure, ſed naturæ ductus: quod meritò imitari & ſuperare deberent Principes Chriſtiani erga ſacerdotes Dei viuentis, vt conqueritur Theodoret. quæſt. 106. in Gen.

24. Quintam partem regi dabitis. Liberalitas magna: reſtituit enim hoc modo omnes agros ſub onere quintæ partis pendendæ, cùm dimidium exigere potuiſſet. Veriſimile eſt & iumenta eſſe reſtituta ſine quibus terram colere non poterant: & hinc eſt quòd ſubditi tanquam magnopere deuincti gratulantes dicunt ſe lætos ſeruituros regi.

26. Ex eo tempore, &c. regibus quinta pars ſolvitur. Hebraïcè, *Pharaoni*. Ex quo optimè colligit Auguſt. libro locutionum in Geneſim, Pharaonis nomen poteſtatis fuiſſe regalis, quia dixit.

Vsque in præsentem diem, illi enim Pharaoni qui tunc fuit, quinta præſtari non poterat, vſque in hunc diem quo illa ſcribebantur. Conuenit cum Auguſt. Ioſephus, qui ex profeſſo diſputans de cauſa huius nominis lib. 8. Antiquitatum cap. 2. alias 6. negat à primo Rege qui Memphim condidit, ſic vocatos, vt aliqui volebant, ſed docet *Pharao* Ægyptiis ſonare regem, & ſtatim aſſumptum fuiſſe cùm Reges crearentur, etſi antè propriis nominibus diſcernerentur, ſicuti iidem poſt Alexandrum vocati ſunt Ptolomæi à primo eorum Rege Ptolomæo, quamuis erret in eo quòd poſt Salomonem putet non eſſe vocatos ampliùs Pharaones, cùm legamus tempore Ioſiæ Pharaonem Nechao. Itaque minùs veriſimile videtur quòd aliqui ab inſula Pharo ſic vocatos velint: & nimis longè petitum quòd inde dicti ſunt noſtri Barones.

29. Si inveni gratiam, id eſt, ſi aliquid benè de te merui ac tibi gratus ſum, pone manum sub fœmore, iurando mihi hoc ritu, vt dictum eſt c. 24. v. 2 et facies mihi misericordiam et veritatem, liberaliter mihi hoc promittendo, & veraciter exequendo. Petit hoc iuramentum non quaſi diffidens filio, ſed vt adiuratus faciliùs à Pharaone veniam impetraret implendi promiſſi. Vnde Ioſephus cap. 50. hoc iuramentum adeoque proceres Pharaonis interponit ad impetrandam facultatem.

Vt non sepelias me in Ægypto. Mira & inconueniens videtur tanto viro cura iſta ſepeliendi corporis, niſi aliquid altius intuitus fuerit, vt notat Aug. q. 161. vnde idem l. 9. Confeſſ. c. 11. multùm laudat neglectum ſepulchri in matre ſua, quæ anteà tantâ curâ de ſepulchro in patria accipiendo iuxta corpus viri ſui æſtuauerat. Cauſa igitur huius ſollicitudinis in Patriarcha fuit, vt familiam ſuam doceret, Deum traducturum eos ex Ægypto, & aliam daturum terram quam toties promiſerat; nimirum vt ad illam à ſe tantopere creditam & deſideratam ſpem

eorum excitaret, & amorem Ægypti tolleret. Clariſſimè explicat hanc mentem patris ſui Ioſeph moriens c. vlt. in fine, vbi ſimile iuramentum exigit & cauſam dictam adiungit, vt obſeruat Theod. hîc, & Chryſoſt. quamuis credibile ſit vtrumque tamquam veros Prophetas altiùs reſpexiſſe in Chriſtum qui in terra Chanaam erat victurus & ſanguinem fuſurus in remiſſionem peccatorum, quam ab eo ſe adepturos ſperabant: & hoc per iſtam cadaueris tamquam peccati ſepulturam adũbratum eſſe vlt, Aug. q. cit.

31. ADORAVIT DEVM CONVERSVS AD LECTVLI CAPVT. Quia vt D. Hieron in Trad. & D. Auguſt. ex illo ſanctus ac Deo deditus vir oppreſſus ſenectute ſic habebat lectulum poſitum, vt ipſe iacentis habitus abſque difficultate ad orationem eſſet paratus, ſiue hoc fecerit ſimul ad terram promiſſam, vel ad orientem ſe conuertendo, vt quidam putant, ſiue non. Adorando autem egit gratias Deo, quòd mentem illam immiſiſſet filio ſuo. Sed difficultatem affert lectio D. Pauli ad Hebr. 11. v. 21. qui legit ex LXX *adorauit faſtigium* (id eſt caput) *virgæ eius*. Deceptos illos eſſe vult Caluinus, & Apoſtolum deceptos eſſe ſecutum, ne populum nouitate offenderet. Sed quo indicio declarabit potiùs deceptos eſſe Græcos, quàm Rabbinos qui puncta ſubiecerunt; vox enim Hebræa ſine punctis, ſicut olim legebatur, ſignificat & lectum & virgam.

Quid igitur vetat Spiritum ſanctum vtendo ſcripturâ ambiguâ vtrumque ſignificante, vtrumque etiam indicare voluiſſe? Eandem enim Scripturam plures habere poſſe ſenſus litterales, conſtanter. Auguſt. docet, & viri doctiſſimi paſſim tenent. Quod eò faciliùs hîc admitti poteſt, quia vtrumque benè cohæret. Iacob enim lætus de iuramento filii & ad lectuli caput conuerſus adorauit Deum, & ſimul inclinatione corporis adorauit ſummitatem virgæ Ioſeph ſtantis ad lectuli caput & geſtantis virgam ſeu ſceptrum tamquam inſigne ſuæ poteſtatis in manu. Hoc enim faciendô poteſtem honorabat in filio & Deum poteſtatis, authorem adeoque regiam poteſtatem Chriſti cuius typum geſſit Ioſeph. Et hoc ſenſu Concil. 2. Nicenum ſumpſit hinc argumentum pro cultu imaginum. Sed de his latiùs in Epiſtolas Pauli.

CAPVT XLVIII.

5. DVO ERGO FILII TVI, &c. Illatio iſta reſpicit vtrumque membrum, & multiplicationem promiſſam & poſſeſſionem terræ Chanaan, quaſi diceret, Quia Deus mihi generis mei multiplicationem promiſit, volo vt duo filii tui iam nati filii mei ſint per adoptionem & ita mei cenſeantur, ſicut Rubeu & Simeon, vt ſcilicet duo iſti conſtituant non vnam tantùm tribum, quæ vocetur tribus Ioſeph, ſed duas nominibus eorum diſtinctas: & rurſum quia terra Chanaan mihi promiſſa eſt, volo item vt immeditatè quiſque eorum, ſicut cæteri filii mei, hæreditatem odeat in terra Chanaan. Transfrentur itaque hîc ius primogenituræ, quantum ad duplicem portionem hæreditatis, in Ioſeph, vt habetur 1. Paralip. 5. v. 1. quia Ruben primogenitus thorum patris ſui violauerat.

6. RELIQVOS, &c. TVI ERVNT, id eſt, vocabuntur filii tui, quia iſti duo à me adoptati ſunt.

ET NOMINE FRATRVM SVORVM VOCABVNTVR. D. Auguſt. quæſt. 164. in Gen. refert hæc verba ad Ephraim & Manaſſe, vt ſenſus ſit, quod illi duo vocandi eſſent filii Iſraël, ſeu Iacob, ſicut reliqui filii Iacob: & ſic illa verba (*reliquos autem, &c. tui erunt*) eſſe quaſi per parentheſim interpoſita. Sed æquè commodè cum Hieron. referri poſſunt omnia ad reliquos filios Ioſeph, ſi quos gigneret poſteà, vt ſignificet ſcilicet illos adiungi debere ad tribum Ephraim & Manaſſe, & eorum nominibus eſſe vocandos, tamquam appendices eorum.

MIHI ENIM LXX. ex Hebræo transferunt, *ego autem*, vt noſtrum, *enim* ſit continuatiuum. Poteſt tamen eſſe cauſale, vt detur ratio adoptionis Ephraim & Manaſſe, quia Rachel mater Ioſeph præ maturè mortua fuit antequam plures ex ea filios potuerit procreare.

In ipso itinere. Quo ducebam greges fœtas & lactentes, totamque familiam.

Eratqve vernvm tempvs. Quando propter calores cadauera putredini ſunt obnoxia. Addere hæc duo videtur ne miretur Ioſeph, cur ipſam non ſepelierit in ſepultura Hebron ſatis propinqua cum cæteris maioribus, ad quam tantopere capite ſuperiore aſpirauerat.

Qvæ alio nomine appellatvr Bethleem. Quod additum putat Auguſt. quia ad rem pertinebat, quod ibi ſepulta eſſet mater Ioſeph, vbi Chriſtus fuerat naſciturus.

14. Dexteram svper capvt Ephraim. Dextra enim honoratior eſt paſſim in Scripturis, vnde & ad dexteram collocantur ſancti in die iudicii, & Chriſtus dicitur ad dexteram Patris ſedere: atque ita tali manuum collatione præfert ipſum Ephraim Manaſſi, vt patet. verſ. 18. & 19. Cauſa eſt, quòd ſtirps Ephraim eſſet futura numeroſior, bellicoſior, & regno ſublimior, quia reges 10. tribuum ex eo eſſent naſcituri.

Commvtans manvs, ponendo eas decuſſatim, & ita obliquando vt Chriſtum deformarent, inquit Tertull. lib. de baptiſmo cap. 8. quia videlicet exprimebant perfectam figuram crucis vnde paſſim cum Tertull. veteres, vt Cyprian cap. 21. lib. aduerſus Iudæos, Ambroſ. lib. de benedictionibus Patriarch. cap. 1. & Aug. q. 166. docent hac filii iunioris prælatione ſignificari, quòd populus gentium poſterior in crucem credens ſuperaturus eſſet populum Iudæorum priorem de carnali patrum generatione gloriantem. Ille exſpectaturus bona æterna, hic temporalia: quod aptè ſignificatur per manum dextram & ſiniſtram, iuxta illud Prouerb. 3. v. 16. *Longitudo dierum in dextera eius, & in ſiniſtra illius diuitiæ & gloria*, vnde vlterius Theodoretus quæſt. 108. in Geneſim, & ante ipſum Auguſt. in v. 9. Pſalm. 77. declarat paſſim iuniores natu filios ſenioribus eſſe prælatos, vt Caino Abel, Iſmaëli Iſaac, Eſaüo Iacob, Rubeno Iudas & Ioſeph, Zaræ Phares, Manaſſi Ephraim, Aaroni Moyſes, fratribus ſuis Dauid.

15. Devs in cvivs conspectv ambvlaverunt patres, &c. Non dicit, *Deus cui placui*, cùm tanta diuinæ ergà ſe beneuolentiæ indicia ſenſiſſet, & verſu 3. etiam narraſſet, in quo notat Chryſoſt. modeſtiam & pietatem eius.

Devs qvi pascit me, id eſt, qui diſpenſauit & moderatus eſt res meas, atque aluit me ab adoleſcentia. Notat & hîc excellentem eius gratitudinem. Sed quia Iacob ſenſerat, & in viſione Angelorum aſcendentium & deſcendentium per ſcalam, & in tranſitu torrentis Iacob in lucta cum Angelo, Deum exequi benedictiones ſuas miniſterio Angelorũ, hinc poſt inuocatum Deum tamquam omnium benedictionum fontem, inuocat & executores Angelos:

16. Angelvs qvi ervit me de cvnctis malis. Ex quo illuſtre teſtimonium ſumitur, & adiutorii Angelorum & inuocationis eorum: quorum vnum ex altero ſequitur. Eſt enim contra omnem rationem, quòd illius non poſſet peti ſubſidium, cuius ſentimus auxilium: ſicut in rebus humanis hoc apertiſſimum eſt, & eadem in Angelis ratio. Luctantur quantum poſſunt hæretici, vt hunc locum euadant. Caluinus tamquam principium ponit quòd Iacob Angelum hîc ita adiungat Deo, vt eum Deo parem faciat, & idcirco diuinum cultum ei tribuere, dum eadem ab illo, atque à Deo petit, itaque neceſſe eſſe, vt Angelus iſte Chriſtus eſſe intelligatur. Sed errat, executor enim mandatorum & benedictionum Dei, non idcirco fit par Deo, ſi Deo adiungatur in petendo benedictionem, ſicut non fit par ſi ei adiungatur in exequendo benedictionem, ſiue homo fuerit ille, ſiue Angelus. Si enim humanæ protectioni ſe commendare non eſt iniurioſum Deo, vel hominem non facit parem Deo, ſicut heretici coguntur admittere, certè nec commendare ſeſe protectioni ſpirituum, præſertim cùm in miniſterium miſſi ſint propter eos qui hæreditatem capient ſalutis, vt eſt ad Heb. 1. verſ. vlt.

Et invocetvr svper eos nomen mevm. Vt dicantur non filii tui, ſed filii mei tam-

quam adoptati à me; & conſequenter filii Abraham & Iſaac.

20. IN TE BENEDICETVR ISRAEL. Illud, *te*, videtur ad Ephraïm referri, quamuis LXX. legant, *in vobis*, id eſt, benedictiones quas ſibi optabunt Iſraëlitæ, fient per nomina veſtra, tamquam per exemplar benedictionum, dicendo; FACIAT TIBI DEVS, &c.

21. DO TIBI PARTEM VNAM. Scilicet prædium; quod eſt circa ciuitatem Sichar, ſeu Sichem, vt exponitur, Ioan. 4. v. 5. vbi poſteà oſſa Ioſuë ſepulta ſunt tanquam in poſſeſſione filiorum Ioſeph ſitam.

EXTRA FRATRES TVOS, id eſt, præter ſortem fratrum, quia eximo iſtam futuræ diuiſioni terræ Chanaan, & iam nunc illam ſpeciali donatione tibi do.

QVAM TVLI, &C. IN GLADIO ET ARCV MEO. Gladium & arcum Hieron. intelligit iuſtitiam Iacob, qua meruit interfecto Sichem & Hemor, de periculo liberari; vel pecuniam qua emit agrum illum, ſed vtrumque valde improprium. Plerique probabiliter volunt poſt diſceſſum Iacob & Sichem Amorthæos vicinos inuaſiſſe locum emptum à Iacob quos poſteà reuerſus iterum gladio & arcu, id eſt, armis expulerit, ſicut his verbis videtur dici; nam probationis alterius nullum alibi veſtigium eſt. Sed nihil prohibet intelligere cum Chryſ. quod locum illum acquiſiuerit ſibi in gladio & arcu, quando Simeon & Leui, & cæteri fratres vrbem & agrum Sichem populati ſunt, & ſibi bello ſub egerunt, vt clarè ſentit Ambr. lib. de benedictionibus Patriarch. c. 3. Nam quamuis pater & viuens, & moriens vim iſtam damnaſſe videatur propter multiplices exceſſus, qui in ea contingerunt, vt ſup. notatum eſt, non tamen damnauit effectum inde conſecutum, quòd ſcilicet agrum illum ſibi poſteriſque ſuis ſæpè promiſſum, iure belli ſibi comparauerit. Et quia Ioſeph, vt inquit Aug. qu. 167. in Gen. præcipuâ ſignificatione Chriſtum præfigurauit, & ei datur illa terra, vbi Iacob diſperdiderat obruendo Deos alienos, vt eſt c. 35. hinc inquit, præfiguratur allegoricè Chriſtus poſſeſſurus gentes Diis patrum ſuorum renuntiantes, & credentes in eum.

CAPVT XLIX.

1. CONGREGAMINI. Mos enim priſcus fuit, vt morituri filiis benedicerent, & ſalutaribus monitis eos inſtruerent, quia profundius in animum dimitti extrema morientis verba ſolent. Hinc Spiritus ſancti afflatu ſæpè ſimul prophetias de rebus quæ futuræ erant,

IN DIEBVS NOVISSIMIS, id eſt, poſteà ſecuturis, admiſcebant. Quod hoc loco imprimis manifeſtum eſt. Magis enim continent verba Iacob prophetiam rerum futurarum quàm benedictionem, vt obſeruauit Theod. qu. 109. & Ambr. hîc Huius moris luculenta exſtant exempla, vt Iſaac c. 27. & Iacob reſpectu filiorum Ioſeph. cap. præced. Moyſis Deut. 33. Dauid 3. Reg. 2. Tobiæ c. 14. illius lib. Mathathię 1. Machab. 2. & ipſius Chriſti Domini Ioan. 14. & 15.

Prophetia & benedictio Ruben.

3. RVBEN PRIMOGENITVS MEVS. Ordine natiuitatis, & idcirco.

TV FORTITVDO MEA, quia ſignum & effectus fortitudinis, vtpote in robore ætatis meæ genitus.

ET PRINCIPIVM DOLORIS MEI. Quod LXX. hîc & Hieron. Deuter. 21. v. 19. vertunt, *principium liberorum meorum*, quia cum liberis ſtatim, cura, ſollicitudo, ac dolor parentum naſcitur: quod in Ruben maximè locum habuit, quia per inceſtum cum vxore patris principium, ſeu præcipua doloris cauſa patri fuit; hoc enim hîc perſtrictum eſſe vult Origenes Hom. 17. in Gen.

PRIOR IN DONIS: ſupple fuiſſes, & eſſe debebas. Quæ ſint illa dona luculentè explicat Hieron. in Trad. Heb. & Paraphraſis Chaldaïca, ſcilicet primogenitura, ſeu duplex portio hæreditatis, ſacerdotium, & regnum. Sed propter peccatum eius primogenitura trãſlata eſt in Ioſeph, Sacerdotium in Leui, regnum in Iudam, quamquam noſter videatur per *dona* tantùm intellexiſſe ſacerdotium & primogenituram, ſeu duplicem illam portionem, quæ vt eſt Deuter. 21. v. 17. primogenitis debebatur: nam de imperio ſubiicit,

Maior in imperio, quia primogenito fratres quadam quaſi paterna ſubiectione ſuberant, vnde Iſaac primogenitum ſuum dominum fratrum conſtituit Gen. 27. v. 29. & 37. Et quia Ioſeph duas in Iſraël tribus habuit, & conſequenter duplicem portionem in terra Chanaan, itemque partem præ fratribus in Sichem, & ſimul ſceptrũ decem tribuum, hinc 1. Paralip. 5. in initio dicuntur abſolutè primogenita data eſſe filiis Ioſeph.

4. Effvsvs es, impetu voluptatis in libidinem, sicvt aqva, quæ vaſe non tenetur, inquit Hieron. nec habet iudicium continendi ſe. Notat enim præcipitem eius impetum & inconſiderationem in illo facto. Et ideo in pœnam illius.

Non crescas, id eſt, non creſces, tum prærogatiuis illis primogeniti, quæ auferentur tibi, tum conſequenter numero poſteritatis, vt multi volunt, iuxta illud Moyſis Deut. 33. v. 6. de Ruben, *ſis paruus in numero*. Sed vterque locus intelligi debet non abſolutè, quia tribus Ruben erat numeroſior multis aliis tribubus, vt patet n. 1. & 26. ſed comparatiuè reſpectu ſui ipſius ſi non peccaſſet, quia longè auctior fuiſſet, tamquam duplicem ſortem accepturus in terra Chanaan, ſicut in duobus filiis Ioſeph contigit.

Prophetia & benedictio Simeon & Leui.

5. Simeon et Levi fratres, non ſolum natura, ſed maximè ſceleris ſocietate.

Vasa iniqvitatis bellantia, id eſt, inſtrumenta iniquæ cędis quam bellando in Sichimitas perpetrarunt: & hoc conſilium eorum iuuenile ſicut improbauit ſuprà cum fieret, ita etiamnum ſe illud improbare declarat, nec ſe cædem illam ſibi glorioſam exiſtimare.

6. Qvia in fvrore, id eſt, in potenti ira & libidine ſequiendi, occidervnt virvm, id eſt, viros Sichimitas, per enallagen numeri.

Et in volvntate sva, id eſt, eadem illâ vindictæ cupiditate, cui nimium indulſerunt.

Svffodervnt mvrvm, vrbis Sichem, vrbem ipſam ſubuertendo, quod etſi ſuperiùs non fuerit claré expreſſum, indicari tamen potuit verſ. 27. c. 34. quo dicuntur vrbem depopulati.

7. Dividam eos in Iacob, quia Leui nullam ſortem habuit, ſed ſparſus fuit per totum populum Iſraël. De Simeone maior difficultas eſt. Diſperſum eum volunt aliqui quia habitauit in medio tribus Iudæ, Ioſue 19. v. 2. & 9. ſed hæc non eſt diſperſio. Verius factum dixerimus 1. Paralip. 4. v. 39. & 43. vbi dicuntur nouas ſedes quæſiuiſſe, vt obſeruat Hieronym. in Tradit. Et maximè quia ex tribu Simeon orti ſunt Scribæ ſeu legiſperiti, vt notauit Chaldæus, & ex noſtris Tertull. lib. contra Iudæos c. 10. & 3. contra Marcionem cap. 18. itemque Ambroſ. hic. Itaque ſicut Leuitæ per totum populum Iſraël fuerunt diſperſi, Deo propter vtilitatem publicam vertente pœnam in beneficium; hinc Tertullian. & Ambroſ. cenſent Patriarcham hîc propheticè deteſtari Conſilium quod contra Chriſtum inierunt Scribæ & ſacerdotes; quia in furore ſuo occiderunt *virum*, ſeu viros, id eſt, Prophetas & Apoſtolos, & *ſuffoderunt murum*, ſeu vt LXX. tranſtulerunt, *ſubneruauerunt taurum*, id eſt, in Chriſtum neruos eius clauis ſuffigendo deſæuierunt? vnde & diſperſi ſunt in omnes qui ſpiritualiter Iſraël ſunt.

Prophetia & benedictio Iudæ.

8. Ivda, Hebraicè ſignificat, *laus*, quaſi diceret, meritò vocaris laus:

Te enim lavdabvnt fratres tvi. Sed quia, vt obſeruat Theodoretus, nihil horum in ipſum Iudam quadrat, hinc per Iudam & fratres ipſæ tribus eorum intelligendæ ſunt: cauſæ laudis tanguntur fortitudo, imperium, victoriæ, Chriſtus ex eo naſciturus.

Manvs tva in cervicibvs inimicorvm tvorvm, ad eos vincendos ac tibi ſubigendos. Eſt enim periphraſis perfecti victoris, quo ſenſu Ioſue 10. iubentur ponere pedes ſuper colla regnum. Tribuitur hoc tribui Iudæ, quia fuit numeroſiſſima, & fortiſſima, & maxima bella geſſit feliciter ſub Dauide & cæteris regibus.

Adorabvnt te, tamquam dominum

ac regem honorabunt, FILII PATRIS TVI, id eſt, omnes fratres tui, ſeu omnes tribus. Transfertur enim hîc ſceptrum in tribum Iuda, quod Ruben alioqui debebatur vt primogenito.

9. CATVLVS LEONIS IVDA, id eſt, inſtar catuli leonis erit, qui ſicut fortiſſimus eſt animalium & ad nullius pauet occurſum, ita Iudas fortiſſimus inter fratres ſuos, vt eſt 1. Paralip. 5. v. 2. Per catulum verò peculiariter ſignificatur robur quod iſta tribus habuit in ſuis initiis, tum ſub Moyſe, quia prima dicitur ab Hebræis auſa fuiſſe ingredi mare rubrum, tum ſub Ioſue & Iudicibus, quando interrogantibus Iſraëlitis Dominum, quis futurus eſſet dux belli, reſponſum fuit, *Iudas aſcendet*. Iud. 1.

AD PRÆDAM FILI MI ASCENDISTI. Præteritum pro futuro ponitur, id eſt, aſcendes ad prædam tamquam victor de ſtratis hoſtibus. Significatur enim tantam eius fore fortitudinem, vt potiùs ad prædam quam ad prælium aſcenſurus ſit. Significatur ſecundus regni Iudaici ſtatus ſub Dauide, qui maximis victoriis & prædis clarus fuit: quò ſpectat nomen *Leo* quod ſequitur, & Hebraicè ſignificat leonem iam viribus confirmatum. Et quia finis bellorum eſt pax & pacifica regni parti fruitio, hinc.

REQVIESCENS ACCVBVISTI, ſeu accumbes, VT LEO, vt ſcilicet præda iam parta & pace fruaris, ET QVASI LEÆNA, quæ leone ferocior ac terribilior eſt.

QVIS SVSCITABIT EVM? id eſt, quis audebit eum bello laceſſere ac pacem eius turbare? Hebraicum, *Leæna*, etiam leonem ſignificat, ſed maiorem ætate & conſequenter viribus ac prudentia, quo ſignificari putant tertium ſtatum illius regni ſub Salomone. Et hic quidem hactenus videtur eſſe de tribu Iuda ſenſus litteralis, ſicut Hieron. in Tradit. & Theodor. qu. 109. agnoſcunt. Sed quia ſequens apertiſſima de Chriſto propheria eſt, hinc plerique veterum etiam omnia præcedentia de Chriſto exponunt, vt Origenes Hom. 17. in Geneſ. Cyprianus Epiſtola 63. & maximè Ambroſius, vnde Auguſt. lib. 12. contra Fauſtum c. 42. dicit hæc in Chriſto euidentiſſima luce claruiſſe: Nam ſenſu ſaltem allegorico Spiritum ſanctum in Chriſtum reſpexiſſe non eſt dubium. *Iudam* igitur, id eſt, Chriſtum, *laudabunt fratres*, Apoſtoli, & vniuerſa Eccleſia, quam non dedignatur fratres ſuos vocare, *Manus eius in ceruicibus inimicorum*, quia mundum ac diabolum ſubegit, & vniuerſos ſibi aduerſantes depreſſit. *Catulus leonis* dicitur, itemque *Leo*, quia vt Hilarius in Pſalm. 131. & filius Dei eſt & ipſe Deus, vel vt Theodor. hîc & in Pſalm. 71. & rex eſt vt Deus, & filius regis Dauidis. *Ad prædam aſcendit*, quia morte crucis domum fortis intrauit & ſpolia eius diripuit, nam verbo, *aſcendiſti*, genus mortis eius eſſe ſignificatum tradit Auguſt. 16. de Ciuit. cap. 41. vel quia infernum deprædatus eſt captiuam ducens captiuitatem cùm aſcendit in cœlum. *Requieſcens* per mortem, quando inclinato capite tradidit ſpiritum. *Accubuit vt leo*, ſiue per ſepulturam, ſiue quia etiam in ipſa morte non eſt victus, ſed vicit vt leo, iuxta Auguſt. vel vt Hilar. ſuprà, quia vt leo terror eſt omnium vigilans & ſecurus in ſomno: ita ſolus Chriſtus per confidentiam & ſecuritatem dormiuit intrepidus. *Quis ſuſcitabit eum*? quia nullus hominum ipſum ſuſcitauit, ſed ſicut à ſomno ipſe ſurrexit. Quod verò de mortuis catulis leonis à leone poſt triduum ſuſcitatis referunt, vide apud Origenem Homil. 17. & Phyſiologum apud Epiphan. & Iſidorum, penes quos ſit fides.

10. NON AVFERETVR SCEPTRVM, id eſt, principatus cuius inſigne ſceptrum eſt, DE IVDA, ſeu gente Iudaïca. ET DVX, Heb. *Legiſlator*, id eſt, princeps qui authoritate ſua leges ſe rendo Iudæis imperet. DE FOEMORE EIVS, qui ſcilicet nauce ſit de Iudaïca ſtirpe & non alienigena. Obſeruare enim videtur ordinem rerum in prophetia; nam poſt reges ſucceſſerunt à Babylonica captiuitate Duces.

Sed magna difficultas eſt quomodo in Iuda ſeu tribu eius hoc impletum ſit, cùm conſtet Machabæos tamquam ſacerdotes fuiſſe ex tribu Leui de ſtirpe Ioiarib ſacerdotis, de quo 1. Machab. 2. v. 1. & 1. Paralip. 24. v. 7. Aliqui volunt eos maternum genus

duxiſſe ex tribu Iuda,alii etiam paternum: ſed primum incertum eſt, & quamuis certum eſſet, nihil ad rem faceret. Nam vt Iudæi dicere ſolent, familia matris non eſt familia, ſecundum verò apertè falſum eſt,vt ex locis citatis patet, & quia Pontifices fuerunt,qui teſte Apoſtolo ad Heb. 7. verſ.13. & 14. de tribu Iuda eſſe non poterant. Reſpondeo igitur Iudam non accipi pro ſola tribu Iudæ, ſed pro tota gente quæ ab ipſo denominata & ipſius tribui poſteà quodammodo incorporata fuit, hoc ſenſu: Imperium gentis Iudaicæ non auferetur ab ea ita vt decidat in alienigenam, donec veniat Rex ille regum Meſſias. Ita ferè antiqui Patres, Theod.quæſt.vlt. Auguſt. lib 18. de Ciuit. c.45. & ex profeſſo Euſebius lib.3. de demonſtratione Euang. cap. 2. & lib. 1. Hiſtoriæ c.6. & alii plures, qui ferè videntur difficultatem iſtam præteriiſſe, & tanquam euidens ac certum habuiſſe, non poſſe de ſola tribu Iudæ intelligi, tametſi aliqui minùs hiſtoriam attendentes de illa tribu expoſuerint. Idcirco tamen ſub nomine Iudæ Spiritus ſanctus vaticinium illud edidit, quia vt latè oſtendit Euſeb.lib.8.de demonſtratione Euangelica, à tempore Moyſis vſque ad Chriſtum tribus illa maxima, nominatiſſima & authoritate prima, adeoque vt Euſeb.loquitur, totius gentis princeps fuit: quod maximè poſt captiuitatem Babylonicam fuit. Tunc enim tribus illa cum paucis ex tribubus Beniamin Leui & aliis in Palæſtinam rediit: vnde tam exigua cæterorum fuit habita ratio, vt tum primùm omnes Iudæi ſint appellati, & terra Iudæa, & gens & regnum Iudæorum, ſicut præter Euſebium teſtis eſt Ioſephus lib. 11. Antiquit. cap.5. vnde conſequenter etiam regnum cenſebatur iſtius tribus, etſi principes ex alia tribu imperarent. Itaque ad Iudam hæc dirigendo quæ genti Iudaicæ conuenirent, ſignificare Spiritus ſanctus voluit futurum vt illo tempore, quo hæc erant implenda, omnium tribuum commune nomen eſſet *Populus Iudæ*, ſiue Iudæi, & *terra Iuda* ſiue Iudæa, loquens ſicut poſteà vſus loquendi viguit.

Quod verò aliqui ſe magis genuine hoc explicare poſſe putant etiam de ipſa præcisè tribu Iuda intelligendo, quia ſcilicet ius regni & electio regis ſeu principis manſit ſemper apud illam tribum, etiamſi eſſet ex illa tribu, ſicut regnum Poloniæ manet quamdiu corona & ius eligendi regem manet; tolleretur verò ſi quis per vim ſe regem conſtitueret, videntur multùm falli. Nam primò ſic regnum Iudæorum non defeciſſet etiam per alienigenam ſi Iudæi in illum conſenſiſſent, ſicut Ioſephus narrat Iudæos poſtea iuramentum fidelitatis Herodi præſtitiſſe. Secundò defeciſſet, ſi quis etiam per vim ex gente Iudaïca ſe regem conſtituiſſet: quod aliquoties factum eſſe conſtat ex Ioſepho. Sic enim Antiochus conſtituit pontificem impium Iaſonem, vt eſt 2. Machab. 4. verſ. 10. quem poſteà priuauit pontificatu ſubſtituto fratre eius Onia, qui & Menelaüs dictus eſt, vt eſt lib. 12. Antiq. cap. 6. Tertiò à captiuitate Babylonica vſque ad Machabæos ſumma poteſtas & gubernatio Reipublicæ fuit apud pontifices, vt expreſsè teſtatur Ioſephus 11. Antiq. cap. 4. Nam ſucceſſio ducum ex tribu Iuda qui afferuntur à Iudæis, prorſus incerta eſt & fabulis mixta, & magis habuit locum in Babylone quàm in Iudæa. Pontifices autem erant ex tribu Leui, nec electione per tribum Iudæ aſſumebantur, ſed ſucceſſione filiorum, vt patet 2. Eſdræ 12. verſ. 10. & 11. vbi recenſentur omnes pontifices vſque ad Iaddum qui ſub Alexandro Magno præfuit: & quidam poſteà per vim ab Antiocho intruſi ſunt. Rurſum in ſtirpe Machabæorum filii ſucceſſerunt parentibus ſine electione, ſimulatque filios habuerunt, vt patet ex Hircano Simonis filio & ſequentibus. Immò Ariſtobulus vxori Salomone quæ & Alexandra dicitur teſtamento reliquit, cui nouem annis præfuit, prout hæc ex variis locis Ioſephi maximè lib. 13. Antiq. patent.

Ex quibus omnibus manifeſtum eſt non poſſe dici quòd ius regni & electio Principis fuerit penes tribum Iuda, prout diſtinguitur à tribu Leui; ſed tantùmmodo prout Iudas ſignificat gentem Iudaïcam, ſicut ſu-

mitur Malach. 3. v. 4. & 1. Machab. 1 v. 30. 54. 57. & paſſim alibi. Et iſto ſenſu non fuit ablatum ſceptrum à Iuda vſque ad Herodem, qui fuit primus Rex alienigena genere Idumæus. Ex quo firmum argumentum ſumitur aduerſus Iudæos. Certum enim eſt ſceptrum præſertim hoc tempore omni modo eis ablatum eſſe. Quod enim ipſi fabulantur ſceptrum illud continuari in gentibus orientalibus à Zorobabele propagatum & poſteris Hillelis, quorum ſucceſſionem anxiè numerant & fabulis miſcent, nimis apertè falſum eſt, vt oſtendit iam olim Origines lib. 4. Periarch. cap. 1. & maximè hoc tempore liquet, cùm ibi regnent Perſæ, Turcæ, Tartari. Vnde veritas expreſſit Rabbino Dauidi Pimchio Chriſtianis infenſiſſimo, vt fateretur Prophetiam Oſeæ 3. v. 4. nunc in Iudæis adimpleri; quando, inquit, nobis neque Rex eſt, neque Princeps ex Iſraële, nec vllum neque Dei veri, neque idoli colendi inſtrumentum. Et hinc eſt, quòd Doctores ſuos in Sanedrim deterrent à curioſa aduentus Meſſiæ inquiſitione hoc anathemate: *Inflata dirumpantur oſſa eorum, qui computant periodos temporum.*

DONEC VENIAT QVI MITTENDVS EST. In LXX. duplex olim fuit lectio. Nam multi Patres legunt, *donec veniant quæ repoſita ſunt ei*, id eſt, quæ promiſſa ſunt Iudæ, vt exponit Auguſt. l. 19. de Ciuit. c. 41. nempe regnum totius mundi in Chriſto, gratia, obedientia, & ſalus humani generis. Alii legunt & veriùs, *Donec veniat cui repoſitum eſt*, ſcilicet regnum omnium gentium, vt exponit Origenes hîc, vel quod in idem redit, id quod promiſſum eſt nouo Teſtamento, vt Auguſt 18. de Ciuitate c. 45. In Hebraico eſt nomen *Scilon*, quod quidnam ſignificet & vnde deducatur, tot opiniones quot capita ſunt. Hoc tamen in eis commodi eſt, quòd eò tendant omnes vt Chriſtum intelligant. Noſter videtur deduxiſſe à *Scalach*, *mitto*, mutato *he* in *chet*, & inſerto *iod*, vt ſignificet miſſum. Quò videtur alludere Ioannes cap. 9. verſ. 7. vbi piſcinam Siloë dixit interpretari miſſus. Reſpexit ad hoc nomen Meſſiæ Moyſes dum dicit Exod. 4. *Mitte quem miſſurus es*, ſenſu ſaltem allegorico, & Chriſtus, cùm ſe toties à patre miſſum inculcat. Nam de Chriſto hunc locum intelligi conſentiunt non modò omnes Chriſtiani quocumque modo eum legerint, ſed & Chaldæus qui apertè vertit *Meſſias*, & antiquiores quoque Iudæi. Iulianus Apoſtata intelligebat Nabuchodonoſor, vt patet ex D. Cyrillo l. 8. contra Iulianum. Sed nimis hoc abſurdum eſt, ille enim non fuit exſpectatio gentium, ſed flagellum.

Sed difficultas mouetur primò quia diu ante aduentum Meſſiæ in captiuitate Babylonica ſceptrum ablatum videtur. Verum ex 4. Reg. vlt. verſ. 27. patet Ioachin in media captiuitate manſiſſe Regem; poſteà verò Zorobabel, Nehemias, & Pontifices ex Iudaica ſtirpe principatum continuarunt.

Secundò mouetur quia Meſſias natus eſt ſub finem regni Herodis. Regnauit autem 37. annos vt Ioſephus 17. Antiq. c. 10. ita igitur ablatum videtur ſceptrum à Iudæis diu antequam venerit Chriſtus. Torniellus ad annum mundi 4018. num. 8. & ante eum Scaliger & Caſabonus volunt Herodem fuiſſe Iudæum, nec proinde per illum ablatum eſſe ſceptrum, ſed continuatum vſque ad captiuitatem Hieruſalem. Sed apertiſſimè repugnant eis Ioſephus poſteris Herodis & penè Herodi contemporaneus, & omnes antiqui Patres, vſque adeò vt Auguſt. dicat 12. contra Fauſtum cap. 42. certiſſimis hiſtoriis etiam Iudæorum oſtendi Herodem fuiſſe alienigenam, ſcilicet Idumæum. Sanctus Iuſtinus Dialogo contra Tryphonem videtur eò tendere, vt ſenſus prophetiæ ſit non auferendum ſceptrum, *donec venerit* & paſſus ſit Chriſtus, ita ſcilicet vt Chriſti aduentus præceſſerit ablationem ſceptri. Quem ſenſum Græca tranſlatio in qua, *veniat*, eſt aoriſtus, facilè patitur. Ipſe verò per ſceptrum ac ducem, ſeu legiſlatorem intelligit generaliter omnem principatum Reipub. Iudaicæ, ſiue per Reges, ac Principes, ſiue per Prophetas, ſiue per Pontifices maximos. Illos enim habuerunt

etiam tempore Herodis & Chriſti vſque ad euerſam Hieruſalem. In qua ſententia nihil intereſt, vtrum Herodes fuerit Iudæus an alienigena, quia ſceptrum ſic acceptum non eſt per ipſum ablatum Iudæis, ſed per captiuitatem Hieruſalem. Sed hæc interpretatio ſingularis eſt, & contra torrentem antiq. Patrum, qui omnes per Principatum intelligunt non Prophetas aut Pontifices ſoli templo vacantes, ſed adminiſtratores Reipub. vt verba ipſa apertè poſtulant. Itaquè dicendum potius illud, DONEC, deſignare non eundem diem aut menſem, aut annum, ablationis ſceptri & aduentus Meſſiæ, ſed idem moraliter tempus, ita ſcilicet vt alienigena per quam auferetur ſceptrum & Meſſias ſe mutuò contingant, ſicut reipſa contigit; nam in tanta annorum multitudine triginta circiter anni pro nihilo habentur.

ET IPSE ERIT EXPECTATIO GENTIVM, id eſt, expectatus & deſideratus cunctis gentibus, vt loquitur Aggæus cap. 2. v. 8. intellige autem Chriſtum non Dauidem, vt Iudæi, quia ille non fuit expectatio gentium, nec in illo defecit ſceptrum Iudæ, ſed potiùs incepit. Per expectationem verò illam ſeu deſiderium duplex aduentus ſignificatur, vnus clarè, alter tacitè. Nam apertè ſignificatur, ſecundus aduentus quo in claritate venturus eſt ad iudicandum. Exſpectari enim deſiderari non poteſt, niſi iam ante cognitus fuerit. Tacitè verò vlterius inſinuatur primus aduentus. Nam, vt Auguſt. lib. 18. de Ciuit. cap. 45. non poſſent eum gentes exſpectare, ſicut eum exſpectari cernimus ad iudicandum, niſi priùs in eum crederent cùm venit ad patiendum. Significatur ergò etiam gentes in Chriſtum tamquam exſpectatiſſimum auidiſſimè credituras, & amorem omnem, ſpem & refugium in eum collocaturas.

11. LIGANS AD VINEAM. Iudæi hæc omnia de Iuda intelligunt, & exponunt de vbertate terræ quam tribus eius obtinuit, quaſi ſignificaretur magna fore vbertas vinearum & vini copia. Sed hæc Iudaica & carnalia commenta ſunt, quæ iam olim exploſit Origenes Hom. 17. in Gen. Eſt enim continuatio ſermonis de illo qui dictus erat exſpectatio gentium, vt patet ex apoſtrophe ad Iudam & relatiuis, *ſuum*, &c. & ſic omnes antiqui intellexerunt, Orig. loc. cit. Iuſtinus Dialogo cum Tryph. Tertullian. 4. contra Marcionem cap. 50. Theodor. & Ambr. hîc, Auguſt. 12. contra Fauſtum cap. 42. & alij paſſim.

LIGANS ergò, id eſt, ligabit Chriſtus funiculis fidei, ſpei, & charitatis. PVLLVM SVVM, gentilium populum tamquam indomitum & rectore carentem, vt Theodoretus, ſiue qui inſtar pulli laſciuientis iugum legis non tulerat quod eos Chriſtus portare docuit. AD VINEAM, Eccleſiam ex Iudæis collectam vt Hieron. in Tradit. quia populus gentium Iudæis inſertus eſt. ET AD VITEM, Heb. generoſam & præſtantiſſimam vitem, id eſt, ad ſeipſum alligabit, ASINAM SVAM, Iudæorum populum cui ipſemet prædicauit, & qui tamquam aſina iugum legis tulerat.

LAVABIT IN VINO STOLAM SVAM, &c. Per *vinum & ſanguinem vuæ*, plerique intelligunt ſanguinem Chriſti, qui tamquam botrus pependit in ligno, vt Aug. Inſinuatur iuxta Iuſtinum habuiſſe ſanguinem non humanâ vi, ſed operatione Spiritus ſancti, ſicut vuis ſanguinem ſeu ſanguineum ſuccum non homo; ſed Deus genuit. Per *ſtolam* autem, id eſt, veſtimentum conſequenter Tertull. & Orig. Hom. 9. in Leuit. intelligunt carnem Chriſti, quam in paſſione ſua ſanguine ſuo lauit, vt ablutis mortalitatis reliquiis glorioſa reſurgeret. Alii verò, vt Iuſtin. & Auguſt. intelligunt Eccleſiam, quam ſibi ſicut veſtem circumdedit: nam in ſanguine ſuo lauit eam à peccatis, vt exhiberet eam ſibi glorioſam. Vnde non incongruè per ſtolam intelligi poteſt caro Chriſti per pallium Eccleſia.

12. PVLCHRIORES SVNT OCVLI EIVS VINO, magis fulgentes ac radiantes ſunt oculi Chriſti reſurgentis quàm vinum: ET DENTES LACTE CANDIDIORES, vt Chriſti glorioſi pulchritudo deſcribatur. Ita quidam. Sed ſicut ſuperiora fuerunt ſymbolica, ita hæc quoque veteres ſymbolicè

ferè accipiũt, vt oculi corporis Chriſti quod eſt Eccleſia, ſint illa membra quibus donatum eſt fulgentiſſimâ mentis acie & à rebus temporalibus alienatâ æternam ſapientiæ lucem contueri, vt Aug. vel vt ſint Prophetæ futura prouidentes, vt Ambroſ. hîc. *Et dentes eius*, Apoſtoli ſcilicet ac Doctores qui cibum doctrinæ mandunt populo, & infidelium conuerſione eos in corpus Chriſti transferunt. *Lacte candidiores*, propter vitæ puritatẽ & doctrinæ ſplendorem.

Prophetia & benedictio Zabulon.

13. ZABVLON. Sicut Ephaim poſuit ante Manaſſem, ita Zabulon ante Iſſachar, contra ordinem natiuitatis, quia Chriſtus conceptus eſt in Nazareth, habitauit in Capharnaum, concionatus eſt ibi ſæpius & pleroſque Apoſtolos inde delegit. Zabulon ergò IN LITTORE MARIS HABITABIT, quia ſors eius ab oriente tangebat mare Galilææ ſeu lacum Tiberiadis, & ab occidente mare mediterraneum.

ET IN STATIONE NAVIVM, id eſt, in portubus, nempe Genezareth, Chapharnaum, Bethſaïdâ, Tiberiade, Tariachæâ in lacu Tiberiadis, & Sica[illegible]o in mari mediterraneo.

PERTINGENS VSQVE AD SIDONEM, mediante ſcilicet tribu Aſer quæ inter tribum Zabulon & Sidonem interiecta eſt, vt patet Ioſue 19. v. 28. vel pertingit commercia exercendo terra marique: quamquam clariùs Heb. exprimat, *latus eius ſuper*, ſeu aduerſus *Sidonẽ*, quia Sidoni obuerſum eſt.

Prophetia & benedictio Iſſachar.

41. ISSACHAR ASINVS FORTIS. Hebraicè, *oſſeus*, id eſt, fortiſſimus ac duriſſimus ad ferendos labores tum militiæ, vt patet 1. Paralip 7. verſ. 2. vbi vocantur viri fortiſſimi, tum præcipuè agriculturæ.

ACCVBANS INTER TERMINOS, id eſt, requieſcens inter terminos tribus ſuæ aſſignatos, nempe ſine deſiderio nauigandi ac diſcurrendi per alias tribus ſorte agriculturę contentus. Vnde

15. VIDIT REQVIEM, id eſt, vitam quietam & ruſticam, QVOD ESSET BONA, tanquam vtilis ad comparandas innocentes diuitias, & parandam in quiete ſapientiam. Nam 1. Paralip. 12. v. 32. commendatur tribus Iſſachar eruditio & prudentia in dandis conſiliis.

ET TERRAM QVOD OPTIMA, quia fertiliſſimam & pulcherrimam in Galilæa regionem poſſedit, inquit Hier. Eſt enim in ea mons Carmelus & campus magnus Eſdrelon ita rebus omnibus affluens, vt qui eam viderunt, affirment ſe nihil vnquam perfectius, & in quod natura æquè omnia contuliſſet, aſpexiſſe, vt teſtis eſt Adrichomius.

SVPPOSVIT HVMERVM AD PORTANDVM, id eſt, ad ferendos labores agriculturæ & ad portandum onera fructuum ad mare qui in ſuis finibus naſcebantur, & ideo FACTVS EST TRIBVTIS SERVIENS, ad ęrarium regum comportandis: ita Hieron. ruſtici enim præ cęteris tributis grauati ſolent.

Allegoricè per Zabulon iuxta Rupertum ſignificantur Apoſtoli inde potiſſimum oriundi & Apoſtolici viri qui habitant in littore maris, quia facti piſcatores hominum ſemper intenti ſunt vt eos de ſalſis fluctibus ſæculi extrahant. Per Iſſachar quilibet Chriſtiani, qui accubentes inter terminos vitæ præſentis ex qua nihil appetunt & futuræ quam ſolam deſiderant, animam excolunt virtutibus & humeros piis laboribus ſupponendo, Deo, & proximo tributum dilectionis debitum ſoluunt.

Prophetia & benedictio Dan.

6. DAN IVDICABIT, ſicut ſuprà in Iuda, ita & hic eſt pulchra paranomaſia ſeu alluſio דן ידין *Iudex iudicabit*: quaſi dicat, Etſi ex famula natus ſis, tamen & tu iudicabis populum Iſraël non minùs quàm aliæ tribus. Per quod nonnulli apud Theodoretum putant indicari victoriam Danitarum contra vrbem Laïs, Iudicum 18. v. 27. Hieronymus verò in Tradit. & alii communiùs Samſonem, qui fuit Iudex Iſraël. Ex hac verò benedictione ſubitò auolat ſpiritus propheticus ad mala quæ ex eadem tribu ſecutura ſunt. Nam quamuis Hieron. & alii nonnulli maximè recentiores ſequentia etiam de Samſone exponant eò quòd inſtar colubri & ſerpentis

qui vt equitem deiiciat, equum mordet, Philiſtæis inſidiatus ſit, communiter tamen antiqui Patres ea litteraliter de Antichriſto exponunt, quòd ex tribu Dan ſit naſciturus, ita Ambroſ. & Theodoretus in hunc locum, & Gregor. 31. Moral. c. 10. aliàs 18. & alii. FIAT igitur ſeu fiet Antichriſtus ex Dan naſciturus, COLVBER qui in partis latitans calcaneo inſidiatur, & CERASTES. Serpens eſt cornutus qui hoc aſtu pollet, vt cùm equitem attingere nequit, equi calcaneum vulneret, vt vel equus cadat, vel equitem vi doloris excutiat. Significantur ergo Antichriſtus per dolos, blanditias, hypocryſin, falſa miracula inſidiaturus hominibus, ſiue ambulent IN lata VIA ſæculi, ſiue IN anguſta SEMITA virtutum. Singula magis particulatim explicat Gregorius, apud quem *coluber* ſignificat inſidias Antichriſti. *Ceraſtes* vim & poteſtatem eius, *ambulantes in via* mundanos. *in ſemita* pios, *equus* mundum *vngula* extremitatem ſæculi, *aſcenſor* dignitate ſublimes, *caſus retrorſum* damnationem. Ad quæ mala ingemiſcens Iacob ait, SALVTARE TVVM, &c. id eſt, in tanta ſeductione & perſecutione hoc vnum expectabo vt tu Deus ſalute tua ſubuenias, ſiue ſeductos ad te conuertendo, ſiue reſiſtentes liberando. Nam per ſuum votum indicat quodnam votum eorum eſſe debeat qui tunc temporis victuri ſunt, ſicut & Chriſtus cùm dixit: *Leuate capita veſtra quoniam appropinquat redemptio veſtra.*

Prophetia & benedictio Gad.

19. GAD ACCINCTVS, etiam hîc in Hebræo eſt pulcherrima & continua toto verſu illuſio ad nomen Gad, qua ſignificat iuxta Chaldæum ac D. Hieron. in Trad. quòd tribus Gad bellicoſa futura ſit vt patet 1. Paralip. 5. verſ. 18. & ſeq. & maximè quòd armis accincta præceſſura ſit Iſraëlem per Iordanem in terram Chanaan, vt patet Numerorum 32. v. 17.

ET IPSE ACCINGETVR RETRORSVM, id eſt, eadem ipſa tribus armis etiam accincta retrorſum redibit per Iordanem ſpoliis onuſta in terram ſuam post collocatas in Chananæa cæteras tribus Iſraël, vt narratur Ioſue 22.

Allegoricè ſignificatur quòd Chriſtus præliaturus venturus eſſet in mundum ante populum ſuum & accinctus ſpoliis in cælum rediturus.

Prophetia & benedictio Aſer.

20. ASER PINGVIS PANIS EIVS. Significatur iuxta Theodoretum & pleroſque magna fertilitas frugum & maximè olei in ſorte tribus Aſer, quam etiam prædicit Moyſes Deuter. 33. *Tingat in oleo pedem ſuum.* ET PRÆBEBIT DELICIAS REGIBVS, per delicatos & ſuaues fructus terræ ſuæ.

Significatur allegoricè vt Ambr. lib. de benedict. Patriarch. c. 9. Chriſtus per panem Euchariſtiæ delicias præbiturus iis qui perturbationes ſuas edomitas regere norint.

Prophetia & benedictio Nephthali.

21. NEPHTHALI CERVVS, &c. id eſt, erit ſicut ceruus emiſſus qui timet quidem venatores, ſed in anguſtiis conſtitutus celerrimè perrumpit omnia vt elabatur. Videtur enim reſpicere non tam ad telluris fertilitatem, in qua tribus Nephthali tamquam ceruus ludat & exultet, quàm ad Barac principem ex illa tribu qui initio timuit inſtar cerui, ſed poſteà per Deboram animatus inſtar fulguris (quod ſignificat nomen Barac) percelluit hoſtes, & protriuit omnes, vide Iudicum 4.

DANS ELOQVIA PVLCHRITVDINIS, id eſt, pulchra, cùm cecinit in gratiarum actionem canticum illud pulchrum c. 5. Allegoricè luculentiùs ad Saluatorem cuncta referuntur, inquit Hieron. in Tradit. qui in virtute Spiritus inſtar cerui erumpens in tribu Nephthali, vel maximè docuit.

Prophetia & benedictio Ioſeph.

22. FILIVS ACCRESCENS IOSEPH. Reſpicit ad nomen Ioſeph quod ad addendo, ſeu augendo ei impoſitum eſt Geneſ. 30. v. 24. & per illam repetitionem *accreſcentis*, notat duplicem tribum ex Ioſeph propagatam Ephraim & Manaſſe, quorũ illa fuit numeroſiſſima & fortiſſima, & regia.

Et decorvs aspectv. Talis enim reuera fuiſſe dicitur Gen. 39. verſ. 6. vnde

Filiæ Ægyptiæ, discvrrervnt svper mvrvm, ſiue domorum ſtatum ſiue mœnium ciuitatis, vt de muris, turribus ac feneſtris eum ſpectarent, vt Hier. ſed quamuis ita amabilis eſſet,

23. Exasperavervnt evm, fratres Ioſeph, dum verbis

Ivrgati svnt cvm eo, quando ſcilicet non poterant ei quidquam pacificè loqui, vt eſt cap. 37. verſ. 4.

Habentes iacvla, tum verborum tum factorum ex inuidia procedentium quibus cor eius confixerunt. Sed quid Ioſeph in his omnibus iniuriis? Non elanguit, ſed

24. Arcvs eivs, id eſt, omne Ioſephi robur ac præſidium quo ſe tueretur, sedit in forti, id eſt, in Deo fortiſſimo Iſraël collocatum fuit per ſpem firmiſſimam liberationis. Neque verò eum fefellit ſpes eius, quia

Vincvla brachiorvm, quibus in carcere conſtrictus fuit, dissolvta svnt per manvs, ſiue auxilium potentis Iacob.

Inde, id eſt, idcirco propter opitulationem illam Dei, factum eſt vt egressvs è carcere fieret pastor, ſeu princeps & rector Ægyptiorum, & lapis, id eſt, firmamentum gentis ſuæ & ſtabilimentum populi ſeu filiorum Israel, vt eſt Eccleſiaſtici 49. verſ. 17. Quæ omnia facilè eſt Chriſto Domino applicare ſecundùm explicationes allegoricas quas ſup. in vita Ioſeph dedimus.

25. Devs patris tvi benedicet benedictionibvs cæli, impertiendo benignè poſteritati tuæ omnia quæ de cœlo expectantur, pluuias, rores, ſerenitates.

Benedictionibvs abyssi iacentis deorsvm, id eſt, concluſæ in cauernis terræ, vt opportunè erumpendo per fontes & fluuios terram veſtram irriget ac fœcundet.

Benedictionibvs vbervm, largiendo lactis copiam, et vvlvæ, id eſt, copiam fœtuum ſeu prolium tam pecorum quàm hominum.

Benedictiones patris tvi, &c. id eſt, benedictio, qua ego pater tuus tibi benedico, maior erit quàm benedictio, qua ego ipſe à parentibus meis benedictus fui, ac conſequenter fœlicior eris quàm ego fui imperio Ægypti in te collato, & imperio decem tribuum in filios tuos. In Hebræo enim eſt, *confortatæ ſunt ſuper benedictiones*, id eſt, præ benedictionibus patrum eius. Itaque ſpero eas duraturas.

Donec veniret, id eſt, veniat Meſſias qui ab iis qui ſupra cæteros vt colles eminent Patriarchis, Prophetis, aliiſque ſanctis deſideratiſſimè expectatur: vel etiam donec veniat, id eſt, impleatur deſiderium quo colles illos æternos cœleſtis hæreditatis in cœlo aſſequamur. Fiant, id eſt confluant hæ benedictiones & requieſcant in caput Ioſeph, eò quòd fuerit conuerſatione & vitæ innocentia quaſi Nazaræus, id eſt, ſeparatus à cæteris fratribus & conſecratus Deo. Nam à ſeparatione ab vſu communi, & conſequenter conſecratione ac ſanctitate Nazaræi dicti ſunt. Vnde ſicut in cætera vita, ita etiam in hoc Ioſeph Chriſti Domini veri Nazaræi typus fuit. Vide latè Ambroſium transferentem hanc benedictionem Ioſeph ad Chriſtum lib. de benedict. Patriarch. cap. 11.

Prophetia & benedictio Benjamin.

27. Beniamin lvpvs rapax. Triplex hîc interpretatio, Hebræi teſte Hieron. in Tradit. ferè intelligunt de templo extructo in tribu Benjamin, in cuius altari infinitæ hoſtiæ erant rapaci flamma conſumendæ, & quod reliquum erat ſacerdotibus diſtribuendum. Sed nimis longè petitum videtur. Græci nonnulli vt Theodor. q. vlt. Diodor. & Euſeb. aptiùs referunt ad indolem tribus Benjamin, quæ fuit violenta, & ferox, & bellicoſa: rapiens ab hoſtibus prædas & eas diſtribuens, quod ex illo bello Benjamitico & raptu filiarum Iudicum 20. ferè colligũt. Sed omnes ferè Latini Patres, Tertull. l. 5. contra Marcionem c. 1. Hieron. in Tradit. Ambroſ. hîc Hilarius in Pſal. 67. Auguſt. l. 50. Homiliarum, Hom. 14. c. 3. & albi. Gregor. 18. Moralium cap. 9. aliàs 11. & ex Græcis Origenes Hom. 4. in Ezechielem, exponunt vnanimiter de Paulo Apoſtolo ex tribu Benjamin, qui mane, id eſt,

eſt, prima ætate inſtar lupi rapacis vaſtaturus eſſet gregem Domini, vt perſecuter Eccleſiæ, deinde VESPERE, id eſt, deurgente ætate ſacra eloquia exponendo & prædicando diſtribuet. Magis itaque credendum Hieronymo qui hanc de Paulo Apoſtolo manifeſtiſſimam prophetiam vocat, quàm Caluino, qui parum aptè à noſtris vult ad Paulum torqueri.

CAPVT L.

2. PRÆCEPIT VT AROMATIBVS CONDIRENT PATREM. In quo opere maximè Ægyptii excellunt, inquit Auguſt. lib. de locutionibus in Gen. Vnde corpora ab aliquot millibus annorum condita in hunc vſque diem deuehuntur ex Ægypto in Europam, & medecinæ ſeruiunt. Occaſionem ſumpſit iſta condiendi conſuetudo in Ægypto ex inundatione Nili. Cùm enim tunc non tribueretur eis facultas ſepeliendi, eò quòd aquis tellus eſſet cooperta deſſoſſaque cadauera in ſuperficiem euomeret, hinc aromatibus condita in cellulis ſublimioribus ea collocabant, vt tradit Caſſianus collatione 15. c. 3. vel etiam domi in penetralibus ea ſeruabat, vt ait Cicero 1. qu. Tuſcul. Vnde D. Antonius moriens illam corporis ſui condituram deprecatus vt Athanaſius in vita eius.

De modo condiendi plura Herodotus & Diodorus Siculus.

3. FLEVITQVE EVM ÆGYPTVS. Sub fletu omnis pompa funeris comprehenditur quæ v. 10. vocatur *planctus magnus & vehemens*, & etiam D. Stephano exhibitus. Non enim ſignificatur plangentium exanimatio aut lacrymæ, ſed ornatus funeris & exequiarum frequentia, vt Hier. Epiſtola 25. ad Paulam.

4. LOCVTVS EST AD FAMILIAM PHARAONIS. Vel quia attatus erat, & nefas erat lugentes ad regem ingredi: vel ſignificatur impetrandi difficultas, & conſequenter affectus regis erga Ioſeph, ne fortè ex occaſione profectionis Ioſeph & omnium fratrum in patriam talem virum amitteret; hinc enim allegat adiurationem patris & promittit ſe rediturum, & notanter dicit, paruulos & greges eſſe relictos, ſcilicet quaſi in pignus reuerſionis omnium.

5. QVOD FODI MIHI, id eſt, emi, inquit Delrio, ſed nullum veſtigium eſt quod Iacob emerit ſpeluncam illam, quam olim Abraham emerat, & in qua capite præcedenti ſepeliri voluit: vnde rectiùs fodiſſe dicitur, ſeu excidiſſe, quia in eadem ſpelunca varii loculi excidi aut fodi poterant.

10. VENERVNTQVE AD AREAM ATAD, id eſt, ſpinarum, à ſpinis ita dicta. Situs locus, vt Hieron. de locis Hebraicis, tertio ab Ierico lapide, duobus millibus à Iordane, qui nunc vocatur Bethſagla, id eſt, domus gyri eò quòd ibi more plangentium circuiuerint in funere Iacob. Meritò verò miratur D. Auguſt. quæſt. 171. in Gen. cur locum ſepulturæ facilè quinquaginta milliaria prætergreſſi ſint, vnde putat eos non eſſe profectos breuiſſima illa & recta via per Berſabee, qua Iacob olim venerat, ſed per deſertum longo circuitu, idque vel hoſtium aliquorum vitandorum cauſa, vel ad prophetice ſignificandum quòd Iacob, ſeu Iſraël poſteà per Iordanem venturus eſſet in filiis ſuis ad eas terras poſſidendas, reſpectu ergò huius itineris dicitur ſita hæc area TRANS IORDANEM: nam alioquin eſt in terra Chanaan, & cis Iordanem, venientibus ex Chananæa.

Celebrauerunt autem ibi exequias SEPTEM DIES. Qui numerus, inquit Auguſt. q. 172. in Gen. quietis indicium eſt propter ſabbati ſacramentum: vnde meritò mortuis tamquam quieſcentibus exhibetur. Atteſtatur & ei ſcriptura Eccleſiaſtici 22. v. 13. *Luctus mortui ſeptem dies.*

MADAVERVNT EI, id eſt, ſignificauerunt per internuntium, vt patet ex v. 18. poſtea enim venerunt ad ipſum. Fuiſſe autem iſtud non patris preceptum, ſed ipſorum commentum ex timore & mutuo conſilio excogitatum ſatis colligitur ex initio v. 15. vnde & Ioſeph miſericordia motus propter diffidentiam eorum & anxietatem FLEVIT, & conſolatur eos dicendo.

19. NVM DEI POSSVMVS RESISTERE VOLVNTATI? Hebraïcè eſt, *nonne ſub Deo ego ſum*, ſcilicet cui obedientiam debeo vetan-

ti vindictæ cupiditatem & exaltanti me, vt tum Ægyptiis, tum maximè familiis veſtrisſubuenirem. Hoc. LXX. clariùs expreſſerunt: *Dei ſum ego*, ſcilicet ſeruus & Chadæus, *A facie Dei timeo*. Quem ſenſum Chryſoſtomus Hom. vlt. in Gen. tradit, & noſtra verſio non difficulter patitur, quaſi diceret: Num Dei poſſum reſiſtere voluntati, vt ea quæ ipſe in bonum veſtrum diſpoſuit, ego conuertam in perniciem; & quos ille mea exaltatione voluit eſſe ſaluos, ego damnis & iniuriis afficiam? Nam ſtatim adiungit, quòd Deus malum ipſorum in bonum ſuum ſuum verterit, & ipſius voluntas fuerit, vt illa venditione.

20. EXALTARET ipſum, idque eo fine ac voluntate, vt communi beneficiâ SALVOS FACERET MVLTOS POPVLOS, & conſequenter fratres ſuos & eorum familias. Huic ergò voluntati Dei ſibi obediendum ſignificans ſubiicit.

21. NOLITE TIMERE, EGO PASCAM VOS: quia videlicet ad hoc Dei voluntate exaltatus ſum, cui reſiſtere non poſſum aut debeo. Et hic videtur ſenſus planus huius loci. Nihil igitur cogit, vt ſcelus vendentium ad Dei voluntatem referamus, vt Caluinus putat, ſed potius clementiam indulgendi:

22. FILII QVOQVE MACHIR, id eſt, filius, nempe Galaad, pluralis pro ſingulari, ſicut Latinè dicuntur liberi, etiamſi non ſint vno plures, vt notat Auguſt. 16. de Ciuit. c. 40.

NATI SVNT IN GENIBVS IOSEPH, id eſt, adoptatus eſt à Ioſeph, & tanquam filius exceptus.

24. ASPORTATE OSSA MEA VOBISCVM. Cauſæ huius deſiderii dictæ ſunt ſuprà in ſimili voto patris cap. 47. v. 29. Idem videntur mandaſſe cæteri fratres eius, vt ſentit Ioſephus lib. 2. Antiq. c. 4 & Actorum 7. verſ. 16. generaliter dicit D. Stephanus patres ſuos eſſe tranſlatos in Sichem & poſitos in ſepulchro, quamuis de ſolis oſſibus Ioſeph hoc commemoretur Exodi 13. verſ. 19. & Ioſue vlt.

25 EXPLETIS CENTVM DECEM VITÆ SVÆ ANNIS. Vixit ergò vſque ad octogeſimum annum principatus Ægypti. Nam anno trigeſimo ad illum euectus eſt Gen. 41. v. 46. & anno 39. ſuſcepit patrem in Ægypto. Tranſierant enim 7. anni vbertatis & duo ſterilitatis, qui faciunt nouem à Principatu. Vnde vixit poſt patris aduentum 71. annos qui additi aliis triginta nouem, efficiunt centum & decem. Incidit ergò mors Ioſeph & finis hiſtoriæ Geneſeos in annum à mundo condito bis milleſimum treconteſimum nonum. Quod hoc modo ex Gen. colligendum eſt:

A mundo condito vſque ad annum diluuii totum, incluſiuè fluxerunt anni 1656. vt dictum eſt ad verſ. 11. cap. 7. Gen.

A diluuio finito, id eſt, à primo die poſt diluuium vſque ad natiuitatem Abrahę ſunt anni 292. expleti, vt colligitur ex Gen. 11. à verſu 10. vſque ad 27.

A natiuitate Abraham vſque ad ortum Iſaac anni 100. Geneſis 21. verſ. 5.

A nato Iſaac vſque ad Iacob anni 60. Geneſ. 25. v. 26.

Ab ortu Iacob vſque ad ingreſſum eius in Ægyptum anni 130. Gen. 47. v. 9. cùm autem ille ingreſſus contingerit poſt ſeptem annos vbertatis elapſos & duos famis, hoc eſt, poſt nouem annos principatus Ioſeph, vt patet Gen. 45. v. 6. & conſequenter anno Ioſeph 39. hinc fit, vt addi debeant ab ingreſſu Iacob, ſiue ab anno 39. Ioſeph adhuc 71. anni vitæ Ioſeph, vt ita compleantur 110. anni vitæ eius, & ſic fient ſimul anni poſt diluuium 653. qui additi aliis mille ſexcentis quinquaginta, ſex vſque ad finem diluuii elapſis, efficient ſimul ſummam annorum ſuprà poſitam 2309.

Quod autem Torniellus, Salianus, & alii multò plures annos ponunt ſcilicet 2399 vel bis mille quadragintos inchoatos, hoc inde contingit, quod ipſi putent Abraham natum eſſe anno Thare 130. quem nos poſuimus natum anno eius 70. vt diximus ad verſ. 26. cap. 11. & ad verſ. 4. cap. 12. & ſic accedunt ipſis 60. anni. Rurſum ipſi adiiciunt alios 30. annos pro Cainan, de quo diximus Gen. 11. v. 12. Et ſic adiiciunt ſimul 90. annos. Sed cauſæ cur illi 60. anni ſubtrahi debeant, ſuis locis dictæ ſunt.

Quod autem alii nonnulli vnum annum ponunt amplius, ſcilicet 2310. hoc inde fit, quia in anno diluuii falluntur, quem putant eſſe à mundo condito 1657. cùm ſit 1656. vt dictum eſt Gen. 7. v. 11.

23. LOCVTVS EST FRATRIBVS, &c. & infrà, CVMQVE ADIVRASSET EOS. Ergò fratres Ioſeph videntur adhuc fuiſſe ſuperſtites, & ſic fortaſſis verum erit id quod tradit Author Chronologiæ maioris Hebræorum c. 3. Ioſephum deceſſiſſe ante omnes fratres ſuos. Nam quo anno vitę fratres eius defuncti ſint ex Scriptura non conſtat, niſi de ſolo Leui Exodi 6. verſ. 16. vbi dicitur vixiſſe annos 137. hoc eſt, facile annos viginti duos poſt mortem Ioſeph.

FINIS.

PRÆFATIO
IN EXODVM.

EXODVS Latinè egreſſum ſonat, quod nomen Græci huic libro impoſuerunt à præcipua eius parte, qua egreſſus filiorum Iſraël ex Ægypto verſus terram Chanaan deſcribitur. Hoc enim fit propriè tantùm à v. 37. c. 12. vſque ad c. 19. Cætera quæ præmittuntur à c. 1. vſque ad locum illum cap. 12. comprehendunt præparamenta ad egreſſum, duriſſimam ſcilicet ſeruitutem quæ Deo fuit occaſio liberandi populum, & plagas Ægyptiacas, quibus liberati ſunt. Quæ verò à cap. 19. vſque ad finem conſequuntur, in rebus tam diuinis quàm humanis, propter quæ perfectio aliquantulum interrupta fuit; Et ſic totus iſte liber in tres iſtas cum dictas partes quaſi generales diuidi poteſt.

Pergit igitur Moyſes in pertexenda hiſtoria filiorum Iſraël à morte Ioſeph, vſque ad menſem primum anni ſecundi egreſſionis ex Ægypto. Cùm enim ſuperiori libro multiplices promiſſiones Dei ad Abraham factas retuliſſet, vt quòd ſemen eius peregrinum eſſet futurum & affligendum quadringentis annis, quòd oppreſſores iudicandi, quòd cum magna ſubſtantia egreſſuri, quòd generatione quarta reuerſuri Geneſis 15. Itemque quòd pactum ſuum cum illis ſtatueret vt eſſet Deus ſeminis Abrahæ, quòd terram Chanaan eis eſſet daturus Gen. 17. verſ. 7 & 8. pertinuit ad Moyſen oſtendere non minùs veracem quàm liberalem eſſe in ſuis promiſſis Deum.

Et quia tam promiſſa Dei quàm facta veteris populi in figura contingebant eis, hinc voluit Deus per huius populi afflictionem, & liberationem, viuam quandam imaginē exprimere eorum quæ in altiore generis humani liberatione contingunt. Illius enim captiuitas ac ſeruitus ſub peccatis, tyrannis diaboli, liberationis pretiū ſanguis ſcilicet Chriſti tamquam agni, mare baptiſmi, peccatorum valut Ægyptiorum perſequentiū ſubmerſio, gratiæ velut ignis anteceſſio & velut nubis protectio, manna cæleſtis Euchariſtiæ, Lex ſancti Spiritus quinquageſimo die Apoſtolis data, doctrina cæleſtis, ſacerdotiū nouum, Eccleſiæ ornatus & reliquus totius ſpiritualis vitæ decurſus velut in typo quodam pulcherrimo hic depinguntur. De quibus infrà latiùs ſuis locis.

CAPVT I.

RVBEN. Recenſentur hîc ordine non natiuitatis vt fit Gen. 29. & 30. nec ordine benedictionis vt fit Geneſ. 49. nec ordine dignitatis, ſed eo ordine quo ſingulæ vxores Iacob nupſerunt, primò Lia, ſecundò Rachel, tertiò Bala ancilla Rachel, quartò Zelpha ancilla Liæ. Hi ſinguli introierunt in Ægyptum CVM DOMIBVS SVIS, id eſt, familia.

5. ERANT OMNES ANIMÆ EORVM QVI EGRESSI SVNT SEPTVAGINTA. Interpretes ſeptuaginta transferunt, *anima egreſſa*. Et ſic eſſet duplex hîc ſynecdoche, vna cùm animæ ponuntur pro hominibus ex Iacob natis, altera cùm ſeptuaginta dicuntur egreſſi, vbi non ſunt egreſſi niſi 69 Nam iſte numerus inueniri non poteſt, niſi ipſe Iacob in illo numero comprehendatur, qui tamen non eſt egreſſus de fœmore ſuo. Nam quod Hebræi de Iochabed dicunt vt illum numerum expleant, iam ad cap. 46. Geneſ. diximus non videri ſolidum. Notat autem ſtudiosè paruitatem numeri illius, vt mira illa fœcunditas intelligatur fuiſſe non naturalis, ſed executio quædam diuinæ promiſſionis quæ ad Abraham facta fuit, vt explicat Moyſes Deuter. 10. verſ. vlt.

IOSEPH AVTEM IN ÆGYPTO ERAT, quaſi diceret, & ideo non poſui eum inter ingreſſos cum Iacob in Ægyptum.

6. QVO MORTVO OMNIQVE COGNATIONE ILLA. Heb. *generatione illâ*, id eſt, ejuſdem ferè ætatis hominibus, quales cenſentur ij. qui non multum ætate diſtant filii Iſraël.

7. QVASI GERMINANTES MVLTIPLICATI SVNT; granorum enim de terra naſcentium eſt innumera multiplicatio, dum ex vno tot ſpicæ, ex vna ſpica tot grana prodeunt. Expreſſit hoc aliâ metaphorâ, Hebræus, *inſtar piſcium ac ranarum ebullierunt* creſceret enim in immenſum numerus hominum, ſi mulieres omnes eſſent fœcundæ, citò nuberent, & in ſeram ætatem parerent, maximè gemellos, quod in Ægypto eſſe familiare docet Ariſtoteles lib. 7. Hiſt. animalium cap. 4. Auguſtinus tamen agnoſcit lib. 18. de Ciuit. cap. 7. hanc multiplicationem diuinitus fuiſſe fœcundatam: idque non tam propter exceſſum numeri illius, quàm propter afflictiones quibus populus premebatur, ſicut notatur infrà v. 12. natura enim nimiis afflictionibus oppreſſa generationi minùs ſufficit. Qua Pharaoni fuiſſe cauſam opprimendi illos, patet cap. 5. v. 5. ex ipſis verbis Pharaonis. Alioqui conſtat ex hiſtoriis ducentis plus minus annis poſt diluuium citra afflictionem tam ingentem hominum numerum ex tribus productum, vt Diodorus Siculus referat Ninum eduxiſſe peditum decies ſepties centena millia contra Bactriano.

8. SVRREXIT INTEREA REX NOVVS, non quòd eſſet nouę familiæ, vt putat Ioſephus 2. Antiq. cap. 5. repugnat enim Euſebius Africanus, Manethon, ſed NOVVS, quia noui animi in Hebræos, noui moris, nouę conſuetudinis in gubernando. Quis ille fuerit magna diſſentio eſt Caietanus Aſſyrium fuiſſe putat non Ægyptium. Sed de translatione imperij apud hiſtoricos nulla mentio. Omiſſis aliorum opinionibus verior videtur eorum ſententia qui volunt fuiſſe Amenophim, teſtis eſt enim Scriptura verſ. 6. & 7. non incepiſſe multiplicationem illam magnam Hebræorum, & conſequenter multò minùs perſecutionem niſi mortuo Ioſeph, omnique cognatione illâ, ergo vt minimum viginti aut triginta annos poſt mortem Ioſeph. Nam Leui, vt diximus, in fine Gen. vixit facilè 22. aut 23. annos poſt Ioſeph. Amenophis autem incepit regnum ſuum 38. anno poſt mortem Ioſeph: & ſub finem imperii eius, hoc eſt, anno eius 27. natus eſt Moyſes iuxta Euſeb. in Chronico, aſſentiente Auguſtino 18. de Ciuit. cap. 8. in cuius natiuitate perſecutio maximè viguit. Quo verò anno iſtius regis perſecutio præcisè incœperit, prorſus incertum eſt, hoc conſtat anteceſſiſſe aliquantulum ortum Moyſis, & conſequenter cùm ille anno ſuo 80. liberauerit Hebræos è ſeruitute, ſequitur perſecutionem duraſſe facilè 90. aut 100. annos. Nam Maria ſoror Moyſis quam à perſecutionis

acerbitate nomen amaritudinis accepiſſe volunt Hebræi, facilè decennio ſenior fuit Moyſe, vtpote quem in fluuium proje-ctum, cuſtodierit.

10. SAPIENTER OPPRIMAMVS EVM, nempe ſapientia huius mundi, quam regulas & rationes ſtatus nominant, quibus plerumque apertè iniquitates palliantur, dummodo ad conſeruationem ſtatus vtiles fuerint.

Cauſa conſilii tangitur hîc, metus ſcilicet ne peregrina natio tantopere multiplicata ingruente bello in Ægyptios inſurgeret ac prævaleret, Ægyptoque ſpoliata & expugnata, EGREDERETVR DE TERRA, quærendo terram ſibi promiſſam à Deo, videntur enim Ægyptij illius promiſſionis famâ fuiſſe imbuti. Verſu 13. tangitur alia cauſa, odium ſcilicet quod partim ex illo magno incremento natum eſt, vt indicatur Pſalm. 104. verſ. 25. partim ex diuerſitate ſtudiorum & maximè religionis natum eſt: Ægyptii enim erant idololatræ cultores animalium; Hebræi paſtores & occiſores pecorum quæ Deo vero immolabant. Addit Manethon apud Theophilum libr. 3. ad Autolicum tertiam cauſam, quod propter lepram fuerint inuiſi & eiecti Ægypto. Sed eſt calumnia hominum ignorantium res Hebræas, quæ refutatur à Ioſepho lib. 1. contra Appionem.

VT AFFLIGERENT EOS ONERIBVS. Ex variis locis colligitur ea onera fuiſſe primò formare ex luto lateres, ita hic verſ. 14. & toto cap. 5. ſecundò paleam quærere quæ conciſa luto miſceretur vt firmiores ac tenaciores fierent lateres, vt fieri ſolet in incruſtatione argillacea, ita cap. 5. tertiò ædificare vrbes, id eſt, mœnia vrbium ex illis lateribus, ita hic verſ. 11. quartò aggeres extruere quibus inundationes fluminis arcerentur, quintò pyramidum inſanas ſubſtructiones erigere, ſexto flumen in multas foſſas diducere ad irrigandam terram, quę tria poſtrema afferuntur à Ioſepho lib. 2. Antiq. cap. 5. denique vt infrà verſ. 14. omnem famulatum in operibus terræ exhibere, quo præter prædicta videtur etiam comprehendi agricultura.

ÆDIFICAVERVNTQVE VRBES TABERNACVLORVM, id eſt, repoſitoriorum ſeu apothecarum, in quibus frumentum, oleum, cæteraque diuitiæ Ægypti recondebantur, quæ quia diuitiæ ſunt Ægypti, hinc vertunt communiter ex Heb. *vrbes theſaurorum*, & LXX. *vrbes munitas* quia cuſtodiendis diuitiis deſtinatas. Vrbes autem illæ fuerunt.

PITHON, RAMESSES. Quæ videntur in regni limitibus fuiſſe conſtitutæ verſus Paleſtinam: nam in Rameſſe congregauerunt ſe filii Iſraël, & inde profecti ſunt verſus mare rubrum. Videtur vocata Rameſſe à regione quæ Hebræis ad incolendum data fuit Geneſ. 47. verſ. 11. vel ſi ipſa ciuitas tunc data fuit, dicitur hic ædificata quia reſtaurata vel dilatata & nouis mœnibus cincta: quo ſenſu & LXX. addunt ædificatam fuiſſe Heliopolim, cùm conſtet iam olim Ioſephum duxiſſe vxorem filiam ſacerdotis Heliopoleos, de Pithon, quę fuerit, nulla apud ſcriptores Ioſephum, Philonem, Hieronymum, alia mentio, niſi quod fuerit vrbs ab Iſraëliticis ędificata.

15. DIXIT OBSTETRICIBVS HEBRÆORVM, non dicit, Hebræas, ſed Hebræorum, quamuis Auguſt. lib. contra mendacium, eas Hebræas vocet, quia ſeruiebant Hebræis: nam alioqui præceptum tam crudele non potuiſſet tutò committi obſtetricibus eiuſdem gentis, vnde communiter ſententia eſt ex Ioſepho hauſta expreſsè dicente fuiſſe Ægyptias obſtetrices; quod ex verſ. 19. ſatis patet, cur enim hactenus fuiſſent inter Hebræas profeſſæ officium obſtetricum, ſi Hebræis mulieribus non eſſent neceſſarię?

Fabula eſt ergò Iudæorum, qua in Thargo Hieroſolymitano traditur, *Sephoram* fuiſſe Iochabed matrem Moyſis, *Phuam* verò Mariam: nam Maria tempore illius pręcepti videtur, vel non fuiſſe nata, vel tantùm puellula paucorum annorum. Duę tantùm nominantur tanquam pręcipuę per quas præceptum regis ad cęteras peruenirет: non enim ſufficiebant duę toti populo.

16. ET PARTVS TEMPVS ADVENERIT, id eſt, cùm iam infantem vtero prodeuntem, ſeu in ipſis vteri cardinibus videritis, vt indicatur in Hebręo: non enim vult in-

fantes occidi iam natos, ſed vult id quod factu facillimum, naſcentes aliqua obſtetricum dexteritate comprimi aut ſuffocari, vt ſic potiùs mortui prodiiſſe, vel difficultate partes enecati quàm ab ipſis interfecti viderentur. Ratio cur maſculos occidi iuſſerit, patet ex v. 10. nam ex fœmellis non timebat regno periculum. Addit aliam Origenes Hom. 3. in diuerſos, & ante eum Ioſeph. lib. 2. Antiq. cap. 5. à quodam prædictum fuiſſe regi naſciturum per id tempus quemdam ex Iſraëlitis, qui res Ægyptiorum grauiter affligeret, ſi ad adultam ætatem perueniret, & è contrario, qui Iſraëlitas eueheret, hinc occidi iuſſit maſculos, vt poſteà ab Herode factitatum eſt: vbi obſeruat idem Orig. Hom. 1. in Exod. tropologicè dæmonem occidere maſculos, &c. quia perſequitur quotquot cæleſtia ſapiunt & virtutes colunt: ſeruat verò & augeri cupit eos qui terrenis voluptatibus inhiant, vide latè.

19. Ipsæ enim obstetricandi habent scientiam. Heb. Ipſæ enim obſtetrices ſunt, ſeu viuificantes, ſcilicet paruulos ſuos, hoc noſter textus retulit ad induſtriam Hæbræarum, alii ad corporis vigorem, quod ſcilicet propter vires corporis non indigeant obſtetrice, ſicut nec bruta, vt expreſſit Chaldæus.

Priusquam veniamus ad eas pariunt. Falſum hoc eſſe, patet ex v. 17. Vnde ex eo quod ſequitur.

20. Bene ergo fecit Deus obstetricibus, quidam occaſionem ſumpſerunt errandi, putantes huiuſmodi officioſa & miſericordia mendacia eſſe licita. Ita Rupertus hîc, & iam olim Abbas Ioſeph apud Caſſian. collat. 17 c. 17. vbi ex Platonis placito docet vtendum eſſe ſubinde mendacio, tamquam helleboro (id eſt, tamquam remedio contra grauiſſimum quod oritur de veritatis confeſſione diſcrimen) aliàs neutiquam. Expugnauit hunc errorem Auguſt. lib. contra mendacium, & eius ſententiam Eccleſia amplexa eſt. Nam vt ſcriptura *lex, Dei eſt veritas*, nihil autem iuſtum aut licitum eſſe poteſt, quod eſt contra legem Dei, & proinde nec id quod eſt contra veritatem. Remuneratio autem Dei cuius hic fit mentio, non reſpicit mendacium obſtetricum, ſed miſericordiam in paruulos ac timorem Dei, vt expreſsè dicitur v. 24. Vnde Auguſt. c. 15. remunerata eſt beneuolentia non fallacia, benignitas mentis non iniquitas mentientis. Nam ſicut nemo miraretur, ſi Deus aliqua præcedentia peccata, propter poſteriora bona opera vellet ignoſcere, ita mirandum non eſt, quod vno tempore eadem in cauſa Deus vtrumque diſcernens animum bonum & factum malum, bonum remunerauit temporali præmio, & propter hoc bonum, malum illud ignouit.

Quæres an ergò melius feciſſent obſtetrices, ſi nullam miſericordiam præſtitiſſent nolendo mentiri? Reſpondet Auguſt. ibid. ſi eſſent ciues ſupernæ Ieruſalem non terrenæ, nec aliquid falſi dicerent, & fœda miniſteria de occidendis paruulis liberrimè recuſarent: morerentur enim futuræ in æterna felicitate, mortem perpeſſæ pro innocentiſſima veritate. Longè quippe amplior erat futura merces domus illa non manufacta in cœlis, quàm quòd Deus in terra.

21. Ædificavit eis domos, quo ſignificatur, non domus munitæ contra impetum Ægyptiorum, vel latibula, vt nonnulli putauerunt, vel virtutes pro quibus in cœlis requieſcerent, vt Hieron. in c. 65. Iſaiæ, vel quòd ad fidem Hebræorum conuerſæ ſint, & inter eos ad maiorem ſtatum promotæ, vt vult Lyranus, ſed quòd eis domos, id eſt, familias per liberorum copiam fecerit & opibus auxerit. Hoc enim ſignificat Hebræis ædificare, ſeu facere domum, vt patet 2. Reg. 7. v. 11. & 27. & maximè Deuteron. 25. v. 9. & Ruth. 4. v. 11. vnde Gen. 16. v. 2. vbi nos habemus, *Si ex illa ſuſcipiam liberos*, Hebræus habet, *Si quomodo ædificer ex illa*. Quam locutionem Hier. in Trad. propter hunc locũ Exodi diligenter notandum eſſe monet. In Hebræo hîc habetur, *eis*, in maſculino, vnde Caluinus intelligit, Iſraëlitis fuiſſe ædificatas domos, id eſt, eos prolibus fuiſſe auctos: & ſenſum noſtri textus craſſam hallucinationem vocat. Sed iſtud de Iſraëlitis iam ante dictum

fuerat, & ſeries orationis poſtulat, vt de obſtetricibus intelligatur, maximè quia iſtæ generis enallagæ ſunt apud Hebræos frequentes, vt patet tum alibi ſæpius, tum Exodi 15. verſ. 21. vbi, *quibus præcinebat*, eſt Hebraïcè maſculinum.

21. Præcepit ergo, nempe cùm videret irritum conatum ſuum per obſtetrices eſſe factum.

Omni popvlo, non promiſcuè, Hebræis & Ægyptiis, vt ſentit Caiet. poſt Ioſephum, ſed popvlo ſvo, id eſt, Ægyptiis tantum. Abſurdum enim erat tantam crudelitatem à parentibus exſpectare. Hinc enim eſt quod Moyſen parentes occultarunt, neque illum in flumen abiecerunt ad occidendum, vt aliqui putarunt, ſed ad ſeruandum, quoquo modo.

Capvt II.

1. Post hæc, referendum eſt ad natiuitatem Moyſis tantùm, non ad matrimonium Moyſes enim natus eſt poſt hoc edictum Regis, etſi matrimonium ante contractum fuerit, & ſic ex eo Aaron ante edictum Regis ſine periculo naſci potuit. In Hebræo ceſſat omnis difficultas, quia deeſt illud, *poſt hæc*.

Vir de domo Levi. Ille eſt Amram filius Caath, nepos Leui: qui accepit.

Vxorem stirpi svæ, ſcilicet Iochabed, vt hæc patent c. 6. v. 20. De gradu cognationis contentio eſt. Hoc loco in Hebræo & Numerorum 26. v. 59. vocatur *filia Leui*, & ſic fuiſſet amita Amram. Vnde Caluinus in c. 6. ſolitâ petulantiâ dicit Moyſen ex inceſtuoſo coniugio genitum, & in hoc matrimonio neglecto turpis & honeſti diſcrimine humanum pudorem violatum. Sed matrimonium amitæ cum nepote non primaria lege naturæ, ſed tantùm lege poſitiuâ vetitum fuit, vnde per ſe ſine inceſtu contrahi potuit. Quamquam veriſimilius ſit vocari filiam Leui, quia ex ſtirpe Leui fuit, vt noſter hîc vertit, & clariùs c. 6. vbi vocat *patruelem Amram*, hoc eſt, filiam patrui ipſius Amram, ſicut transferunt LXX. hoc eſt, filiam Gerſon aut Merari, & ita conſobrinam Amram. Filia ergò Leui vocatur, ſicut Suſanna Danielis 13. filia Iudæ, & Chriſtus filius Dauid, quibus locutionibus Scriptura plena eſt.

Cvmqve celare non posset, feruente fortaſſis denuo perſecutione, ne totam familiam in exitium coniiceret,

Svmpsit fiscellam scirpeam, id eſt, arculam ex iunco textam.

Et linivit bitvmine ac pice ne ab aquis penetraretur, ſed aquis ſupernataret.

Exposvit in carecto, id eſt, in loco caricibus & iuncis pleno, vt ſolent eſſe loca magis vadoſa ad ripam fluminis, idque ne aquis abriperetur & facilè inueniri poſſet. Fallitur enim Ioſephus, qui in fluuium proiectum dicit.

4. Stante procvl sorore eivs. Obſeruatura quid ageretur circa puerum, & inſtructa quid agere deberet, nempe, vt vel noctu referret, vel nutricem offerret, vel aliud prout res poſtularet. Caluinus iterum inceſſit hîc immanitatem parentum Moyſis, quòd filium turpiter deſeruerint, & ridiculum conſilium de ſtructa fiſcella vocat. Sed præterquam quod Apoſtolus eorum fidem laudat ad Heb 11. res ipſa clamat pro certa morte incertum periculum potiùs eſſe ſubeundum. Adde circumſpectionem quam adhibuerunt teſtem eſſe fiduciæ quam in Deo adhuc ſeruabant deliberatione prolis.

5. Ecce descendebat filia Pharaonis. Thermutin vocat Ioſephus & alii poſt ipſum, & Amenophis illius de quo ſuprà fuiſſe filiam ait Epiphanius hæreſi 78. liberiſque caruiſſe propter ſterilitatem tradit Chronicum Alexandrinum & Artapanus apud Euſebium l. 9. de Præparatione Euangelica c. 17. & Ezechiel Poëta apud Clem. Alex. l. 1. Strom. quæ proinde creditur fuiſſe cauſa adoptionis, de qua verſ 10. Quomodo permiſerit hoc Pharao hoſtis Hebræorum, multi ſolliciti ſunt. Philo l. 1. de vita Moyſis vult filiam Pharaonis finxiſſe ſe grauidam & eſſe filium ſuum. Sed quidquid de hoc ſit, facile celari poterat eſſe puerum Hebræum, vtpote quem ipſa ſeorſim, vel ex tali modo expoſitionis, vel ex circumciſione cognouerat. Poterat etiam ob

elegantiam & filiæ deſiderium vita ei condonari. Multa hîc narrat Ioſephus de elegantia p ueri Moyſis & proiecto ab eo diademate ſibi impoſito: quæ apud ipſum vide cap. 3. penes quem ſit fides.

10. VOCAVIT NOMEN EIVS MOYSES. Ægyptium ei impoſitum fuiſſe nomen plane veriſimile eſt, eò quòd filia Pharaonis, vel Hebraïcam linguam ignoraret, vel propter Hebræos haberet exoſam. Vnde nomen, Moyſes, eſſe Ægyptium putat Ioſephus loco cit. & Philo l. 1 de vita Moyſis & Clemens l. 1. Strom. eo quod *mo* vel *mos* aquam ſignificet, & *yſes*, ſeruatus, quaſi diceres, ſeruatus ex aqua. Quod ſi ita eſt, etymologia Ægyptia & Hebraica iſtius nominis erunt valdè vicinæ & penè eadem. Nam ea quæ hîc in textu redditur, apertè eſt nominis Hebraici. Nam *maſcha* vnde *moſche*, ſignificat extrahere. Nam quod Aben-Eſra & nonnulli poſt ipſum nomen proprium Moyſis ægypriacum volunt fuiſſe *Monion*, vel etiam *Oſarſiphim*, vt Manethes apud Ioſephum in libris contra Apionem, prorſus incertum eſt.

Geſſit hîc Moyſes typum Chriſti, mater eum expones ſynagogę filia Pharaonis eum accipiens Eccleſię gentilium: redditur Moyſes matri, quia ſynagoga in fine mundi Chriſtum à gentilitate recipiet. Ita ferè apud Auguſtinum Serm. 86. de tempore & Iſidorum cap. 5. in Exod.

11. IN DIEBVS ILLIS, cùm eſſet annorum 40. vt tradit D. Stephanus Actor. 7. v. 23.

EGRESSVS EST AD FRATRES SVOS, id eſt, Hebræos vt illos ſcilicet viſitaret, non otioſa viſitatione, ſed cum animo liberandi populum ſuum ab oppreſſione ægyptiorum & renunciandi aulæ. Hoc enim videtur indicari ad Hebræos 11. v. 24. & ſeqq. vbi dicitur quod negauerit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, & elegerit affligi cum populo Dei. Nam effectus huius propoſiti Moyſis, fuit illa interfectio ægyptii, qui vt Stephanus ait, iniuriâ afficiebat, & vt hîc dicitur etiam percutiebat Hebræum, quem Philo dicit fuiſſe vnum ex præfectis opprimentibus Iſraelitas.

An iuſtè occiderit Moyſes, non ita planum eſt. Ambr. l. 1. de Offic. c. 36. excuſat factum iure defenſionis, cum moderamine ſcilicet inculpatæ tutelæ, vt addit D. Tho. 2. 2. quæſt. 60. art. vlt. ſed neque priuatus propter iniuriam ſibi vel proximo illatam continuò poteſt occidere, neque de moderamine illo conſtat, ſed potiùs videtur deliberato propoſito occidiſſe Caietanus dicit fuiſſe præfectos illos operum publicos hoſtes Hebræorum. Sed non idcirco cuilibet priuato licet eos occidere, præſertim occiſione quæ nihil confert ad liberationem oppreſſi populi. Vnde D. Aug. l. 22. contra Fauſtum c. 70. conſultâ, inquit, lege æternâ reperio, non debuiſſe hominem ab illo qui nullam ordinatam poteſtatem gerebat, quamuis iniurioſum & improbum occidi, comparatque cum facto ſancti Petri; quia vtrique ſimiliter nullâ ſuperiori ac legitimâ poteſtate vel iubente, vel concedente, in ſanguinem alienum armati ſunt. Et ita vterque non deteſtabili immanitate, ſed emendabili animoſitate peccauit, vterque odio improbitatis alienæ ſed ille fraterno, hic dominico licet adhuc carnali tamen amore peccauit. Vnde ſi quis factum Moyſis excuſare vellet, non videtur ſolidior ſupereſſe modus, quam dicendo eum hoc Dei admonitione, vel inſpiratione feciſſe, vt videtur indicare D. Stephanus Act. 7. v. 25. & huc inclinat Aug. qu. 2. in Exod. & D. Thomas loco citato.

15. QVI FVGIENS, ex timore ſcilicet vt hîc indicatur. Vnde quod Apoſt. ad Hebr. 11. v. 25. dicit fide reliquit ægyptum non veritus animoſitatem regis, intelligitur non de hac fuga, ſed de diſceſſu cum toto populo Hebræorum, ægyptiis inſequentibus, quod erat opus ingentis fidei.

16. ERANT SACERDOTI MADIAN SEPTEM FILIÆ. Sacerdotem hunc ſimul fuiſſe principem tradit Artapanus apud Euſebium l. 9. de præp. Euang. cap. 27. & Ezechiel Poëta c. 28. ibidem. Hæc enim duo tunc temporis ſæpè coniuncta erant vt in Abraham & Melchiſedech manifeſtum eſt. An idolorum ſacerdos fuerit, an veri Dei non ita liquet. Verum Deum coluiſſe ſuadent virtutes quas ſcriptura de eo refert.

Fuit

Fuit enim de ſtirpe Abraham, vt notauit Origenes Hom. 11. in Gen. nam Madian filius Abrahæ ex Cethura natus eſt, vrbemque Madian & regionem Madianitidem à ſe nominauit: quæ eſt pars Arabiæ non procul à mari rubro. Videturque ſe extendiſſe penè vſque ad limites Paleſtinæ, vt patet Num. 25. & 31. Vocatur hic Raguel, capite verò 3. & 18. Iethro, fuit enim binominis. Aliqui etiam putant fuiſſe vocatum Hobab: ſed ex Num. 10. verſu 29. patet illum fuiſſe filium Raguelis ſeu Iethro.

22. ALTERVM VERO PEPERIT. Hæc verba vſque ad verſum 23. deſunt in Hebræo. Vnde hæretici nonnulli textum noſtrum tamquam redundantem arguunt. Sed cùm & LXX. illa verba legant & Hieronymus ea tranſtulerit qui proteſtatur ſe nihil mutaſſe de Hebraïca veritate, ſignum potiùs eſt, defectum in textum Hebraïcum irrepſiſſe.

23. POST MVLTVM VERO TEMPORIS, ſcilic. poſt 40. circiter annos à fuga Moyſis. MORTVVS EST REX ÆGYPTI, non ille ſub quo Moyſes natus & educatus eſt, nam ille ante fugam iam mortuus erat, ſed ille ſub quo ad mortem quæſitus fuit & duo ſucceſſores eius, vt tradit Euſeb. in Chronico.

ASCENDITQVE CLAMOR EORVM AB OPERIBVS, id eſt, propter opera. Per clamoris autem aſcenſionem ſignificatur magnitudo oppreſſionis eorum & miſeriæ, & inde oppreſſio pauperum peccatum in cœlum clamans dicitur. Quanto verò amore & curâ Deus eos reſpexerit, efficaciſſimè exprimit illa verborum inculcatio.

25. AVDIVIT GEMITVM, RECORDATVS EST FŒDERIS, RESPEXIT, quaſi ante neglectos, ET COGNOVIT EOS, cognitione ſcilicet quæ curam & dilectionem coniunctam habet, qua in eos tamquam ſuos & breui liberandos ferebatur. Loquitur autem, ſicut Deus in ſcriptura ſolet, antropopathos, id eſt, humano modo, nec enim eſt auditus aut recordatio, aut cognitio noua in Deo quaſi antè non cognouiſſet.

CAPVT III.

1. MOYSES PASCEBAT OVES IETHRO. Vt ad paſtoralem principatum prius erudiretur. Nam vt Clemens Alexand. l. 1. Strom. cap. penult. ei qui manſuetiſſimo hominum gregi eſt præfuturus, eſt præ exercitatio ouium paſcendarum ſcientia, ſicut iis qui natura ſunt bellicoſi venatura. Hinc & Dauid de poſt fœtantibus aſſumptus eſt ad regnum. Putauit autem oues Moyſes 40. annos, quibus vacauit contemplationi rerum, inquit Baſil. Hom. 1. in Hexam. & per contemplationem tamquam medium efficaciſſimum animi ſui perturbationes compoſuit.

CVMQVE MINASSET, ſeu duxiſſet, GREGEM AD INTERIORA DESERTI, ſtudio ſolitudinis & contemplationis feruentioris. Eremus enim familiarius Deo gaudet, vt Hieron. Epiſtola ad Heliodorum. Nam corporis ſolitudo optima præparatio eſt, vt iuxta Oſeam 2. Deus ducat etiam animum in ſolitudinem & loquatur ad cor.

VENIT AD MONTEM DEI HOREB. Horeb & Sinaï vnus & idem ſunt mons, ſed collibus diſtincti, quorum ille à deſolatione & ſiccitate Horeb ſeu Choreb dictus eſt ille à ruborum copia Sinaï. Vnde nunc in Horeb, nunc in Sinaï lex data legitur. Dicitur *mons Dei*, ſiue quòd vulgò crederetur in eo numen habitare & idcirco paſtoribus eſſet inacceſſus, vt vult Ioſephus, ſiue per anticipationem, à multis Dei reuelationibus ibi exhibitis & operibus perpetratis. Nam & Moyſi & toti populo & Heliæ poſteà Deus apparuit.

2. APPARVIT EI DOMINVS. Plerique veterum volunt fuiſſe ipſum Filium Dei, & Angelum dici, quia Chriſtus fuit magni conſilij Angelus. Ita Iuſtinus in Apologia 2. Euſeb l. 1. hiſtoriæ c. 2. Hilarius latè l. 4. & 5. de Trinit. Baſil. lib. 2. & 4. contra Eunomium, & ex profeſſo Theodoretus qu. 5. in Exod. Sed iam diximus ad verſum 2. c. 18. Gen. veriſimiliter iuxta D. Auguſt. omnes veteris teſtamenti apparitiones per Angelos eſſe factas, vt etiam docet Dionyſius Areopagita cap. 4. cœleſtis hierarch.

Et quidem de hac apparitione clarè teſtatur S. Steph. Act. 7. verſ. 30. per Angelum eſſe factam, ſicut & Apoſtolus ad Galat. 3. verſ. 19. idem teſtatur de illa celeberrima in monte Sinaï, cùm lex data fuit quæ maximè per ipſum Deum facta videbatur. Sicut igitur illi qui Filium Dei fuiſſe putant, idcirco Angelum vocari dicunt quia Christus vt magni conſilii Angelus Dei voluntatem nobis nuntiauit: ita contrà qui Angelum fuiſſe putant, idcirco volunt etiam Deum ac Dominum & Adonaï vocari (quo argumento præcipuè cæteri PP. moti ſunt) quia Dei & maximè filij ad liberationem humani generis & legis nouæ inſtitutionem venturi perſonam geſſit: de quo Auguſt. lib. 3. de Trin. cap. 10. & vlt.

IN FLAMMA IGNIS. Veri non apparentis, Deus enim in rebus veris apparere ſolet, vt in vera columba, vera voce cælitus miſſa, vera columna nubis & ignis. Hæc ergo vera flamma de medio rubi prodibat, ita vt RVBVS ARDERET ET NON COMBVRERETVR, Deo ſcilicet concurſum ſuum ſubtrahente, vt in camino contigit Babylonico. Philo putat formam quandam pulcherrimam & diuinum ſimulachrum Angeli promicuiſſe, ſed nulla iſtius hîc mentio, & rectius Theodoretus cum aliis negat in alia forma quàm rubo & igne apparuiſſe, ne quod ſimulachrum efformarent Iudæi ad idololatriam proni. Significationes varias myſterioſi iſtius incendij afferunt Patres. Litteraliter *ignis* ſignificat maieſtatem Dei, qui in igne libenter apparere ſolet propter mirificas eius proprietates, quas explicat Dionyſ. Areop. lib. de cœleſti Hier. cap. 15. *Rubus* Iudæos, qui vtuntur à Deo afflictionibus, nec conſumuntur, ſed pulchriores fiunt. Et quia afflictio iſta per Ægyptios fiebat, hinc ignis etiam Ægyptios ſignificare poteſt, vt exponunt Theodor. qu. 6. in Exod. & Philo li. 1. de vita Moyſis.

Allegoricè ignis in rubo ſignificat Deum in Virgine illæſa virginitate, vt Bernardus 2. Serm. ſuper. Miſſus eſt, & canit Eccleſia in Antiphona. Vel etiam vt exponit Greg. lib. 28. Moral. cap. 2. aliàs 5. quòd Deus carnis noſtræ dolores quaſi rubi ſpinas ſuſciperet, non conſumptâ humanitatis ſubſtantiâ. Vtrumque ſenſum afferunt Nicen. lib. de vita Moyſis & Theodor. quæſt. cit. Tropologia verò deducitur ex illo primo ſenſu litterali, vt ignis generaliter ſignificet tribulationes quibus homo non læditur, ſed fit illuſtrior.

5. SOLVE CALCEAMENTVM DE PEDIBVS TVIS. Non vt Moyſes terram nuditate ſanctificaret, quod refutatur à Theod. qu. 7. iam enim erat terra ſancta, ſed, inquit, vt ipſum Moyſen religioſorem redderet; quia ſcilicet parum reuerenter nimiſque curioſè in myſterioſam illam viſionem ruebat. Itaque vt Euſebius in Catena, hac ceremonia fecit Moyſen attendere vbi eſſet, quis eſſet præſens, quis locum ſanctificaret, vt ad eum cum religioſo timore accederet, quemadmodum poſteà idem eadem de cauſa dictum ad Ioſue cap. 8. verſ. 15. Huius reuerentię causâ ſacerdotes Aaronici ſine calceamentis in templo ſacrificabant, vt notat Theodor. Hinc ſacerdotes Dagon non audebant limen terere vbi Dagon iacuerat 1. Reg. 5. & Saraceni in hunc vſque diem non accedunt ad fana ſua niſi depoſitis calceis. Quamuis Amb. lib. 7. in Luc. quia ex pellibus mortuorum animalium calcei fiunt, ſignificari putet Moyſi mortis metum eſſe deponendum, nec debere à liberando populo mortis periculo retardari, ſicut anteà fugiens ex Ægypto retardatus fuerat. Eadem de cauſa PP. moraliter ſignificari volunt accedentibus ad Deum mortalitatis huius maculas & humanæ conuerſationis pulueres eſſe deponendos: ita Origenes Hom. 8. in Gen. Ambr. l. 2. c. 2. de pœnitentia, qui notat alibi Chriſtum Apoſtolis idcirco lauiſſe pedes ad magnum illud Euchariſtiæ myſteriũ acceſſuris.

LOCVS IN QVO STAS, TERRA SANCTA EST. Ex quo patet aduerſus hæreticos, non tantùm rationalibus creaturis, ſed & inſenſatis quamdam ſanctitatem communicari, propter quam eis reuerentia & veneratio quædam exhiberi poteſt ac debet.

6. EGO SVM DEVS ABRAHAM, &c. Cum quibus pactum inijui quod eſſem ip-

ſorum & poſteritatis Deus: ſignificat enim ſe non immemorem initi fœderis, vt ita Moyſis & populi animos erigeret ad ſeperandam liberationem ſuam. Porrò iſtorum trium Patriarcharum ſe Deum plerumque nominat, tum quòd his eſſet facta promiſſio de danda terra Chanaan & benedicendis in Chriſto gentibus, tum vt iſtorum ſanctorum nomina qui virtutibus eminuerant, ſuo nomini attexendo & eis quaſi gloriando, ipſos ſanctos honore afficeret, vt quoties Dei memoria celebraretur, horum quoque toties celebrarentur nomina, vt notat Baſil. in cap. 2. Iſaiæ.

8. IN TERRAM SPATIOSAM, nempe comparatione nationis Iſraëliticæ qualis tunc erat, vnde alibi dicuntur Chananæi non ſimul exterminandi, ne terra redigeretur in ſolitudinem. In ſe tamen erat anguſta & vix Belgium noſtrum æquans vt alibi pleniùs dicetur.

QVÆ FLVIT LACTE ET MELLE. Plerique veteres negant hoc ad litteram intelligendum vt Orig. l. 7. contra Celſum, Hieron. & alii. Vnde Tertull. lib. 3. contra Marcionem c. 8. Non credendum, inquit, de glebis eos placentas collecturos: ſed intelligunt non eſſe crudè intelligendum, vt verba ſonant, & hinc eſt, quod iſtud ad ſpiritualem vbertatem referunt quæ ſanctis reſeruatur in cœlis, cuius figura fuit terra promiſſionis. Eſt ergo figuratæ locutionis genus vt Aug. q. 4 in Exod. quo exprimitur vbertatis & ſuauitatis iſtius terræ magnitudo. Vnde Num. 13. v. 28. probant hoc Caleb & Ioſue ex botri magnitudine.

11. QVIS SVM EGO? id eſt, prorſus ineptus ſum ad obeundam tantam legationem. Vbi præclarè notat Greg. patris eſſe ſuperbiæ gubernandæ plebis officium ſine trepidatione ſuſcipere, & agnitâ Dei voluntate peruicaciter detrectare: ſed Moyſen eſſe imitandum; qui vtrobique humilis & præeſſe populis ſeipſum metiendo noluit & tamen de imperantis viribus præſumendo conſenſit. Vide latiùs 1. parte paſtoralis curæ cap. 7.

12. HOC HABEBIS SIGNVM QVOD MISERIM TE. Aliqui referunt ad id quod ſequitur hoc ſenſu, ſignum miſſionis tuæ erit quod poſt egreſſum ſacrificabis mihi in hoc eodem monte: vt ita ſit ſignum ipſa re poſterius, ab effectu ſcilicet petitum. Non malè tamen referri poteſt etiam ad id quod præcedit, hoc ſenſu: Præſentia mea qua TECVM ERO, id eſt, qua tibi adero in faciendis prodigiis apud Pharaonem, ſignum erit tibi & Pharaoni quòd diuinitus miſſus ſis, & non priuatâ authoritate proſilias.

14. EGO SVM QVI SVM. Hebraicè, *ero qui ero*: ſed futurum ponitur pro præſenti vt Hebræis ſatis viſitatum eſt. Vnde quod etiam infrà Hebræus dicit, *ero miſit me*, noſter tranſtulit *qui eſt miſit me*. Itaque SVM QVI SVM, idem eſt quod LXX. tranſtulerunt, *ego ſum ens*, ſeu ipſum verè eſt. Quo nomine multa gradatim & quodam ordine ſignificatur. Primò & ipſis verbis ſignificatur, Deum verè eſſe: verè autem eſſe eſt ſemper eodem modo eſſe, inquit Aug. Tract. 38. in Ioannem. Vnde ſecundò vlteriùs indicatur, Deum eſſe immutabilem; nam vt ibidem ait, non eſt verum eſſe, vbi eſt & non eſſe. Quidquid autem mutatur, deſinit eſſe quod erat, & incipit eſſe quod non erat. Vnde poſtquam mutatum eſt, non eſt ampliùs id quod erat, & antequam mutatum eſt, non eſt id quod erit; moritur enim id quod erat, & oritur id quod erit, ita vt fiat quaſi quædam vitæ mortiſque ſucceſſio. Eſſe autem verum, eſſe ſincerum, eſſe germanum non habet niſi id quod non moritur aut mutatur. Tertiò indicatur vlteriùs, Deum æternum eſſe vt inquit idem Auguſt. in Tract. de illo, ſum qui ſum: æternitas enim conſequitur ex pleniſſima immutabilitate. Nam vt Auguſt. lib. de vera relig. c. 49. mentis aſpectu omnem mutabilitatem ab æternitate ſeiungimus, ſpatia autem temporis ſeu mutationis præteritis & futuris rerum motibus conſtant, quod autem præterit, eſſe deſinit, & quod futurum eſt, nondum eſſe cœpit; æternitas autem tantummodo eſt, nec fuit quaſi iam non ſit, nec erit quaſi adhuc non ſit; vnde concludit Aug. Æternitas ergo ſola veriſſimè dicere potuit menti humanæ, Ego ſum qui ſum. Quartò indicatur vlteriùs,

Deum eſſe tale quid, quod neceſſariam habeat exiſtentiam, vt obſeruauit Rambam 1. parte More Nebuchim cap. 63. Nam ſum qui ſum ſignificat Deum non habere ipſum eſſe tamquam attributum ſibi inhærens, ſed eſſe ipſum eſſe, ſiue eſſe, id eſt, exiſtentiam eſſe eſſentiam eius, ita vt non magis ab eo diuelli poſſit, atque eſſentiæ à rebus. Vnde Bernardus lib. 5. de conſideratione cap. 6. ſi bonum, ſi magnum, ſi beatum, ſi ſapientem, vel quidquid de Deo tale dixeris, in hoc verbo inſtauratur quod eſt, eſt, (ſeu ipſum eſſe) nam hoc eſt ei eſſe, quod eſt hæc omnia eſſe: & ſi centum talia addas, non receſſiſti ab eſſe: Si ea dixeris, nihil addidiſti, ſi non dixeris, nihil minuiſti: hæc ille. Quintò denique indicatur Deum eſſe Oceanum, ſeu pelagus omnis eſſentiæ, omnemque omnino eſſendi perfectionem in ſe complecti. Nam vbi eſt tantum eſſe, & nullum prorſus non eſſe ibi neceſſe eſt omnem eſſendi adeſſe plenitudinem. Ex quibus patet, quàm rectè Deus hoc nomen legationi præferendum præſcribat, Nam hoc ipſo nomine dubitantibus perſuadetur Dei mittentis exiſtentia & ineffabilis eius excellentia. *Sed* quia hoc nomen altiſſimum eſt & vix à paucis coruſcatione diuini luminis afflatis apprehenditur, hinc, poſt nomen illud eſſentiæ & æternitatis, ſubiicit nomen miſericordiæ.

19. Devs patrvm vestrorvm, &c. id eſt, inquit Aug. in Tract. illo citato, ſic ſum quod ſum ſic ſum ipſum eſſe, vt nolim hominibus deeſſe, & miſericordiam meam ad ipſos extendam. Nam per hoc fiduciam Moyſis & Iſraëlitarum excitaui.

Hoc memoriale mevm, id eſt, hoc nomine ſcilicet Deus Abraham, &c. memorabor, vocabor inuocabor in perpetuum à poſteris eorum, tam ſecundùm carnem quàm ſecundùm ſpiritum.

18. Ibimvs viam trivm diervm. Verum hoc fuit, ſed celauit reliquum iter, ne diſceſſus tam abruptè petitus ſtatim negaretur. Eadem de cauſa iubetur prætexere:

Vt immolemvs, &c. Nam & hoc factum poſteà fuit in ſolitudine. Ne autem quidquam Moyſi præter opinionem contingeret, & inde fluctuaret de mittentis veracitate & authoritate, prædicit ei non eſſe dimittendos,

19. Nisi per manvm validam, id eſt, per & poſt multas plagas.

22. Postvlabit mvlier a vicina sva. Habitabant ergo permixti in terra Geſſen Iſraëlitis Ægyptii. Itaque Deus donat hîc Iſraëlitis bona Ægyptiorum, vt non ſit mirum eós ſine peccato iniuſtitiæ fuiſſe ſpoliatos, de quo & infra.

Capvt IV.

1. Non credent mihi. Populus ſcilicet Hebreorum. Excuſatio iſta deſumitur à defectu ſufficientis authoritatis. Hinc Deus ſciens excuſationem eſſe iuſtam, inſtruit eum miraculis, vt eſſent tamquam diplomata ſigillata miſſionis diuinæ. Stultum eſt enim credere cuilibet venditanti ſe eſſe miſſum à Deo, vt omnes hæretici facere ſolent, niſi miſſionem ſuam legitimè probet. Quæ ſi eſt extraordinaria, ſolis probatur miraculis, ſicut hîc in Moyſe, & olim in Chriſto & Apoſtolis, tamquam principiis ordinariæ ſucceſſionis factum eſt: ſin autem eſt ordinaria, probatur oſtendendo ſe eſſe ſucceſſorem legitimum eorum, qui olim miraculis ſuam authoritatem probauerunt. Nam per talem legitimam ſucceſſionem & coniunctionem cum illo principio & corpore ſucceſſiuo miniſtrorum, omnia miracula præcedentium fiunt etiam ſequentium.

3. Versa est in colvbrvm verum non præſtigioſum, & quia ex magna virga, ſeu pedo paſtorali factus erat, hinc Moyſes horrore fugit. Virga iſta litteraliter ſignificabat principatum Hebræorum initio ingreſſus in Ægyptum. Sed poſt mortem Ioſeph eos tamquam colubros Ægyptii abominati ſunt; ſicut autem Moyſe arripiente caudam eius vertitur in virgam, ita per Moyſen tandem in primam libertatem & principatum aſſerti ſunt Ambroſius autem conc. 3. in Pſal. 118. per virgam proiectam in terram figuratum vult, quod Filius Dei eſſet deſcenſurus in terram, & crucifixio-

ne ac ſepultura, quaſi ſerpens factus rurſum reſurrectione in cœlum remaneret.

6. PROTVLIT LEPROSAM. Et hæc manus mutatio viciſſitudinem in Iſraëlitis factam indicat. Nam primò in cultu Dei educati Ægyptiorum leprâ, id eſt, idololatriâ inquinati ſunt, & ab ea per Moyſen rurſum liberati, vt Theodoretus q. 10. in Exod.

Allegoricè manus leproſa eſt ſynagoga Chriſto incredula, manus nitida gentilitas. Vide apud Aug. Serm. 86. de temp.

10. OBSECRO DOMINE. Supple, noli me mittere, quia NON SVM ELOQVENS, deſtitutus loquendi promptitudine. AB HERI ET NVDIVSTERTIVS, id eſt, iam olim, hebraiſmo, & hoc vitium non eſt adhuc mihi ſublatum per alloquium tuum, cum facilè poſſis. Hoc enim ſibi volunt illa verba:

ET EX QVO; id eſt, etiam ex quo mihi locutus es, maneo ſicut antè eram, IMPEDITIORIS LINGVÆ. Vnde videtur hæc linguæ tarditas non eſſe comparatiua quaſi ſibi videretur ineloquens comparatione diuinę ſapientiæ & eloquentiæ, cùm ante colloquiũ Dei fuiſſet diſertus, vt exponit. Greg.. Homil. 8. in Ezechielem & Origenes hîc Hom. 3. quia manſit etiam poſteà. Nec etiam contigit ex obliuione linguæ Ægyptiacæ, ſed fuit ei naturalis nam fabula eſt Iudæorum hoc inde contigiſſe, quòd puer triennis impoſitâ ori prunâ candenti linguam aduſſerit. LXX. pro *impeditioris lingua* legunt *gracili voce*, id eſt, exil ac tenui voce, quæ non ſufficit vt audiatur à populo.

Noluit autem ei Deus hæc vitia linguæ tollere, vt obſeruat Theodor. q. 10. vt Dei potentia magis eluceret, nec populi liberatio Moyſis eloquentiæ aſcriberetur, & ſimul ipſe contineretur in humilitate.

QVIS FECIT OS HOMINIS? quaſi dicat, Nonne ego qui te mitto feci quotquot eloquentes & ſapientes ſunt? poſſum ergò & tibi vitia linguæ tollere. Ex quo colligi videtur reuera fuiſſe defectus illos auferendos, niſi Moyſes perſtitiſſet inde tractãdo officio.

13. OBSECRO MITTE QVEM MISSVRVS ES, id eſt, mitte aptiorem, quem te miſſurum deſtinati. Quod Chaldæus exprimit mitte qui dignus eſt qui mittatur. Reſpicit enim Moyſes non ad Ioſue, vt Rabbi Salomon, vel ad Aaron vt Lyranus, ſed generatim ad quemlibet idoneum, vt onus à ſe excutiat. Et quia in magnis cauſis ſolebant antiqui ad Meſſiam liberatorem reſpicere, qui *mittendus* ὁ ἐρχόμενος vocari ſolet, hinc Baſilius in c. 6. Iſaiæ & alii veteres ſatis appoſitè volunt Moyſen hîc reſpexiſſe etiam & imploraſſe aduentum Meſſiæ, quidquid contradicat Eugubinus & Caluinus in hunc locum.

14. IRATVS DOMINVS IN MOYSEN, nimia enim puſillanimitate in ſuos defectus defixus hærebat, & onus detractabat, vt proinde aliquod eius leue peccatum interueniſſe veriſimile ſit, vt agnoſcere videtur Aug. q. 10. quamuis Greg. l. 35. Moralium cap. 10. aliàs 13. & Baſilius loco citat. & alii eum prorſus excuſant, adeoque laudantes detrectandi verecundiam, per eam ſignificari volunt ſplendida huius mundi ex ſola Dei iuſſione nos debere ſuſcipere, ad aduerſa verò & abiecta ſubeunda non vltro nos offerre debere: & in illa duo in tergiuerſatione Moyſis & promptitudine Iſaiæ doceri. Sed tunc ira Dei non ſignificabit, niſi quod non impertierit Moyſi illam eloquentiam quam v. 12. illi obtulerat, ſed dederit ei domum inferius, ſubcidium ſcilicet Aaronis, de quo ſtatim ſubiungit:

16. ILLE ERIT OS TVVM, id eſt, per ipſum loqueris ea quæ dicenda erunt, ſicut viciſſim ipſe ſapiet per te quid agere & loqui debeat. Hoc eſt enim quod ſequitur.

TV ERIS EI IN HIS QVÆ AD DEVM PERTINENT. Hebraicè, *eris ei in Deum*, ſeu loco Dei, quia te conſulet vt ex te meam de dicendis & agendis voluntatem audiat: vnde ſatis indicatur, inquit Aug. q. 10. in Moyſe fuiſſe principatum, in Aarone miniſterium.

20. IMPOSVIT EOS, ſcilicèt ſimul filios & vxorem, SVPER ASINVM, quia tunc adhuc liberi paruuli erant. Vnde ineptè & ridiculè colligit Rabbi Salomon hunc aſinum tamquam mirabilem eumdem fuiſſe cum eo qui ligna tulit Abrahæ ad immolandum Iſaac, & quo Meſſias iuxta Zachariam intrauit Ieroſolymam.

22. DICES: FILIVS MEVS PRIMOGENITVS ISRAEL. Quia ante omnes populos ad Dei cultum adſcitus & quia ſummè dilectus præ cæteris. Hunc ergo dimitte, vel

23. INTERFICIAM FILIVM TVVM PRIMOGENITVM. Vltima fuit iſta comminatio & plaga quam cæteris intermiſſis exprimit, quia præcipua fuit, & per eam dimiſſio populi impetrata.

24. OCCVRRIT EI DOMINVS, id eſt, Angelus, vt ſeptuaginta, gerens figuram Domini, idque gladio euaginato minitando mortem, vt Theodoret, quæſt. 14.

ET VOLEBAT OCCIDERE EVM, ſiue filium Moyſis, vt vult Tertull. lib. contra Iudæos c. 3. ſiue potius ipſum Moyſen, vteruis enim intelligi poteſt iuxta Aug. q. 11. ſed aptiùs Moyſes.

Cauſa periculi fuit non quod fœmineum ſexum duxerat tamquam impedimentum tantæ legationis vt voluerunt quidam apud Theodoret. & Auguſt. locis citat. nec etiam vt metum Pharaonis maiore metu pelleret, ſicut vult Theodoret. ſed omiſſio circumciſionis in filio quem propter itineris fortè moleſtias ac teneritudinem non circumciderat. Vnde Deus illam in futuro principe & legiſlatore populi ſancire volebat ſeueritate vindictæ, inquit Auguſt. ne ſcilicet populus præceptum iſtud aſpernaretur videns in ducis filio præceſſiſſe, vt Tertullianus ſuprà. Hanc ergo cauſam cùm Sephora iudicio aliquo intelligeret.

25. TVLIT ACVTISSIMAM PETRAM, ad circumcidendum filium iuniorem Eliezer. Nam alter videtur antea fuiſſe circumciſus, & ſic ſtatim ceſſauit periculum. Petra verò ſeu cultellus petrinus aliquando adhibitus circumciſionem legitur, vt patet tum hic tum Ioſue 5. v. 2. prout intellexit ea loca Auguſt. Serm. 15. de verb. Apoſt. & Tract. 30. in Ioann. cui conſentiunt non ſolum multi Patres, ſed Ethnici nonnulli qui circumciſionem petra à quibuſdam peractam tradunt, vt Plutarchus in Nicia & Lucianus de Dea Syria. Vnde Iuuenalis, mollia qui rupta ſecuit genitalia teſta. & ſic quia petra erat Chriſtus iidem Patres volunt per hoc circumciſionem ſpiritualem per Chriſtum fuiſſe prophetam. Quia tamen nullum de petrinis cultris exſtat præceptum generale, hinc non videntur fuiſſe prorſus neceſſarii vt tradit D. Thom. 3. parte quęſt. 70. art. 3. ad 2.

TETIGITQVE. Sephora, PEDES EIVS Angeli, inquit Cajet. vt eum placeret, ſed quia verba Sephoræ Moyſen compellant non Angelum, hinc videtur tetigiſſe pedes Moyſis mariti ſui allato ſanguinolento filii præputio, quo quaſi pretio eum à morte redimeret, vnde dicit ei:

SPONSVS SANGVINVM TV MIHI ES, id eſt, ſponſus quem ſanguine filii mei circumciſi tamquam dote mihi denuo acquiro & à morte redimo alioqui periturum, non enim ſunt verba matris blandientis filiolo in doloribus, nec indignantis aduerſus Moyſen, vt quidam voluerunt ſed gratulantis ſibi de marito liberato.

26. ET DIMISIT EVM, Angelus Moyſen placatus circumciſione quam neglexerat, nam non poſſe intelligi de Sephora quod dimiſerit Moyſen & in Madian reuerſa fuerit, vt Lyranus & Rupertus putauerunt, patet, quia verbum in Hebræo eſt perſonæ maſculinæ, vnde apud LXX. in quibuſdam editionibus legitur, *& diceſſit ab eo Angelus.* Remiſſam tamen fuiſſe Sephoram, patet ex cap. 18. verſ. 2. nempe vt expeditior eſſet ad arduam illam legationem obeundam.

27. PERREXIT OBVIAM IN MONTEM DEI, Horeb, ſic enim vocatus eſt ſuprà v. 1. Moyſes enim & Iethro videntur ſatis procul ab illo monte habitaſſe, vt etiam colligitur ex capite 18. verſ. 5. & 25.

CAPVT V.

QVIS EST DOMINVS? ille ſcilicet Adonaï quem mihi profers, repetit enim contemptim ipſa verba Moyſis ſcilicet nomen tetragrammaton.

NESCIO DOMINVM, id eſt, non noui neque curo illum vt propter illum Iſraelitas dimittam; ſuperbiſſimam enim contumaciam ſpirant hæc verba.

14. FLAGELLATIQVE SVNT, &c. Hinc patet duplices fuiſſe præfactos in exigendis

operibus, alios immediatos ex ipſo populo Iſrael, qui tamquam notiores populo inſtabant exigendis ſigillatim operibus alios Ægyptios tamquam præfectorum pręfectos quibus tamquam ſublimioribus iſti tenebantur rationem reddere, vel vapulare.

22. REVERSVSQVE EST MOYSES AD DOMINVM Redditus ad Deum hoc loco ſumitur in malam partem pro defectione ab officio, inquit Caluinus hîc, ita araneus ex facto maximè laudabili venenum ſugit, quid enim ſanctius quàm in neceſſitatibus ad Deum fugere? nam quod Moyſes dicit quaſi expoſtulando.

CVR AFFLIXISTI POPVLVM ISTVM? &c. Non ſunt contumaciæ verba vel indignationis, ſed inquiſitionis & orationis, inquit Aug. quæſt. 14. in Exod. & probat ex iis quæ Deus ei reſpondet. Non enim arguit infidelitatem eius, ſed quid ſit facturus aperuit. Impiè proiede, & imperitè inuehitur hîc Caluinus in denſas tenebras mentis Moyſis vt ipſe loquitur, in amarulentiam eius, indignationem tædium, accuſationem Dei, & obliuionem promiſſorum eius.

Porrò in hoc capite tamquam in figura delineatum videmus ordinem quem Deus in cōuerſione & liberatione peccatoris obſeruare ſolet. Simulatque enim homo ex hac vita velut Ægypto *iter trium dierum*, id eſt, fidei, ſpei & charitatis inſtituere meditatur, vt ſenſibilium circumſtantiam amore liberatus quaſi in deſerto ſeipſum ſacrificet in holocauſtum Deo & vlterius in cœleſtem patriam proficiſcatur, ante omnia diabolus otium tollit, id eſt, negotia & curas ſeculares ingerit, quia illæ, vt Baſil. Pſal. 44. Dei cognitionem impediunt, quia qui minoratur actu, augebitur ſapientia: deinde opera grauiora luti & laterum imponit, id eſt vt Bern. lib. de conuerſione ad clericos, acriores concupiſcentiæ carnis tentationes ſuſcitat: plerumque enim, inquit Greg. 19. Moralium c.14. aliàs 12. poſt illuminationem diuini muneris, tentationis certamen augetur, vt plus ſe vrgeri ſentiant quàm cum lucis internæ radios non viderent. Sed ex omnibus liberat Deus etiam per portenta & miracula, ſi adſit tantùm fiducia & conſtantia.

CAPVT VI.

1. DIXITQVE DOMINVS AD MOYSEN, ad ſe conuerſum & orantem vt capite ſup. Dixit autem interna locutione, ſicut Prophetis ſolet, ſic enim in his omnibus plagis imperandis videtur locutus eſſe Moyſi, non viſibili apparitione.

NVNC VIDEBIS, &c. quaſi dicat, Tempus præſtitutum liberationi proximum eſt, iam iam videbis opera mea, quia Pharao EIICIT ILLOS, id eſt, feſtinatò exire compellet.

IN MANV ROBVSTA, quia potentia manus meæ coactus.

3. APPARVI ABRAHAM ET IN DEO OMNIPOTENTE, id eſt, reipſa & operibus manifeſtatus fui patribus tamquam Deus omnipotens in munificentia exhibenda. Hebraicè eſt enim, *Deus Saddai*, quod quid ſignificet, dictum eſt Gen. 17. v. 1. quamuis alii velint eſſe duo verba, hoc ſenſu *cui ſufficientia*, & in idem ſenſus redit.

ET NOMEN MEVM ADONAÏ NON INDICAVI EIS. Beda legit interrogatiuè, quaſi affirmaret eis fuiſſe indicatum, ſed omnes codices tam Latini quàm Græci itemque Patres legunt ſine interrogatione. Adonai autem propriè. *Dominus*. Et ſic ſæpiſſimè etiam in noſtro textu vertitur, vnde LXX. etiam hîc tranſtulerunt, *Nomen meum Dominus non indicaui eis*, ſed rectiùs noſter hîc retinuit nomen *Adonaï*, vt ſignificaret ſe non accipere illud in propria ſignificatione, ſed tamquam ſubſtitutum nominis tetragrammati, quod hîc habetur. Vocatur autem tetragrammaton, quaſi quadrilitterum, quia quatuor Hebraïcis litteris ſcribitur, ſicut nomen Dei apud omnes penè nationes, Græcos, Latinos, Ægyptios, Arabes, Gallos, Hiſpanos, Italos, Teutones, &c. Ab Hebræis legitur per *Adonai*, ſicut ſi nos vbicumque inuenimus *Deus*, legeremus *Dominus*. Hoc autem factum eſt profundæ venerationis cauſa ne nomen iſtud Dei ſacratiſſimum vſu, quotidiano quodammodo vileſceret. Hac de cauſa vocatur ab Hieron. Epiſtol. 126. & aliis paſſim *ineffabile*. Vnde Ioſephus 2. Antiq. c. 2. de quo, inquit, mihi non eſt fas loqui, olim enim non pro-

nunciabatur hoc nomen niſi in templo à ſacerdote benedicente populo & in ipſo die ieiunii, nec niſi certis idoneis diſcipulis eius pronunciatio & ſignificatio tradebatur, vt docet Maymonides in More parte 1. cap. 61. & 62. & Philo indicat lib. 3. de vita Moyſis. Adiungente ſe verò ſuperſtitione etiam pœna capitis in pronunciantes nomen illud extra templum ſancita fuit, vt idem Philo eodem lib. & Scriptores Thalmudici inculcant. Et eò videtur reſpexiſſe Theodoret. q. 15. in Exodum cùm dicit, prohibitum eſſe apud Iudæos lingua illud nomen pronunciari. Poſtquam autem templum euerſum fuit, penitus pronunciari deſiit, quamuis Rabbi Moyſes cap. 62. More dicat etiam diu antè intermiſſam fuiſſe benedictionem cum illo nomine, poſt mortem ſcilicet Simeonis iuſti, quem quidam volunt eſſe, non illum Simeonem de quo Lucæ 2. ſed alium quem Ioſeph Iaduam, ſeu Iaddo vocat Alexandro Magno coætaneum. Sic ergo dictum eſt nomen hoc ineffabile primò quia pronunciari paſſim non decuit, ſecundò quia non licuit, tertiò quia non potuit, quia nemo ſciuit amplius, vel Iudæorum, vel ſacerdotum veram eius pronunciationem, ſiue puncta vocalia quæ litteris illis quatuor ſubiici deberent. Vnde loco nominis iſtius vtebantur aliis nominibus Dei duodecim, & 42. litterarum de quibus frequens mentio eſt apud Hebræos Scriptores Rambam, Bechaii, & alios.

Sed cùm & illa eadem ſuperſtitione ſolis ſacerdotibus traderentur, ſimili fato pronuntiatio eorum intercidit, quidquid tandem Galatinus lib. 2. dicat. Fruſtra igitur nunc contenditur de vera nominis tetragammati pronuntiatione. Cùm enim & Iudæi ſaltem ab euerſo templo illam ignorauerint, nec niſi ab illis diſci potuerit, neceſſe eſt omnia incerta eſſe, & ſolis coniecturis niti quæ proferuntur. Hinc Theodorus Siculus ſummum Iudæorum Deum dicit vocari *Iao*, cui adſtipulatur Clemens Alexand. lib. 5. Stromat. Irenæus lib. 2. cap. vlt. vocat *Iaod* Theodoretus qu. 15. dicit à Iudęis appellari *Ia*: à Samaritanis *Iane*. Græci olim legebant *Pipi* teſte Hier. Epiſtola ad Marcellam, ſed ex errore, quia litteræ illæ quatuor Hebraïcæ ſunt ſimiles illis Græcis. Aliqui recentiores *Iehoue* pronuntiandum putant, alii *Iehoua* quod maximè Hæretici amplexi ſunt, ſed fortaſſis nulla pronunciatio eſt abſurdior, ſecuti ſunt enim puncta quæ nunc illis litteris ſubiecta ſunt: conſtat autem certò illa eſſe aliena nominis *Adonai*, vt clarè probat Bellarminus in exercitatione grammatica. Maneat igitur ignotam penitus eſſe pronunciationem eius, & proinde retinendam eſſe antiquiſſimam illam ſubſtitutionem nominis *Adonai* vel *Eloim*, qua vſi ſunt omnes priſci interpretes, qui aliquam ſcripturæ partem attigerunt, Arabes, Perſæ, Syri, Æthiopes, inter Latinos Hieron. & alii ante illum, inter Græcos Theodotion, Symmachus, Aquila, author quintæ & ſextæ editionis Græcæ, ipſi LXX. ac denique Apoſtoli & Chriſtus Dominus citantes ſcripturas ſemper illud nomen per *Dominus*, ſed *Kyrios*, id eſt, *Adonai* exprimunt, vt abſurdum ſit, hoc Maſſoretis velle tribuere. Significatio nominis iſtius variè à variis redditur. Veriſſima eſt illa quam & ratio etymologica præ ſe fert, & doctiſſimus Hebræorum Maymonides prima parte More capite 63. tradit, nempe quod non ſignificet vllum, vel effectum, vel proprietatem Dei, ſed ipſum eſſe, ſed immenſum eſſentiæ pelagus omnium eſſentiarum fontem, de cuius ratione ſit quod perpetuò & neceſſariò exiſtat; vt meritò & potiſſimùm hac de cauſa glorioſum illud nomen ineffabile dictum ſit, vnde conuenit prorſus ſignificatione cum illo nomine quod expoſuimus capite; *ſum quod ſum*, etſi pronuntiatione differat: eſt enim eadem prorſus radix *haia* ſeu *haua* eſſe. Senſus ergo loci eſt, Patribus fui cognitus per nomina omnipotentiam aliaſque proprietates meas & effectus ſignificantia, ſed nomen mihi proprium quo ipſum diuinitatis & eſſentię meæ pelagus immenſum exprimitur, non indicaui eis, ſicuti tibi & Iſraëlitis illud reuelaui, nempe non tantùm nomen exprimendo, ſed etiam ſimul elatiorem

tem diuinitatis meæ cognitionem impertiendo, vt ait Greg. Homil. 15. in Ezech. Per hoc enim indicare vult, vt notat Theodor. hîc, quanto honore & beneuolentia ipſos affecerit, vt meritò de liberatione, etſi difficillima confidere poſſint ac debeant.

5. Recordatvs svm pacti mei, vt ſciatis me non meritis veſtris, ſed paternis meaque miſeratione fieri quod educã vos.

De ergastvlo Ægyptiorvm, id eſt, de Ægypto in qua tanquam ergaſtulo duram ſeruitutem agitis.

Et redimam in brachio excelso, ſeu eleuato ad feriendum, prout explicatur Iſaiæ 5. verſ. 25. id eſt, redimam magnâ poteſtate.

Et in ivdiciis magnis, id eſt, plagis, ſeu pœnis magnis, quæ ſunt iudicii diuini effectus & executio. Poſtquam autem liberauero.

7. Assvmam vos mihi in popvlvm, in monte Sinai, ſeligendo vos ſolos è cæteris nationibus quos legibus formem, cultui meo dedicem, & in quos beneficia mea profundam. Et ſic

Ero Devs vester, & hoc scietis, ſeu experientia cognoſcetis. Fuit autem hæc Iſraëlitarum aſſumptio typus expreſſiſſimus illius aſſumptionis, qua Deus quoſdam cæteris neglectis eligit, vt eos liberet de ſeruitute dæmonum, atque inducat in æternam beatitudinem, de quo Pſalmus, Beatus quem elegiſti & aſſumpſiſti: inhabitabit in atriis tuis.

8. Ego Dominvs. Hæc phraſis eſt inſtar iuramenti, vel potiùs grauiſſimæ confirmationis, quaſi diceret, Ego oſtendam reipſa me eſſe Dominum, vt compleam ea quę dixi.

12. Cvm incircvmcisvs sim labiis, LXX. ἄλογος, *ſine ſermone*, id eſt, vt ſuprà cap. 4. ineloquens, impeditioris, ac tardioris linguę: circumcidi enim lingua, vel corde, eſt vitio linguę, vel cordis exui, ſumptâ metaphorâ à circumciſione præputii, qua opprobium immunditiæ gentilitatis auferebatur. Hinc ergò patet vitium linguę non abſtuliſſe Moyſi Deum, vt videtur putaſſe Philo libr. [illegible] de vita Moyſis.

14. Isti svnt principes domorvm per familias svas. Hebraicè clariùs, *Hi ſunt principes domus patrum ſuorum*, id eſt, illi ſunt principes domotum, ſeu familiarum vnuſquiſque in ſua familia. Singuli enim non ſolùm filii Iacob; ſed etiam filii filiorum eius conſtituebant peculiarem familiam in qua principes erant. Numerantur iſtæ familiæ diſtinctæ toto cap. 26. num. Porrò hîc non pertexitur, niſi trium genealogia Ruben, Simeon & Leui, quia tribus illis maledixiſſe videbatur Iacob Geneſ. 49. & maximè quia ſtirpem tribus Leui, qui tertius erat filiorum Iacob, enumerare volebat, propter Moyſen & Aaron, qui ex ea propagati ſunt, vnde abſoluta genealogia ipſorum quæ quaſi per parentheſim interpoſita fuerat, redit ad ſcopum ſuum verſ. 26. *Iſte eſt Moyſes & Aaron*, &c. Ad filium verò intermiſſæ narrationis & timiditatis Moyſis redit verſ. 29. & 30.

Capvt VII.

1. Dixitqve Dominvs. Hîc, Deus ſatisfacit querelæ Moyſis, & erigit puſillum animum eius.

Ecce constitvi te Devm Pharaonis, participatione quarundam proprietatum diuinitatis quia ſcilicet, vt Ambroſ. l. 1. de Caïn & Abel. cap. 2. victor paſſionum omnium ad Dei ſimilitudinem ſe perfectæ virtutis vbertate formauerat mentem regens, carnem ſubijciens: ſed maximè quia aduerſus Pharaonem diuinam quandam poteſtatem exercuit, dum ab eo timetur dum oratur, dum punit, dum medetur, dum verbo animalia quaſi creat & deſtruit cœlum denique ac terram commouet, vt explicat Hilar. lib. 7. de Trin. & latiùs Rupertus hîc. Eſt enim hoc loco non illud nomen tetragrammaton, ſed Elohim, quod ex adiunctis ſæpè trahitur ad creaturas Angelos, vel homines, cùm eminentem quamdam & maximè iudiciariam Dei poteſtatem participant, vt clarum eſt Pſal. 81. v. 1. & Exodi 22. v. 28. *diis non detrahes*, id eſt, iudicibus.

Aaron erit propheta tvvs. Tamquam Dei ſcilicet per analogiam quam-

dam, inquit Auguſt. qu. 17. quia ſicut ego hominibus non per me, ſed per prophetas loquor & mando, ita tu reuelabis Aaroni quidquid dicendum & faciendum fuerit, & ipſe ad Pharaonem proferet, vt explicatur verſu ſeq. Ex quo iuſinuatur, inquit Auguſt. ea loqui prophetas Dei, quæ audiunt ab eo: nihilque eſſe aliud prophetam Dei, niſi enunciatorem verborum Dei hominibus, qui Deum vel non poſſunt, vel non merentur audire.

3. SED EGO INDVRABO COR EIVS, occultiſſimis, ſed iuſtis iudiciis meis, de quo latiùs infrà.

4. ET NON AVDIET: quaſi dicat. Et tamen poſt tot ſigna non obediet. Hoc addit ne Moyſi præter opinionem contingat tanta regis pertinacia, nec ipſe vel Iſraëlitæ de fiducia liberationis tandem ſecuturæ decidant.

9 OSTENDITE SIGNA, id eſt, ſignis fidem facite vos miſſos eſſe, & loqui ex Deo. Itaque ſicut ſuprà cap. 4. inſtruxerat Deus Moyſen miraculis ad fidem adſtruendam apud Hebræos, ita nunc apud Pharaonem. Non enim vult argui Pharaonem, quaſi petitio ſigni eſſet ſolemnis tantùm incredulis, vt vult hoc loco Caluinus & omnes hæretici, quia ſignis carent, ſed vult iuſtæ petitioni eius ſatisfieri. Itaque ingreſſi Moyſes & Aaron.

10. FECERVNT SICVT PRÆCEPERAT DOMINVS, nempe iuxta ordinem præſcriptum cap. 6. verſ. 11. petendo primò dimiſſionem populi, deinde ſi peteret ſignum authoritatis, quod cap. 5. nondum à Pharaone poſtulatum fuerat, proijceret virgam, vnde quod hîc ſequitur, *tulitque Aaron virgam*, intelligitur factum non ad primum ingreſſum, ne ſignum videretur obtrudi, ſed rege poſtulante.

11. VOCAVIT AVTEM PHARAO SAPIENTES, id eſt, artium arcanarum peritos, qui mox explicationis cauſa vocantur *malefici*, id eſt, incantatores, ſeu malis artibus, & dæmonis operâ mirabilia patrantes. Nomina eorum, vel traditione, vel reuelatione accepta tradit D. Paulus. 2. ad Timoth. 3. v. 8. vocat enim eos Ioannes & Mambres, de quorum monumento vide mira apud Palladium in hiſtoria Lauſiaca in vita Macharij Alexandrini, quorum fides penes ipſum ſit.

ET FECERVNT PER INCANTATIONES, id eſt, per carminum quorumdam recitationem, quæ vocantur *arcana*, quia non omnibus nota ſunt, & ſubmiſsè inſuſurrari & immurmurari ſolent, vocantur *Ægyptiaca*, ſiue quod apud Ægyptios eſſent viſitatæ, ſiue quod earum author eſſet Cham, vt nonnulli volunt, à quo Ægyptus dicta eſt terra Cham, quia illam occupauit cum filiis ſuis. Vnde quidam putant eumdem eſſe Zoroaſtrem illum cui communiter ab Auguſt. 21. de Ciuit. cap. 14. & aliis inuentio magiæ tribuitur.

FECERVNT SIMILITER. Nempe per præſtigias oculis ludificando, vt ſimiles draconibus viderentur, qui non erant. Ita Ioſeph. lib. 2. Antiq. quem ſecutus eſt author quæſtionum apud Iuſtinum quæſt. 26. & Tertull. lib. de anima cap. 57. vbi dicit quod Moyſis veritas, id eſt, veri dracones, mendacium deuorauit. Sed quia vt Auguſtinus q. 21. in Exod. ex vtraque parte & virgæ dicuntur, & dracones ſeu colubri (eadem enim vox eſt in Hebræo) & in nullo differt ex vtraque parte loquendi modus, & infra dicuntur ſimpliciter eduxiſſe ranas, & Moyſis virga dicitur dracones eorum deuoraſſe, hinc videntur res productæ tam fuiſſe veræ quàm vera & non præſtigioſa fuit deuoratio, & ita ſentit idem Auguſtinus lib. 3. de Trinit. cap. 8. quem ſequitur & explicat D. Thomas 1. parte qu. 114. ar. 4. Idem ſentit & Philo lib. 1. de vita Moyſis, & clarè Origenes Homil. 13. in Num. & Theod. q. 18. hic. Sed quis eos producendi modus? Auguſtinus locis citatis clarè indicat per naturalem conuerſionem potuiſſe fieri, dæmone præbente quaſdam viſibiles opportunitates & cauſas applicando ſcilicet actiua paſſiuis, vt illa naſcerentur. Sic enim quotidie & ranæ, & mures, & lacertæ ſine ſemine naturalibus ex cauſis producuntur, & ſerpentes multos ita produci tradit Plinius: potuerant enim magorum virgæ per cauſas naturales dæmonis operatione antè

diſponi, vt Caietanus voluit. Tempus enim ſatis longum interceſſiſſe videtur, quia idem miraculum coram Iſraëlitis perpetratum eis innoteſcere potuerat. Vel ſi modus iſte difficilior videatur, dici poteſt, veros dracones aliunde adductos ope dæmonis virgarum loco fuiſſe ſubſtitutos, fallendo oculos, vt nemo præſtigias illas animaduerteret. Et ſic præſtigiæ, fuiſſent non in conuerſionis termino, ſeu re conuerſa, ſed in conuertendi modo, vnde & Hebraïcè malefici iſti vocantur *preſtigiatores*. Scriptura tamen dicit feciſſe ſimiliter, quia modus agendi externus ſimilis erat, quemadmodum & Angeli dicuntur comediſſe.

12. SED DEVORAVIT VIRGA AARON VIRGAS EORVM, id eſt, coluber colubros, nomine enim materiæ appellati ſunt ex qua conuerſi fuerant, vt Aug. q. 21. vt non mirum videri debeat, ſi & Euchariſtia poſt panis tranſſubſtantiationem ſubinde panis vocetur, maximè cùm figuram eius retineat. Quod cùm friuolum cauillum vocet hoc loco Caluinus, perperàm tamen fieri nullo argumento probare potuit.

Notandum verò præſtigias magorum non obfuiſſe Moyſi, ſed magis profuiſſe, ſemper enim aliquid ad fuit, quo diuina ſigna præcellerent. Nam ſerpens Moyſis deuorauit ſerpentes eorum? aquam illi in ſanguine mutare potuerunt, non rurſum ſanguinem in aquam; ranas afferre non tollere, nempe vt per eos plagæ augeri poſſent non minui quemadmodum hæc diſcrimina notat Theodoretus quæſt. 18. Poſt deuorationem virga Aaron in ſtatum priſtinum reuerſa eſt, vt patet v. 15.

17. PERCVTIAM AQVAM FLVMINIS Nili, ET VERTETVR IN SANGVINEM, vt ita quodammodo conqueratur de cæde puerorum ab eis commiſſa, inquit Theod. Incipiunt plagæ à Nilo, quia vt idem cum pleriſque veteribus notauit, diuinis honoribus colebatur, vſque adeo vt eum iuxta Philonem primum rerum principium putarent, & vt alii cùm vas aquæ inferretur in templum flexis genibus, ſublatiſque in cœlum manibus gratias agerent. Verſus eſt autem in ſanguinem non ſolum vbi Moyſes & rex erant, ſed vt eſt v. 21. in tota terra Ægypti, nempe à mari mediterraneo, inquit Philo, vſque ad Æthiopiam, ex qua prolabens Nilus ingreditur Ægyptum. Itaque neceſſe fuit aquas continuò per 7. dies affluentes in ſanguinem mutatas fuiſſe, & ita continuum fuiſſe miraculum, nec tamen in ſolo Nilo ſtetit plaga, ſed vt mox dicitur omnes omnino fluuios, riuos, paludes, lacus peruaſit, imò & aquas in vaſis ligneis, & ſaxeis contentas. Vnde Caietanus exceptas putat aquas in vaſis metallicis conſeruatas, ſed malè. Scriptura enim quædam ſpecificando omnia inſinuata voluit, vt plaga eſſet generalior, vnde & putei, ſi qui eſſent, in ſanguinem verſi ſunt: nec enim alios alioquin puteos fodiſſent Ægyptii, nec afflicti fuiſſent bibentes aquam fluminis, vt hîc dicitur, id eſt, non fuiſſent ſic cruciati, vt exponitur Sapient. 11.

18. PICES QVOQVE MORIENTVR, quia ſanguis craſſior & calidior eorum temperamento aduerſatur. Mortui ſunt ergo conſequenter Dii Ægyptiorum Crocodilus & alii quos colebant. Hinc & damnum ingens, quia vt Herodotus, plerique in Ægypto piſcibus ſalſis, vel areſactis victitant.

ET COMPVTRESCENT AQVÆ, id eſt, quæ fuerant aquæ, quia ſanguis extra venas animalium in tabum vertitur & putredinem.

21. FVIT SANGVIS IN TOTA TERRA ÆGYPTI. Non excipitur hîc terra Geſſen, ſicut in cæteris plagis. Vnde nonnulli volunt, etiam vbi fuiſſe aquas Ægyptiis, verſas in ſanguinem, Hebræis tamen fuiſſe dulces ac potabiles, vt ait Ioſephus. Nam aliquin Ægyptii inde ſibi facilè ſubuenire potuiſſent, Sed vnde igitur, inquies, habuerunt aquam malefici,

22. VT FECERNT SIMILITER INCANTATIONIBVS SVIS? Lyranus à dæmone vult allatam, alii à Deo conſeruatam in hunc vſum, alii à Moyſe & Hebræis oblatam. Promptiſſima ſolutiò videtur Theodoreti, ex vicino mari ſalſo allatam fuiſſe. Aquæ enim fluuiatiles & potabiles tantum conuerſæ ſunt, ad affligendos ſcilicet Ægyptios, vt ſatis hîc v. 18. & 21. notatur.

24. FODERVNT PER CIRCVITVM FLVMI-

nis, vt ſanguinis percolatione ſubterranea fieret liquidior & potabilior. Idcirco enim per circuitum fluminis foderunt. An effe-ctum conſecuti ſint Scriptura tacet. Philo apertè dicit, nouas aperientibus venas pro limpido liquore ſanguinem emicuiſſe tanquam è vulnere: & idcirco cateruatim homines eſſe ſiti mortuos. Nam ſi fodiendo aquam obtinere poterant, parui momenti fuiſſet plaga ſitis quam Scriptura Sap. 11. inculcat.

25. Impletiqve svnt septem dies, quibus ſcilicet durauit hæc plaga à prima percuſſione fluuii. Abſtulit eam vltro Deus, vt ſubſequentibus fieret plagis locus, nec vna omnes conſumeret.

Quod ad allegoriam & tropologiam iſtarum plagarum ſpectat videndi ſunt D. Auguſtinus in fragmento Serm. ad populum quod extat tom. 10. vbi latè decem plagarum ſignificationem exponit, & decalogo decem præceptorum applicat. Itemque Nyſſenus libro de vita Moyſis.

Aquæ igitur ex quibus vt principio generantur omnia, mutantur in ſanguinem, quia inſipientes homines Dei maieſtatem carni & ſanguini & brutis animalibus ſimilem eſſe putauerunt.

Capvt VIII.

5. Extende manvm tvam svper flvvios, extendendo illam verſus Nilum, & intentione verſus omnes aquas Ægypti.

Et edvc ranas, non tantum proferendo illas quæ cum aquis iam viuebant, ſed nouas immenſo numero producendo, quanta enim earum fuerit multitudo indicat v. 3. vbi fluuius dicitur *ebullire ranas*, Hebraïcè, ingenti copia ſcaturire facere. Et v. 14. vbi hyperbolicè in immenſos aggeres congregatæ dicuntur. Quanta ex ranis fuerit vexatio, vide depingentes Ioſephum & Philonem lib. 1. de vita Moyſis. Aptè verò infanticidium hac pœna punitum fuiſſe notat Theod. in Pſalm. 104. & quæſt. 19. in Exod. Pueri enim, inquit, inceſſu ranas quodammodo imitantur; nam quia nondum ſolis pedibus niti poſſunt, manibus ſupplent pedum imbecilitatem.

Ranæ iuxta Auguſt. ſignificant homines loquaces & maximè hæreticos, qui, inquit, velut ranæ clamantes de palude ſtrepitum vocis habere poſſunt, doctrinam ſapientiæ inſinuare non poſſunt: tædium inferentes auribus non cibum mentibus.

7. Fecervnt malefici similiter, eas ex aquis eliciendo, applicando cauſas actiuas paſſiuis, ſicut hæc naturaliter quotidie fieri videmus. Afferre igitur ranas potuerunt, ſed non auferre, quamuis hoc facilius videri poſſet. Nimirum, vt & ſic Dei poteſtas patefieret quam niſi interpoſuiſſet, ſine dubio contigiſſet id Ægyptiis quod Abderitis contigiſſe ſcribit Horoſius lib. 3. cap. 23. qui propter intolerandæ multitudinis ranas & mures, patria pulſi ſunt: ſicut & incolæ Pæoniæ & Dardaniæ teſte Athenæo. Hinc & Plinius ex Varrone refert à ranis pulſam eſſe ciuitatem in Gallia à locuſtis in Africa, à cuniculis ſuffoſſam in Hiſpania à talpis in Theſſalia. Vnde & hic moleſtia preſſus Pharao implorauit opem Moyſes, vt ranæ delerentur. Moyſes autem, vt conſtaret Deum eſſe ablationis authorem, non caſum fortuitum, tempus ſibi conſtitui poſtulat. Pharao verò reſpondit:

10. Cras, nempe vt homo incredulus interea videret, an per ceſſarent, vel ne nimis arctaſſe videtur Moyſen in re tam ardua.

17. Facti svnt siniphes. De hac plaga non conueniunt authores. Hebræi fuiſſe pediculos credunt, quos multi recentiores Caier. Paginus, Arias Montanus, & alij ſecuti ſunt. Torniellus putat fuiſſe pulices, ſed pulices non inuolant in oculos, ſicut Ioſephus & Philo factum teſtantur. Pediculi verò non giguntur ex puluere, ſed ex corporis corruptione. Itaque rectius Hieronym. & Auguſt. in fragm. illo citat. Philo, Artapanus, apud Euſebium libro 9. de præp. Euang. c. 27. docet eſſe genus muſcæ quod ciniphes à κνίζειν, id eſt, pungendo vocatur. Sunt autem ciniphes, inquit Auguſt. ibidem muſcæ minutiſſimæ inquietiſſimæ, inordinatè volitantes, in oculos iruentes non permittentes hominem quieſcere,

dum abiguntur, iterum irruunt. Addit Philo etiam per nares & aures in interiora penetrare, ſtimulum habent per modum terebri quo acutiſſime pungunt. Vnde Auguſtinus appoſitè docet eos eſſe moraliter homines contentioſos & maximè hæreticos. Sunt enim rixarum amatores, calumniarum ſeminatores, contentionis quàm virtutis cupidiores: munitis verborum ſtimulis animas terebrant, & circumueniunt, vt deceptus nec videat, nec intelligat vnde decipiatur, vt ait Orig. Hom. 4. in Exod.

18. FECERVNTQVE SIMILITER MALEFICI, id eſt, conati ſunt facere, adhibendo ſolitas incantationes. ET NON POTVERVNT, ſine dubio propter cauſam extrinſecam impedientem conatus dæmonum. Nam productio ciniphum per cauſas naturales quarum applicatione dæmones operari ſolent, longè facilior eſt & frequentior quam ranarum, vel aquæ conuerſio in ſanguinem. Quod enim Iudæi putant dæmones non poſſe producere animal minus grano hordei, friuolum eſt. Agnouerunt hoc impedimentum Pharaonis magi. Idcirco enim dicunt:

19. DIGITVS DEI EST HIC, qui compeſcit poteſtatem noſtram. Nam vt Auguſtinus ait q. 25. cùm artium ſuarum nefariarum ſcirent potentiam, ſentiebant non talibus artibus ſuos conatus fuiſſe fruſtratos, ſed *digito Dei*, id eſt, opere vel etiam virtute creatoris, licet modicâ, tamen validiſſimâ, inquit Tertull. 4. contra Marcionem cap. 27. Nam digitus ſicut & brachium operationem Dei, vel poteſtatem operandi ſignificant. Quamquam plerique veterum vt Athanaſius, Auguſtinus loco citato, & alii velint eodem ſenſu digitum Dei ſignificare Spiritum ſanctum. Sic enim quem Lucas cap. 11. verſ. 20. vocau rat *digitum Dei*, Matthæus cap. 12. verſ. 28. clarè exponit *Spiritum Dei*. Vt ita magi faſſi fuerint & ſignificauerint ſe non ſanctâ virtute ſicut Moyſes, ſed nefaria ac diabolica poteſtate operari.

INDVRATVMQVE EST COR PHARAONIS, cùm tamen hac tam aperta magorum confeſſione maximè emolliri debuiſſet. Nimirum vt ita diſceremus, quàm verum ſit illud Sapientis: *Fruſtra corrigitur quem Deus deſpexerit*. Nam quocunque miraculo oculos feriente, quacumque correptione forinſecus inſonante atque flagellante, opus eſt vt Deus intrinſecus occulta inſpiratione & operetur velle, alioquin vt lex ſecundum Apoſtolum, ita & miraculum virtus peccati eſt.

21. OMNE GENVS MVSCARVM. Vox Hebræa ſecundum etymon ſignificat miſcellaneum: vnde ſicut Aquila tranſtulit παμμυίαν, id eſt, omne genus muſcarum, ita Hieron. Epiſt. ad Suniam & Fretellam putat LXX. tranſtuliſſe κοινομυίαν, id eſt, communem muſcam, quemadmodum vulgatus interpres legit Pſal. 77. & 104. tametſi editio LXX. non ſolum nunc ſed & olim, itemque Auguſtinus, Theodoretus & alij legerint κυνόμυιαν, id eſt, muſcam caninam: quorum vtrumque muſca ſcilicet & canis, vt notat Philo, impudentiſſimum eſt, vt ſic expreſſerint vnam ſpeciem muſcarum impudentiſſimam & moleſtiſſimam, non excluſis cæteris. Vnde inferiùs vocatur *muſca grauiſſima*, id eſt, moleſtiſſima & nocentiſſima, quia *terra ab ipſis corrupta fuit*, id eſt, homines & iumenta miſerum in modum vexati & fœdati. Immiſſus eſt ergo Ægyptiis ingens exercitus omnis generis muſcarum, ita vt hęc plaga fuerit quodammodo augmentum & continuatio plagæ præcedentis. Nam eius ceſſatio non legitur vel à Pharaone poſtulata, vel à Moyſe promiſſa, vel à Deo data. Qui verò inter Hebraïzantes interpretantur vocem Hebræam, omne genus ferarum vel turbam ſerpentum & ſcorpionum, leonum, &c. vt Rabbini nonnulli, ſatis apertè refutantur à Salomone Sapient. 11. v. 18. & ſeqq.

Myſticè Ægyptus, id eſt, mundus, inquit D. Gregor. 18. Moral. cap. 8. aliàs 25. percutitur muſcis, quæ inſolentia & inquieta ſunt animalcula ad ſignificandas inſolentes curas carnalium deſideriorum quibus ſectatores ſæculi fatigantur.

22. FACIAMQVE MIRABILEM, &c. Mirabili poteſtate arcendo ab ea muſcas: vt hac diuerſitate non naturalem mundi cur-

ſum, ſed me authorem agnoſcas. Quamuis autem hîc primò legatur exempta terra Geſſen, idem tamen de cæteris plagis intelligendum eſt, vt ſatis inſinuatur Sapientiæ 11. & apertè docet Auguſtinus qu. 23. in Exod. & ex profeſſo q.27. licet alij velint etiam ibi fuiſſe muſcas, ſed Hebræos non læſiſſe, itemque ibi ſanguinem fuiſſe & ranas, ſed non fuiſſe moleſta Iſraëlitis. Ideo autem hoc in loco primum iſtud commemorari docet Auguſtinus, quia illa hic ſigna incipiunt, quibus ſimilia magi non ſunt auſi tentare.

16. Abominationes ægyptiorvm immolabimvs. Sine interrogatione vertit noſter, & ita legendum docet Auguſtinus q.28. vt mirum ſit quid quidam ſibi velint, cum dicunt noſtrum vertiſſe interrogatiuè. Abominationes ergo, id eſt, ea quorum tamquam Deorum ſuorum cædem abominantur ægyptii tamquam ſacrilegam. Vnde mox noſter eandem Hebræam vocem exponit, ea qvæ colvnt ægyptii, oues ſcilicet & boues. Hæc autem Moyſes immolanda dicit, quia diſtinctio animalium mundorum ab immundis ad ſacrificia iam ab ipſius Noe temporibus obſeruata fuerat in ſacrificiis tam ab ipſo quàm Abraham oblatis, etſi nondum poſitiuâ lege perſcripta. Hæc ergo offerenda Deo ſupponit, etſi quod genus eſſet immolandum necdum ſciret, vt patet ex capite decimo, verſ. 26.

Capvt IX.

3. Ecce manvs mea, id eſt, plaga peſtis per meam ſolius manum nullâ veſtrâ operâ interpoſitâ immiſſam. Nam in hac quinta plaga, ſicut & in quarta & in vltima non legitur Moyſis vel Aaronis opera adhibita. Tres verò primas circa aquas & terram fecit ſolus Aaron extenſione virgæ: ſextam vterque ſimul: ſeptimam, octauam, & nonam, circa ventum & aërem ſalus Moyſes, vt obſeruauit Philo l. 1. de vita Moyſis. Erit ergo manus mea.

Svpra agros, id eſt, ſuper animalia non omnia, ſed domeſtica paſcentia in agris: illa enim ſtatim enumerantur. Non ergo tetigit hæc plaga, vel fruges, vel arbores, vel feras, ſed illa quæ erant in vſu quotidiano Ægyptiorum. Nam

Ovibvs et bobvs, quamuis non vterentur ad cibum ea mactando, lac tamen, lanam & adjumenta agriculturę inde percipiebant.

6. Mortvaqve svnt omnia animantia Ægyptiorum. Vt ita dementiæ ſuæ admonerentur quod ea diuinis honoribus colerent: ſed cum ex v.9. & 19. pateat multa animantia poſt hanc plagam ſuperfuiſſe, hinc locutio iſta vel eſt hyperbolica, vel de ſolis quę in agris paſcebantur, vel denique omnia intelligenda pro generibus ſingulorum, quod ex omni genere enumerato verſ.3. plurima interierint.

7. Et misit Pharao ad videndvm. An idem fecerit in videndis plagis præcedentibus ſcriptura non dicit. Nonnullis videtur idcirco non eſſe factum quod viæ & omnia eſſent obſeſſa muſcis, ciniphibus & ranis.

9. Sitqve pvlvis, nempe cinereus ſeu fauilla ex hoc ſparſo cinere multiplicata & diſſipata per totam Ægyptum. Indidit huic pulueri Deus vim vrendo & excitandi.

Vlcera et vesicas tvrgentes, id eſt, vt v.10. dicitur vlcera veſicarum, ſeu vlcera calore & ſanie turgida. Neque enim vlcera & veſicæ diſtinctæ videntur fuiſſe plagæ.

Afflictionem hanc fuiſſe magnam indicat v. 11. Vnde Philo dicit à capite vſque ad pedes vnum quodammodo fuiſſe vulnus: & Deus ipſe peccantibus vlcus Ægypti tamquam grauiſſimam pœnam comminatur Deuter. 28. v. 27. & 35.

11. Nec poterant malefici stare. Fecit hoc Deus ad eos penitus confundendos. Nam hinc ſatis colligitur, eos inhæſiſſe hucuſque Pharaoni, vt vel magiis ſuis eum dementarent, vel Moyſis prodigiis calumniando detraherent.

12. Indvravitqve Dominvs cor Pharaonis. Hîc primò dicitur Deus obduraſſe Pharaonem: quia iam penitus ceſſabat prægnans illa cauſa obdurationis, quòd hactenus vel eadem patraſſent magi, vel aliquo colore portentis Moyſis calum-

niam impegiſſent. Vt verò obdurandi modus meliùs intelligatur, ſciendum eſt obdurationem animo tribui per metaphoram, quia inſtar rei duræ non cedit, ſed fixus permanet in propoſito. Animus enim obduratus non eſt aliud niſi voluntas ad id quod rectum eſt ſiue ad iuſſionem Dei inflexibilis: & obduratio eſt inflexibilis firmitas in propoſito malo. Vnde Auguſtinus obduratum vocat Pharaonem, quia non flexibiliter conſentiebat, ſed inflexibiliter reſiſtebat, quæſt. 18. in Exodum. Oritur hæc ex magnitudine & firmitate amoris alicuius creaturæ: quò enim amor fortior ac ſtabilior eſt, eò difficiliùs animus inde auellitur. Auellitur autem inde ſeu mollitur animus duobus modis, vel per amorem alterius creaturæ, ſicut auaritiam ſeu amorem pecuniæ tollere poteſt amor gloriæ, & hæc non eſt vera animi emollitio ſeu obdurationis ablatio: nam vtrouis modo manet voluntas Deo contraria: quamuis ſæpiſſimè etiam iſto modo prior amor non tollatur, ſed cohibeatur tantùm, ne inconſuetas actiones externas erumpat; ſecundò auellitur animus à creatura per verum amorem Dei. Et hæc eſt vera emollitio, nec vllo modo fieri poteſt niſi per magnam & internam gratiam Dei qui immiſſa cœleſtium rerum delectatione, faſtidium amatæ creaturæ ingerit, & ita tollit cor lapideum ſeu obduratum in amore malo & mutat in carneum.

Ex quo patet ita homini tribuendam eſſe cordis obdurationem, ſicut ei tribuenda eſt firmitas propoſiti ſeu amoris ſui, quo fortiter & ſtabiliter vult & amat aliquid: ſicut Pharao firmiſſimè volebat retinere Iſraëlitas, propter ingentes vtilitates quas ipſe, totumque regnum ex eorum laboribus percipiebat. Et hinc eſt quod c. 8. v. 15. expreſſè dicitur quod ipſe Pharao *ingrauauit cor ſuum*: quod eodem modo & eiſdem verbis exprimitur in Hebræo, eodem c. 8. v. 32. & c. 9. v. 7. vbi noſter tranſtulit: *ingrauatum eſt cor Pharaonis*, intellige ab ipſo Pharaone. Et ſic noſter textus intelligendus eſt, vbicumque dicit, quod ingrauatum eſt, vel obduratum cor eius, nempe ab ipſomet. Vnde multi transferunt phraſim Hebraicam, *roborauit ſe* cor Pharaonis, id eſt, obfirmauit animum ſuum contra præcipientem Deum, pertinaciter nolendo id quod volebat Deus. In quo ſe peccaſſe fatetur ipſe Pharao cap. 9. verſ. 27. & cap. 10. verſ. 16.

Sed quomodo ergo Deus hîc & alibi ſæpius dicitur obduraſſe Pharaonem? Reſpondetur, eadem obduratio tribuitur Deo propter tres obdurandi modos. Primus eſt propter permiſſionem quæ in eo conſiſtit quod cum omnium creaturarum maximéque voluntatis humanæ motus ſuo quoſque modo Deus regat, voluntatem in peccata pronam præcipitari & in eorum mortifera dulcedine obfirmari ſinit. In quo genere prouidentiæ tria continentur, præcipitis voluntatis in certa peccata dimiſſio, & diaboli ad tentandum promptiſſimi relaxatio, & gratiæ internæ externæque ſubtractio: quæ tria ſola tanta & tam efficacia ſunt, vt ſi ſimul concurrant, nullum peccati genus ſit in quo homo non efficaciſſimè obduraretur. De primò & ſecundo dicit Apoſtolus ad Rom. 1. quoſdam à Deo *tradi in deſideria cordis ſui*, ita ſcilicet vt Auguſtinus ait lib. 5. contra Iulianum cap. 3. deſideriis malis quibus vrgentur, conſentiendo vincantur, capiantur, trahantur, poſſideantur. De tertio dicit idem Auguſtin. quod Deus non obdurat impertiendo malitiam, ſed non impertiendo miſericordiam, id eſt, vt loquitur quæſt. 2. lib. 1. ad Simplicianum, obdurat nolendo miſereri, vt non ab illo irrogetur aliquid quo ſit homo deterior, ſed tantùm quo ſit melior, non irrogetur.

Secundus modus quo Deus obdurat, eſt per patientiam, quia vt Auguſtinus quæſt. 23. in Exod. patientia Dei ſecundum corda hominum quibuſdam vtilis eſt ad pœnitendum, quibuſdam inutilis ad reſiſtendum Deo & in malo perſeuerandum. Obdurat ergo patientiâ partim quia non aufert homines ex hac vita, partim quia non punit; quæ notantur Eccleſiaſtis 8. verſ. 11. & 12. partim quia ſic punit vt non ſolum non emolliatur homo, ſed pœnis magis obdureſcat.

Hunc modum tangit Apoſtolus ad Rom. 2. v. 4. & 5. dum dicit bonitatem Dei ſeu patientiam & longanimitatem ad pœnitentiam adducere, per ſe ſcilicet, ſed ſecundùm propriam duritiam cordis impœnitentis iram ex ea theſaurizari. Hoc modo notat Auguſtinus quæſt. 23. in Exodum à Scriptura indicari Pharaonem obduratum cap. 8. verſ. 15. & cap. 9. verſ. 34. dum dicit eum obduratum cùm videret eſſe datam requiem à plagis, id eſt, per patientiam Dei qua parcebat ei. Hinc enim putabat nullam amplius plagam ſecuturam & præteritas non eſſe curandas.

Tertius modus quo Deus obdurat, eſt per potentiam, id eſt, cùm Deus aliis iuſtis ex cauſis iuſtoque iudicio ſuper hunc hominem operatur quaſdam poſitiuas actiones, vel ſinit per alios eas fieri, per quas fit vt efficaſſimè & infabiliter homo magis firmetur in ſuo propoſito malo: v. g. offerendo furenti animo opportuniſſimas cauſas maioris iræ, occaſiones capiendæ vindictæ, lubricis fornicandi, auaris augendis opes, incredulis falſa miracula quibus ſeducantur, ſicut Pharaoni obtulit magos facientes ſimilia, ex quo obduratum fuiſſe Pharaonem notat Scriptura cap. 7. verſ. 22. Nam vt ait Auguſtinus q. 18. in Exodum, vt animus malus huc vel illuc moueatur (cùm ſiue huc ſiue illuc malè moueatur) ex cauſis ſit quibus animus propellitur: quæ cauſæ vt exiſtant vel non exiſtant, non eſt in hominis poteſtate, ſed veniunt ex occulta prouidentia iuſtiſſima ſanè & ſapientiſſima: & hoc de hominibus faciunt, quales eos inuenerint iam factos propriis vitiis ex præterita voluntate. Ita ille latiùs. Nam huiuſmodi opera non tenetur Deus prætermittere propter præuiſum abuſum hominis, nec etiam munire hominem ne abutatur: immo idcirco tunc vti vult, vt præter alios fines quos ſpectat Deus etiam peccatis quæ permittit ex iſtis operibus ſequi, malitia iſta obdurata puniatur. Quod tamen non fieret ſi viæ hominis placerent Deo. Ex quibus intelligitur primò quo pacto Auguſt. doceat l. 5. contra Iul. c. 3. Deum obdurare non ſolùm per patientiam ſed etiam per potentiam. Secundò quod omnes iſti modi etiam poſitiui, operandi, ſint tamen negatiui, ſeu permiſſiui reſpectu voluntatis peccandi & ſeſe obdurandi. Sunt enim opera quædam Dei bona non ſine obdurandi hominem, ſed aliis iuſtis ex cauſis à Deo facta, quibus homo iuxta malam ſui cordis conſtitutionem ad maiorem duritiam ac damnationem abutitur. Sic enim pluuia bona ab herbis noxiis in venenum vertitur & iuxta Apoſtolum 2. Corinth. 2. v. 16. bonus odor Chriſti eſt quibuſdam odor mortis in mortem.

14. QVIA IN HAC VICE MITTAM, &c. Hebraïcè, *mitto*, id eſt, animaduerſâ duritiâ cordis tui ex nunc mittere incipiam tam in te quàm in populum tuum omnes plagas reliquas, quas in te effundere decreui.

SVPER COR TVVM. Ita vt intimo dolore penetretur & ad peccati confeſſionem perducatur, vt patet v. 27.

15. PERCVTIAM enim TE ET POPVLVM TVVM PESTE, id eſt, omnes exitii genere paulatim, donec tandem pereas DE TERRA obrutus mari rubro.

16. IDCIRCO AVTEM POSVI TE. Reddit cauſam ex parte Dei cur non propter delicta iam diu perierit qui poſteà periturus eſt. Pro *poſui te* Hebraïcè, eſt *ſtare te feci*, ſeu ſtatui te, pro quo Apoſtolus ad Rom. 9. legit *excitauit te*. Senſus autem omnium eſt: Idcirco te ſtatui & excitauit in regem, & in vita regnoque ſeruaui hactenus vt malitia tua & cordis duritia quam video & ab æterno præuidi, vteret ad magnum bonum. Nempe,

VT OSTENDAM IN TE FORTITVDINEM MEAM, id eſt, vt contra te manifeſtem per multorum ſignorum exhibitionem, terribilem poteſtatem meam, & ita celebretur nomen meum, vt ab hominibus timeri poſſit ac diligi. Hoc enim factum eſſe conſtat maximè illa poſtrema ſubmerſione in mari rubro. Itaque explicat hoc loco Deus ſenſum illius Scripturæ, *omnia propter ſemetipſum operatus eſt Dominus impium quoque ad diem malum*. Prouer. 16. ne ſc. Deus putaretur inaniter vel in regnum prouexiſſe, vel tolerâſſe, vel ſeruaſſe, vel etiam tum

permittendo,

permittendo, tum multa poſitiua foris & intus operando, iuxta prius dicta obduraſſe Pharaonem. Ordinat enim hæc omnia Deus ad gloriam ſuam & ad ſalutem electorum, quibus proſunt huiuſmodi terribilia iudicia Dei, ad diligendum ac timendum Deum, ne incidant in idem incredulitatis exemplum, vt indicatur infrà cap. 10. verſ. 2. Iuxta hæc ſenſus illius, *Idcirco poſui te*, non eſt, idcirco obduraui te, vt ex dictis patet; etiamſi tamen aliquis hoc ſic explicaret, nihil eſſet incommodi, dummodo intelligatur quis ſit obdurandi modus. Nā ſicut negari non poteſt quin Deus iuſto iudicio quoſdam ſupradictis modis obduret ita quoque negari non poteſt quin id iuſtiſſimo fine faciat, nempe iuxta Apoſtolum, vt notam faciat potentiam & oſtendat diuitias gloriæ in vaſa miſericordiæ, permittens interim culpam hominis quæ iſtis obdurandi modis coniuncta eſt.

18. QVALIS NON FVIT A DIE QVA FVNDATA EST, id eſt, vt explicatur per verſum 24. à die quo gens illa Ægypti condita eſt, ſiue à die quo terra Ægypti incoli cœpit à Meſraim filio Cham, cuius nomen terræ & genti iſti adhæſit. Ægyptus enim tum hîc ſemper, tum alibi paſſim Hebraïcè vocatur Meſraim.

VSQVE IN PRÆSENS TEMPVS. Nam poſteà non minor grando aliis in locis ſubinde cecidit, vt patet Ioſué 10. verſ. 11. & in fine mundi caſura dicitur grando, ſicut talentum Apocalyp. 16. ſed mirabilius hoc fuit quod in vniuerſa Ægypto tanta ceciderit, cùm teſte Philone & aliis Ægyptus vel nullas vel exiguas pluuias, & hyemes ſupra Memphim ſentiat.

16. MITTE ERGO, &c. ET CONGREGA. Miſericordia temperat ſupplicium, vt notat Theodoretus qu. 21. & Aug. qu. 33. ne ſcilicet omnia abſumerentur. Nam ſicut peſtis ſolùm abſumpſerat animalia in agris inuenta, ita & grado. Nam & quoſdam venia dignos fuiſſe colligit Theodoretus ex eo quod quidam verbum Domini dicantur timuiſſe verſu 20.

23. DOMINVS DEDIT GRANDINEM AC DISCVRRENTIA FVLGVRA: fulgura pro fulminibus ponit. Nam fulgur eſt ignis infirmior qui apparet tantùm terris, ſed in aëre euaneſcit. Hic autem ignis grandini mixtus diſcurrebat ſuper terram, & comburebat poſſeſſiones eorum, vt indicatur Pſalm. 77. v. 48. & Pſal. 104. v. 32. Aderat & vera pluuia: quod quamuis nonnulli negare videantur, apertum tamen eſt ex verſ. 33. & 34. Vnde ſapiens in hoc ipſo notat inſigne prodigium Sapientiæ 16. v. 19. & 22. & c. 19. v. 19. quod ſcilicet aqua diſcurrentem ignem non extingueret, & contra quod nix & grando vim ignis ſuſtinerent, ne liqueſcerent. Tam horrenda verò fuit Pharaoni hæc plaga, vt hîc primùm extorſerit indurato illi cordi peccati ſui & iuſtitiæ diuinæ confeſſionem, vt eſt verſu 27. Cui tamen Moyſes reſpondet.

30. NOVI QVOD TV ET SERVI TVI NECDVM TIMEATIS DOMINVM. Pœnam enim timuiſſe manifeſtum eſt, quod improbis valde facilè eſt; ſed vt Auguſtinus ait hîc qu. 35. hoc non eſt timere Deum, illo ſcilicet vero timore pietatis ac reuerentiæ, quæ diuinæ maieſtati debetur, & ad eius præceptum tremit. Vnde pœnâ ablatâ Pharao ſtatim ad ingenium rediit.

31. EO QVOD HORDEVM ESSET VIRENS, Hebraicè clariùs, eo quod hordeum eſſet in tenera ac virenti ſpica, ſicut noſter eamdem vocem tranſtulit Leuit. 2. v. 14. ſic enim aptum erat hordeum, confringeretur à grandine.

32. TRITICVM AVTEM ET FAR NON SVNT LÆSA. Far ſpeltam Hebræi eſſe volunt. Comprehenduntur ſub his omnia, quæ ſunt *ſerotina*, id eſt, quæ ſeriùs matureſcunt; ſicut ſub hordeo & lino, omnia quæ cito matureſcunt. Idcirco enim non eſt læſum triticium & far, quia tamquam ſerotina latebant adhuc in gramine. Itaque circa Februarium noſtrum videntur hæc contigiſſe, vnde neceſſe eſt linum & hordeum Ægypțiacum ante hyemem, quæ ibi vix ex villa fuiſſe ſata, & idcirco citiùs maturauiſſe.

CAPVT X.

1. INDVRAVI COR EIVS. Non impertiendo miſericordiā, qua moliatur cor

eius, vt Auguſt. Epiſt. 105. & ea operando quibus animus ille peruicax ſe magis obduret, vt latiùs ad cap. 9. dictum eſt, Sed ne quis putaret ſine vllo fine Deum non emollire hominem, vel illa operari, quibus magis obduratur, vel peccata ex illo operandi modo ſecutura per mittere, hinc addit,

Vt factam signa mea hæc in eo, id eſt, vt ita oſtendam potentiam meam, & gloriam in operandis iſtis prodigiis. Neque hoc inaniter, ſed miſericorditer: ſcilicet

2. Vt narres in avribvs filii tvi, &c. id eſt, ea proſint non ſolùm vobis, ſed & poſteris veſtris, nimirum.

Vt sciatis qvia ego Dominvs, quem ſcilicet & timere debeatis, & in quo ſpem liberationis collocare. Vtrumque finem notauit, & Apoſtolus ad Rom. 9. verſ. 22. & 23. vbi addit & tertium finem talis diuinæ prouidentiæ erga reprobos, nempe *vt oſtendat iram*, id eſt, vt iuſto ſupplicio improbos puniat. Nam quemadmodum iuxta doctrinam Apoſtoli ad Rom. 1. tradit quoſdam in deſideria cordis ſui, & in paſſiones ignominiæ, ſiue in luxurias ignominioſas, & in reprobum ſenſum, vt in eis puniat idololatriam, ita etiam ſupra dictis modis obdurat eos, id eſt, tradit id duritiam cordis ad punienda peccata præcedentia, vt ſcilicet eadem illa peccata ſint, & peccatorum ſupplicia præteritorum, & ſuppliciorum merita futurorum, vt Auguſtinus l. 5. contra Iulianum cap. 4.

4. Indvcam cras locvstam. LXX. legũt *locuſtam multam*, explicantes energiam vocis Hebrææ, quæ & locuſtam & locuſtarum multitudinem ſignificat. Auguſtinus autem in locutionibus in Exodum notat numerum ſingularem eſſe hîc efficaciorem quàm ſi diceretur *locuſtas multas*.

Comedatvr qvod residvvm fverit grandini. Nempe herbæ paſcuales triticum, far, & omnia ſerotina quæ non fuerant læſa: itemque reliquiæ eorum quæ læſa fuerant radicibus adherentes, & quidquid poſt plagam grandinis redatum fuerat.

6. Et implebvnt domos tvas, vt mordeant etiam ipſos homines, & morſibus ſuis occidant, ſicut hoc factum eſſe clarè dicitur Sapientiæ 16. v. 9. Vnde ex duobus illis capitibus grauiſſima fuit hæc pœna, & digna quæ plagam grandinis ſequeretur.

7. Vsqveqvo patiemvr hoc scandalvm; Hebræa clarius, *Vſquequo hoc erit nobis in laqueum*, id eſt, vſquequo Hebræi erunt nobis in offendiculum, in quod impingentes, tot calamitatibus inuoluamur? quaſi dicant, Tolle laqueum ſeu offendiculum & ſcandalum hoc, & dimitte illos.

9. Est enim solemnitas Domini: Ad quam celebrandam omnes obligamur, & idcirco etiam pecora noſtra neceſſaria ſunt ad varia ſacrificia. Vnde Pharao intelligens eos non tantùm ſacrificium, ſed & diſceſſum, ac fugam moliri, irridet iſtam petitionem.

10. Sic Dominvs sit vobiscvm, id eſt, ſic vos Deus adiuuet, ſicut ego vos dimitam, ſupprimit autem reliquum: Ego autem non dimittam vos omnes, vnde nec Deus ſit vobiſcum. Proinde eſt hîc non tantùm amarus ſarcaſmus petitionis Moyſis, ſed etiam mali imprecatione ſicut eſt, & in ſimili vulgari iurandi formula: Sic me Deus adiuuet.

11. Ite tantvm viri: vt mulieres & paruuli, tamquam obſides & ſponſores reditus hic maneant. Hoc enim et ipsi petistis: mendacio vult Moyſen redarguere inconſtantiæ. Nuſquam enim in tota hac legatione, paruulos & mulieres à viris diſcreuerat. Statimqve eiecti svnt: cum ſcilicet detrectaſſent talem ſacrificandi permiſſionem acceptare.

13. Dominvs indvxit ventvm vrentem, id eſt valde calidum, & idoneum ad productionem locuſtarum. Locuſtæ enim ſummis caloribus ingruere ſolent. Vnde LXX. & latiùs Philo docet fuiſſe Auſtrum, qui in Ægypto ex propinqua zona torrida ſpirans eſt moleſtiſſimus. Hebraïcè tamen eſt, *orientalis*: fortaſſis quia Euronotus fuit, qui ſpirat ex plaga media inter Auſtrum & orientem, & de vtroque calorem & humiditatem inſectis producendis aptam participat. Huius ergo interuentu Deus, vel produxit, vel etiam aliundè attulit locuſtas *in-*

numerabiles, quales antè non fuerant, nec poſteà futuræ ſunt, quod ſpiritu prophetico Moyſes prædicit. Quod verò eius contrarium videtur dici Ioëlis 1. v. 2. non eſſe tale quid factum in diebus patrum, hoc metaphoricè intelligitur de quatuor vaſtitatibus per Chaldeos allatis, vt exponit Hieronymus, & patet ex verſ. 6. ibid. afflixerunt enim Hieruſalem quatuor vicibus ſub Ioakin, Ioachin, Sedechia, & tandem per Nabuzardam templum incenderunt. Porrò locuſtæ deuorauerunt.

15. QVIDQVID POMORVM, &c. Hebraicè *omnem fructum arboris*, quo comprehenditur quidquid, vel gemmarum, vel florum, vel baccarum, vel perfectorum fructuum iam proruperat. Menſis enim circiter Martius, vel finis Februarii fuit quo iſta omnia ſimul reperiri potuere in terra calidiſſima.

Tropologicè docet Gregorius locuſtas quæ pluſquam cætera parua animalia frugibus nocent ſignificare adulatores, qui omnes bonæ mentis fruges laudando corrumpunt, de quo latiùs lib. 31. Moralium cap. 12. aliàs 20.

19. PROIECIT locuſtas IN MARE RVBRVM. Hebraicè vocatur mare Suph. id eſt, vt Targum ſæpè tranſtulit, mare iunci, ſeu iuncoſum, & algoſum, quaſi à iuncis & carectis, quod & Hieronymus tangit Epiſtola 127. de quadraginta manſionibus, Rabbi-Benjamin in itenerario vult ita vocari, quaſi mare finis, eò quòd eſſet vltimum terræ ſanctæ. Nam Suph ſignificat finiri. LXX. tranſtulerunt θάλασσαν ἐρυθρὰν, id eſt, mare Erythræum, ſeu rubrum, vt noſter tranſtulit, vnde verò Erythræum, ſeu rubrum dictum, magna contentio eſt. Certum eſt non eſſe ſumptum nomen à colore propter reflexionem radiorum apparente, vel à ſole cùm ſuprà verticem eſt, vel à montibus ex aduſtione rubentibus, vel à fonte qui aquam minio plenam in mare emittat, cuiuſmodi referuntur à Strabone lib. 16. nec etiam ab aquis rubris. Quotquot enim illud æquor nauigarunt, teſtantur aquas eius nihil ab Oceano noſtro differre. Rubras tamen apparere nonnulli volunt ab arenis rubris, quas in fundo eius eſſe experientiâ compertum ſit. Sed non deſunt qui diligenter à nautis hoc ſciſcitati ſunt, & id reſponſi ſe ſemper tuliſſe fuerunt, quòd ſicut eà de aquis rubris, ita & quæ de arena rubra vulgò referuntur eſſe falſa. Ioannes de Barro Decade 2. l. 8. dicit maculas apparere rubras, & deprehenſum eſſe quòd fundus maris ferat plantam rubram ramos habentem inſtar coralli. Curtius, Suidas, Plinius, & Agrithariades apud Photium, & alii, ita volunt appellatum à rege quodam Erythro, quem indagantes nonnulli multas fabulas miſcuerunt. In tanta incertitudine veriſimile arbitror id quod à Genebrardo aſſertum eſt l. 1. Chronologiæ, fol. 54. Erythrum ſeu rubrum dictum ab Eſaü, qui Edom, ſeu ruber dictus eſt, ſeu à poſteris eius Idumæis, maris illius olim accolis. Nam eo vſque olim ſe porrexiſſe Idumæam clarè patet ex 3. Regum 9. v. 26. vbi claſſem dicitur Salomon paraſſe in littore maris rubri in terra Idumææ, vnde nihil mirum ſi ab Edom ſeu rubro, mare vicinum rubrum appellatum ſit. Sic enim plerumque maria vocantur à nationibus Atlanticum, Britannicum, Gallicum, Hiſpanicum, Germanicum.

21. SINT TENEBRÆ. Tenebræ iſtæ vocantur v. 22. in Heb. caliginoſæ, ſeu obſcuriſſimæ, in Chaldæo, nocturnis tenebris denſiores: in Græco, tenebræ, caligo, turbo, in omnibus autem linguis notatur fuiſſe palpabiles, ſeu vt noſter tranſtulit,

TAM DENSÆ VT PALPARI QVEANT. Cùm autem tenebræ ſecundùm ſe ſint priuatio luminis, dicuntur palpabiles, propter ſubiectum & cauſam, quia ſcilicet aër craſſiſſimis nebulis ita denſatus fuit, vt palpari poſſet. Philo ſub dubio relinquit vtrum contingerint hæ tenebræ propter eclypſim ſolis maiorem, an propter ſubtextas cœlo nubes: poſtremum veriſimilius eſt, quia eclypſes citò tranſeunt, ac tantùm ſolem afficiunt, non reliqua ſidera. Nam quod aliqui volunt contigiſſe per ſubſtractionem radiorum ſolis ac ſiderum, vel etiam per aoraſiam ſolis oculis inflictam, refellitur, tum per tenebrarum palpabilitatem, tum per locum Sapientiæ 17. v. 5. & 6. vbi indicatur

fuiſſe illuminationis impedimentum quod radii ſolis ſuperare non poſſent, ſic tamen vt à quibuſdam ignibus apparentibus ſubinde ſuperaretur.

22. FACTÆ SVNT TENEBRÆ HORRIBILES. Tum propter magnitudinem earum ac durationem, & agnatum omnibus tenebris horrorem, tum maximè, propter ſubitas ignium, ſeu fulgurum apparitiones, animalium tranſitus, ſibilos ſerpentum, ſpectra triſtium facierum apparentia, quæ omnia notantur tenebris fuiſſe permixta Sapientiæ 17. factæ ſunt autem.

IN VNIVERSA TERRA ÆGYPTI. Vbi inſinuat ſcriptura duo, nempe fuiſſe etiam in terra Geſſen; nam & ibi viuebant permixti Hebræis Ægyptii: itemque non fuiſſe extra Ægyptum & conſequenter non contigiſſe per aliquam eclypſim ſolis.

23. NEMO VIDIT FRATREM SVVM. Caruerunt igitur etiam lumine artificiali. Vnde Sapiens cap. 17. verſ. 5. dicit quod ignis nulla vis poterat eis luminem præbere: quo clarè refellitur imaginatio Caietani putantis eos ſola luce cœleſti caruiſſe non domeſtica; probat etiam id quod ſe non domeſtica; probat etiam id quod ſequitur, NEC MOVIT SE DE LOCO IN QVO ERAT. ſcilicet propter defectum luminis, & timorem earum rerum quas apparuiſſe diximus. Vnde loco Sapientiæ cit. verſ. 17. dicuntur omnes vna catena tenebrarum fuiſſe colligati. Philo cauſam indicans, ignis, inquit, quo vtimur quotidie, vel aëre turbato extinguebatur, vel vincebatur à craſſiſſimis tenebris, ſic enim videmus etiam in puteis profundis ſubinde ab humido & craſſo aëre candelas extingui.

VBICVMQVE HABITABANT FILII ISRAEL, LVX ERAT. Scilicet non tantùm in terra Geſſen, ſed vbi vis locorum, Deo nempe efficiente, vt radii ſolis penetrarent aërem, & ad Hebræos ſe diffunderent, non ad ipſos. Vnde dicuntur Ægyptii Sap. 18. v. 1. vocem Hebræorum audiuiſſe, ſed figuram non vidiſſe. Idem beneficium præſtitiſſe videtur Deus etiam cæteris animalibus. Nam ibid. c. 17. v. 17. ac 18. indicatur, & auium garritum, & animalium ludentium curſum terrorem Ægyptiis incuſſiſſe, quæ ſine luce fieri non ſolent. Quod igitur mox dicitur.

24. VOCAVITQVE PHARAO MOYSEN, &c. intelligendum eſt poſt finitos dies illos tres tenebrarum quibus cum tenebris, ſpectris, fame & ſiti luctati fuerant, vt etiam annotat Philo.

Plaga iſta tenebrarum aptè penultimo loco inflicta fuit: ſignificabat enim denſiſſimam illam cæcitatem, qua Pharao & Ægyptii poſt tot flagella adhuc tenebantur, & imago erant ſempiternæ illius caliginis, qua mox primogenita, & deinde totus Ægyptiorum exercitus erat inuoluendus.

29. RESPONDIT MOYSES: ITA FIET, eſt optantis & ſimul prophetantis vox ſe non amplius eum viſurum. Vnde ſupponit iam factam ei fuiſſe ante hæc verba reuelationem illam quæ habetur initio cap. 11. quæ videtur ei internâ locutione facta, dum adhuc ſtaret coram Pharaone. Nam ſtatim antequam diſceſſiſſet ab eo, prædicit ei vltimam plagam vt liquet ex v. 9. c. 11.

CAPVT XI.

1. ET DIXIT DOMINVS AD MOYSEN: ſcilicet cum ſtaret adhuc in conſpectu Pharaonis. Vnde hæc verba quaſi per parentheſim interpoſita ſunt inter vltima verba capitis præcedentis, & verſ. 4. præſentis: & verſus ille 4. quo prædicitur Pharaoni vltima plaga, ſequi debet verſum vltimum capitis decimi: continent enim rationem cur Moyſes non eſſet Pharaonis faciem amplius viſurus.

2. POSTVLET VIR AB AMICO SVO, non Hebræo, ſed Ægyptio ſibi noto, ſiue ratione amicitiæ, ſiue vicinitatis, ſiue ſeruitutis.

VASA AVREA ET ARGENTEA. Nempe eo prætextu, quaſi ad ſacrificia & ſolemnitatem Domini vſui eſſent futura. LXX. addunt *& veſtem*, id eſt, pretioſiores veſtes, tapetes & ſimilia. Nam & illas eis ſublatas eſſe conſtat ex v. 35. c. ſeq. Contigit hæc poſtulatio, vt videtur, non ante vltimam plagam, ſed media nocte. Nam ante non erat conceſſa dimiſſio. Vnde etiam conſtat mixtos habitaſſe Hebræis Ægyptios; nam inde eſt quod iubentur illa poſtulare etiam *à vicina*.

2. Dabit autem Dominus gratiam, id eſt, gratioſos faciet Hebręos Ægyptiis, ita ſcilicet vt eis placeant. Hęc gratia magna ex parte in eo conſiſtebat quod poſtulatio non videretur eſſe improba ſub illo titulo, & quia poſt mortem primogenitorum perculſi timore moriendi, in iſta ſubita feſtinatione non iudicabant illos eſſe vltra remorandos, vnde libenter dederunt mutuo quidquid poſtularent, ne fortè ſimilia paterentur.

4. Media nocte egrediar in Ægyptum. Quâ tamen nocte, non dicit, vt de tempore Pharao maneret ſuſpenſus. Vnde percuſſio illa fuit valde improuiſa & figura mortis vniuſcuiuſque & excidij totius orbis. Egreſſio autem intelligitur per actionem. Nam deſcendere & egredi dicitur Deus per nouam operationem: Quamuis & localis egreſſio intelligi poſſit, nempe per Angelum, vt patet cap. ſeq.

5. Et morietur omne primogenitum, tamquam præclarior portio filiorum. Nam apud omnes gentes peculiaris eſt prærogatiua primogenitorum: qui percuſſi ſunt, vt magis affligerentur. Ad indicandum autem nullius exceptionem fore, facit oppoſitionem inter primogenitum Pharaonis.

Qui sedit in solio eius, ſiue de facto regnando ſimul cum patre, vt in Salomone factum eſt, ſiue qui iure ſucceſſionis ſeſſurus erat; & inter primogenitum ancillę.

Quæ est ad molam, id eſt viliſſimæ mulierculæ ad piſtrinum & truſatiles molas damnatæ. Vnde cap. 12. dicitur *quæ erat in carcere.* Nam vt Romanis piſtrinum erat miſeræ ſeruitutis genus, ita & orientalibus fuiſſe videur ex ſeruitute Samſonis probari Iud. 16. verſ. 21.

6. Eritque clamor magnus gementium & plorantium Ægyptiorum. Apud Iſraëlitas autem

7. Non mutiet canis. Phraſis eſt prouerbialis ad iudicandam ſummam tranquillitatem: canis enim animal eſt irrequietum, & minimo ſtrepitu irritabile. Vnde Auguſtinus lib. locutionum in Exodum locutionem iſtam vocat elegantiſſimam: ſed per canem latius accipit metaphoricè extremum hominum vel pecorum. Senſus in idem redit.

8. Descendentque omnes servi tui ad me, &c. propter acerbitatem plagæ & timorem acerbioris, ne ſcilicet omnes morerentur: vt patet cap. 12. verſ. 33. videntur enim omnia primogenita non ſolum maſcula, ſed & fœminea, non ſolum reſpectu vtriuſque parentis, ſed & reſpectu ſolius vnius eſſe cæſa. Scriptura enim generaliter loquitur & nullos excipit. Vnde facile contingere potuit, vt nulla domus careret mortuo, vt eſt cap. 12. verſ. 30. immo cum & auus & pater & mater, filius & nepos ſubinde ſint in eadem domo primogeniti, potuerunt quatuor aut quinque mortui eſſe in eadem domo. Non tamen videntur illi cæſi qui primogenitis mortuis in eorum locum ſucceſſerant, vt vult Caietanus: agitur enim de primogenitis natiuitate naturali, non iuris.

Fregit igitur iſta plaga, & maximè timor maioris obduratam iſtam peruicaciam, quia tetigit eos in re temporali ſuprema, nempe vita chariſſimorum, idque repentè ſine morbo prçuiô, quod maximè terribile. Vbi in genere quantum ad iſtas plagas obſeruandum eſt, omnia elementa in eis fuiſſe turbata & armata contra inſenſatos. In duabus primis aqua, in tertia & quarta tellus, ex cuius puluere ſcyniphes & muſcæ generatæ: in quinta & ſexta aër; qui corruptus & inflammatus peſtem & vlcera generauit: in ſeptima & octaua aërea meteora, cùm grando, fulmina, venti locuſtarum fœcundi graſſati ſunt: in nona & decima cœli & cœleſtes incolæ, dum ſol & ſidera obſcurata ſunt & Angeli primogenita percuſſerunt. Atque ita patet ſicut paulatim creſcebat malitia, ita & creuiſſe plagas & paulatim à cauſis altioribus fuiſſe inflictas. Nam quatuor primæ ex profeſſo non ferè niſi incommoda quædam attulerunt: quatuor ſequentes, ingenita damna & noxas: duæ poſtremæ, res chariſſimas lucem & vitam abſtulerunt.

Quantum temporis in his plagis ordine infligendis inſumptum ſit, non ita liquet.

Hebræi in Chronologia maiori apertè tenent annum integrum in eis conſumptum, ſed nullo argumento probant. Multi Chriſtiani eos ſecuti ſunt, eo potiſſimum fundamento, quòd Pharao ſecutus ſit Iſraëlitas cum ſexcentis curribus & equitibus, quorum ſæpe Scriptura mentionem facit, & quinquaginta millia fuiſſe Ioſephus aſſerit: iam verò fuerant omnia iumenta peſte mortua, ergo neceſſe eſt multum temporis fluxiſſe vt repararentur. Sed non animaduertunt, mortua tantum fuiſſe animalia in agris non in vrbibus, nec neceſſariò omnia, vt ſupra notauimus. Itaque veriſimilius eſt longè breuiori tempore contigiſſe. Conſtat enim quatuor poſtremas plagas inflictas eſſe breuiſſimo ſpatio. Nam ſeptima & octaua contigere hordeo virente & lino folliculos germinante, id eſt, circa Februarium, & tamen menſe Martio egreſſi ſunt. Nulla verò ratio vrget vt ſex primis plagis totus annus præcedens tribuatur, ſed ſufficiunt vel vnus menſis, vt Torniellus, vel menſis & aliquot dies vt alij.

9. NON AVDIET VOS, &c. VT MVLTA SIGNA FIANT, id eſt, ex quo ſequetur vt multa ſigna fiant, non enim Pharao hoc intendebat, non audiendo eos, ſed hoc diuinæ bonitatis fuit benè vtentis malitia cordis eius, vt Auguſt. qu. 40.

CAPVT XII.

2. MENSIS ISTE, quo ſcilicet egrediemini. Dicta ſunt hæc aliquot diebus ante egreſſum, ſeu ante 15. diem menſis, imò & ante decimum, cuius hîc fit mentio verſ. 3. opus enim erat tempore vt omnes Iudæi confluerent in terram Geſſen, & ad paſcha omnia præpararent.

VOBIS PRINCIPIVM MENSIVM, infrà c. 23. v. 15. vocatur *menſis nouorum*, Hebraïcè *ſpica virentis*, ſeu vt explicatur hîc, c. 13. v. 4. *menſis nouarum frugum*. Vnde Deuter. 16. verſ. 1. & Exod. 34. v. 18. explicationis cauſa dicitur, *menſis primus verni temporis*. Hebræis vocatur Niſan nomine à Perſis aut Babylonis mutuato poſt captiuitatem. Ab illis enim deſumpta ſunt pleraque nomina menſium Hebræorum, cùm ante ſerè ab ordine primus, ſecundus, &c. vocarentur.

Initium huius menſis, ſicut & cæterorum, non habet ſtatum anni ſolaris diem ſed ille primus eſt, cuius Luna ſeu dies decimaquarta incidit in æquinoctium vernum, id eſt, vigeſimum primum noſtri Martii vel eum proximè ſequitur. Cùm autem menſes lunares quibus Iudæi vtebantur ſeu innouationes Lunæ non correſpondeant menſibus noſtris, ſed nouilunium incidere poſſit in quemlibet menſis diem, hinc quoque fit vt nullus noſtrorum menſium aſſignari poſſit, cui Niſan reſpondeat. Aliquando enim pars eius vna incidit in Martium, & altera in Aprilem: ſæpè maxima pars eius vel totus in Aprilem. Et idem iudicium cum proportione de menſibus ſequentibus. Ex quo fit vt menſis ille celebris in Scriptura Tiſri qui eſt ſeptimus à Niſan reſpondeat Septembri & Octobri, & ſæpè maxima ex parte vel totus Octobri. Vnde multorum in computu errorum occaſionem dant, qui dicunt Niſan reſpondere Martio, cùm impoſſibile ſit eum cum Martio incipere, vel etiam ſolo Martio includi. Statuitur ergo hîc Niſan initium anni, nempe ſacri ſecundùm quem feſta Iudaïca computabantur. Et quamuis inde non efficaciter omnino colligatur anteà fuiſſe aliud principium anni & menſium (quia poterat Deus vſum anteà ſolitum per nouum beneficium conſecrare & præcepto ſtabilire) aliunde tamen colligitur aliud antea fuiſſe vſitatum anni vulgaris ſeu profani principium, nempe in Autumno, menſe illo ſeptimo. Nam Leuitici 25. v. 4. 9. & 11. indicatur annos Iubilæi computandos non à Niſan, ſed à tempore ſementis, ſcilicet menſe ſeptimo. Et Exodi 34. v. 22. præſcribitur feſtum tabernaculorum celebrandum, quando redeunte anni tempore cuncta conduntur: quod c. 23. v. 16. dicitur eſſe *in exitu anni*. Celebratur autem menſe ſeptimo Tiſri. Adhæſit mos iſte computandi Iudæis ex vſu Syrorum cæterorumque orientalium, apud quos teſte Hieronym. in v. 13. c. 1. Ezechielis, poſt

collectionem frugum & torcularia, October erat primus menſis. Eodem modo & Ægyptios apud quos tunc viuebant Iudæi, annum ſuum diſtinxiſſe clare teſtatur Ioſeph. l. 1. Antiquit. cap. 4. Nam menſis ſecundus Marſoaue, vt ipſe vocat, ſeu Marcheſuau, eſt à Niſan octauus ex parte reſpondens Nouembri. Introducta igitur eſt hîc à Deo diſtinctio anni ſacri in memoriam liberationis, & profani. Illo in feſtorum ordinatione, iſto in nundinationibus, rerum venalium locationibus & Iubilæo ferè vtebantur, vt patet ex illo 25. Leuitici, & Ioſepho citatis: quod etiam hodie à Iudæis obſeruari aſſerunt. Scriptura verò in ſacris hiſtoriis vix alio vtitur computu menſium & anni, niſi ſacri, etiam quando de rebus ſæcularibus loquitur.

2. Decima die tollat agnum, quinque ſcilicet diebus ante eſum agni, vt intereà deprehendere poſſent ſi quid ineſſet maculæ: & repetito ſæpiùs balatu tunc in ſpem proximæ liberationis, poſteà in memoriam accepti beneficij ſuſcitarentur. Nam manſit ille mos etiam in poſterum apud Iudęos, vt teſtis eſt Epiph. Hęreſi 50.

Tollat qvisqve per familias, id eſt, tollat quiſque paterfamilias, vnus enim agnus tollebatur pro tota familia quæ in vna domo plures eſſe poterant. Quod ſi fortaſſis non eſſet ſatis numeroſa, adiungebat ſe alteri, vt hîc dicitur. Vnde Iudæi & inter illos Ioſephus l. 7. de bello Iudaïco c. 17. tradit per contubernia non pauciorum quàm decem virorum ſæpè à vicenis comedi ſolitum. Vnde ex numero hoſtiarum ſcilicet 256500. decem in ſingulos agnos computando colligit numerum Iudæorum qui Ieroſolymam confluxerant.

5. Erit agnvs absqve macvla, Hebraïcè. *tamim*, id eſt, perfectus ſeu integer membris & valetudine, nempe vt non eſſet cæcus, fractus, habens cicatrices, papulas, ſcabiem, impetiginem, & ſimilia, quomodo macula explicatur Leu. 22. v. 22. neque enim de calore ſermo eſt.

Annicvlvs, Hebraïcè, *Filius anni*, id eſt, illo natus anno, ſeu cuius ætas continetur intra annum. Nam poſt annum abſolutum non eſt amplius agnus, ſed ouis perfecta. Mascvlvs autem quia perfectior eſt quàm fœmella.

Ivxta qvem ritvm tolletis et hœdvm, id eſt, tollere poteritis idque iiſdem conditionibus, maſculum, &c. Clariùs exprimitur periodus Hebraïcè: *Pecus perfectum, maſculum, filius vnius anni erit vobis: Ex agnis & ex capris accepietis illud*; vbi ſicut & in noſtro textu copulatiua pro disiunctiua capienda eſt, ſicut in Hebræo accipitur infrà c. 21. aliquoties v. 15. & 17. Neque enim ſimul agnus & hœdus immolandus erat: nec etiam ſignificatur, vt Burgenſis putauit, agnum eſſe accipiendum ex egrege in quo ſunt oues & capræ: ſed ſenſus eſt, etiam accipi poſſe hœdum, ſi ſcilicet agnus deſit, vt notauit Theodoretus q. 24. Vnde errauit Ezechiel apud Euſebium putans etiam vitulos immolari potuiſſe.

6. Immolabitqve evm vniversa mvltitvdo, vno tamen ſcilicet patrefamilias mactationem peragente nomine omnium, vel etiam reliquis inſtar Leuitarum adiuuantibus. Vnde Ioſephus lib. 2. Antiq. cap. 5. & expreſſiùs Philo lib. de Decalogo notant ſingulos populariter ſe pro ſacerdotibus in hac re geſſiſſe permiſſu legis. Et rectè permiſſu, non iuſſu neceſſario; nam aliquando videntur & ſacerdotes pro populo immolaſſe, vt colligi videtur 1. Eſdræ 6. v. 20. & 2. Paralip. 30. v. 17. & 18. idque ſiue quia patresfamilias aliquando ſanctificati non erant, ſiue propter maiorem ſolemnitatem.

Ad vesperam, ſcilicet illius diei 14. iam finientis, hoc enim propriè eſt veſpera illius diei. Vnde Ioſephus lib. 3. Antiq. c. 10. claris verbis teſtatur, diem quæ ſequitur immolationem agni, eſſe 15. & deinceps decimam ſeptimam. Et Num. 33. v. 3. dicitur, altera die phaſe. 15. die menſis eſſe profectos Hebræos ex Rameſſe. Et hinc eſt quod hîc, verſ. 42. nox iſta eadem ſcilicet qua comeſtus eſt agnus & percuſſa ſunt primogenita, dicitur *obſeruabilis Domini, quando eduxit eos de terra Ægypti*, quia vt eſt v. 30. nocte ſurrexerunt Pharao & ſerui eius, & vrſerunt Hebræos, vt ſtatim ſe ad-

iter compararent. Idem apertiſſimè conſtat ex eſu azymorum qui incipiebat cum eſu agni, vt eſt hîc v. 18. decimaquinta autem dies menſis erat prima azymorum, vt eſt Leuitici 23. v. 6. durabat autem tantùm per 7. dies, ſcilicet à 15. quæ erat prima azymorum, vſque ad veſperam vigeſimæ primæ, vt eſt hic v. 18. ergo agnus neceſſariò immolatus fuit illa veſpera diei 14. quę pertinet ad diem 15. tanquam feſtum, quia Iudæi celebrabant feſta ſua à veſpera in veſperam. Quæ dicta ſunt propter eos, qui propter illum feſta celebrandi modum, id quod hic de agno immolando ad veſperam dicitur, perperam intelligunt de veſpera illa prima quæ eſt finis diei 13. & initium 14. non autem de ſecunda veſpera quæ finit diem 14. & propriè eſt veſpera illius diei. Putant enim diem integrum interceſſiſſe inter eſum agni & egreſſum. Nam decimaquarta dies non erat feſta, nec debent ei aſſignari duæ veſperæ, ſed vna tantum quæ terminat illam diem.

Porrò pro, *ad veſperam*. Heb. eſt tum hic, tum alibi *inter duas veſperas*; quod omiſſis variis opinionibus eſt tempus inter declinationem ſolis & eius occaſum, vtrumque enim veſpera vocari ſolet. Itaque comprehendebat circiter duas horas ante occaſum ſolis, nam Ioſephus cui vſus Iudaïcus erat notiſſimus l. 7. de bello Iudaïco cap. 17. teſtatur hoſtias paſchales mactari ſolitas ab hora nona vſque ad vndecimam, id eſt, à noſtra tertia pomeridiana vſque ad quintam finitam, ſeu ſextam inchoatam, quo tempore in menſe Niſan Sol occumbit. Vnde Deut. 16. v. 6. præcipitur vt immolent phaſe ad ſolis occaſum, id eſt, circa ſolis occaſum, vt eſt Hebraïcè, ſi quid enim lucis ſuperat, hoc aſſandæ victimæ & inſtruendo conuiuio impendebatur.

7. PONENT IN SVPERLIMINARIBVS, per modum crucis, inquit Hier. in v. 19. c. 66. Iſaiæ, niſi fortè intelligat myſticè, quia ſignatio illa per ſanguinem præfigurabat ſignum crucis frontibus imprimendum, vt explicat Auguſt. 12. contra Fauſtum c. 30.

DOMORVM IN QVIBVS COMEDENT ILLVM, non aliarum ſcilicet. Ex quo fit, vt ſi quis Hebræus iuxta verſum 4. fuiſſet adiunctus vicino ſuo ad comedendum agnum, in eadem domo pernoctare debuerit, vt cladem euaderet.

8. ET EDENT CARNES NOCTE ILLA, poſt occaſum ſolis, tunc enim eſt nox, non antè, nam ſi quid lucis, poſt immolatum agnum ſuperfuerat, conuiuio inſtruendo impendebatur.

ASSAS igni, propter feſtinationem: celeriùs enim aſſantur quàm lixantur carnes, vnde verſu 9. excluditur omnis alius præparandi & comedendi ritus. Sed maximè propter figuram hoc præceptum fuit, de qua poſtea.

ET AZYMOS PANES, id eſt, fermento carentes, qui ſunt inſipidi, durioris concoctionis, & minùs roborant corpus, vnde Deut. 16. v. 3. vocantur panes afflictionis, vt ſcilicet, vt ibidem explicatur, per hoc recordarentur egreſſionis ex Ægypto omnibus diebus vitę ſuæ, quia in pauore egreſſi erant ex Ægypto, & non habuerant tempus fermentandi, vt eſt hic v. 39.

CVM LACTVCIS AGRESTIBVS. Hebr. *cum amaritudinibus*, ſeu amaris herbis, vt Chaldæus exponit, quod ſpecialius LXX. ſcientes vſum Iudaicum reddiderunt per *picrides*, ſicut etiam legit Cyprianus lib. 2. contra Iudæos cap. 15. Sunt autem picrides lactucæ agreſtes, ſeu intubus agreſtis, guſtu amara, vnde Poëta:

Et amaris intyba fibris.

Seruiebat & hoc ad amaritudinem afflictionis Ægyptiacæ recordandam.

9. NON COMEDETIS EX EO CRVDVM QVID, ſiue prorſus ſi crudum, ſiue ſemicoctum, vtrumque enim latitudo vocis Hebrææ comprehendit, idque ne nauſeam moueat, quia inhumanum & barbaris tantùm vſitatum eſt.

NEC COCTVM AQVA, quia nimis prolixum feſtinantibus, totus enim ritus hic deſcriptus itinerantibus accommodatus eſt.

CAPVT CVM PEDIBVS ET INTESTINIS VORABITIS, lotis ſcilicet. Hoc addit, ne putarent abiicienda, iſta enim non aſſari, ſed lixari ſolent. Verbo vorandi noſter celeritatem

ritatem comedendi exprimere voluit, etſi in Hebræo & Græco deſit.

10. SI QVID RESIDVVM FVERIT, ſiue oſſium, ſiue carnium, ſiue etiam ipſa pellis. Nihil enim debebat remanere.

IGNE COMBVRETIS, quia celerrimus & caſtiſſimus eſt abſumendæ rei ſacræ modus. Abſumi autem debebat, ne irreligioſè poſteà tractaretur, ſiue comedendo, ſiue relinquendo.

11. RENES ACCINGETIS, itinerantes & feſtinantes hic ritus exprimit, vt ſatis indicat quod additur.

COMEDETIS FESTINANTER, feſtinationis ratio erat, tum quia Ægyptiis erant premendi, tum ne ſi qui cunctarentur, ab hoſtibus intercepti occiderentur. Et hæc ritus iſtius primi litteralis ratio fuit; qui poſteà obſeruatus eſt; vt ſempiterna eſſet rei memoria. An ſtantes comederint, ſcriptura non exprimit, vnde aliqui indifferens fuiſſe volunt, quia ſic in Thalmud traditur, Communis tamen opinio eſt in contrarium, eos ſtantes comediſſe, quæ teſtimonio Philonis nititur, libro de ſacrificio Cain & Abel, & baculi in manibus hoc magis poſtulare videntur. Vnde & rituales Iudæorum libri teſtantur ſtationem in vſu fuiſſe vſque ad captiuitatem Babylonicam.

EST ENIM PHASE. Hebraïce, *peſach*, Noſtri molliens pronunciationem vertit *Phaſe*. Chaldæi, vt notat Philo lib. 3. de vita Moyſis, *Paſcha*, quia more ſuo adiiciunt aleph: quæ vox à Iudæis ex Chaldæa, ſeu Babylonia retenta fuit, & inde à LXX. interpretibus Græcè vſurpata. Significat autem vox Hebræa propriè tranſultum, ſeu vt Hieronymus transfert in nominibus Hebraïcis, tranſgreſſum, per interualla ſcilicet tangendo & aliqua tranſiliendo: vnde quod noſter hîc transfert, *tranſitus*, pro tali tranſitu ſeu tranſultu intelligendum eſt, quę ratio nominis iſtius indicatur hîc v. 11. *tranſibo vos*, id eſt, tranſiliam vos ſeu præteribo, item v. 13 *tranſcendet oſtium*, & clariùs v. 27. *tranſiuit ſuper domos*, id eſt, tranſiliuit. Ibi enim ſemper eſt idem verbum, vnde Phaſe deriuatur. Et quia domos Hebræorum tranſiliendo Angelus tranſibat per totam Ægyptum, hinc conſequenter & talis tranſitus Angeli ſignificatur, vt inſinuat v. 12. Et quia finis erat, vt Iudæi tranſirent per mare rubrum in Palæſtinam, hinc Auguſtinus initio Tractatus 55. in Ioannem & aliis iſtum tranſitum indicari volunt, ſed hoc remotius. Vnde ſi qui vocem iſtam ad Græcum referunt ſeu paſſionem Domini vt videtur velle Irenæus l. 4. c. 23. Tertull. lib. contra Iudæos c. 10. Nazianzen. Orat. 2. de Paſchate, illi alluſionis & myſterii potiùs rationem habuerunt, quod vtraque voce ſignificatur, quàm veræ etymologiæ, & improbantur ab Hieronymo in c. 26. Matth. & Auguſtino loco citato.

Porrò propoſitio iſta, EST ENIM PHASE, vel intelligi poteſt vt ſonat, hoc ſenſu, comedetis feſtinanter quia *eſt*, ſeu quia iamiam præ manibus eſt *Phaſe* ſeu tranſitus Domini præproperus per Ægyptum, vel vt Phaſe ſit nomen proprium agno impoſitum, & ſuppleri debeat ſubiectum propoſitionis, hoc modo, *quia agnus iſte eſt Phaſe*, ſeu hoſtia tranſitus. Nam ſicut Geneſ. 26. putei vocantur *calumnia*, *latitudo abundantia*, ex certis actionibus vel accidentibus, etſi putei non eſſent ipſemet actiones vel accidentia quæ ſic appellandi occaſionem dederant, ita vocatur agnus hic à Deo & poſteà paſſim à Iudæis *Phaſe*, etſi agnus non eſſet ipſamet tranſitio Angeli quæ occaſionem nominis dederat. Patet hoc clarè infra v. 12. *Immolate Phaſe*, ſenſus enim non eſt, immolate tranſitum, ſed, immolate agnum, qui ab illo tranſitu vocatur Phaſe & in Euangeliſtis paſſim. Senſus ergo non eſt, Agnus iſte eſt Phaſe, id eſt, ſignificat Phaſe ſeu tranſitum, ſed locutio eſt propria, ſicut illa, Puteus iſte eſt ſeu appellatur calumnia. Et ſic corruit argumentum ſacramentariorum qui inferunt eodem modo intelligendum. *Hoc eſt corpus*, id eſt, ſignificat corpus meum. Adde quamuis daretur ſenſum eſſe, Agnus eſt Phaſe, id eſt, ſignificat Phaſe, ineptiſſimè tamen colligi, verbum, EST, hic exponi per ſignificat, ergo etiam in Euchariſtia, quod enim vno loco congruit, non ſtatim omnibus congruit, hic enim agnus & tranſitus res prot-

ſus incompatibiles ſunt in affirmando, *hoc* verò & *corpus* nullo modo, ſed apptiſſimè, & communiſſimè, & propriiſſimè in affirmando coniunguntur.

12. IN CVNCTIS DIIS ÆGYPTI FACIAM IVDICIA, vindictam vt LXX. Quænam illa fuerit non eſt ſcriptum, ſed credibilis eſt Hebræorum traditio quam refert Lyranus, omnia Ægyptiorum idola eſſe comminuta, ſicut Dagon ad introitum arcæ 1. Reg. 8. Quamuis Hieron. Epiſtol. de 42. manſionibus ad Fabiolam ex Hebræis aſſerat etiam omnia templa eſſe deſtructa ſiue motu terræ ſiue ictu fulminum. Cui aptè congruit illud epiphonema.

EGO DOMINVS, id eſt, ego enim ſum ſolus Deus cultu latriæ adorandus.

13. ERIT AVTEM SANGVIS VOBIS IN SIGNVM, quo foribus præfixo ſalutem aſſequamini, quia Angelus viſo ſigno iſto præteribit domum, ſicut Ezechielis 9. ſignum tau erat ſignum ſalutis, & Raab funiculus coccineus. Et hactenus quidem litterales rationes ceremoniarum iſtarum proſecuti ſumus per quas aliud longè ſublimius præcipuè delineare voluit Spiritus ſanctus. Erat enim agnus & totus eius apparatus luculentiſſima figura Christi quem Iudæi tacitè prophetabant & profitebantur hoc ritu. Aperuit nobis breuiter figuram iſtam Euangeliſta Ioannes cap. 19. v. 36. & Apoſtolus 1. ad Corinth. 5. v. 7. & omnes antiqui certatim explicuerunt.

Victima igitur paſchalis poterat eſſe vel agnus vel hœdus, quia Christi caro, inquit Auguſtinus hic q. 42. non ſolùm ex iuſtis verùm etiam ex peccatoribus propagata eſt, vel quia agnus eſt propter innocentiam & manſuetudinem, vt explicat Iſaias c. 53. v. 7. hœdus quia peccata omnium portans pro peccatis oblatus eſt, *abſque macula*, quia ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus. *Maſculus* quia virtute robuſtiſſimus, nihilque molle & fluxum in eo fuit. *Anniculus*, quia perfectus, vel quia in iuuentute occiſus. *Aſſatio* in veru ſupplicium crucis ſignificat, iuxta Iuſtinum dialogo cum Tryphone qui obſeruat agnum integrum torreri ad ignem in figuram crucis conformatum, quia veru ab imo ad caput vſque figitur, & aliud lignum tranſuerſum per ſcapulas quod diſtendat manus agni, *decimâ die* agnus tollitur, quia decima, id eſt, dominica palmarum Christus Hieroſolymam intrauit & in plenilunio ab vniuerſa multitudine Iudæorum occiſus eſt vt Ambr. in Pſal. 38. *Ad veſperam diei*; quia in plenitudine temporum, & vt Origenes Hom. 10. in Geneſ. in veſpera mundi ſeu in vltima mundi ętate. *Sanguis in ſignum* adhibetur, nonne alioquin erraret Angelus, inquit Iuſtin. ſup. ſed vt ſalus humani generis per Christi ſanguinem futura ſignaretur *Illiniuntur ſuperliminaria & poſtes*, quæ figuram crucis exprimunt, quia, vt Auguſt. Tract. 50. in Ioan. & l. 12. contra Fauſt. c 30. ſigno crucis ſignantur frontes noſtræ, vt ſanguinis illius fide à perditione ſæculi, tamquam à captiuitate diaboli & interemptione Ægyptia liberemur. Et *egimus Phaſe*, id eſt, ſalubertimum tranſitum, cum à diabolo tranſimus ad Christum. *Linitur ſanguis faſciculo hyſſopi*; quia creditur paſſio cum humilitate, humilis enim herba hyſſopus eſt. *Comeditur agnus ab vno populo Hebræo*, id eſt, vt Cypr. Ser. de Reſurrectione, ab vno populo Christiano. *A circumciſis*, id eſt, baptizatis, quia myſterium baptizatorum eſt. *Vnâ in domo*, in vnitate Eccleſiæ extra quam incidit in percuſſorem. *Cum azymis*, id eſt, vt Apoſtolus, cum ſinceritate & veritate fidei & charitatis. *Cum amaritudine lactucarum agreſtium*, id eſt, vt Ambr. Epiſt. 83. cum dolore, quod tanto ſacrilegio hominum ſalutis auctor interemptus eſt, vel cum amaritudine præceptorum Christi, vt idem Serm. 20. *Caput cum pedibus voratur*, id eſt, vt Cyrill. Catecheſi 12. diuinitas cum humanitate, credendo ſcilicet Deum & hominem. *Os non confringitur*, quia integra Christi oſſa in cruce manēt.

Sed quia paſchalis agnus Christi figura fuit non tantùm cruente immolati in cruce, ſed etiam incruente in Euchariſtia, vt multis probat Bellarminus, hinc eſt quod nonnulli antiquorum typos quoſdam circumſtantiarum agni tamquam in Euchariſtia impletos explicant, de quo vide apud

Cyprian. Sermon. de Cœna Domini.

Allegoriam verò ſenſui morali mixtam ſingularum circumſtantiarum, vide accuratè & fusè apud Nazianz. Orat. 42. quæ eſt 2. de Paſchate, & apud Gregorium Hom. 22. in Euangelia.

14. HABEBITIS HVNC DIEM IN MONVMENTVM. Hactenus de immolatione agni in Ægypto, quæ ſequuntur ad eius anniuerſariam commemorationem pertinent. Nam tametſi in primo egreſſu per multos dies, imò per 30. vt ait Ioſephus 2. Antiquit. cap. 5. azimos comederint panes, tamen illi 7. dies azymorum qui hîc præſcribuntur, non fuerunt tunc ſolemniter obſeruati, ſed quantum ad primam noctem pertinent, ad ceremoniam celebrationi Phaſe eſſentialem, vt patet v. 8. quantum ad reliquos dies, pertinent ad recolenda quotannis azyma primi egreſſus de quo verſu 34. & illam inopiam quam multis diebus paſſi ſunt, vt Ioſephus ibid.

15. SEPTEM DIEBVS AZIMA COMEDETIS, incipiendo à 15. menſis, vt clarè dicitur Leuit. 3. v. 6. & finiendo in veſpera diei vigeſimæ primæ, vt eſt hîc verſ. 18. & ſic ſunt præcisè 7. dies. Sed quia dies feſti à veſpera præcedente incipiebant, hinc eſt quod azyma inciperent à veſpera diei 14. duplici titulo, tum ratione iam dicta diei feſti, tum quia in ipſa veſpera vel potiùs nocte agnus cum azymis comedendus erat. Et hæc eſt cauſa cur hîc verſu 18. azyma præſcribuntur à die 14. quia ſcilicet veſpera illa referri poteſt ad præcedentem diem tamquam finis diei 14. naturalis: quo ſenſus videtur Ioſephus dicere cap. 5. quod octo eſſent dies azymorum.

IN DIE PRIMO NON ERIT FERMENTVM IN DOMIBVS, ne fermenti præſentia ad comedendum incitaret. Vnde nocte immolationis agni cum lucernis ſcrutabantur domos, vt Hebræi tradunt.

QVICVMQVE COMEDERIT, &C. PERIBIT ANIMA ILLA, iudice ſcilicet mortem decernente, quod grauis peccati ſignum eſt, non ex natura comeſtionis illius, ſed ſolius præcepti Dei.

16. DIES PRIMA, &C. ET SEPTIMA. Itaque intermedii non erant ita feſti, quin operari liceret. In his autem duobus non licebat.

EXCEPTIS HIS QVÆ AD VESCENDVM PERTINENT, per quod diſtiguuntur hi dies à ſabbato, quo nec cibos licebat coquere, vnde ſabbatum erat ſanctius. Cauſa ſolemnitatis eſt.

17. IN EADEM ENIM IPSA DIE EDVCAM EXERCITVM VESTRVM ſcilicet die 15. poſtridie agni immolati, quæ eſt prima azymorum & qua eos eductos fuiſſe dicitur Numerorum 33. v. 3. Et ideo ad recolendum illud beneficium cuſtodire iubentur diem illum.

RITV PERPETVO, quia res per illum ſignificata perpetua eſt, ſcilicet azyma ſinceritatis & veritatis, vt Apoſtolus, quæ ſemper ſeruanda eſt. Vel potius vt Auguſtinus indicat hîc qu. 43. ritum perpetuum vocat quem non ſuâ ſponte ipſi auderent deſinere celebrare, ſed quem ſemper ſeruarent, donec Deus ipſe abrogaret, legem & ritum mutando: nullum enim ipſis obſeruationis terminum præſtituerat. Sic enim princeps leges perpetuas condit quantum ad obſeruationem populi, tametſi per hoc non auferat ſibi mutandi poteſtatem. Ex parte ſua tamen, non intendiſſe Deum iſtius ritus perpetuitatem inde colligit Iuſtinus Dialog. cum Tryphone, quod agnum tantùm Ieroſolymis immolandum iuſſerit, quam vaſtandam eſſe ceſſantibus omnibus hoſtiis præſciebat.

22. FASCICVLVMQVE HYSSOPI TINGITE, &c. Deſcribit accuratiùs ritum tingendi poſtes & limen, nempe non bacillo, non manu, ſed hyſſopi ramulis inter ſe colligatis. Antiquorum hyſſopum Dodonæus eandem eſſe cum noſtra negat, Mathiolus contrà, planè aſſerit. Et ſanè cùm eſſet herba notiſſima, incredibile eſt eius notitiam ita interiiſſe.

QVI EST IN LIMINE, ſiue quod ibi agnus iugulatus fuerit, ſiue vt credibilius putat Auguſt. q. 46. quod ſanguis eò deferretur in vaſe, vt linientibus eſſet ad manum.

NVLLVS EGREDIATVR OSTIVM, ne incidat in percuſſorem, nam intuitu ſanguinis

quo poſtes domus vncti erant, cuſtodiebantur.

Vsqve mane, quod comprehendit poſteriorem noctis partem. Vel intelligitur ne ſponte ſuâ egrediantur; ſecùs, ſi percuſſis iam Ægyptiis egredi cogerentur.

25. Cvmqve introieritis terram, vnde lex iſta non videtur eos obligaſſe ante introitum in Chananæam.

Observabitis ceremonias istas, ſcilicet omnes iam præſcriptas, vnde & poſtes quotannis erant ſignandi ſanguine. Cauſa ſubiungitur, vt illâ occaſione poſteri cauſam talis ceremoniæ requirentes inſtruerentur de tanto beneficio Dei, & grati illud recolerent. Ex quo patet aduerſus hæreticos ceremoniarum vtilitas ad inſtructionem rudis populi.

29. Factvm est avtem in noctis medio, dum vt ſapiens ait, medium ſilentium contineret omnia, & idcirco clades tam repentina eſſet terribilior. In quo præceſſit imago futuri iudicii repente mediâ nocte futuri, vt docet Hier. in c. 25. Matth. qui hinc putat Apoſtolicam manſiſſe traditionem, vt in vigilia Paſchatis ante noctis medium populos dimittere non liceret quaſi exſpectantes aduentum Domini.

Percvssit Dominvs omne primogenitvm, non per ſe, ſed operâ percuſſoris illius de quo dixit verſu 23. quod Dominus non fineret eum ingredi domos Hebræorum. Ergo Angelus, vel vnus, vel potiùs plures percuſſionem illam peregerunt. Vocantur Pſal. 77. *Angeli mali*, vel vt Hebraïcè *Angeli malorum*. Quod quia & accipi poteſt etiam de Angelis bonis, ſed malorum effectiuis & miniſtris, vt accepit Theodoretus, hinc manet incertum an exterminator ille bonus fuerit, an malus Angelus. Nam ab vtriſque pœnas inferri malis, notat Aug. in iſtum verſum Pſal. 77. & de Sodomitis clarum eſt. Ipſe tamen ex illo loco Pſalmi malos fuiſſe putat, ſicut & D. Hieronym. quamuis plerique recentiorum magis putent fuiſſe bonos.

35. Fecervntqve filii Israel, &c. nempe petendo commodato vaſa ab Ægyptiis, idque noctu poſt cladem illam illatam, hoc enim poſtulat ſeries narrationis huius. Vnde malè putant aliqui hoc per recapitulationem dici, quaſi aliquot diebus antè factum fuiſſet.

36. Dominvs avtem dedit gratiam popvlo, cor inclinando & efficiendo, vt eis libenter commodarent ſuppellectilem ſuam, quò iuuabat ſummopere acerbitas acceptæ cladis & timor grauioris. Vnde vt cito mandato Dei de ſacrificando ſibi in deſerto ſatisfieret, nihil negandum duxerunt.

Et spoliavervnt Ægyptios. Aliqui olim accuſauerunt Deum iubentem, aliqui Moyſen præcipientem, aliqui Hebræos ſpoliantes. de Deo non eſt difficulta, ille enim iuſſerat qui eſt bonorum omnium Dominus dans ea cui voluerit, & qui vt Aug. l. 22. contra Fauſt. c. 71. nouit non ſolùm ſecundùm facta, verum etiam ſecundùm cor hominis iudicare, quid vnuſquiſque vel per quem perpeti debeat. Moyſes verò vſque adeo non peccauit, vt potiùs non faciendo peccaret, inquit idem: diuinis enim imperiis cedendum obtemperando, non reſiſtendum eſt diſputando. Eodem modo excuſat Iſraëlitas quæſt. 39. in Exodum, aſſerens eos non furtum feciſſe, ſed Deo iubenti miniſterium præbuiſſe. Seclusâ tamen iuſſione Dei quæ factum iſtud extra omnis iniuſtitiæ periculum ponit, alias alii afferunt excuſandi rationes. Nam in primis Reſpublica Hebræorum tunc habebat ius belli & pacis. Si igitur agatur de iure belli, res hoſtium, inquit Clemens Alexand. l. 1. Strom. c. 13. victoriæ iure iuſtè auferre volebant, belli autem iuſta erat cauſa, ſupplices enim venerant & hoſpites in iniuſtam ſeruitutem redacti fuerant. Si de iure pacis, prædam illam tamquam mercedem & quidem exiguam, laborum ſuorum acceperunt quem titulum ibid. ponit Clemens, & ipſa ſcriptura Sapientiæ 10. reddidit Deus iuſtis mercedem laborum ſuorum, fuſiùs illum exponit Irenæus lib. 4. c. 49. vbi & tertium tangit nempe lucri ceſſantis. Nam ſi ſibi laboraſſent tot annos tanquam liberi ingentes ſibi diuitias parere potuiſſent. Quartum addit Tertull. lib. 2. aduersùs Marcionem cap. 20. compen-

ſationis ſcilicet tot iniuriarum, verberum, & ſeruitutis. Minus autem ablatum eſt quàm deberetur, quia, inquit, Ægyptii etiam Hebræorum filios reſtituere debuiſſent. Etquidem hi tituli in Republica, qualis erat Hebræorum aduerſus alteram Rempublicam ſibi ius dicente ſatis ſunt liquidi, ſi rem ipſam ſpectes, in priuatis non item, vt ſatis indicat Auguſt. lib. 22. contra Fauſtum c. 71. Sin verò ſpectes modum agendi Hebræorum, videtur admittere Auguſtin us lib. 83. Quæſtionum, q. 53. Hebræos in eo peccaſſe: ſi peterent ab Ægyptiis non redditur, & acciperent quaſi redditur. Eſt enim ſimulatio, & conſequenter deceptio & illicitus dolus, nec retinere poteſt, niſi alius titulus retinendi interueniat, ſicut hîc diuinâ authoritate donatio interuenit.

Tropologicè ſpoliatur Ægyptus, cùm doctrinæ liberales vſui veritatis aptiores ex gentilitate in Eccleſiam deferuntur, & ad vſum prædicandi Euangelii & Eccleſiæ ædificandæ conuertuntur, ſicut ex diuitiis Ægypti tabernaculum ædificatum fuit, vt latè declarat Auguſt. l. 2. de doctrina Chriſtiana c. 40. & Irenæus l. 4. c. 49. citato.

37. Profetiqve svnt de Ramesse, hæc erat in terra Geſſen. in extremis finibus Ægypti inquit Hieron. Epiſtola 127. Et ponitur prima ſtatio Hebræorum ſignificans inquit idem, tonitruum gaudii ad ſignificandam exultationis Hebræorum magnitudinem de ſua liberatione.

In Socoth, id eſt, tentoria. Locus ita dictus à fixis Hebræorum tentoriis.

*S*excenta fere milia peditvm, id eſt, plus minus. Nam plures fuiſſe colligitur ex numeratione quæ facta fuit poſt vnum annum Num. 1. v. 46. fuerunt enim tunc 603550. iique ſoli viri, & à 20. anno & ſuprà, ſub quibus tamen non erant comprehenſi Leuitæ. Vnde fortaſſe neque hîc compehenduntur. Vel illud *ferè* magnam habet latitudinem, neque enim tam exiguo temporis ſpatio tantus numerus videtur potuiſſe excreſcere. Et ſi enim non erant in egreſſu ſeparati Leuitæ ab aliis, cùm tamen ſcriberet Moyſes, ſeparati erant. Peditvm, qui ſcilicet militariter poſſent armari, vnde excluduntur iuniores 20. annis quos ſicut & vxores Auguſtinus q. 47. comprehenſos vult ſub *paruulis*, quod LXX. propterea veriſimiliter tranſtulerunt impedimenta & ſupellectilem generatim.

38. Sed et vvlgvs promiscvvm innvmerabile, nempe ſeruorum, ancillarum emptarum & proſelytorum ex Ægyptiis, vel aliis nationibus. Nam aliarum nationum fuiſſe vulgus patet clarè Num. 11. verſ. 4.

40. Habitatio, &c. fvit 430. annorvm, id eſt, peruenit ad 430. annos, ita vt non ſignificent illos omnes in ægypto eſſe tranſactos, ſed finitos. Magna igitur difficultas eſt vnde hi anni incoandi ſint. Nam in ſola Ægypto non habitaſſe eos per tot annos ex duobus liquidò patet, primò quia cõſtat Caath cum Leui intraſſe in Ægyptum Gen. 46. v. 11. item eum vixiſſe annos tantum 133. genito filio Amram Exodi 6. Amram genuit Moyſen, & vixit anno 137. ibid v. 18. & 20. Porro Moyſes annos 80. completo eduxit Hebræos ex Ægypto. Iam verò ſi etiam integros illos annos iungas, non detrahendo annos quibus patres vixerunt cum filiis, non exurgent niſi anni 350. Secundò patet ex eo quod Apoſtolus claris verbis teſtatur ad Galat. 3. v. 17. legem datam eſſe 430. annis poſt teſtamentum ac promiſſionem factam ad Abraham. Illa verò facta eſt anno ætatis eius 75. Gen. 12. v. 4. poſt quem vixit ipſe 25. annis vſque ad natum Iſaac Gen. 21. v. 4. Iſaac 60. annos vſque ad natum Iacob Gen. 25. v. 26. Iacob vixit 130. annis vſque ad ingreſſum in ægyptum Gen. 47. v. 9. Qui ſimul efficiunt annos 215. Ergo impoſſibile eſt integros illos annos 430. in ſola ægypto eſſe completos. Omiſſis variis ſolutionibus, optima videtur illa quam hîc inſinuant LXX. dum dicunt habitationem filiorum Iſraël fuiſſe tot annorum in ægypto & in terra Chanaan. Clarè autem tradit eam Ioſephus l. 2. Antiq. cap. 6. Euſeb. in Chron, & ex eo Auguſt. quæſt. 47. in Exodum, & plerique poſt ipſos, videlicet computandos illos annos eſſe ab ingreſſu Abraham in terram

Chanaan, ſiue quod idem eſt, à vocatione Abrahæ & promiſſione quæ traditur Gen. 12. Ita vt ſit idem omninò numerus annorum quem tradit Apoſt. iam cit. & Moyſes hîc. Qui numerus ſic ineundus eſt, vt ab iſta vocatione Abraham, vſque ad ingreſſum Iacob ſint 215. anni, vt ſupra expoſitum eſt, qui ſunt præcisè dimidium annorum quando quærimus. Reſtant igitur alii 215. tranſacti in ægypto, qui ſic facilè inuenientur, ſi ponamus Caath natum ipſo anno ingreſſus in Ægyptum, & genuiſſe filium Amram anno 65. & Amram genuiſſe Moyſen anno ſuo 70. prout iſta duo tradit Epiph. in Anchorato num. 112. & anno 80. Moyſis finito egreſſos eſſe filios Iſraël. Nam exurgunt anni 215. & adiecti reliquis conficiunt numerum illum 430. annorum, ſupple peregrinationis Abrahæ & ſeminis eius in Chananæa & Ægypto, vbi finiti ſunt. Et ita reſpicitur hîc ad alium locum Gen. 15. verſ. 13. vbi dicitur ſemen Abrahæ ſcilicet Iſaac & poſteros eius, peregrinum futurum & affligendum 400. annis, ſcilicet à natiuitate, ſeu initio peregrinationis Iſaac vſque ad hunc egreſſum ex ægypto. Quinque enim anni qui ſuperſunt, numero rotundo comprehenduntur.

Eadem die Paſchæ, quæ ſequebantur noctem comeſti Phaſe, egressvs est exercitvs, &c. vnde ſtatim dicitur nox iſta qua eos Deus eduxit.

42. Observabilis Domini, ſeu obſeruanda ad honorem Domini, nocte enim inceperunt ad exitum vrgeri & ſe accingere, mane ipſo die egreſſi ſunt, vt eſt Num. 33. v. 3. Fuit autem dies illa feria ſexta, ſeu dies veneris, vt figuraret diem qua Chriſtus morte ſua nos eduxit ex captiuitate diaboli in libertatem, vt latiùs Cyrill. catecheſi 1. Id colligitur ex Exod. 16. Pluit enim manna ſex diebus ante ſabbatum verſ. 21. ergò die Dominico. Erat autem ille 16. dies menſis 2. vt patet ex verſ. 1. & ſeqq. maximè 7. & 12. & conſequenter erat trigeſimus primus ab exitu tribuendo primo menſi 29. dies (nam menſes lunares alternatim conſtant 29. & 30. diebus, vt alibi dictum eſt) & proinde à die Dominico retrorſum computando trigeſimus primus dies incidit in feriam ſextam.

43. Hæc est religio Phase, id eſt, vt Hebraïcè eſt, lex ſeu ritus celebrandi Phaſe.

Omnis alienigena, id eſt, omnis alieno, ſeu non Iudaïco genere natus ex quacumque tandem gente fuerit, & vbicumque locorum habitet, non comedet ex eo, quamdiu ſcilicet per circumciſionem non fuerit adſcitus in gentem veſtram, & factus proſelytus: hoc enim ſtatim dicitur ei licuiſſe. Sed quia alienigenarum diuerſæ conditiones ſunt, hinc ſingulis ſuam legem præſcribit.

44. Omnis servvs emptitivs circvmcidetvr, id eſt, circumcidi debet, velit nolit ſcilicet, multoque magis vernaculus, conformiter ad ea quæ diximus de neceſſitate circumcidendi ſeruis impoſita Gen. 17. ad verſ. 12 Sicut enim Iudæis, ita & talibus alienigenis Deus circumciſionem & comeſtionem Phaſe totamque religionem Hebræorum impoſuit.

45. Advena, id eſt, alienigena qui fixit inter vos domicilium, vt Chananæi mercatores & ſimiles, et mercenarivs, mercede ſcilicet conductus, non mancipium.

Non edent ex eo niſi ſcilicet circumcidantur. Hoc enim ſicut peregrinantibus dicitur licere verſ. 48. ita etiam aduenis ac mercenariis. Vnde non rectè quidam putant ſimiliter ſeruis ſicut & aduenis relictam fuiſſe libertatem circumciſionis.

46. In vna domo comedetvr. Non poterat ergò diuidi agnus, vt pars in vna, pars in altera domo comederetur, mittendo ſibi mutuo fercula, ſicut hoc Iudæis ſolemne erat in aliis conuiuiis, vt videre licet 2. Eſdræ 2. v. 10. & 12. Domus autem non templum præſcribitur. Vnde & poſtea tametſi Hieroſolymis, tamen in domibus Phaſe celebrabatur ad ſignificandum quod in prima celebratione concluſi fuiſſent domi, ne in Angelum percuſſorem inciderent.

Nec os illivs confringetis, quia vobis feſtinandum eſt. Hanc enim litte-

ralem eſſe præcepti iſtius rationem, ſicut & panis azymi, notat Rabbi Moyſes in More, parte 3. c. 46. & ipſa ſcriptura ſatis innuit v. 11. Præcipuè tamen præceptum hoc fuit propter figuram quam explicat Euangeliſta Ioannes in Chriſti cruce fuiſſe completam. Nam vt ſup. diximus & explicuimus, Chriſtum omnes agni circumſtantiæ manifeſtè quaſi prophetant.

Capvt XIII.

1. Locvtvsqve est Dominvs, eàdem ſcilicet die egreſſionis, vel adhuc in Rameſſe, vel certe in ſecunda ſtatione Socoth, patet hoc ex verſu 3. & 4.

2. Sanctifica mihi, id eſt, in vſum meum & ſacrum ſegregabis in poſterum.

Omne primogenitvm. Supple maſculum ex v. 12. qvod aperit vvlvam, id eſt, quod primum ex vtero matris naſcitur, vnde comprehenditur hac lege ſolum primogenitum ex parte matris, etſi concipiat ex viro multos habente liberos Chriſto ſoli legem iſtam conuenire volunt Origenes Homil. 14. in Lucam Hieron. lib. 2. contra Pelag. Ambroſ. in cap. 2. Lucæ, & alii, quia omnibus animalibus concubitus, ſoli Virgini Mariæ natiuitas Chriſti clauſas portas aperuit, intellige tamen ſic vt clauſæ iugiter permanerent, vt adiicit Hier. Sed quia vi legis huius omnia primogenita hominum & brutorum Deo ſanctificata fuerunt, neceſſariò videtur etiam ad eos pertinuiſſe. Vnde alii contrà, volunt hanc legem ſoli Chriſto non conuenire; quia neque naſcendo matris vuluam aperuit. Et hoc ſine dubio verum eſt, ſi rigorem Latinorum verborum ſpectemus, ſed quia lex iſta à D. Luca cap. 2. etiam ad Chriſtum tamquam matris primogenitum refertur, neque vllum myſterium ponat in natiuitate per apertionē vuluæ, ſed tantùm in emiſſione primogeniti fœtus, quem ſibi Deus propter primogenita Ægyptiorum occiſa offerri cupit, hinc verius videtur, verba legis iſtius continere periphraſim natiuitatis primogeniti, ſiue illa fiat aperiendo vuluam ſiue clauſam relinquendo. Nam Hebraica quamuis à multis transferantur per apertionem vteri, quia ſic communiter fit, in rigore tamen & propriè non aliud ſignificant quàm dimiſſionem, ſeu emiſſionem vteri, id eſt, fœtum dimiſſum & laxatum ex vtero, & *pathar* ſignificat dimittere & laxare, ſicut noſter tranſtulit Prouerb. 17. v. 14. & alibi ſæpe. Et quia primogenitum primò dimittitur, hinc abſolutè vocatur emiſſio vteri.

Tam de hominibvs qvam ivmentis. Sub iumentis comprehenduntur etiam omnia minora pecora, ſic enim eadem transfertur infrà v. 12. non tamen ſola, ſed etiam vera iumenta, vt aſini, muli, equi, camelli, nam bos & propriè iumentum eſt, vt patet infrà c. 20. v. 10. Aliqui ſola pecora minora excluſis iumentis comprehendi volunt, vt A Lapide. Sed obſtat illis noſtra tranſlatio, quę ſæpè hanc legem etiam de iumentis explicat. Vnde v. 12. & 13. quia & aſini & homines ſub generalitate legis incluſi fuerant, hinc modus offerendi vtroſque præſcribitur. Adde Numer. 18. v. 15. generaliter præcipi, vt omne animal immundum redimatur, quod enim alii intelligunt hoc de immundis ad ſacrificia, vt de claudis, cæcis, &c. patet eſſe falſum ex antitheſi, ſtatim enim ſpeciem ſpeciei opponens v. 17. addit *primogenitum bouis & ouis, & capræ non facies redimi*, quia ſcilicet non ſunt immunda. Patet denique ex ratione quam dat Deus hîc v. 15. quia Dominus occidit omne primogenitum à primogenito hominis vſque ad primogenitum iumentorum. Et ſic generaliter legem explicuit Philo lib. de ſacerdotum honoribus, qui optimè Iudaici vſus conſcius erat.

Mea svnt enim omnia, ſcilicet primogenita, hoc enim clarè poſtulat Hebræus, & lxx. Vnde *mea ſunt*, intellige non titulo huius præcepti, vel rationis, vt aliqui putant, ſed titulo liberationem ab Angelo percuſſore.

Hodie egredimini mense novarvm frvgvm, ſcilicet Niſan, qui primus menſis eſt, & dicitur hîc menſis *Abib*, id eſt, frugum viridium quidem, ſed matureſcentium. Nam quia Sol multis gradibus Paleſtinæ & Ægypto vicinior eſt quàm Belgio, hinc illo menſe ibi matureſcunt

fruges, vnde Ioſue 3. v. 15. dicitur Iordanis impleuiſſe ripas alueì *tempore meſſis*, cùm tamen eſſet decimus menſis primi, vt eſt cap. 4. verſ. 19 & rurſum cap. 5. v. 10. & 11. dicuntur comediſſe decimâ quartâ die menſis primi polentam eiuſdem anni. Vnde fallitur Pagninus, qui putauit eſſe menſem Iulium capiens Abib pro Ab.

5. CVMQVE INTRODVXERIT TE, &c. Vnde lex iſta Paſchatis celebrandi non obligauit Iſraëlitas totos 40. annos in deſerto, nec mirum quia celebrari non poterat cum ſuis ceremoniis; deerat enim tam azymum quàm fermentatum, vnde ſtatim ingreſſi terram, reſumpſerunt hanc celebritatem Ioſue 5. Simili modo fuerunt, & alia quædam ceremonialia intermiſſa propter rationem quam dat ipſa Scriptura Deuter. 12. v. 9.

9. ET ERIT QVASI SIGNVM, &c. id eſt, iſta celebratio Phaſe quotannis repetita erit tibi inſtar ſigni alicuius, quod in manibus poni ſolet, ET QVASI MONVMENTVM ANTE OCVLOS, id eſt, vt explicatur infrà v. 16. quaſi appenſum aliquid ob recordationem inter oculos, quod continuò excitat memoriam, nempe vt eius conſideratione, præſtiti beneficii memores ad gratitudinem & amorem Dei accederentur. Quamquam vlterius myſticè D. Auguſtinus indi. ari velit quæſt. 48. in Exodum, fidem redemptoris Chriſti, quam per occiſionem agni profitebantur, eſſe debere, quaſi *ſignum ſuper manum*, id eſt, quod præponere debent operibus, quia opera ex illa fide fluunt, non operibus fides retribuitur. Iudæi parabolicam iſtam locutionem ad litteram intelligunt, & mirâ ſuperſtitione, ex vituli mundi pelle certo modo præparatâ parabant ſibi philacteria, quibus quatuor tractatus Scripturæ inſcribebant lineis rectis & æqualibus, frontique alligabant ab vna aure ad alteram: & manui affigebant filum coccineum.

13. PRIMOGENITVM ASINI, tamquam inepti ſacrificio MVTABIS OVE. Hebr. eſt *pecus*, vox indifferens ad ouem, & hœdum, ſicut ſuprà de agno diximus. Aſini non equi, ceterorumque iumentorum, fit mentio, quia aſini apud Hebræos vſitatiores. Idem tamen de cæteris quoque intelligendum. Vnde Philo lib. de honoribus ſacerdotum dicit pro equis, aſinis, camelis & ſimilibus datum fuiſſe æſtimationis non iniquæ pretium. Liberum tamen erat ita redimere, vel interficere: vt vel ſic pateret non ſuum eſſe, ſed Dei, qui pro ſeruatis Hebræorum primo genitis iumenta non redempta compenſationis loco volebat occidi.

PRIMOGENITVM HOMINIS PRETIO REDIMES pecuniario, quinque ſcilicet ſiclis, vt eſt Num. 3. v. 47. & Num. 18. v. 16.

17. NON EOS DVXIT DEVS PER VIAM TERRÆ PHILISTIM QVÆ VICINA EST. Quia vt Philo, itinere tantùm trium dierum diſtat, ſi ſcilicet ſpectes partes Ægypto propinquiores: nam Hieroſolyma multò eſt remotior.

REPVTANS NE FORTE PŒNITERET EVM. Mediis enim naturæ congruis mauult Deus auertere mala, quàm miraculis impedire; nec enim fortiter tantùm, ſed & ſuauiter agit. Quo oſtenditur, inquit Aug. quæſt. 49. omnia fieri debere conſilio, quæ conſilio rectè fieri poſſunt, ad euitanda quæ aduerſa ſunt, etiam cùm Deus apertiſſimè adiutor eſt.

SI VIDISSET ADVERSVM SE BELLA CONSVRGERE, nempe ſtatim in initio, à gente bellicoſiſſima Philiſtinorum Nam quod cum Amelec pugnandum fuit, poſt menſem accidit & vnico prælio res confecta. Sicuti autem hoc iter Hebræorum eſt aperta figura peregrinationis noſtræ in cœlum, ita ſimiliter ſicut præclarè docet Greg. l. 24. Moral. c. 7. aliàs 13. Deus derelinquentibus ſæculum quamdam prius à tentationibus tranquillitatem oſtendit, ne in inchoatione ſua tentationum aſperitate frangantur, quia ſi eorum initia amaritudo tentationis exciperet, tam facilè ad ea quæ reliquerant, redirent, quam nec longius receſſerant. Vide fuſius hæc proſequentem, quòd ſcilicet in medio ſoleant ſequi bella tentationum, & in fine redire tranquillitas perfectionis.

18. ET ARMATI ASCENDERNNT FILII ISRAEL.

ISRAEL. Ita & Aquila ante Hieronymum, & propriam eſſe tranſlationem ſynagogarum conſonant vniuerſa ſubſellia, inquit Hieron. Epiſtola 125. quæſt. 2. Quod verum eſſe patet ex conſonantia aliorum locorum Scripturæ, vbi aliter verbum Hebraicum accipi non poteſt, vide Ioſue 1. v. 14.& c.4.verſ.12.Iud.7.v.11. in quibus omnibus locis non ſolùm vulgatus, ſed & Thargum tranſtulit *accinctos*, id eſt, armatos. Et res ipſa clamat ſic eſſe transferendum contra Caluinum qui aduerſus omnium ferè Hebræorum conſenſum, vt ipſemet fatetur, hoc reprehendit, eò quòd tot loricis militaribus carerent Hebræi. Sed eſto loricis caruerint,aliis armis inſtrui non erat ita difficile hominibus iam per multos dies ad egreſſum ſuſpirantibus. LXX. & ferè antiquiores PP. legunt. *Quinta generatione aſcenderunt*,quod Auguſtinus q.50. in Exod. ſic intelligit, vt ſignificentur quinto centenario inchoato, ſcilicet poſt 430. annos aſcendiſſe. Hieronymus vero Epiſtola citata ſpectandam putat tribum Iudæ, vbi reperiuntur quinque generationes ab ingreſſu in Ægyptum. Nam per Phares, Eſron, Aram, Aminadab deſcendendo quintus eſt Naaſſon dux tribus Iudę in deſerto. Contra verò ſi ſpectes tribum Leui, aſcenderunt quartâ generatione, vt dicitur Geneſ. 15. verſ. 16, quia poſt Leui, Caath, Amram quartus eſt Moyſes. Diuerſitas iſta tranſlationum orta eſt ex verbo Hebraico quod & *quinque* ſignificat, & *armatos*,quaſi quintatos, ſeu accinctos armis ſub quinta coſta vbi ſuſpendi ſolent.

19. TVLIT OSSA IOSEPH SECVM. Imò & aliorum Patriarcharum, vt videtur colligi ex Actorum 7. v. 16.

21. DOMINVS AVTEM PRÆCEDEBAT EOS, id eſt, Angelus vt vocatur c. ſeq. v. 19. tamquam Domini perſonam gerens. PER DIEM IN COLVMNA NVBIS, &c. id eſt, apparens in nube in modum columnæ conformatâ à terra ſurſum verſùs, vt ab omnibus conſpici poſſet, quæ vna & eadem interdiu inſtar nubis lucidæ fulgeret, noctu verò inſtar ignis ſeu flammæ rutilaret, apparentem ſcilicet colorem mutans non ſubſtantiam. Vnde num.9. v. 16. bis repetitur nubem fuiſſe noctu, *quaſi ſpeciem ignis*, indicando non fuiſſe verum ignem.

VT DVX ESSET ITINERIS, per loca ſcilicet deſerta in quibus propter arenas leui ventorum flabro milles bulla viarum extant veſtigia, vnde viatores coguntur ibi ſicut nautæ in mari, inſtrumentis quibuſdam vti quaſi nauticis quadrantibus ad indicandas mundi plagas, & itinera ſua dirigenda, vnde neceſſitatem ductoris ponderat Hieremias cap.2.v.6.

VTROQVE TEMPORE. Quibus verbis ſicut & 2. Eſdræ 9. v.12. ſatis apertè refutari videtur eorum opinio qui noctu putant Hebræos non eſſe profectos. Nam in locis calidiſſimis, vt eſt deſertum Arabiæ, profectiones nocturnę ſunt omnium commodiſſimæ; vnde & Moyſes Nu.14.v.14. clarè dicit quod in columna ignis præcederet eos per noctem. Et hoc quidem fuit vnum officium nubis iſtius, quatenus columna erat; ſic enim præcedebat caſtra vt illam eminus apparentem tamquam vexillum Dei, ſeu Deum ipſum per ignota loca ſequerentur; ſtabat verò cùm eſſet quieſcendum, ſiue ad reficiendum corpus cibo vel ſumno, ſiue ad figenda diutius tabernacula. Figuram verò columnæ aſſumptam vult Clemens Alexandrinus lib. 1. Strom. ad ſignificandam Dei ſtabilitatem, & quod imago eius effingi non poſſet. Alterum officium valde ſingulare erat & in æſtuoſo deſerto maximè neceſſarium videlicet Hebræorum caſtra ab æſtu protegere, quod docetur Sapientiæ 19. v.7. *Nubes caſtra eorum obumbrabat*, & c.18. dicit Deum præſtitiſſe eis. *Solem ſine læſura boni hoſpitij*, & Pſal. 104. *expandit nubem in protectionem eorum*, vide Num. 10. v.34. Vnde Scriptura diſtinguens hæc duo officia Sapientiæ 10. dicit pro primo: *& fuit illis in velamento diei*, de quo apertiùs Num.14. v. 14. Hinc quia ſcriptura numquam dicit quod columna obumbrauerit eos,ſed nubes, verius videtur, nubem obumbrantem planè fuiſſe diſtinctam à columna nubis, quod vel ex eo patet, quia columna nubis & ignis

ſemper, vel præcedebat caſtra, vel incumbebat tabernaculo, vt manifeſtum eſt Num. 9. verſ. 15. vſque ad finem cap. Nubes verò obumbrans ſublimis in aëre vniuerſa illa caſtra aliquot milliaribus diffuſa inſtar alterius nubis ab æſtu protegebat, etiam tunc, quando columna, vel præcedebat, vel incumbebat tabernaculo.

22. NVMQVAM DEFVIT COLVMNA NVBIS, &c. Vnde euaneſcit commentum Hebræorum in Seder Olam, Aarone mortuo diſparuiſſe columnam; nam & poſt mortem eius per ſolitudines proficiſcendum fuit, vt patet Num. 21. verſ. 5. & 11.

Myſticè Origenes Hom. 27. in Numeros per ignem ſignificatum docet filium Dei, per nubem Spiritum ſanctum, quod latiùs exponit Ambroſ. lib. de Sacram. c. 6. quia filius vtpote veritas lucet hominibus, vt ignis, Spiritus ſanctus obumbrat vt nubes. Quamuis Clemens Alexan. Orat. ad gentes ſignificatum velit, quod Deus obedientibus nubem lucidam, inobedientibus ignem oſtendat. Deus enim blandus iuſtis, & terribilis apparebit iniuſtis, inquit Greg. Homil. 21. in Euang. ponderans in igne eſſe terrorem, & in nube blandimentum. Cui conſiderationi fauet quod ſæpiùs cùm in deſerto caſtigandi erant Iudæi, gloria Domini apparuiſſe dicitur, videlicet per modum flammantis ignis.

CAPVT XIV.

2. REVERSI CASTRA METENTVR, &c. Moyſes enim videtur itinere ſolito quo fugiens in Madian, & rediens tranſierat, ſiue neceſſitate tranſeundi maris tetendiſſe rectà in orientem verſus montem Horeb per deſertum Etham, relicta extremitate maris rubri ad dexteram, hoc enim dixerit Moyſes Pharaoni c. 5. v. 3. ſed Deus iubet eum hîc verſus meridiem tendendo profundiùs intrare in Ægyptum, quæ erat ſpecies quædam redeundi à ſuſcepto itinere. Caſtra metentur ergo E REGIONE PHIHAIROTH, quod ſignificat os, ſeu anguſtiam foraminum, id eſt, ſpeluncarum.

QVÆ EST INTER MAGDALVM, id eſt, turrim, & inter MARE CONTRA BEELSEPHON, id eſt, dominum, ſeu habentem ſpeculam, ita ſcilicet vt itinerantibus verſus meridiem Beelſephon videatur fuiſſe à fronte, Magdalum ad dextram verſus occidentem, mare ad læuam verſus orientem. Omnia verò iſta nomina indicant, ingreſſum iſtum fuiſſe in loca anguſta, prærupta, & montoſa; vnde, ſicut Deus hîc dicit, itineris illius impedimenta cauſa fuerunt, cur Pharao dicturus eſſet.

3. COARCTATI SVNT IN TERRA, Hebraïcè, *perplexi ſunt*, ſcilicet tam animo, neſcientes quò tendere, quàm ipsâ naturâ loci non inuenientes tranſitum, quia à fronte & dextra concludunt eos prærupta, & imperuia loca, retro vnde veniunt;

CONCLVSIT EOS DESERTVM: Et ad latus habent littus maris, nec enim imaginari poterat eos rectâ per medium maris tranſituros. Ex quo patet non loqui hîc Pharaonem de illo deſerto Etham, quod erat vltra mare rubrum Num. 33. v. 8. ſed de deſerto quodam in ipſis finibus Ægypti, hoc enim concludebat Hebræos non illud vltra mare, ſiue interim idem illud deſertum Etham ſe extenderet etiam vſque in Ægyptum iuxta extremitatem, ſeu linguam maris rubri, ſiue eſſet aliud.

4. ET INDVRABO COR EIVS, id eſt, & ita per iſtum caſtrorum veſtrorum, & locorum ſitum in quæ ego vos adducam, & ex quibus putabit Pharao vos expediri non poſſe, efficaciam vt ipſe denuò obduretur.

ET PERSEQVETVR VOS; vt vos denuò in ſeruitutem redigat; hunc enim, non interfectionem Hebræorum, fuiſſe ſcopum Pharaonis patet ex verſu 5.

ET GLORIFICABOR IN PHARAONE, id eſt, glorioſus prædicabor in eorum ſubuerſione, vt explicatur v. 17. & 18. tamquam ſcilicet potentiſſimus, hoſtibus meis terribilis, in peccatores iuſtiſſimus, erga cultores meos fideliſſimus.

ET SCIENT ÆGYPTII, id eſt, experientiâ comprobabunt, ſiue præſentes, ſiue abſentes, QVIA EGO SVM DOMINVS, cui obediendum & ſeruiendum eſt, vtpote qui dominor omnibus elementis & hominibus, vt reddam vnicuique quod ei debetur.

Videndæ ſunt ea quæ diximus ad c. 9. de obduratione Pharaonis. Non enim finis Dei fuit vt Pharao denuò perſequendo peccaret, ſed cùm glorioſo modo decreuiſſet Hebræos in Chananæam adducere per deſertum viaſque difficillimas, ſiue vt ſpem eorum totam in ſe conuerteret, ſiue vt nomen ſuum apud omnes nationes clareſceret (quod ad hominum ſalutem operandam valdè neceſſarium eſt) vidit ex iſto ducendi modo nouam Pharaonis perſecutionem ſecuturam: quam eò libentius permittere voluit, quod inde ſimul videret occaſionem naſcituram inferendi debitum ſupplicium Ægyptiis, quod eis iam propter præcedentes iniquitates decretum erat. Sic & infrà v. 17. dicitur *indurare vt perſequantur*, id eſt, ex quo fiet, vt perſequantur. Nam illa obduratio in eo conſiſtebat, quod viderent filios Iſraël ſicco pede per medium mare tranſire: hoc enim animauit Ægyptios, vt nihil timerent audacterque ſequerentur.

5. NVNCIATVM EST QVOD FVGISSET POPVLVS, eò quòd relicto itinere recto verſus deſertum, quod anteà non videbatur habere fugę ſpeciem, ſed peragendi ſacrificii, aliò deflectebat iter. Hinc dolore tum amiſſæ ſeruitutis Hebræorum, tum vaſorum quæ commodato dederant.

IMMVTATVM EST COR PHARAONIS, vt vtraque recuperaret. Quamuis Moyſes non ponat hîc niſi cauſam præcipuam. Alteram indicat Artapanus apud Euſeb. l. 9. præparationis Euangelicæ c. 27. & clariùs Tertull. 2. contra Marcionem c. 20. qui addit actum eſſe per legatos vtrimque, Ægyptiorum quidem repetentium vaſa, Iudæorum verò repetentium operas ſuas.

6. OMNEM POPVLVM ASSVMPSIT SECVM, qui ſcilicet properè ad manum haberi potuit. Ioſephus l. 2. Antiq. c. 6. dicit fuiſſe ducenta millia ſcutatorum peditum, equitum quinquaginta millia. Ezechiel apud Euſeb. l. 9. de præparatione c. 28. decies centena millia: numerus non incredibilis eſt ſi ſpectemus ingentes exercitus, qui aliquando ex Ægypto, vel confiniis eius prodierunt, vide 2. Paralip. 14. v. 14. & maximè numerum Hebr. quibuſcum pugnandum erat.

7. TVLITQVE 600. CVRRVS ELECTOS. Serrati iſti, ſiue falcati erant, quibus in hoſtes irruentibus (præterquam quod ex iis pugnarent) turbabantur acies, & obuia proſternebantur, de quibus multa apud ſæculares authores leguntur.

ET DVCES, &c. Græcè eſt, *Triſtatas* quod exprimit vocem Hebraïcam *Schaliſcim*, quaſi dicat trium-viros. Quinam iſti fuerint non ita conſtat: vnde alii ſatellites, alii triarios vocant. Nyſſenus robuſtos qui aduerſus tres conſiſtere poſſunt. In ſcriptura paſſim vſurpatur vox illa pro magnis principibus, ſeu ducibus, vnde Hier. in c. 23. Ezech. dicit eſſe nomen ſecundæ dignitatis poſt Regem, & idcirco dici in lib. Reg. *Ad tres primos* ſcilic. duces poſt regem *non peruenit*, fuiſſeq; principes peditum ac tributorum.

10. CLAMAVERVNTQVE AD DOMINVM, nempe aliqui; nam multi ad murmurandum aduerſus Moyſen, quaſi periculi authorem conuerſi ſunt: vel certè ſignificatur, eoſdem partim Deum inuocaſſe, partim Moyſen incuſaſſe, vt in magnis periculis fieri ſolet. Quibus reſpondit Moyſes.

13. STATE, id eſt, tantum non fugite, ſed conſiſtite, nihil acturi, ſed ſpectaturi MAGNALIA, Hebraïcè, *ſalutem*, quam Deus allaturus eſt. Nam Ægyptios non videbitis vltra IN SEMPITERNVM, nempe tali agmine perſequentes, vt notat Aug. quæſt. 51. aliter enim eos in reſurrectione viſuri ſunt, Deo enim pugnante.

14. VOS TACEBITIS, id eſt, quieſcetis non dimicabitis, ſic enim tacere frequentiſſimè ſumitur in Scripturis pro ceſſare & quieſcere à defendendo vel agendo, vt Pſal. 27. v. 1.

15. QVID CLAMAS AD ME? Non eſt reprehenſio, ſed conſolatio, quaſi dicat, Non opus eſt vt ampliùs clames, quia exaudiui te, Chaldæus, *ſuſcipio orationem tuam*. Quamuis ergo Moyſes clamaſſe non legatur, hinc tamen colligitur clamaſſe affectu pio & ſenſu profundo, vt Ambroſ. Serm. 19. in Pſal. 118. & Aug. quæſt. 52 Itemque opere clamaſſe, quia ſperabat in Deum; illi

enim ſunt clamores ſanctorum etiam tacentium. Vnde Origenes Homil. 5. in Exodum: Crediderim hunc clamorem ſanctorum eſſe animæ eruptiones & motus quodammodo naturales, quibus à Deo poſtulant etiam tacendo: ſicut ſpiritus hominum carnalium, quaſi natura quodam pondere terrena deſiderant. Vnde Pſal. *Præparationem cordis eorum audiuit auris tua*.

19. Tollensqve se Angelvs Dei, qui tamquam ſpiritus aſſiſtens mouebat, moderabatur nubem,

Abit post eos, ad tuttandos Iſraëlitas & arcendos Ægyptios. Et cvm eo pariter colvmna nvbis. Ex quo cum Caietano colligunt, hanc tranſlationem Angeli de die contigiſſe, quo nubes apparere ſolebat. Fundamentum infirmum eſt, qua mox dicitur eadem nubes fuiſſe tenebroſa & illuminans noctem. Aliunde tamen ſatis colligitur de die contigiſſe, quia Hebræi viderunt Ægyptios aduentantes. Vnde Philo l. 1. de vita Moyſis ſub prandium conſpectos Ægyptios tradit, & Ezechiel apud Euſeb. propter declinantem diem dicit pugnam dilatam in craſtinum.

20. Et erat nvbes tenebrosa, ſicut denſiſſimæ & pluuiis grauidæ nubes eſſe ſolent. Idque qua parte reſpiciebat Ægyptios, vt impediret ne Hebræos, vel viderent vel accederent.

Et illvminans noctem, qua parte reſpiciebat Hebræos, vt eâ lucente iter noctu poſſent capere. Itaque vna & eadem nubes eodem tempore hîc fungebatur officio columnæ nubis & ignis, hoc enim non fuiſſet ſi alia columna Hebræos præceſſiſſet.

21. Abstvlit illvd flante vento. Hebraica addunt *orientali*, quia idoneus eſt ad ſiccandum fundum maris, quò pedibus tranſire poſſet, hoc enim eſt quod dicitur:

Vertit in siccvm. Vnde multi volunt non aliâ de causâ ventum adhibitum. Sed nihil vetat Deum vento velut inſtrumento vſum, vt mare in vnam partem protruderet, ſicut & aliis cauſis ſecundis vſus eſt ad infligendas plagas Ægyptiis; quamuis per ſe ventus non ſufficeret ad mare diuidendum.

Divisaqve est aqva, in duodecim ſemitas, inquiunt Hebræi, vt per illas ſingulę tribus ſeorſim tranſirent, & hoc ſe à maioribus audiſſe traditum dicit Origenes hîc Homil. 5. & probat Epiphanius hæreſi 64. Fundatur in Pſalm. 135. vbi dicitur *qui diuiſit mare in diuiſiones*. Sed Theodor. in illum Pſalm. fabulam vocat, & tum ibi tum q. 25 in Exod. rectè obſeruat mare diuiſum dici *in diuiſiones*, id eſt, in duas partes, quia ex vno factum eſt duo; quomodo loquitur ſcriptura, & explicat ſe Hierem. 34. v. 18. & 19. Gen. 15. v. 17. vnde ſcriptura non meminit vllibi plurium viarum, ſed tantùm viam & ſemitam nominat in ſingulari, vt Sapientiæ 14. v. 3. c. 19. v. 7. Et ſanè mirum eſſet illam miraculi circumſtantiam nullibi à ſcriptura fuiſſe expreſſam.

Et ingressi svnt filii Israel, duce Moyſe, vt ait Ioſephus. Aminadab, ac tribum Iuda proximè ſecutam eſſe tradunt Hebræi apud Hier. in v. 12. c. 11. Oſeæ, & idcirco meruiſſe principatum.

Per medivm sicci maris, ab vno ſcilicet littore tranſeuntes ad alterum, vnde dicitur mare fuiſſe, quaſi murus à dextra eorum & læua, vide & num. 33. & alibi mare diuiſum in diuiſiones traditur. Vnde refutatur quorumdam Hebræorum ſententia quam Abulenſis tueri videtur, & refertur à Genebrardo in Chronologia, qui putant, Hebræos non tranſiiſſe mare à littore ad littus, ſed in ipſa extremitate maris rubri ingreſſos mare, & rupem neſcio quam in mari prominentem circumeuntes per ſemicirculum in idem littus rediiſſe. Mouentur præcipuè quia non eſt credibile Hebræos vnâ noctis vnius parte tranſgreſſos mare, quod communi topographorum atteſtatione 25. horarum traiectum habet. Sed etſi tanta ſit eius latitudo in medio, in ipſa tamen extremitate ſeu lingua maris vbi Hebræi tranſierunt, non eſt niſi ſex milliarium, vt tradit Adrichomius in deſcriptione deſerti Pharan, & vna noctis parte, addente alas timore, Deoque vires ſuggerente, tranſire potuerunt.

Erat enim aqva qvasi mvrvs a dextra eorvm et læva. Quibus verbis iu-

gulantur duæ opiniones. Prima Rabbi Samuelis Marochiani qui libro de aduentu Meſſiæ c. 13. dicit, aquam portaſſe corpora filiorum Iraël, quaſi ſuper mare ambulaſſent. Secunda, Memphitarum, quos refert Artapanus apud Euſeb. & lib. 9. de præp. c. 27. in fine exiſtimaſſe quod Moyſes totius regionis ſcientiſſimus reciprocantis maris æſtum obſeruauerit, & ita naturaliter via patuerit, qua de re dubitat etiam Ioſephus. Sed neutrum vllo modo cum hac ſcripturæ narratione conſiſtit, quæ apertè v. 21. & 22. agnoſcit diuiſionem maris vſque ad fundum, & ſolidationem ab vtroque latere, proindeque planè miraculoſam, vt obſeruauit Diodorus Tarſenſis in Catena, qui refutans hanc opinionem addit veſtigia illius miraculi adhuc oſtendi. Quod clariùs exponit Paulus Oroſius l. 1. c. 10. vbi dicit, tractatus curruum rotatumque orbitas non ſolùm in littore, ſed etiam in profundo, quouſque viſus admittitur, peruideri; & ſi fortè ad tempus vel caſu vel curioſitate turbantur, continuò diuinitus in priſtinam faciem ventis fluctibuſque reparari.

24. IAMQVE ADVENERAT VIGILIA MATVTINA, id eſt, initium quartæ circiter horæ poſt medium noctis. Nam circa æquinoctium vernum quo iſta contigerunt ſingulæ vigiliæ noctis quæ quatuor numerantur, tribus circiter horis conſtant. Ex quo veriſimile videtur, Hebræos ante medium noctis ingreſſos eſſe mare, quia primo diluculo mare reuerſum eſt, & omnes Ægyptij ſecuti Hebræos erant in maris medio.

RESPICIENS DOMINVS PER COLVMNAM IGNIS ET NVBIS, eam quaſi aperiendo & fulminibus coruſcando. Reſpectus enim ille ſenſibilem quandam operationem Angeli in caſtra Ægyptiorum videtur denotare. Vnde Ioſephus aliique omnes tradunt fulminum ac tonitruum tempeſtate Deum ſubuertiſſe rotas, eas è curribus amouendo ſeu excutiendo, vt habent Hebræa, & ita currus ipſos euertendo, & *interfeciſſe exercituum, Ægyptiorum*; id eſt, partem exercitus Hebræis propinquiorem. Nam reliqui ſtrage territi aquis nondum redeuntibus in fugam verſi ſunt & apertè faſſi quòd *Dominus pugnaret*, ſenſibili ſcilicet plagâ pro Iraële. Vnde Artapanus loco apud Euſeb. citato dicit partim igni, partim aquis Ægyptios periiſſe.

25. FEREBANTVRQVE IN PROFVNDVM, non aquis obruti, hoc enim poſtea contigit, vt patet ex fuga quam meditabantur. Ferebantur igitur currus, ſiue fractis rotis corruentes in profundum illud fundum maris, ſiue equis conſternatis ac furentibus huc illuc raptati. Et hæc ad litteram.

Porrò totus iſte egreſſus filiorum Iſraël ex Ægypto & manſiones eorum & tranſitus per mare luculentus typus fuit liberationis generis humani è captiuitate diaboli per aquas baptiſmi, vt indicat Apoſtolus 1. ad Corinth. 10. in initio, & latius explicuerunt SS. Patres. Diabolus enim, vt Cyprianus, vſque ad baptiſmum perſequitur, & ibi cum vniuerſo vitiorum exercitu obruitur. Vide totum hoc iter Hebræorum à Rameſſe per Socoth & mare rubrum ſpirituali ſenſu & ad mores accommodato deductum ab Origene totâ Hom. 5. in Exod. vide & Nyſſenum lib. de vita Moyſis.

CAPVT XV.

TVNC CECINIT MOYSES ET FILII ISRAEL. Diſtributâ totâ gente in duos choros alterum, virorum, alterum mulierum, vt notat Philo lib. 1. de vita Moyſis, & ſatis colligitur ex hoc loco, & v. 20. & 21. Nam quia Maria dicitur præcinuiſſe mulieribus, tacitè indicatur non eam præcinuiſſe viris, ſed Moyſen. Et contra Moyſen non præcinuiſſe mulieribus. Ex quo relinqui videtur, quòd Moyſes & viri cecinerint hîc totum hymnum ſeorſim à fœminis, & poſteà fœminæ ſeorſim à viris. Idcirco enim dicitur *Maria egreſſa*, quaſi ſecedens à viris ſola. Philo tamen vult fœminas alternos verſus cecinuiſſe quaſi reſpondentes viris. Sed tunc non rectè diceretur Maria, ſed potiùs totus chorus virorum præcinuiſſe fœminis. Itaque ſcripturæ conformius videtur, quod hîc *cecinerit Moyſes & filii Iſrael*, id eſt, & viri: ita ſcilicet vt Moyſes præcinuerit totum verſum aliquem, & to-

tus populus virorum ſuccineret, idque vel ſemper inter calando eumdem illum primum verſum huius cantici, ſicut fit in Pſal. *Quia in æternum miſericordia eius*, & in Cantico trium puerorum, *Laudabilis & glorioſus in ſæcula*, ſiue: etiam ſubſequendo Moyſen & ſingulos verſus repetendo quemadmodum apud noſtrates fieri ſolet. Neutro tamen modo opus videtur miraculo vt populus Moyſi præcinenti ſuccinere potuerit. Vnde qui miraculum hîc agnoſcunt vt author mirabilium ſacræ Scripturæ c. 21. illi ponunt nulla præmonitione facta ſimul omnes omnino cecini ſſe idem canticum quaſi inſpiratos à Deo. Itemque in eo quòd pueri & omnis ætas ſimul cecinerit iuxta illud Sapientiæ 10. verſ. vlt. de hac re, *Aperuit os mutorum & linguas infantium fecit diſertas*. Quamquam locus iſte non incommodè intelligi poſſit de Iudæis qui præ metu hactenus obmutuerant & inſtar infantium imperiti ac ſimplices erant.

Carmen hoc, id eſt, canticum more carminis certo metri genere compoſiti. Ioſephus in fine lib. 2. Antiquitatum vult eſſe hexametrum. Quo verſuum genere dicit D. Hieronymus præfatione in Iob, totum librum Iob decurrere mixtis dactylo & ſpondæo & aliis ſubinde eorumdem temporum pedibus interpoſitis. Sed valdè difficile eſt hoc metri genus vel aliud quoduis, ſiue hîc, ſiue in Iob, ſiue alibi agnoſcere, eò quòd ratio Hebraïcæ poëſeos apud poſteros nunc intercediſſe videatur. Quamquam ex iis quæ Hieronymus ibi dicit & clariùs in Epiſt. quadam ad Paulam Vrbicam quæ eſt 155. manifeſtum ſit eum hanc artem agnouiſſe. Longè facilius eſt rithmos inuenire in canticis noſtris Hebraïcis quàm pedes. Nam in Pſalmis multis, in Iob, Prouerbiis, itemque hoc præſenti carmine ita eluceat, vt vel imperiti hoc facilè percipiant, ſed opus eſt vt certo modo diſponantur. Cecinit autem hoc carmen Domino, id eſt, tamquam epinicium in laudem Dei, cui pro tanta victoria gratias agunt, potentiam eius celebrant, & exultantes etiam introitum in terram Chanaan prophetant. Eſſe autem primum notat Origenes Homilia 6. quod poſteà paſſim ſancti imitati ſunt tam Veteris quam Noui Teſtamenti.

2. Fortitvdo mea, id eſt, cauſa fortitudinis meæ qui dedit laſſo virtutem & oppreſſo victoriam.

Et lavs mea. Hebraïcè, *cantio mea* id eſt, quem canam & celebrem, ſeu obiectum cantici mei eſt Dominvs, vnde ſubditur ratio,

Et factvs est mihi in salvtem, id eſt, quia ſaluauit me. Sic enim Hebræorum (&) ſæpè ſumitur pro quia, vt notauimus ad verſum 18. cap. 14. Geneſ.

Iste, non Dii Ægyptiorum aut aliarum nationum, ſed qui tanta mirabilia patrauit in Ægypto & mari rubro Devs mevs. Hebraïcè eſt, *El*, vnum ex nominibus Dei, & ſignificat fortem: quaſi dicat, Iſte *fortis meus*. Repetit enim quod præceſſit, quod omnibus metris Hebraicis viſitatiſſimum eſt. Et glorificabo evm, gloriam eius prædicabo tum verbis, tum factis, vnde quia templi & olim tabernaculi erectio fuit quoddam glorificandi genus & radix hebraica, vt nunc legitur, etiam tabernaculum ſignificat, hinc Pagninus tranſtulit, *tabernaculum faciam ei*, in rei ſcilicet tantæ memoriam. Nam ſuper arcam Deus inter Cherubim quaſi curru bellico triumphans vehebatur.

Devs patris mei, patrum meorum Abraham, Iſaac & Iacob, quibus incipit promiſſiones ſuas mirabiliter complere. Et exaltabo evm, tamquam altiſſimum celebrabo altitudine eſſentiæ ab omni corruptibilitate remotiſſimæ, altitudine dominationis ac poteſtatis in terram mare omnes creaturas, & altitudine iudiciorum in benefaciendo & iudicando. Et quaſi quæreretur quis eſt ille laudabilis Deus? reſpondet:

3. Dominvs. Hebraïcè eſt bis nomen illud proprium tetragrammaton quod per Adonai ſolet legi: quaſi diceret, Ille Adonai eſt qui quaſi bellator pugnauit pro me, & nomen eius proprium eſt Adonai, quod noſter hîc reddidit omnipotens, quia epithetum illud magis quadrabat victoriæ de Pharaone relatæ. Vnde ſtatim effectus illius omnipotentiæ proſequitur.

7. Miſiſti iram tuam, id eſt, effectus iræ, ignem, fulmina, tempeſtates quando Angelus proſpexit nubem, &

Devoravit eos sicut stipulam, partem Ægyptiorum igne velut ſtipulam conſumendo.

8. Et in spiritu furoris tui, id eſt, per ventum illum vehementem qui ſpirauit tota nocte velut per inſtrumentum ab ira tua emiſſum,

Congregatæ sunt aquæ, in duos vtrimque quaſi prærupros montes. Stetit unda fluens, id eſt, aqua ſua natura fluitans in aceruum ſolidata eſt & immobilis ſine fluxu & refluxu ſtetit.

Congregatæ sunt abyssi, id eſt, coagulatæ ſunt, vt eſt Hebraicè, ſeu compactæ inſtar glaciei, vt firmiter ſtarent.

10. Flavit spiritus tuus, ventus validus, qui reſpiciente Angelo per nubem cum fulminibus & tempeſtatibus ſimul erupit. Porrò Aug. quæſt 55. in Exod. tum hîc, tum v. 8. accipit Spiritum ſanctum qui ſpiratur & mittitur ad operandum non ſolùm beneficia, ſed etiam vindictam & propter diuerſas operationes vocatur diſſimiliter ſpiritus ſapientiæ, fidei, &c. itemque ſpiritus furoris aduerſus Ægyptios, quamuis in ſe ſit vnus & idem. Eundem ſpiritum intelligit Ambroſius l. 3. de Spiritu ſancto c. 2. & 4. vbi conſequenter per *dexteram* v. 6. intelligit Filium, ſicut & Baſilius in cap. 8. Iſaiæ, vt ſic tota Trinitas aduerſus Ægyptios operata eſſe intelligatur.

11. Quis similis tui in fortibus? Heb. *in Diis*, ſcilicet omnium gentium. Hebraicè ſunt quatuor vocabula, quorum initiales characteres Iudas Machabeus inſcripſit vexillis militaribus, tamquam ſignum fiduciæ in Deo & omen victoriæ. Populo autem breuitatis cauſa legente *Machabi* paulatim obtinuit, vt Iuda & poſteri eius dicerentur Machabæi, ita tradit ex Rabbi Iſaac Genebrardus in Chronologia l. 2. Simili modo nonnulli veteres vocarunt Chriſtum *Iethus*, id eſt, piſcem ex initialibus litteris acroſtichi cuiuſdam Sibillini, vt Auguſt. 18. de Ciuitt. cap. 23. & Proſper de prædictionibus, parte 2. cap. 39. Ratio verò cur tibi nemo ſit ſimilis eſt quia es.

Magnificus in sanctitate, id eſt, patrans & mirabila & magna tam erga bonos quàm malos, ſed cum sanctitate, id eſt, ſumma munditia & innocentia, ita vt nec benefaciendo, nec vindicando, nec obdurando vlla labe inquineris. Terribilis impiis & tamen in omnem partem ſummè laudabilis.

12. Devoravit eos terra. Terram ſimul pro aqua poni quatenus tota illa infima mundi pars terræ nomine in Scripturis cenſetur notat Auguſtinus hîc, etſi alii propriè terræ hiatu abſorptos Ægyptios eſſe velint. Et hactenus de præterita victoria nunc ſequitur prophetia de futuro.

13. Portasti eum ad habitaculum sanctum tuum, maximè Palæſtinam à te patribus noſtris datam ad inhabitandum: quæ ſancta dicitur, quia inhabitatione populi ſancti, Hebræorum templo, & cultu veri Dei, ac denique conſeruatione Filii Dei ſanctificanda. Ponuntur enim hîc & in ſequentibus verſibus more prophetico præterita pro futuris, vt notat Euthimius Zigabonus in hunc locum. Sicut ea quæ hîc dicuntur ſtatim poſt tranſitum maris nondum contigerant, ita nec terra Chanaan adhuc erat ſanctificata, ſed potiùs grauiſſimis Chananæorum iniquitatibus polluta.

14. Ascenderunt populi, id eſt, aſcendent in fœdus & prælium aduerſum nos. Hebraicè & Græcè eſt, *audierunt populi*, id eſt, audient; ſed noſter effectum auditionis & finem ſpectauit. Et irati sunt, iraſcentur, ſeu turbabuntur, quia ſinguli ſibi metuent & indignabuntur iam regna ſua Hebræis eſſe deſtinata.

16. Fiant immobiles quasi lapis, vt præ pauore & ſtupore non audeant ſe nobis opponere, donec pertranſeamus in Chananæam. Hoc in quibuſdam gentibus præſtitit Deus, vt patet in Cinæo 1. Reg 15. v. 6. in aliis vota Moyſis ſuperauit, quia eos reſiſtentes bello deleuit.

17. Introduces et plantabis eos, id eſt, firmiter fixis quaſi radicibus collocabis eos in monte Sion, quem tibi tamquam

hæreditatem tuam & tamquam firmiſſimum habitaculum, ſeu domicilium ad inhabitandum deſtinaſti; quod habitaculum non eſt aliud quàm SANCTVARIVM, ſeu templum, QVOD FIRMAVERVNT MANVS TVÆ, id eſt, quod prædeſtinatione explicanda ſunt, vel certe, pro futuris, ſicut ea quæ præcedunt. Porrò per mortem Sion ſynecdochicè tota Iudæa intelligenda eſt, in qua Iudæi vna cum templo per multa ſæcula firmiter conſtituti fuerunt.

18. DOMINVS REGNAVIT IN ÆTERNVM, LXX. *in ſeculum*, ſicut etiam explicat. D. Thom. 1. parte q. 16. a. 2. Nam Hebraicum *olam*, non ſemper perfectam illam æternitatem ſignificat, ſed ſecundum vim radicis *alam*, ſæpè durationem cuius terminus nobis abſconditus eſt, etſi reuera terminum habeat. Regnabit ergo Deus per quamlibet cuiuſque rei durationem quæ vt D. Thom. ſæculum vocatur.

ET VLTRA, quia in perpetuum, nam regni eius non erit finis. Et ſic non eſt opus laborare quomodo aliquid vltra æternitatem detur. Quamuis aliqui velint addi (*vltra*) per hyperbolen ad exprimendum prorſus internum imperium quod Deo ex abundantia cordis optabat. Et iſta quidem eſt iſtius canticis litteralis expoſitio. Spiritualem verò ſenſum eius ab initio vſq; ad finem vide præclarè apud Origen. Hom. 6. in Exod.

20. SVMPSIT ERGO, id eſt, cùm viros vidiſſet Deo cantantes laudem, præeunte fratre ſuo, nolunt mulieres viris cedere.

MARIA PROPHETISSA, propriè dicta, neque enim eſt ratio cur eum aliquibus ad mulierem religioſam reſtringamus. Nam Num. 12. v. 2. ipſamet dicit Deum ſibi ſicut Moyſi locutum eſſe, denique non ſine diuino ſpiritu videtur hoc canticum præcinuiſſe. Quæ ſit etymologia nominis *Mariæ*, magna contentio eſt. Nam prout voces in ea contentæ diuerſa ſignificant, etiam diuerſis modis explicatur. Hebræi deriuant à *Mar*, ſeu *Mor* & *iam*, quaſi amaritudinem aut myrrham maris, ſeu aquæ, quòd eo tẽpore eſſet nata quo maſculi in aquam ab Ægyptiis proiiciebãtur. Et hanc etymologiam clariſſimè & genuinè characteres ipſi præ ſe ferunt. Communiſſima tamen eſt aliorum, vt ſignificet magiſtram, ſeu dominam maris formando, ſcilicet ex *More*, id eſt, magiſter, doctor quem Rabbini etiam vocant *Mar* & *iam*, vnde Chaldæi & Syri ex illo *More* formauerunt ſuum *Mare* itemque *Mar*, & cum Nun paragonico *maran*, id eſt, dominum vt ita quaſi prophetice fuerit ei nomen impoſitum quod dux eſſet futura fœminis in tranſitu maris, & in hoc carmine decantando. Hanc Angelus Caninius valde improbat, qui vult ſignificare excelſam à *ram*: frequens tamen eſt apud veteres, vt patet ex Damaſceno l. 4. de fide c. 15. & Iſidoro lib. 7. originum c. 10. & hinc fortaſſe fluxit illa etymologia tritiſſima de qua Bernardus Homil. 2. ſuper Miſſus, & alii, qua ſignificat ſtellam maris, quam reſonant & hymni Eccleſiaſtici: nam Hieron. in nominibus. Hebr. & Iſidorus dicunt ſignificare illuminatricem, quia doctrix illuminatrix eſt, & conſequenter vt ſtella prælucet. Conuenit hæc optiſſimè B. Virgini cuius hæc Maria typus fuit, nam ab omnibus nationibus vocatur Domina, & in proceloſo hoc mari hominibus prælucet.

SOROR AARON, vnde virginem fuiſſe colligit Nyſſenus lib. de virgin. c. 6. alioquin à marito fuiſſet denominata, quem tamen Ioſephus dicit fuiſſe Hur, de quo infrà cap. 24. v. 14.

SVMPSIT TYMPANVM, vt eo pulſato chorus ſeu multitudo mulierum pſallentium ad numeros ſaltaret. Saltatio enim vt olim ab hiſce mulieribus & Dauide, ita & nunc in quibuſdam locis inter ceremonias Deo ſacras adhibetur, ſicut vbique cantus. Tympana porrò iſta quibus vtebantur mulieres non erant caua ſicut bellica eſſe ſolent, ſed ſunt inſtar cribri multis tintinnabulis cincta.

IN MANV SVA, quia eiuſmodi tympana tenentur vna manu, & pulſantur digitis alterius, voce ſimul modulante: vt in Cantabria inter virgines etiamnum perquam vſitatum eſt, vnde & Pſal. 67. verſu 26. *Præuenerunt principes coniuncti pſallentibus in medio iuuencularum tympanistriarum.*

EGRESSÆ

Egreſſæ ſunt mulieres, ſeorſim à cœtu virorum ſequentes Mariam, cum tympanis, nec enim vna tantum præcentrix, ſed omnes ſimul vel plures huiuſmodi tympana tenere & ad illud pſallere ſolent.

21. Quibus præcinebat, vt ſuprà explicatum eſt, canentes idem canticum. Quamquam ex Hebræo etiam alius ſenſus à nonnullis exſculpatur, legunt enim *Et reſpondebat eis*, viris ſcilicet præcinentibus, quaſi ſignificetur, mulieres finito verſu aliquo mox repetiiſſe ſolum verſum primum *Cantemus Domino*, &c. tamquam intercalarem, eò quòd illo ſolus hîc tribuatur mulieribus, ſed primum videtur probabilius, vt dictum eſt verſu primo.

22. Egreſſi ſunt in deſertum Sur, quod pertingit vſque ad fines Palęſtinæ quà Ægypto vicina eſt. Ad hoc enim deſertum fugit Agar, Gen. 16.

23. Et venerunt in Mara, id eſt in locum qui poſteà cùm hæc ſcribebantur ab aquis quæ erant *marim*, id eſt, amaræ, ſic per prolepſim vocatus eſt, vt notat Auguſtinus.

25. Oſtendit ei lignum. Hebraicè, *docuit*, nempe tum oſtendendo, tum virtutem eius declarando. Nam ex verbo, *oſtendit*, colligit Aug. quæſt. 56. tale iam lignum fuiſſe quo poſſet hoc fieri. Vnde Eccleſiaſtici 38. v. 4. indicatur naturalem fuiſſe ligni virtutem. Nam commendans naturales medicinæ vires, probat non eſſe ſpernendas, quia à ligno indulcata eſt aqua amara, quod nihil probat, ſi miraculoſè aqua fuiſſet in indulcata, vt obſeruat Franciſcus Valeſius de ſacra Philoſophia. Aliquid tamen ſupra naturam interueniſſe quo aquis tam copioſis vt tanto ſufficerent exercitui, dulcedo tribueretur, valde veriſimile eſt. Quale lignum fuerit inquirunt aliqui: nam Hebræi & Abulenſis Adelphiam nominatum volunt, ſed rectiùs Theodoretus quæſt. 26. dicit ſuperfluum ac ſtultum hoc quærere quæ ſilentio tradita ſunt.

Myſticè gloriam & gratiam crucis eo ſignificari tradit Auguſtinus & à pleriſque PP. agnitum eſt, ſed aquas diuerſimodè explicant. Tertullianus libro contra Iudæos cap 13. & Ambroſius de iis qui initiantur myſteriis cap. 3. intelligunt aquas baptiſmi. Origenes Homil. 8. in Ierem. legem, cuius præcepta amariſſima per lignum cruci dulcorata ſunt, quod probat & Hieron. Epiſtola 127. ad Fabiolam.

Ibi conſtituit ei præcepta, id eſt, leges aliquas viuendi ſiue ceremoniales, ſiue morales, et iudicia, id eſt, leges iudiciales ad politiam populi ſpectantes. Quænam fuerint, ſcriptura tacet: etſi Sabbati legem inter illa fuiſſe nonnulli colligant ex verſu 23. cap. ſeq. quia decalogus totus nondum fuerat à Deo traditus, Poſſet tamen & illa lex accipi quæ hîc verſu ſequenti traditur.

Et ibi tentauit eum, probando eius conſtantiam & fiduciam in Deo per ſubſtractionem aquæ idque non vt ipſe Deus ſciret, ſed vt ipſi ſibi ipſis innoteſcerent, quamuis accipi poſſet quòd Deus tentare ſeu experiri voluerit obedientiam populi hac ipſa lege quæ ſequitur.

27. Venerunt in Elim. Hæc eſt ſecunda manſio poſt mare rubrum, ſexta ab Ægypto.

27. Vbi erant duodecim fontes, per quos litteraliter indicatur amœnitas loci quo poſt labores excepti ſunt: myſticè verò profectus vitæ Chriſtianæ; nam poſt maris rubri tamquam baptiſmi victoriam ſequitur tentatio in Mara, poſt tentationem refectio in Elim ex duodecim Apoſtolorum fontibus, vnde deriuatę aquæ totius mundi ſiccitatem rigant, iuxta quos ſeptuaginta creſcunt palmæ, nempe 70. diſcipuli, tamquam inferioris ordinis doctores, ita ferè Hieronym. Epiſtola de 42. manſionibus, & Origen. Hom. 7.

Capvt XVI.

1. In deſertum Sin, poſtquam ſcilicet ſeptimâ manſione fixiſſent iterum tentoria ſuper mare rubrum, vt eſt Numer. 33. verſ. 10. Nam deſertum Sin fuit octaua manſio. Eſt autem diſtinctum ab alio deſerto Sin, in quo fuit manſio 33. & Cades vbi contigit mors Mariæ, & percuſſio petræ Num. 20. Nam primum Sin ſcribitur per ſamech, ſecundum per tſade, & diſtin-

Pentateuch. Y

cta numerantur Num. 33. verſ. 10. & 36.

Qvintodecimo die mensis secvndi, nempe Iiar, qui dies erat præciſè trigeſimus, quia quindecim ſuperant tranſacti in menſe primo, menſes enim Iudaïci conſtat alternatim diebus 29. & 30. ita vt primus menſis ſit 29. dierum, ſecundus 30. Quod inde contingit, quia menſibus vtuntur lunaribus qui non habent niſi 29. dies cum dimidio; duo autem dimidii faciunt vnum integrum, qui addi debet ſecundo menſi, & conſequentibus paribus, non primo & imparibus, vt perperam facit Salianus & ex eo alii, dies enim intercalari debet quando tranſactus eſt, & non antè, ſicut etiam poſt tertium annum tranſactum addebant vnum menſem, & non antè: quia intercalatio inuenta eſt ad reducenda omnia in priſtinum ſtatum.

2. Et mvrmvravit, quia dificiebat commeatus quem ex Ægypto tulerant, quo eos hucuſque, id eſt, in per 30. dies vixiſſe tradit Ioſephus & res ipſa fateri cogit.

4. Ecce ego plvam, id eſt, in abundantia & ſine labore veſtro profundam vobis; neque enim propriè pluit,

Panes, id eſt, manna ex quo fierent tortulæ quæ eſſent loco panis, vt patet Num. 11. v. 8. igitur colligant.

Qvæ svfficivnt, id eſt, non ad ſuperfluitatem & luxum quæ populo Dei ſemper inutilia ac pernicioſa ſunt, ſed quæ ſufficiunt non per menſes aut annos, ſed

Per ſingvlos dies, vt ſic ſcilicet diſcant in diem viuere, ſollicitudines non in longum extendere, à prouidentia mea quotidie pendere & mihi fidere, quotidiani beneficij ſemper eſſe memores, ſimplici animo meis adhærere mandatis. Qua de cauſa & Chriſtus iuſſit fideles ſuos panem non annuum, ſed quotidianum petere.

Vt tentem evm vtrvm ambvlet, &c. id eſt, vt probem experientia vtrum ex diffidentia non ſint tranſgreſſuri hanc dictam legem de colligendo per ſingulos dies, & de non colligendo in Sabbato. Tentatio enim iſta non ad peccatum ſeductio ſed probatio eſt: nec ideo vt Deus nouerit, ſed vt hominibus oſtendat ſeipſos quales ſint, quò agnitâ infirmitate quam extra tentationem ignorare ſolent, humiliores fiant ad petendum adiutorium & agnoſcendam gratiam Dei, vt Auguſt. q. 53. in Exod.

5. Die avtem sexto sit dvplvm, vt ſufficiat in feriam ſextam & ſabbatum ſequens quo nec pluebat nec colligi potuiſſet. Ex quo ſequi videtur, diem quo primo pluere & colligi cœpit, fuiſſe primum reſpectu ſexti illius, id eſt, Dominicum, ſicut hoc colligit hinc Origen. Hom. 6. & Synodus Cæſarienſis apud Bedam. Secuti ſunt hoc & Ambroſiaſter in c. 10. 1. ad Corinth. 5. & author ſerm. 251. de Tempore apud Aug. probantque inde ex tunc, myſticâ ſignificatione prælatum eſſe dominicum ſabbato.

6. Vespere scietis, id eſt experimento cognoſcetis, qvod Dominvs edvxerit vos per ſingularem ſcil. curam quam ſe veſtri habere declarabit dando coturnices.

Et mane videbitis gloriam Domini, id eſt, miraculum quo bonitas Dei & poteſtas glorificabitur.

Avdivi enim mvrmvrationes vestras, & conſequenter exaudiuit eas, dando quod poſtulatis. Nam vt Cyrill. notat lib. 3. in Ioan. cap. 34. modeſtæ petitioni perfectorum hominum per orationem exæquatur imbecillium obiurgatio & murmuratio, vt enim ploratu paruuli neceſſaria flagitant & mater ad fouendum prouocatur, ita querulus infirmorum & quaſi infantium in virtute clamor ad Deum petitionis locum obtinet. Nec tamen ſequitur quòd murmurationes tales probet Deus, quas alibi acerrimè vindicauit, ſed in infirmis non cupiditate vt aliàs, ſed neceſſitate ſuperatis tolerauit.

6. Accedite coram Domino, verſus columnam nubis, ex qua Moyſi ſubinde loqui & Iſraëlitis, gloriam, id eſt, maieſtatem Dei ſplendore & radiorum coruſcatione oſtendere ſolebat, ſicut hîc ſtatim illa gloria apparuit populo, vt eum à murmurando contra Moyſen terrore ſuo coerceret.

13. Et ascendens cotvrnix, id eſt, magna coturnicum copia vento vt veriſimile eſt aduecta, vt inducatur Pſalm. 77.

vnde Plinius lib. 10. teſtatur id genus animalium aurâ vehi ſolitum propter pondus corporum. Pſalmus tamen de alia miſſione coturnicum loquitur, de qua Numerorum 11.

Cooperuit castra, multitudine ſua quaſi tegendo. Nam in plures dies videntur collectæ fuiſſe & ſiccatæ, vt Num. 11. non enim quotidie ſicut manna, ſed bis tantùm toto itinere datæ ſunt. Ioſeph, ait volatu feſſas concidiſſe, & Philo manibus captas, volatus enim earum non ſolet eſſe ſublimis, vt indicatur etiam Num. 11. verſ. 31.

Mane quoque iacuit ros. Hebraicè, *fuit cubatio roris*, nempe tamquam ſtratum quoddam cui manna incubaret. Multi recentiores volunt hunc rorem fuiſſe ipſum man. Hebræi verò Lyranus & alii fuiſſe rorem quo tegeretur man. Sed vtique malè. Nam Scriptura Num. 11. v. 9. apertè diſtinguit rorem à manna, dum dicit, cum rore pariter deſcendiſſe & manna, quod Hebraicè multò clariùs dicitur, *deſcendit & man ſuper eum*, nempe rorem tamquam ſcilicet ſuper ſtratum cui incubaret ne fœdaretur. Itaque ſic accipienda ſunt hæc verba vt loco Numerorum citato congruant, videlicet vt ros iſte inſtar pruinæ concretus fuerit non tegumentum, ſed cvbatio, id eſt, ſtratum mannæ. Per circvitvm castrorvm, id eſt, non in ipſis caſtris propter immunditiam, ſed extra *in ſolitudine*, vt patet verſ. 25. & 27.

14. Apparvit minvtvm, nempe inſtar ſeminis coriandri vt infrà v. 31. vel milii, vt Philo, vel oryzæ, vt Scholiaſtes Samariticus, quæ omnia formam minutam & ferè rotundam indicant. Et hoc erat ipſum manna rori concreto & ſubſtrato incubans.

Et qvasi pilo tvsvm, quaſi pili tuſione decorticatum, ſignificatur enim non quòd eſſet redactum in puluerem ſed quod colore eſſet album inſtar grani cortice ſpoliati.

In similitvdinem prvinæ, propter candorem? Nam Num. 11. v. 7. dicunt lxx. fuiſſe ſimile cryſtallo, vulgatus inſtar bdellii, quod eſt genus gummi pellucidi, vnde patet fuiſſe manna inſtar grani grandinis vel ſaccari minuti, etſi ſapore aliquantulum differret. Ioſephus teſtatur illud etiam ſuo tempore in iiſdem locis repertum fuiſſe, ſed intelligit, credo, aliquid ſimile: alterum enim illud manna conſtabat multis miraculoſis qualitatibus. Nam & nunc genus quoddam mannæ foliis arborum & herbarum inſtar pruinæ adhæret ſapore dulce, vnde à Galeno droſomeli vocatur, quod eiuſdem eſſe naturæ cum manna Iſraëlitico, etſi languidioris nonnulli putant. Sed hoc manna vulgatum non cadit, niſi menſe Martio & Aprili in Syria, Iunio & Iulio in Polonia, non liqueſcit ad ſolem, non putreſcit, non eſt durum, vt piſtillo comminui oporteat, liqueſcit ſuper lingua, non ſaturat, nec gignit bonum ſanguinem, ſed tantùm medicamentis miſcetur.

Dixervnt ad invicem: man hv. Caluinus explicat paratum hoc, quaſi dicas, Paratus eſt nobis ille cibus à Deo: quod multis placuit; Pagninus donum ſeu portio. Hæc vtrique deducunt à radice *Mana*, ſed malè. Neſciebant enim Hebræi primo aſpectu quid eſſet, ſicut hîc dicitur, hoc eſt, neſciebant hoc ſibi vel paratum, vel donum datum à Deo rectiùs ergo noſter hîc accepit, vt ſignificet, quid hoc? nam Scriptura quaſi explicans quid ſit man hu, reddit rationem, neſciebant enim man hu, id eſt, quid hoc? Et ſic acceperunt hoc plerique veteres, lxx. Ioſephus, Orig. Hom. 7. in Exod. Theod. q. 30. qui dicit interrogationem eſſe verſam in nomen. Nam iſtud *Nun* paragonicum, vnde Chaldæi & Arabes formauerunt ſuum Man, ſignificatiuum non rei, vt hoc loco ſed perſonæ quis?

Gomor per singvla capita, quantum continuerint menſuræ Hebr. de quibus in Scripturis fit mentio, ſumma incertitudo eſt & authorum quoque diſſenſio. Nam vt de ſolo Gomor dicam, quidam volunt continuiſſe vncias 96. Vilalpando 144. Ribera 63. quarum duodecim faciunt libram minorem, ſexdecim maiorem. Ribera fundatur in Ioſepho lib. 3. Antiq. cap. 7. Gomor quem ipſe Aſſaronem vocat, quaſi decimam, (quia vt eſt in fine capitis huius, eſt decima pars Ephi) continere 7. Cotylas Atticas. Cotylo verò Attica continebat

vncias nouem: & ſic Gomor continuiſſet quinque libras minores & tres vnicas, vel quatuor circiter libras maiores. Quod ſanè veriſimilius videtur quàm quod alii tribuunt ei ferè dimidium amplius, iuxta Scripturam enim continebat victum quotidianum vnius viri validi. Immanis eſt autem quantitas 144. vel 96. vnciarum, hoc eſt, 12. vel 8. librarum, idque etſi ponas manna minùs quàm frumentum appendiſſe.

17. COLLEGERVNT ALIVS PLVS ALIVS MINVS, dum ſcilicet quiſque putabat ſe adæquaſſe menſuram Gomor, ſiue pro ſe ſolo, ſiue pro capitibus familiæ ſuæ, vnde domum reuerſi,

18, MENSI SVNT, &c. NEC QVI PLVS COLLEGERAT HABVIT AMPLIVS, &c. Deo ſcilicet detrahente quod ſupererat, addente quod deerat, hoc enim videtur poſtulare ſimplex Scripturæ contextus & D. Paulus 2. Corinth. 8. v. 15. Nam de menſoribus publicis ad metiendum & æquandum conſtitutis nullum in Scriptura veſtigium.

SED SINGVLI IVXTA ID QVOD EDERE POTERANT, id eſt, ſinguli repleuerunt Gomor, quod ad cibum diurnum cuiuſque ſufficiebat. Quo multi putant ſignificari omnibus ſiue viris, ſiue fœminis, ſiue ſenibus, ſiue paruulis eandem menſuram edendi præſtitutam & æqualiter omnes comediſſe, Deo manna ſingulorum viribus nutritiuis attemperante. Non videtur hoc mihi veriſimile. Ad quid enim Deus præciperet plus comedi ab eo cui minus ſufficeret; Adde, & animalibus domeſticis debuiſſe ſæpè cibum ex reliquiis dari. Hinc eſt enim quod de talibus reliquiis ex Gomor ſuperfluis dicit:

19. NVLLVS RELINQVAT EX EO IN MANE. Poterant ergo reliquiæ ſupereſſe ex Gomor, ſed non ſeruari, volebat enim eos Deus non diffidere promiſſioni ſuæ ſed ex fide viuere, & ex ſua ſuſpendi prouidentia, nec eſſe ſollicitos de craſtino. Vnde manna ſeruatum

20. SCATERE CŒPIT VERMIBVS, non naturâ ſuâ, ſed Deo puniente inobedientiam, vt obſeruat Theod. q. 31. quod ex eo colligitur quia feriâ ſextâ ſeruabatur in craſtinum ſine vermibus, & in vrna ad multos annos.

21. COLLIGEBANT AVTEM MANE SINGVLI, non ex præcepto; nullum enim videtur exſtare, ſed ex neceſſitate quia CVM INCALVISSET SOL, LIQVEFIEBAT. Moralem cauſam huius rei explicat Sapiens cap. 16. verſ. 17. vt ſcilicet per hoc innoteſceret omnibus, quoniam oportet præuenire Solem ad benedictionem tuam, id eſt, ad benedicendum tibi, ſiue ad gratiarum actiones pro donis perceptis tibi offerendas & ad ortum lucis te adorare: quam ſacram ceremoniam in colligendo manna adhibitam fuiſſe, ex iſto loco fit veriſimile. Miraculoſam fuiſſe liquefactionem illam ibidem indicat Sapiens, quia calorem ignis manna ſuſtinebat cùm coqueretur.

22. DIE SEXTA COLLEGERVNT CIBOS DVPLICES, Deo per nouum miraculum duplum depluendo pro ferie ſexta, & ſequente ſabbato, quo volebat Deus à colligendo ceſſari. Vnde Philo dicit Iſraëlitas non ſolo oraculo Dei, ſed etiam iſto miraculo quod ſabbato non putreſceret manna, didiciſſe diem mundi natalem à maioribus ignoratum, hîc enim ſabbati cultus intermiſſus reſtaurari videtur.

31. ERAT QVASI SEMEN CORIANDRI, nempe quoad figuram non colorem, nam colore erat ALBVM, vnde Philo ait lib. de profugis, fuiſſe niue candidius.

ET GVSTVS EIVS QVASI SIMILÆ CVM MELLE, & conſequenter dulciſſimus, etſi non planè, vt ſapor mellis, vel ſaccari, ſicut quidam putant, ideo enim dicit, *quaſi*. Supplet hoc Num. 11. verſ. 8. vbi dicit tortulas mannæ fuiſſe ſaporis *quaſi panis oleati*, vbi non reiicit ſaporem quaſi mellis, ſed intelligi voluit, fuiſſe quaſi vnum ex tribus pane oleo & melle confuſum. Vnde Ioſephus dicit, ſuauitate ad mellis dulcedinem acceſſiſſe. Et iſte quidem fuit ſapor eius naturalis. Præter quem Sapiens cap. 16. tribuit ei alium aduentitium, ſeu ſupernaturalem. Nam v. 20. dicit omne delectamentum in ſe habuiſſe, & omnis ſaporis ſuauitatem: quod clarius explicans addit, *Subſtantia enim tua*, id eſt, panis ille tuus *deſeruiens vniuſcuiuſque voluntati, ad quod quiſque volebat, conuertebatur*: ita ſcilicet vt talem

cuique ſaporem redderet qualem optaret, ſine mutatione tamen ſuæ ſubſtantiæ. Indifferenter hoc priuilegium probis & improbis fuiſſe conceſſum ſentiunt multi, ſed ferè recentiores; nam ex veteribus quos citant Cæſarius, Nazianzenus, Chryſoſt. nihil eorum tenent quæ dicunt, ſed generaliter tantùm cum Scriptura loquuntur. Veriſimilius id quod docet Auguſt. 2. Retractationum c. 20. vbi illud ſolis fidelibus, id eſt, ex fide petentibus, non autem illis aduerſus Deum murmuratoribus vult eſſe conceſſum, *quia*, inquit, non alias eſcas deſiderarent, ſi hoc ſaperet iis manna quod vellent. Hinc Sapiens ibid. verſ. 25. clarè dicit quod manna deſeruiebat ad voluntatem *eorum qui à te deſiderabant*, nempe vt minimum deſiderio ac precibus ex fide directis ad Deum, vt Auguſt. ſignificauit ſuprà. Et hoc ſequitur D. Greg. 6. Moral. cap. 9. & inſinuat Hieron. in Pſalm. 147. & Orig. hîc.

33. SVME VAS VNVM. Hebræa vocant *vrnam*. LXX. addunt *aureum*, vnde Apoſtolus ad Hebr. 11. vocat *vrnam auream*.

ET REPONE CORAM DOMINO, nempe in tabernaculo, vt ſequitur, quod poſteà fabricabitur, vt vult Auguſtinus quæſt. 61. in Exod. vt hoc per prolepſim dictum ſit, quamuis etiam fortaſſis, ſine prolepſi intelligi poſſit: habuiſſe enim videntur aliquod genus tabernaculi Dei etiam ante illud magnum & operoſum, vt colligitur ex cap. 33. v. 7. & ſeqq.

AD SERVANDVM IN GENERATIONES VESTRAS, vt ſcilicet renouetur per aſſeruationem iſtam tanti beneficii memoria, & excitetur eius recordatione gratitudo. Ex quo patet aduerſus hæreticos Deo gratam eſſe religioſam in Eccleſiis cuſtodiam inſtrumentorum per quæ beneficia diuina collata ſunt.

35. COMEDERVNT MAN 40. ANNIS, tamquam cibum ordinarium cui non eſſet vetitum carnes, vel alios cibos adiungere, ſi quos vel venatu, vel emptione à vicinis gentibus conſequebantur, vt indicatur clarè Deut. 2. v. 6.

Manna fuiſſe figuram panis quem Chriſtus dedit pro mundi vita, hoc eſt, ſanctiſſimæ Eucharistiæ ſatis indicat ipſe Dominus Ioan. 6. v. 31. 49. & ſeqq. qua de cauſa vocat Apoſtolus manna eſcam ſpiritualem 1. ad Corinth. 10. nempe propter ſpiritualem ſignificationem: quam PP. paſſim vberiùs explicant. Conſiſtit autem in ſingulis quæ hîc & alibi in Scriptura ta[illegible]untur. Primò manna dicitur panis de cælo & Angelorum; panis eucharisticus Spiritus ſancti virtute & ſacerdotum miniſterio conficitur. Ille nomen ab admiratione accepit; hic miraculis plenus, omni ſtupore digniſſimus eſt: Ille nocte inuiſibiliter depluit, hic in ſtatu ac tenebris fidei inuiſibiliter apprehenditur: Ille datur ex Ægypto egreſſis, poſt tranſitum maris rubri, ſumptâ farinâ Ægyptiacâ; hic non niſi baptizatis & ſæculi delicias abdicantibus conuenit: Ille in diſerto peregrinantibus verſus Chananæam, hic in mundo tendentibus in cæleſtem patriam: Illum comitabatur ros, cui propter munditiam incumbebat, huic cæleſtis gratia mundam animam præparat: Ille pluebat quotidie hic quotidie diſtribuitur: Ille magnâ facilitate extra caſtra quærebatur, hic extra turbas, ſollicitudines ac voluptates ſæculi. Quid verò aliud albedo mannæ, niſi Chriſti munditia, pilituſio crucifixio, dulcedo mellis diuinarum voluptatum ſuauitas vniuſcuiuſque voto & capacitati attemperata: paruulis lac, infirmis olus, perfectis ſolidus cibus: Ille igni reſiſtebat & ad Solis radios tabeſcebat, hic amoris ignem facillimè ſuſtinet, curioſitatis humanæ euidentiam penitus fugit. Illius nemo plus, vel minus habebat quantumcumque collegiſſet: in hoc tantùm eſt ſub fragmento, quantum toto tegitur. Ille in Chananæam venientibus deficit, hic aſſecutis beatitudinem: tunc enim eo tamquam parato & cocto per huius vitæ velut 6. labores in æterna ſabbati requie, ſine præparationis moleſtia perfruemur.

CAPVT XVII.

1. IGITVR PROFECTA, &c. DE DESERTO SIN, incipientes in eo deſerto progredi, durat enim vſque ad montem Sinaï.

Per mansiones svas, id eſt, ſtationes, ſeu terminos itinerum in quibus caſtra fixerunt; Dapſca & Alus quæ erant 9. & 16. ſtatio.

Ivxta sermonem Domini imperantis profectiones, non tam verbo quàm columnæ motu.

Castra metati svnt in Raphidim, in finibus deſerti Sin, iuxta montem Horeb & Sinaï.

2. Cvr tentatis Dominvm, dum non humiliter fiditis protectioni eius qui vos eduxit; ſed iterum dubitantes de præſentia eius nouo miraculo vultis experiri, vtrum ſit in vobis necne, vt patet ex verbis eorum v. 7.

5. Svme tecvm de senioribvs, tamquam teſtes miraculi, contigit enim hinc percuſſio petræ extra caſtra.

Et virgam qva percvssisti flvvivm, Nilum, quem percuſſit per Aaronem. In Moyſe enim authoritas percutiendi, in Aarone miniſterium fuit, vt notat Auguſt. q. 64. Nam mare rubrum per fluuium intelligere, vt quibuſdam placet, non videtur textui ſatis congruere.

6. Ego stabo ibi coram te, non in columna nubis, putaretur enim fuiſſe indicta profectio, ſed ſtabo ibi præſentiâ, potentiâ, & auxilio.

Svpra petram Horeb, quæ erat in vicinia montis Horeb ſeu Sinaï, diſtabat enim aliquantulum à Raphidim, vt patet ex verſu 5. nec tamen erat in Horeb, ſeu Sinaï, quia eò tantùm ſequenti manſione peruenerunt.

Et exibit ex ea aqva, quam iſta petra fertur à nonnullis Coſmographi adhuc fundere. Significat verò Chriſtum, vt exponit Apoſtolus 1. ad Corinth. 10. v. 4. virga verò percutiens crucem, aqua ſanguinem nobis in ſacrificio propinatum, vt inſinuat Theod. q. 27. & 28. quamquam Tertull. lib. de baptiſmo c. 9. per aquam ſignificatum velit baptiſmum.

7. Et vocavit nomen loci illivs tentatio. Hebraïcè additur, *& contradictio* ſeu *iurgium*, quod noſter attigit exprimendo cauſam tentationis. Porrò tentatio iſta diuerſa eſt ab alia tentatione & aquis contradictionis de quibus Num. 20. etſi quidam imprudenter confuderint, hæc enim contigit primo anno egreſſionis, manſione vndecima in Raphidim, illa vltimo anno, manſione 33. iu Cades, vbi mortua eſt Maria.

8. Venit avtem Amalech. Rex vna cum populo Amalecitarum, vt patet v. 13. eſt enim nomen commune regum, vt de Pharaone, Ptolomæo, & aliis in Gen. diximus. Fuerunt illi ex poſteris Eſaü, vt patet Gen. 36. v. 12. nati ex Thamna concubina Eliphaz & Arabiam Petream incoluerunt. Cauſa belli videur fuiſſe odium congenitum inter Poſteros Eſaü & Iacob ex parentibus propagatum. Nam quod Philo dicit eos metuiſſe agrorum populationem, & ita bellum defenſiuum geſſiſſe, non videtur ſatis cum Scripturis conuenire, quæ crimen Amalecitarum valdè exaggerant, vt patet Deut. 25. vel 18. vbi explicatur modus pugnandi Amalecitarum, quod ſcilicet extremos agminis qui laſſi reſidebant, inuaſerint, & propter iſtam inhumanitatem decernitur excidinm totius gentis.

11. Cvmqve levaret Moyses manvs ad Deum in cœlum, vincebat Israel, quia ſimul cum manibus mentem eleuabat, ardentiùs pro victoria ſupplicando. Sin avtem palvlvm remisisset, ſimul remittens animum languidiùs orando.

Svperabat Amalech. Quo ſignificare volebat Deus non vires Hebræorum, ſed perſeuerantem orationem Moyſis, & conſequenter ſeipſum de cœlo dare victoriam. Putat Caietanus, & alii nonnulli recentiores, Moyſen eleuaſſe manus iunctas eò quòd vtrâque teneret magnam virgam, quæ vna ſuſtineri non poterat tamquam figuram crucis Dominicæ. Sed argumentum valdè debile eſt, & plerique antiqui videntur repugnare: qui hîc vnanimiter agnoſcunt expreſſam figuram crucis Domini, non in virga, ſed in manibus extenſis, ſeu in habitu orantis Moyſi, vt videre licet apud Nazianz. orat. 3. 8. 30. qui myſticam manuum figuram vocat, qua crux adumbrata ſit, Origenem lib. de recta in Deum

fide, Irenæum l. 4. cap. 41. & 56. Auguſtinum l. 4. de Trinit. c. 15. Vnde Iuſtinus dialogo contra Triphonem dicit manus vtrimque expanſas fuiſſe, & vſque ad occaſum ſolis, quia vſque ad veſperam Chriſtus in cruce pendit. Vincebat autem non tam quod in precibus, inquit ille, quam quòd in ſigno iſto crucem imitante perſeuerarer; alioquin enim ad orandum non opus fuiſſet ſuſtentare manus eius; potiuſque ad flectendum Deum pronus procubuiſſet, vel fixiſſet genua. Rurſum brachia ſuſtentata ſignificant Moyſen non fuiſſe parem ſuſtinendo crucis myſterio, & lapis ipſe cui inſedit per aliam figuram Chriſtum ſignificabat, ita Iuſtinus. Conſequenter ergo Iſraëlitæ pugnantes ſignificant fideles, Amalec diabolum vel voluptates carnis aduerſus quas non ſolùm armis virtutum, ſed maximè inſtanti oratione pugnandum eſt, de quo fusè & præclarè D. Gregor. in lib. Reg. & Origenes hîc Hom. 11.

12. Manvs avtem Moysis erant graves, id eſt, deorſum vergebant non tam ſenio quàm orationis diuturnitate defatigatæ, vt patet ex ſequentibus. De Hur ſuſtentante manus Moyſis multa & portentoſa fabulantur Iudæi putantes eum eſſe filium illius Caleb, qui iuit exploratum Chananæam cum Ioſue: ſed falluntur, erat enim filius alterius Caleb, ſcilicet filii Eſron. Hur autem genuit Vri, & Vri Beſeleel, vt patet 1. Paralip. 2. v. 18. & ſeq. Vnde vult Ioſephus fuiſſe virũ Mariæ ſororis Moyſis.

13. Fvgavitqve, &c. in ore gladii, id eſt, acie gladii, vt noſter vertit ad Heb. 11. v. 34. Ratio metaphoræ eſt, quia vt animal ore ita gladius acie abſumit hoſtes, nam ita Græcè gladius anceps vocatur δίστομος, quaſi duo habens ora.

14. Scribe hoc ob monvmentvm, id eſt, ſcribe bellum iſtud Amalecitarum, & cauſam eius, vt per hoc poſteri veſtri moneantur, ſeu recordentur rei geſtæ.

Et trade avribvs Iosve, futuri poſteà ducis populi, vt & ipſe recordetur non eſſe iungenda cum Amalecitis fœdera, & vt ad ſucceſſores eius memoria propagetur.

Delebo enim memoriam Amalec, id eſt, quia decreui pro hoc delicto ſupradicto funditus totam gentem extirpare, quam Dei ſententiam Saül executus eſt 1. Reg. 15. poſt quadringentos & amplius annos.

15. Ædificavitqve Moyses altare, ad offerendas hoſtias pro gratiarum actione de obtenta victoria, vt Philo & Ioſephus notant. Nam vt gratitudinem ſuam Deo victoriæ auctori teſtaretur.

Vocavit nomen eivs non Dei, ſed ipſius altaris, Dominvs exaltatio mea, qui me ſcilicet ad ſe confugientem exaltauit, & in futurum Hebræos exaltabit ſuper Amalecitas: reſpicit enim, tam præſentem victoriam quàm futuram. Ipſum ergo altare vocatur *Dominus exaltatio*, ſynecdochicè, quia ſignum Domini exaltantis, ſicut Iud. 6. vocatur altare *Domini pax*, quia ſignum pacis. Imago enim prototypi nomine communiſſimè appellari ſolet: ſic enim & cruci dicitur, Ave spes vnica, quia eſt ſignum ſpei noſtræ, qui eſt Chriſtus crucifixus. Sic igitur iſta appellatione, laus tota victoriæ refertur ad Deum, vnde Ioſephus dicit altare erectum Deo victori.

16. Qvia manvs, cauſam reddit appellationis ex eo quod manvs solii Dei, id eſt, poteſtas throni Dei, ſeu Dei ſedentis in throno maieſtatis ſuæ, et bellvm, ſiue, hoc eſt bellum. Illud enim (&) eſt exegeticum, ſeu explicatiuum, & quaſi repetitio præcedentis: ſignificat enim Deum tamquam verum Regem Iſraëlis manum ſuam armaſſe & implacabile bellum indixiſſe in perpetuum Amalecitis, vnde per manum ſolii, ſeu vt Hebraïcè eſt, *ſuper ſolium*, intelligere iuramentum Dei, non videtur eſſe genuinum.

Capvt XVIII.

5. Venit ergo Iethro cognatvs Moysi, id eſt affinis ſeu ſocer, et filii eivs, Moyſis ſcilicet, et vxor Sephora filia Iethro, quam vnà cum liberis propter periculoſam & negotioſam ſuſceptam contra Pharaonem prouinciam, ad patrem eius remiſerat, redierunt ergo ad Moyſen caſtrametatum Ivxta montem

Dei, vel Horeb, vel Sinaï. Caſtrametatio iſta iuxta Sinaï contigit paulò poſt, hactenus enim in Raphidim morantur. Vnde colligitur veriſimiliter quæcumque hîc dicuntur de Iethro per anticipationem dici; contigiſſe verò paulò ante diſceſſum ex monte Sinaï, id eſt, ſub finem anni primi, quod maximè colligitur ex Deuter. 1. vbi narratur creatio illa, magiſtratuum, de quibus hic, contigiſſe ſub diſceſſum ex illo monte. Et tamen hic dicitur v. 13. idem planè ſuggeſtum à Iethro die altera ab aduentu vel oblatis holocauſtis: niſi fortè dicamus executionem fuiſſe dilatam: quod minus videtur eſſe veriſimile.

11. Nunc cognovi, experientiâ ſcilicet deprehendi, vnde non rectè infertur cum anteà non cognouiſſe verum Deum, ſic enim & Angelus dicit de Abraham poſt expertam eius pietatem, Nunc cognoui quòd timeas, &c. Gen.22. verſ. 10. Itaque Auguſt. putat qu. 99 credibilius quòd vetus Dei cultor, vt Iob fuerit.

12. Obtulit ergo Iethro, tamquam ſacerdos non idolorum, ſed veri Dei, alioquin enim non veniſſet Aaron & ſeniores.

Vt comederent panem cum eo coram Deo, participando ſcilicet de ſacrificio idolorum. Nam ſacrificiorum pacificorum hoſtiæ cedebant ex parte in ſolemne epulum. Dicitur autem conuiuium factum Coram Deo, id eſt, coram tabernaculo iam tum erecto, vt ſuprà, vel quia erant cibi ſacri Deo, & comeſti in honorem Dei, qui vbique præſens eſt, vt Auguſt. qu. 66.

13. Venit populus quærens sententiam Dei, id eſt, quærens iuſtum iudicium à Deo per me, quod infrà vocat *præcepta & leges eius*, nempe vt eis ſecundùm legem iam in Sinaï nobis traditam ius dicam: vel certè ſi non narrantur iſta per anticipationem, ſententiam Dei, & legem intelligit ſempiternam, quam conſulunt omnes piæ mentes, vt quod in ea inuenerint, vel faciant, vel iubeant, vel vetent, ſecundum quod illâ incommutabili veritate perceperunt, inquit Auguſt. 67. ſuper Exodum.

17. Non bonam rem facis. Paſſus eſt Deus famulum ſibi tam familiarem ab alienigena admoneri, vt Aug. q. 68. vt per hoc primò diſceremus per quemlibet hominem detur conſilium veritatis, non debere contemni, ſecundò ne & ipſum tentaret ſuperbia, ſedebat enim iudiciaria ſublimitati ſolus vniuerſo populo ſtante.

19. Et erit Deus tecum, adiuuans te vt faciliùs onus in alios partitum feras. Quamquam Auguſtinus dicto loco ſignificari præterea putet nimis intentum humanis actionibus animum Deo quodammodo vacuari, quo fit tantò plenior quantò in ſuperna atque æterna liberiùs extenditur. Vnde D. Greg. in Paſtorali monet 2. parte c. 7. à ſubditis inferiora gerenda, à rectoribus ſumma cogitanda, vt oculum qui pro videndis greſſibus intentus eſt, cura pulueris non obſcuret.

Esto tu populo, &c. in his quæ ad Deum pertinent, id eſt, ſis internuncius inter Deum & populum in rebus diuinis; officium autem iſtud duo complectitur, Primum eſt reſpectu Dei,

Vt referas quæ dicuntur ad eum, id eſt, ad Deum, vt eſt Hebraïcè neceſſitates populi, infirmitates, & vota Deo exponendo & commendando inſtar Angelorum in Apoc. Alterum eſt reſpectu populi.

20. Vt ostendas. populo ceremonias, &c. id eſt, vt viciſſim voluntatem Dei, & præcepta ad populum referas. Pro terrenis autem populi negotiis diiudicãdis.

21. Provide viros, non mulieres, quia vt obſeruat Caietanus, earum regimen infelicius eſſe ſolet.

Potentes, tam ingenio quàm animo, id eſt, prudentes & magnanimos. Vnde Moyſes exequens hoc conſilium Deuter. 1. v. 13. viros ſapientes elegit, & hic infrà v. 25. viros ſtrenuos; vtraque enim conditio in iudice, & rectore valdè neceſſaria eſt, vt & ingenii ſolertiâ verum videant, ſine qua nihil rectum poſſunt facere, & animi magnitudine exequantur non timendo vultum principum & magnatum.

Et timentes Deum, tamquam iudicem ſuperiorem, cui rationem ſint reddituri, ſi enim ſolus timor humanus in animo regnat

regnat iudicis, innumerabiles perpetrabit iniuſtitias.

In qvibvs sit veritas. Heb. *viros veritatis*, id eſt, qui ſectatores ſint veritatis, diligendo id quod verum, & iuſtum & rectum eſt in legibus, in probationibus, in teſtibus: talis enim animus: non facilè abripitur à reddenda iuſtitia, vnde viri veritatis hîc ſunt viri iuſti, vt LXX. tranſtulerunt.

Et qvi oderint avaritiam, viro enim priuato ſufficit carere auaritia, iudici neceſſe eſt eam odiſſe, vt ſcilicet abhorreat à muneribus, qua excæcant oculos ſapientum.

Et constitve ex eis tribvnos. Hebraicè clariùs. *Conſtitue præfectos mille virorum, centi virorum, quinquaginta virorum, & decem virorum*, qui à noſtro decani vocantur. Hic igitur erat ordo, vt quinque decani ſubeſſent vni quinquagenario: duo quinquagenarii vni centurioni: decem centuriones vni tribuno, quaſi colonello. An verò omnes tribuni totius populi immediatè ſubeſſent Moyſi; nempe ſexcenti in populo ſexcentorum millium an verò potius, quæque tribus haberet vnum principem, qui præeſſet tribunis ſuis, hîc non dicitur: ſed hoc poſtremum veriſimilius eſſe patet ex lib. Numerorum, vbi duodecim principes tribuum numerantur, qui proinde immediatè ſubiecti erant Moyſi, ad quem vltimo appellabatur.

Capvt XIX.

Mense tertio egressionis, non quaſi quinquaginta nouem, vel 60. dies qui duos menſes faciunt, eſſent impleti à die egreſſionis, vt aliqui perperam putauerunt, ſed quia primi duo menſes anni abſoluti erant, etſi egreſſio non fuiſſet inſtituta niſi 15. die menſis primi.

In die hac. D. Auguſtinus quæſt 70. & Abulenſis putant ſignificari diem primum, & conſequenter, quod infrà dicitur verſ. 11. *Sint parati in diem tertium*, quo lex danda erat intelligunt de die tertia menſis tertii: Sed cùm lex data ſit die 50. ab egreſſu (in cuius memoriam feſtum Pentecoſtes, quaſi diceres quinquageſimæ, inſtitutum eſt) difficulter eo modo dies iſti inueniri poſſunt, quæ cauſa fuit, vt Abulenſis legem datam putet die 48. ab egreſſu, Aug. verò vt eos inueniat omnes menſes dierum facit, & à veſpera Paſchatis id eſt, 14. incipit. Sed quia in vtroque magnum incommodum eſt, rectiùs per *diem hanc* intelligimus diem eandem, ſeu eiuſdem numeri, qui ſcilicet præceſſit, diem nempe tertiam; ſic enim rectè inuenientur 50. dies. Potiò dies illi computandi ſunt ab egreſſu, ſeu à 15. die excluſiuè, ita ſcilicet vt 50. dies compleantur poſt diem egreſſionis. Cuius ratio eſt quod dies datæ legis incidere debeat in eumdem diem cum feſto Pentecoſtes, quod id eius memoriam inſtitutum fuit, atqui dies illi ad inueniendum feſtum Pentecoſtes computari incipiebant ab altera, ſeu ſecunda die Paſchatis, quo offerebatur manipulus ſpicarum, eratque 16. dies menſis primi, vt patet Leuit 23. v. 11. & 15. Iam verò collige dies 14. qui reſtant in menſe primo (eſt enim ille menſis cauus, id eſt, vigenti nouem dierum, vt ſuprà diximus) & 30. menſis ſecundi & 6. menſis tertii erunt præcisè 50. dies.

3. Moyses avtem ascendit ad Devm, qui illi cap. 3. in hoc monte apparuerat, & ſibi in eo ſacrificari præceperat.

Vocavitqve evm Dominvs, id eſt, quia vocauerat eum Dominus, vt Pagninus; datur enim ratio aſcenſus, nam vau Hebraicum ſæpè copulatiuè ſumi Gen. 14. diximus.

4. Qvomodo portaverim vos, per prouidentiam meam, svper alas aqvilarvm, id eſt, ſicut ſolet aquila portare pullos non in vnguibus, ſicut aues cæteræ, ſed ſupra alas ſuas, ne à iaculantibus transfigantur; ni ipſe prius transfixâ. Oſtenſa ſunt iſta prouidentia quando Angelus c. 14. ſe poſuit inter Ægyptios & Hebræos.

5. Eritis mihi in pecvlivm, id eſt, inſtar theſauri magnoperè delecti, vtrumque enim & pretium & amor indicatur voce Hebraica *ſegulla*, vt Rabbi Salomon expreſſit. Et huc tendunt omnes aliorum verſiones, vnde D. Paulus & LXX. vertunt populum *περιούσιον*, id eſt, populum peculiarem

exquiſitum, ſelectum ſcilicet ex omnibus gentibus.

MEA EST ENIM OMNIS TERRA, tamquam poſſeſſio & hæreditas mihi propria, ſed vos eritis illius hæreditatis peculium, vt beneficii iſtius magnitudinem æſtimetis. Neque hoc tantummodo, ſed

6. ERITIS MIHI IN REGNVM SACERDOTALE. D. Petrus Epiſt. 1. c. 2. ex LXX. inuerſo modo legit, *in ſacerdotium regale*, ſed idem ſenſus eſt, non vt aliqui volunt quòd futuri ſint regnum in quo ſacerdotes regnent, hoc enim vſque poſt captiuitatem Babylonicam falſum eſſe patet, & particula *mihi* aliud poſtulat, ſenſus eſt ergo, Eritis in regnum mihi cuius ſcilicet ego ſum peculiariter rex; hac enim de cauſa ægrè tulit Deus 1. Reg. 8. v. 7. quod alium regem poſtulando ſe reiecisſent. Nam vſque ad illud tempus Deus Rempublicam illam per Iudices, velut vicarios à ſe electos rex erat. Regnum autem illud erit *Sacerdotale*, id eſt, non profanum, vt cætera regna ſunt, ſed cultui meo, & ſacrificiis dedicatum. Vnde his verbis vtrumque Reipublicæ ſtatum promittit, & politicum & ſacrum.

In vtroque figuram geſſerunt Teſtamenti noui, ſeu Eccleſiæ Chriſtianæ de qua vſurpat hæc verba D. Petrus & Ioannes Apocal. 1. v. 6. Sunt enim fideles regnum Dei, in quo Deus regnat & colitur, & amatur, facitque illos Deus reges, quia cupiditatum ſuarum motibus non ſuccumbere, ſed regendo præeſſe nouerunt, inquit Gregor. l. 26. Moralium c. 21. aliàs 16.

ET GENS SANCTA, quam ſicut exteriori electione ab omnibus idololatris ſeparabo, ita & interiori gratia ſanctificabo.

8. CVMQVE RETVLISSET. Hebraicè, *&* *retulit*, id eſt, ad referendum iam aſcendebat & ſe ſeparabat, ſed præuenitur à Deo. Nam poſt hæc verba Dei interpoſita, quòd venturus eſſet in nube caliginoſa ad conſtituendum eum non clam, ſed palam populi legiſlatorem, dicitur tandem Moyſes retuliſſe verba populi.

10. SANCTIFICA ILLOS, id eſt præcipe, vt ſe ſanctificent ab omni immunditia ſe ſeparando, tum corporali, purgando caſtra, tentoria, lauando corpus & veſtes, ſeparando ſe ab vxoribus; vt eſt v. 15. tum ſpiritali, vt ſic accipiendam legem cum magna reuerentia diſponantur.

11. ET SINT PARATI IN DIEM TERTIVM. Non menſis ſed tertium ab hoc præſenti die quo loquor. Erat enim ſextus dies menſis, vt ſuprà dictum eſt: quem diem calendaria Hebræorum deſignant diem datæ legis, vt videre licet apud Salianum.

13. CVM CŒPERIT CLANGERE BVCCINA, id eſt, audiri ſonus, quaſi buccinæ Angelo aërem collidente. Nam quod Iudæi buccinam illam volunt fuiſſe cornu arietis pro Iſaac immolati, fabulantur more ſuo.

TVNC ASCENDANT IN MONTEM, id eſt, verſus montem, ſic tamen vt ex curioſitate non tangant terminos à me præfixos, vel aſcendant in eum, alioquin repugnare verſui 12.

18. TOTVS MONS SINAI FVMABAT, fumo ignibus mixto, vt ſolet fieri in fornacibus flammam euomentibus. Nam Deut. 4. v. 11. dicitur mons arſiſſe, vſque ad cœlum. Fiebant hæc omnia primò ad incutiendum rudi populo terrorem & timorem Dei, tunc enim erat ſtatus timoris, quo carnalis populus regi, & à vitiis arceri debebat, nunc amoris, vnde dicitur populus timuiſſe, ſed non amaſſe, ſecundò ad adumbrandam aliquo modo maieſtatem Dei, tertiò denique ad ſignificandum aliquid ac docendum de Deo. Ignis enim Dei naturam, principatum, efficacitatem, gloriam, cæteraque multa eius attributa aptiſſimè ſignificat propter multiplices eius proprietates, quas latè & præclarè, vide apud Dionyſium Areopagitam c. 15. de cœleſti Hierarchia. Hîc verò peculiariter deſignabat Deum inſtar ignis per legem illuminatorem fore & punitorem: fumus & deſiſſima nubes ſignificant Dei obſcuritatem & incomprehenſibilitatem: mons in quem deſcendit Dei ſublimitatem, ac dogmatum altitudinem: tonitrua, legem terrentem carnales animos: fulgura, eandem illuminantem: pluuia irrigantem: turbo quem Apoſtolus ad Hebræos 12. v. 18. affuiſſe dicit vindicantem tranſgreſſores: tuba pro-

vocantem ad bellum concupiſcentiis ſuis indicendum: ſed gratia quæ incrementum daret ac tangeret & mutaret cor, nouo Teſtamento ſeruata fuit. Tetigit nonnulla D. Cyrillus l. 3. in Ioan. c. 3.

Eratqve omnis mons terribilis, tum propter prædicta, tum propter terræ ac montis motum coniunctum, vt indicatur Pſalm. 67 v. 9. Quod etiam Hebræa indicant hoc loco prout nunc puncta diſpoſita ſunt, legendo *mons contremuit*, etſi Hieronym. aliis punctis legat *mons terrebat*, ſeu erat terribilis.

20. Descenditqve Dominvs, ſeu Angelus Dominum repræſentans. Deſcendit ex loco aëris celſiore in ipſum montis verticem.

Et vocavit Moysen, ex radice montis, vbi antè loquebatur & Deus ſenſibili voce ei reſponderat. Tametſi quidam ea verba verſu 19. poſita eſſe velint per prolepſim.

22. *Sacerdotes* qvoqve non Aaronici, necdum enim inſtituti erant, ſed legis naturæ quos primogenitos fuiſſe communiter putant.

Qvi accedvnt ad Dominvm, non ad montem Sinaï, hoc enim eis prohibitum erat, ſed qui accedere ſolent ad Deum.

Sanctificentvr, eâ ſanctificatione de qua ſuprà.

23. Dixitqve Moyses, deprecando deſcenſum vt citiùs Dei colloquio frueretur: Non poterit vvlgvs ascendere, nempe quia non audebit, territum ſcilicet tum præcepto antè iam promulgato, vt ſequitur, tum terribili iſta maieſtatis tuæ apparitione. Sed Deus non acquieſcit iſti excuſationi, partim quia Aaron quoque aduocari debebat vt ſacerdotium eius quoque diuinitus inſtitutum conſtaret, partim quia & ipſe Moyſes decalogi promulgationem audire debebat.

Capvt XX.

1. Locvtvsqve est Dominvs, Angelus tamquam legatus voces & appellationes Dei mittentis vſurpans, vt fieri ſolet. Locutus eſt autem non voce buccinæ: talis enim vox articulata non eſt, ſed humanâ & intelligibili voce ex nubibus exiliente, quam totus ille numeroſiſſimus exercitus percipere poſſet.

Cvnctos sermones hos. Nempe decalogum, hic enim tamquam naturæ lex quam omnium mentibus Deus inſeruit, etiam immediatè à Deo non à Moyſe populo promulgatus eſt. Decalogus autem dicitur Græcè quaſi *decem verba*; id eſt, decem præcepta, quæ apellatio deſumpta eſt ex Deuteron. 4. v. 13. vbi decalogus vocatur tam Hebraicè quàm Latinè *decem verba quæ ſcripſit in duabus tabulis lapideis*. In iſto autem numero præceptorum denario omnes conueniunt: in diſtinctione non item. Nam Philo libro de decalogo, Iudæi communiter, & ferè Græci, verſum 3. & 4. huius capitis, id eſt, præceptum de diis alienis & de ſculptilibus in duo præcepta diſtincta diuidunt: contrahunt verò in vnum præceptum de concupiſcentia vxoris proximi & aliarum rerum, ita vt ſint quatuor præcepta circa Deum, ſex circa proximum quod Caluino & hæreticis noſtris vehementer placet, vt commodiùs imagines expugnare poſſint. Contra verò Auguſtinus multis locis præcipuè libro de decem chordis c. 5. & 6. & q. 71. in Exod. contrahit illa duo de diis alienis & idolis in vnum: diuidit verò illa duo de non concupiſcendo, vt ſint tria tantum de Deo & ſeptem de proximo, quem ferè Scholaſtici ſequuntur. Et modus ille partiendi multò rationabilior eſt, quia prohibitio idolorum reuera non eſt aliud quàm perfectior explicatio eius quod dixerat. *Non habebis Deos alienos*, quod patet ex ſubiuncta ratione prohibitionis verſ. 5. repetit enim *Ego ſum Dominus Deus*. Rurſum ſic aptiſſimè tribus illis præceptis de Deo inſinuabitur Trinitas perſonarum, vt Auguſtinus notat, primò quidem vnitas Patris, contra Deorum multitudinem, ſecundò verò veritas Filii, contra vanitatem, tertiò donum Spiritus ſancti quo requies nobis æterna tamquam ſabbatum perpetuum præſtatur. Diuiſio verò duorum præceptorum de non concupiſcendo indicatur clarè in Hebræo tam

hîc quàm Deuteronom. 5. verſ. 21. per repetitionem verbi *non concupiſces* vxorem, & non concupiſces domum, &c. vnde LXX. vtrobique duo illa præcepta diuiſerunt, tametſi in noſtro textu hîc confuſa ſint. Et ſanè res ipſa poſtulat vt diuidantur, quia tam differunt concupiſcentia vxoris & concupiſcentia bonorum proximi, ſicut non *adulterabis* & non *furaberis*.

2. EGO SVM DOMINVS. Eſt hîc Hebraïcum nomen tetragrammaton quod ſignificat, vt alibi dictum eſt, eſſe Dei independens & infinitum & ſontem omnis eſſentiæ, vnde ſignificat maieſtatem Dei in ſe.

DEVS TVVS, Elohim, quod ab El, id eſt, fortis dicitur, & maximè Deo tribuitur tamquam iudici, & prout potenter mundum regit, vnde & pro iudicibus poni ſolet. Significat ergo Deum comparatione creaturarum: cuius ingens beneficium ſtatim addit,

QVI EDVXI TE, &c. Duplici ergo iſto titulo indicat ſe ſolum eſſe cui cultus diuinus & obedientia debeatur. Eſt enim hæc præfatio quidem ad totum decalogum, ſed tamen ſimul etiam eſt tacitè præceptum affirmatiuum de colendo vno vero Deo, quod vt vberiùs explicaret, ſubiungit & negatiuum,

NON HABEBIS DEOS ALIENOS, id eſt, alios vt eſt Hebraïcè & Græcè: CORAM ME, id eſt, in conſpectu meo, vt transfertur Deuteron. 5. ſeu me vidente, ita ſcilicet vt ſimul colas me & Deos alios tamquam Deos, vnde LXX. quoad ſenſum tranſtulerunt *alios præter me*. Quod verò hinc inferunt hæretici prohibitum eſſe cultum ſanctorum, ſtolidè errant. Cultus enim ſanctorum non eſt cultus aliorum Deorum qui hîc vetatur, ſed talis eſt, vt ſi eum Deo vero exhiberemus dicendo, pater vel Spiritus ſancte Deus, ora pro nobis, tamquam blaſphemi puniremur creatorem in creaturam transformantes. Vt autem præceptum iſtud & varietatem Deorum aliorum magis diſtinctè explicaret, ſubdit,

4. NON FACIES TIBI SCVLPTILE, id eſt, ſimulachrum ſculptum, ſub quo & fuſile, & ductile, & tornatile, & ſimilia accipienda ſunt, vt diſtinguatur contra pictas omneſque planas figuras quæ vetantur verbis ſequentibus. Sculptile autem in Scriptura paſſim accipitur in malam partem, pro idolo ſeu ſtatua quæ pro Deo adoratur. Hinc v. 23. explicans Deus primum præceptum cuiuſmodi ſcilicet ſculptile prohibuiſſet, vocat *Deos aureos & argenteos*: & LXX. clariùs hîc verterunt, *Non facies tibi idolum*, quod ſcilicet tibi ſit pro Deo alio.

NEQVE OMNEM SIMILITVDINEM, &c. ſiue illa ſit ſculpta ſiue picta, ſiue aliter comparata, ſupplendum autem: *Non facies tibi*, id eſt, vt illa tibi ſit Deus alius coram me, manetur enim in eiuſdem præcepti explicatione. Vt autem indicaretur agi de ſculptili & imaginibus non quibuſlibet ſed idolicis, addit,

5. & 6. NON ADORABIS EA, corporis incuruatione proſtratione, vel inuocatione, NEQVE COLES ſacrificiis alioque cultu qui Deo tribuitur: quod LXX. vno verbo expreſſerunt, *Non coles latria*, eſt enim cultus ſoli Deo debitus.

EGO SVM DOMINVS. Eſt ratio prohibitionis, quia ſcilicet ego ſum ſolus verus Deus qui gloriam diuinitatis alteri non dabo, nec laudem meam ſculptilibus. Iſaiæ 42. v. 8. Ex quibus patet eorum imperitia, qui vt Catholicos quoquo modo carpere poſſint, omnes omnino imagines hic vetitas volunt: ſed ita abſurda eſt hæc opinio vt refutatione vix indigeat. Si enim iure naturæ vetitas putant, ſicut decalogus excepto 4. præcepto prima iuris naturæ præcepta continet, ſequeretur, ſerpentem æneum, Cherubinos, palmas à Salomone ſculptas, apparitiones omnes Dei & Angelorum contra ius naturæ factas eſſe: item omnem viſionem, imaginationem, intellectionem, conceptum, quæ ſine ſimilitudine fieri nequeunt, productionem hominis qui eſt imago Dei, imo & generationem filii Dei qui eſt imago Patris eſſe naturæ iure illicitas: omnem artem pingendi & ſculpendi. Et ſanè quid ſtultius quàm illicitam eſſe iure naturæ ſimilitudinem rei veræ & licitæ? Sin verò velint, poſitiuo tantùm Dei præcepto ſimilitudines omnes eſſe vetitas,

iam nihil tangit Catholicos, vtpote quòd ſit præceptum ceremoniale, ſicut illud 4. de Sabbato quod nunc ceſſauit. Sed tamen & hoc falſum eſt, eſt cùm conſtet viſionem, ſcriptionem, generationem & huiuſmodi multa quæ ſine ſimilitudinum effictione fieri nequeunt, etiam antiquitus licuiſſe. Caluinus videns abſurditatem rei, vult ſaltem omnes imagines Dei ſeu Deum repræſentantes hîc iure naturæ vetitas. Iuuant eum Henricus Stephanus in Lexico, & eius abbreuiator Scapula, qui dicunt vſu Eccleſiaſtico vocem idolum, ſignificare omne ſimulachrum numen repræſentans quod cultu dignamur: ſed id falſum eſt. Idolum enim quamuis vſu ſæculari latè pateat, vſu Scripturæ & Eccleſiaſtico ſignificat ſolam imaginem falſi Dei, ſiue qui non eſt Deus; & hoc ſenſu dicit Scriptura. *ſcimus quia idolum nihil eſt*; quia ſcilicet nec eſt verus Deus, nec repræſentat verum Deum. Deinde ſequeretur omnes imagines Dei quæ apparuerunt in veteri Teſtamento Adamo, Abrahæ, Iacob, Moyſi, Danieli, Ezechieli, Ioanni in Apocalypſi, fuiſſe idola, & colentes ea idola coluiſſe, Filium Dei eſſe idolum Patris, quæ abſurdiſſima & blaſphema ſunt. Et hinc eſt quod Scriptura deſcribit Deum etiam verbis tribuendo ei aures, oculos, brachia, &c. non vt ſignificetur eis præditus, ſed vt per illa membra velut rudes & inadæquatas ſimilitudines perfectiones eius ſignificentur. Ineptiùs autem delirant recentes illi quatuor Profeſſores Leidenſes diſputatione 19. qui idolum vocant omnem ſimilitudinem cuius cultus quilibet religioſus exhibetur, quaſi ille ſoli Deo conueniret: cuius erroris refutatio alterius loci eſt. Totum itaque hoc præceptum eſt naturale, vetans omnes & ſolas imagines idolicas quocumque modo factas. Tametſi Vaſquez, cui fauet Tertull. lib. 2. contra Marcionem c. 22. & Origen. contra Celſum velit omnes imagines fuiſſe vetitas in veteri Teſtamento quæ eſſent factæ modo accommodato ad adorandum, id eſt, quæ quaſi conſiſterent per ſe, non vt appendices vel ornamenta alterius rei: & ſic præceptum iſtud ex naturali & ceremoniali eſſet mixtum. Sed verius id quod diximus. Quod enim Iudæi omnes huiuſmodi ſtatuas abominati ſunt, exceſſum potius ſuperſtitionis arguit, quàm veram legis intelligentiam: nam & imagines quæ erant tantùm ornamenta ſignorum bellicorum, deteſtabantur tamquam illicitas, vt patet ex Ioſepho lib. 18. Antiq. cap. 4.

Ego ſum Dominus zelotes, quia inſtar viri zelotypi ferre non poſſum, quod creatura rationalis fornicetur cum alio Deo tamquam cum alio viro, vt Theodoretus q. 39. Nam quia zelando ſolent mariti vxorum pudicitiam cuſtodire, hinc poteſtas & diſciplina Dei qua fornicari animam impunè non ſinit zelus dicitur, inquit Aug. lib. contra Adimantum cap. 7. ſimulatque autem Deus amare deſinit, etiam zelare deſinit: vnde mirando per Ezechielem c. 16. v. 42. dicit. Et auferetur zelus meus & quieſcam, nec iraſcar amplius.

Viſitans iniqvitatem patrvm in filios, &c. id eſt, vindicans peccata patrum in filiis, in tertiam et qvartam generationem, id eſt, vſque ad nepotes, pronepotes & abnepotes. Non tamen negat ſe etiam vlterius viſitare, vt in Amalecticis patet, qui pòſt quadringentos annos propter peccata patrum puniti ſunt, & in Iudæis ſuper quos omnis ſanguis iuſtus aliquot millibus annorum effuſus venit, ſed numerus finitus ponitur pro indefinito, ſicut etiam ſtatim;

Faciens miſericordiam in millia, id eſt, in plurimas generationes. Tertiæ tamen & quartæ generationis mentionem facit, quia tam diu ſolent homines viuere, vt ſaltem poſteritati ſuæ proſpicientes ab idololatria recederent, vt Tertull. lib. 2. contra Marcionem cap. 15. quis enim non magis filiorum ſalutem, inquit, quàm ſuam curet? Hoc autem ne quis iniuſtum eſſe diceret, ſicut apud Ezechielem cap. 18 verſ. 2. & 25. palam dicunt, ſtatim addit,

Eorvm qvi oderunt me, id eſt, qui in peruerſitate parentum perſeuerare voluerunt, vt Auguſtinus contra Adimantum cap. 7. Nec enim Deus ſtatim, vt perpetrata ſunt, peccata punire ſolet, ſed tantùm

cum certa menſura in profundo diuinæ prouidentiæ conſtituta impleta fuerit. Tunc autem longè grauiùs propter peccata parentum punit poſteros, quam eos per ſe puniuiſſet, neminem tamen grauiùs quàm ex iuſtitia pro peccatis propriis meteatur: idque ſiue tunc actu iuſtus fuerit, ſiue iniuſtus. Nam & præteritorum peccatorum pœna manere ſolet, ſicut de morte & morbis manifeſtum eſt. Quod autem apud Ezechielem dicitur c. 18. vnumquemque in ſua iniquitate moriturum, non eſt huic contrarium. Loquitur enim de his qui peccata patrum, non imitantur, & præcipuè de pœna animæ: non enim pro alienis peccatis, ſed propriis vnuſquiſque animę morte moritur ac damnatur: tametſi pœnâ corporis etiam paruuli iuſtificati, ſed pœnam portantes peccati originalis, occaſione peccati parentum iuſtè puniantur.

7. NON ASSVMES NOMEN DOMINI IN VANVM, putando Deum eſſe creaturam, inquit Aug. lib. de decem chordis c. 5. vnde & Tertull. lib. de Idolis c. 20. per *vanum* intelligit idolum quaſi prohiberetur ne idola vocemus Deos. Alii per *vanum* intelligunt falſum, vt ſolum periurium prohibeatur. Sed verius id quod dicit Theod. qu. 41. in Exodum prohiberi, ne quis nomen Dei pronunciet, ſine iuſta ratione, id eſt, ſiue docendi, ſiue precandi, ſiue aliâ neceſſitate, vt ſic vetetur omnis irreuerentia diuini nominis, ſiue fiat iurando, ſiue blaſphemando, ſiue negando, ſiue aliter, & ſic intellexit noſter interpres quando vertit eadem verba. Hebraïca Deuter. 5. v. 11. *Aſſumere nomen Dei fruſtra*, item, *aſſumere ſuper re vana*.

NEC ENIM INSONTEM HABEBIT, id eſt, ſontem habebit, vel vt transfertur Deut. 5. *Non erit impunitus*, id eſt, ſeuerè puniet irreuerentiam illam, plus enim ſignificatur quam dicitur, cuiuſmodi locutiones ſunt. 1. Reg. 12. verſ. 2. & Micheæ 2. verſ. 1.

8. MEMENTO tamquam rem iam ante tibi notam ſiue ex collectione mannæ, ſiue vſu patrum antiquorum. Nam etiam in lege naturæ ſabbatum aliquo modo innotuiſſe diximus.

VT DIEM SABBATI SANCTIFICES, id eſt, velut ſanctum & à cęteris diebus ſeparatum, ſanctè colas. Modus autem colendi conſiſtit in iis quæ ſequuntur, vt nullum opus ſcilicet ſeruile facerent, nam nec cibum in eo parare licebat, vt ſuprà cap. 16. verſ. 23. nec ignem accendere, vt infrà cap. 35. v. 3. quæ in aliis feſtis erant licita. Opus verò miſericordiæ & neceſſitatis non prohibetur, vt pecora adaquare, proximis ſuccurrere, ſe defendere, vt ex Chriſto Iudæorum ſuperſtitionem ſæpiùs caſtigantè, & ex Machabæis 1. Machab. 2. verſ. 38. patet, vt enim Tertullianus ait 4. contra Marcionem cap. 12. opus incolumitatis & ſalutis non eſt hominis, ſed Dei proprium.

10. SEPTIMO DIE SABBATVM DOMINI. id eſt, Domino dedicatum & ſacrum. Hîc indicatur finis huiuſmodi ſanctificationis per ceſſationem operum, videlicet, vt ad cultum Dei impenderetur, idque multipliciter: Primò ad recolendum tum animo grato, tum hâc ipsâ corporali requie opus creationis mundi, & requietis Dei, quæ cauſa datur hîc ſtatim verſu 11. & Gen. 2. Deinde, vt eſſet ſignum, quòd Deus eſſet qui ſanctificaret eos, vt dicitur Exod. 31. v. 14. Ceſſatio enim illa tempus dabat, vt vacarent Deo & ab ipſo tamquam ſola & vera cauſa eſt quæ nos facit à noſtris ſeruilibus, id eſt, malis operibus ceſſare, quam ſabbati ſignificationem aliquoties explicat Auguſtinus. Tertiò ad recolendum quòd à Deo educti eſſent è ſeruitute, ſeu operibus ſeruilibus Ægyptiacis, quæ cauſa ſabbati datur Deut. 5. v. 15. Quartò ad ſignificandum anagogicè quietem æternam, quam Deus erit in cælo daturus nobis ab omni prorſus opere ſeruili, ſeu peccato. Tangit eam Apoſtolus ad Heb. 4. v. 3. Ex quibus patet præceptum ſabbati quatenus ad colendum Deum iſtis modis refertur eſſe naturale: natura quippe dictat tempus aliquod diuino cultui eſſe tribuendum, contra quod peccant quotquot nugis, choreis, aleis, poculis, otio dies feſtos impendunt potiùs quàm Deo: quatenus verò dies iſte ſeptimus eſt, & tam arctam ceſſationem requirebat, eſſe ceremoniale, &

Chriſti lege abrogatum. Porrò cauſa naturalis huius præcepti fuit eadem quæ inſtitutæ noctis, vt ſcilicet requies aliqua daretur operariis, ſiue hominibus, ſiue brutis, ne continuatione laboris opprimerentur, vt tangitur Deut. 5. v. 14.

12. Honora patrem, &c. non tantùm animo, verbis, aliiſque ſignis reuertendo, vel ſalutando, ſed maximè obſequendo & neceſſitatibus eorum ſuccurrendo; vt Hier. notat in c. 15. Matth. v. 6. ille eſt enim realis honor, quo Apoſtolus iubet viduas & preſbyteros honorari 1. Timoth. 5. v. 3. & 17. cuius ſubtractionem grauiter in Phariſæis arguit Chriſtus Matth. 15. v. 6.

Vt sis longævvs svper terram, Chanaan ſcilicet, vt tam hîc quàm Deut. 5. patet. Quæ tamen quia figura fuit terræ non morientium, ſed viuentium, hinc etiam illa parentes honorantibus promittitur, vt intelligit Hieron. in cap. 6. ad Epheſios, vbi propter hanc promiſſionem vocatur ab Apoſtolo mandatum primum in promiſſione, id eſt, cui promiſſio adiuncta eſt. Meritò autem talis promiſſio vitæ longioris ei addita eſt, quia vita eſt velut feudum à parentibus datum quod propter infidelitatem reuocari ſolet, vt notat D. Thom. opuſculo 7.

13. Non occides, hominem ſcilicet, vt Auguſt. 1. de Ciuitate cap. 20. explicat contra nonnullos qui & brutorum occiſionem hîc prohiberi volebant, & hoc vox Hebraïca propriè ſignificat. Intellige autem hominem quemlibet ſiue ſontem, ſiue inſontem: ſiue alterum, ſiue teipſum. Nam quicumque hoc in ſeipſis perpetrauerunt, animi magnitudine fortaſſis mirandi, non ſapientiæ ſanitate laudandi ſunt, inquit c. 31. Exceptio autem fieri debet de his, quos vel lex Dei generaliter, vel iuſſio eius ſpecialiter iubet occidi, tunc enim non tam homo, vel Reſpublica occidit quàm Deus ipſe cui homo miniſterium debet, vt Auguſt. quæſt. 71. in Exodum, & loco de Ciuitate Dei citato. Et hoc eſt quod alii addunt ſupplendum eſſe *priuata authoritate*. Referuntur autem huc omnia quæ ad occiſionem tendunt; vt ira, rixa & ſimilia.

14. Non mœchaberis, à parte, ſeu vna ſpecie impudicitiæ totam generis latitudinem intelligi voluit; nomine autem mœchiæ omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus vſus prohibitus debet intelligi: ſicut per illud,

15. & 16. Non fvraberis, prohibetur omnis illicita vſurpatio rei alienæ, vt rapina, vſura, & ſimilia, vtrumque tradit Auguſtinus quæſt. illa 31. ſimiliter nomine falsi testimonii, omnis iniuria prohibetur, quæ proximo verbis irrogatur, vt contumelia, irriſio, detractatio, &c.

17. Non concvpisces domvm, &c. vxorem, &c. nempe ſolo actu interno, hoc enim docere rudem populum erat valde neceſſarium, cùm Ioſephus etiam poſt datam legem dicat lib. 12. Antiquit. cap. 13. voluiſſe tantùm, & non perfeciſſe ſacrilegium non videri rem dignam ſupplicio. Qui Iudæorum error à Chriſto corrigitur Matth. 5. v. 22. & 28. Confunduntur autem hîc duo præcepta in textu Hebraïco, & noſtro quæ clarè ſeparantur Deuter. 5. vt etiam hîc apud LXX. nempe præceptum de concupiſcentia vxoris alienæ, & de concupiſcentia bonorum. Non vetatur etiam ſeorſum concupiſcentia homicidii & concupiſcentia falſi teſtimonii, quia vt D. Thomas ait 1. 2. quæſt. 100. a. 5. ad 5. delectatio adulterii & vtilitas diuitiarum ſunt propter ſe appetibilia, in quantum habent rationem boni, vnde non ſolum opus, ſed & concupiſcentia vetari debuit: ſed homicidium & falſitas ſunt ſecundum ſe horribilia & mala, quia proximus & veritas naturaliter amantur, vnde ſufficiebat, expreſsè peccatum operis prohiberi. Adde paſſiones concupiſcibilis eſſe radices paſſionum iraſcibilis, vnde radicibus prohibitis, omnes rami cenſentur prohiberi. Vetantur autem hîc ſolæ concupiſcentiæ voluntariæ, id eſt, conſenſus in paſſiones illas, non ipſæ paſſiones quaſi ſentiendo reum conſtituerent, vt volunt hæretici, contrarium enim clarè docet Apoſtolus, ad Rom. 7.

18. Cvnctvs popvlvs videbat voces, id eſt, percipiebat eas, auditu ſcilicet, viſio pro perceptione cuiuſlibet ſenſus in quali-

bet penè lingua ponitur, vt notat Auguſtinus tum hic quæſt 72. tum lib. 10 Confeſſ. cap. 135. Per voces autem intelligitur, vel promulgatio decalogi ex nubibus per Angelum facta, vel potiùs tonitrua, poſt promulgationem iterum erumpentia, datur enim cauſa timoris, cur nollent ſibi Deum vlterius loqui,

ET LAMPADES, id eſt, fulgura, ET SONITVM BVCCINÆ, quæ de nouo incipiebat clangere, & idcirco territi ne morerentur tam terribili apparitione Dei.

STETERVNT PROCVL, recedentes à monte Sinai & Deo. Contigerunt enim hæc poſt promulgatum decalogum, vt clarè patet Deuter. 5. v. 22. & 23. Per hunc autem timorem populi, inquit Aug. qu. 75. multum & ſolidè ſignificatur ad vetus teſtamentum timorem pertinere, ſicut ad nouum dilectionem: per receſſum à monte ac Deo, figurabatur eos etiam factis longè ſtaturos à Deo, eò quod timor non ſit qui faciat præcepta ſeruari, ſed dilectio qua quis accedit ad Deum; & hoc tunc ſignificatum eſſe indicat Apoſtolus ad Heb. 12. v. 19. & 25.

20. VT ENIM PROBARET VOS, vt ſcilicet innoteſceret non Deo, ſed ipſis Iſraëlitis quales eſſent in ſeruandis mandatis Dei. ET VT TERROR ILLIVS ESSET IN VOBIS, hoc quoad ſenſum debet præcedere, quaſi dicat, ideo Deus ſic apparuit, vt quia dilectio non eſt adhuc in vobis, ſaltem timor eius in vobis ſit, vt ſic probet cuiuſmodi ſitis, ſolus enim timor non ſeruat mandata Dei, relinquit enim cor malis deſideriis plenum & manum tantummodo cohibet, vnde ceſſante illo pœnæ timore, mox deſideria erumpunt in facta.

21. STETIT POPVLVS, &c. MOYSES ACCESSIT, &c. in qua diuerſitate paſſim notant PP. Nazianz. Orat. 29. & latiùs 34. Ambroſ. Sermone 19. in Pſal. 118. gradus incipientium, proficientium & perfectorum, dum ſolus Moyſes caliginem diuinitatis ingreditur, ſacerdotes ad radices montis manent, populus conſiſtit procul à Deo.

24. & 25. ALTARE DE TERRA FACIETIS MIHI, infrà datur exceptio v. 25. vel de lapidibus, ſed NON SECTIS, id eſt, impolitis, nullo ferro aptatis. SI LEVAVERIS CVLTRVM SVPER EO, id eſt, ferrum quodlibet quo lapides poliantur, POLLVETVR, pollutum habebitur & ineptum ad offerenda in eo ſacrificia quæ ſanguinis effuſione mactantur. Nam altare thymiamatis ipſemet poſtea ex auro fieri voluit. Operiri tamen poterat hoc altare ære, ſicut præſcribitur infrà cap. 27. verſ. 2. & hoc ſenſu altare Salomonis dicitur æreum 3. Regum 16. verſ. 14. Nam intus fuiſſe plenum lapidibus patet 1. Machab. 4. v. 46. Prohibentur ergo hoc loco altare victimarum facere ex auro, argento, ligno, vel marmore affabre dolatis, vt gentiles diis ſuis faciebant, idque, vt ab omni ritu gentilium & idololatria quàm longiſſimè diſcederent, neque ſuperſtitioſè putarent, in materia, vel arte adhibita aliquid numinis, vel virium latere ad placandum DEVM, vt D. Thom. 1. 2. q. 102. art. 4 ad 7. vbi & myſticam rationem vide.

26. NON ACCEDES PER GRADVS AD ALTARE, ne vt ſequitur in aſcenſu aliqua turpitudo conſpiceretur, vt fiebat in ſacris Priapi, cui periculo poſtea magis cautum fuit per fœminalium lineorum confectionem cap. 28. v. 42. vnde putant tunc præceptum hoc de gradibus ceſſaſſe, & ideo altare Salomonis 2. Paralip. 4. v. 1. quia 10. cubitorum erat altitudinis, & altare Ezechielis cap. 43. v. 17. habuiſſe gradus. Sed incredibile eſt DEVM hoc præceptum tam citò poſt 40. ſcilicet dies quibus Moyſes in monte fuit reuocaſſe, vnde dicendum, aſcenſum ad illa altaria fuiſſe planum inſtar pontis, ſine gradibus, & paulatim aſcendentem, ſic enim nihil erat periculi, quamquam D. Thomas putet non fuiſſe vetitum per gradus portatiles, id eſt, ſcalas aſcendere.

CAPVT XXI.

1. HÆC SVNT IVDICIA, id eſt, præcepta iudicialia, ſecundùm quæ Iudices lites finire debent & populum regere, diſtinguuntur hæc à ceremonialibus, quod hæc non populum, ſed cultum DEI reſpiciunt: & vtraque à naturalibus, quod hæc ex natura ſua vim obligandi habent, illa ſolùm ex inſtitutione DEI.

2. SI

2. Si emeris servvm, vt ſit tibi non famulus, vel mercenarius, ſed mancipium.

In septimo egredietvr liber, non ſeptimo à die emptionis, ſed anno ſeptimo qui toti genti communis erat, & vocabatur Sabbaticus. Sicut enim Græci per Olympiades, id eſt, quatuor annorum decurſum, ita Iudæi per hebdomadas annorum computabant, & anno ſeptimo non dicebat agros colere, & ſeruos debebant dimittere. Hæc igitur emptio erat quaſi ſpecies quædam conductionis ad tempus, vnde iuxta leges conductionis creſcebat pretium pro multitudine annorum reſtantium, vſque ad ſeptimum. Vide c. 25. Leuit. v. 15. & 16. ſimile quid de venditione agrorum qui reddi debebant anno iubilaei.

4. Si Dominvs dederit illi vxorem, non Hebræam, ſed alienigenam, nam Hebræa ſimiliter exire poterat anno ſeptimo.

Ipse vero exibit, vnde videtur ſolutum fuiſſe matrimonium, quod magis colligitur ex verſu 5 quia ne diuortium illud fieret, aliqui malebant manere ſerui.

6. Offeret evm diis, id eſt, iudicibus qui Dei loco iudiciaria poteſtate funguntur, vnde lxx. vertunt, *Adducet eum ad tribunal Dei* volebat itaque Deus publicè hoc conſtare, vt auferretur dominis facultas retinendi tyrannicè ſeruos ſuos, ſub prætextu quod voluntariè ſe tradidiſſent.

Applicabitvr ad ostivm, non portæ ciuitatis, vel curiæ, ſed domus herilis, vt eſt Deuter. 5. v. 17. ad ſignificandum eum fixe domui iſti mancipari.

Perforabitqve avrem eivs, in dedecus eius qui libertati ſeruitutem prætulerat, & vt illo ſigno admoneretur omnem obedientiam ſe debere domino, ita vt ne oſtium quidem ſine venia exire liceret, vt hæc notat Theodor. quæſt. 45. in Exod.

Et erit ei servvs in sæcvlvm, id eſt, per totum ſæculum quod vſque ad iubilæum, id eſt, annum 50. durabat, non enim ſemper æternitatem ſignificat. Tunc autem omnes omnino ſerui Hebræi, cum vxoribus & liberis exibant liberi, vt ſtatuitur Leuit. 25. v. 40. & 41. nam ſoli ſerui alienigenæ hæreditario iure ad poſteros tranſmittebantur. Totum hunc locum à verſu 2. huc uſque exponit Greg. Hom. 3. in Ezech. fusè & pulchrè allegoricè de vita contemplatiua & actiua.

7. Si qvis vendiderit filiam in famvlam, ita vt emptor eam ſimul in concubinam, ſeu vxorem ſecundariam deſponſaret, hoc enim poſtulant ſequentia.

Non egredietvr sicvt ancillæ consvevervnt. Heb. *ſicut ſerui*, ſcilicet illi de quibus ſuprà verſu 2. & ſequentibus, nam ſub ſeruis illis etiam communes ancillæ comprehenduntur, vt patet Deut. 15. v. 12. & 18. ergo aliquid peculiare de his deſponſatis decernitur.

8. Si displicverit, &c. ei cvi tradita fverat, per deſponſationem, vt eſt Hebraicè ita ſcilicet, vt velit diuortio ab ea ſeparari, dimittet eam, ſtatim ſcilicet non exſpectato anno ſeptimo.

Popvlo avtem alieno, &c. id eſt, non poterit eam vendere vlli extra domum ſuam, ne quidem vſque ad annum ſeptimum, ſicut licuiſſet ſi non fuiſſet ei tanquam vxor deſponſata. Nam quod aliqui per populum alienum accipiunt gentes alienigenas, non quadrat huic loco; nullum enim ſic eſſet priuilegium talis ancillæ, cùm omnibus Hebræis hoc eſſet commune.

9. Ivxta morem filiarvm faciet illi, procurando, vt filius det ei dotem, & cætera quæ vxori debentur.

10. Qvod si alteram ei acceperit, id eſt, ſi vxorem ſecundam ei adiecerit, tunc ne prima vxor tanquam vilis ancilla tyrannicè opprimatur, hæc tria præſtabit ei, primò

Providebit pvellæ nvptias, id eſt, ius nuptiarum, ſeu debitum coniugale.

Et vestimenta, vxorem ſecundariam decentia,

Et pretivm pvdicitiæ, victvm & habitationem & omnia reliqua neceſſaria, hæc enim debentur ei pro defloratione, quamdiu vxor eſt. Si tria iſta ſimul non fecerit.

11. Egredietvr gratis; ita ſcilicet, vt vendi non poſſit, ſicut aliæ ancillæ communes.

13. QVI AVTEM NON EST INSIDIATVS, ita vt præmeditatus fuerit mortem eius, ſed caſu occurrens cum occiderit, hoc eſt enim quod dicitur.

SED DEVS ILLVM TRADIDIT, faciendo eum occurrere alteri non cogitanti: quæ enim non fiunt præmeditato conſilio peculiariter diuinæ tribuunt prouidentiæ, nam alioquin etiam cùm quis volens occidit, Deus tradit, vt Auguſt. quæſt. 79. In fauorem ergo homicidæ caſualis, vel ſaltem non molientis ex propoſito necem ſtatuitur ius aſyli, vt ira cognatorum mitigaretur, inquit Theodoretus.

18. LAPIDE VEL PVGNO, id eſt, eminus vel cominus quouis modo.

19. *SI* SVRREXERVNT, &c. INNOCENS ERIT, id eſt, immunis à pœna talionis, quia cenſebitur mors ex negligentia curationis, vel aliâ causâ contigiſſe.

21. QVIA PECVNIA EIVS EST, id eſt, quia poſſidet eum vt mancipium emptum pecunia inſtar equi aut bouis, nam intuitu illius iuris herilis mitigatur, vel tollitur hîc pœna talionis aduerſus Dominum.

22. *SI* QVIS PERCVSSERIT MVLIEREM PRÆGNANTEM, quæ inter pugnantes viros forſan interceſſerit, vt fieri ſolet,

23. *SI* MORS EIVS FVERIT SVBSECVTA, mulieris ſcilicet prægnantis, apertum eſt enim referri ad mulierem non ad abortiuum, ſeu prolem.

REDDET ANIMAM PRO ANIMA, id eſt, vitam pro vita. OCVLVM PRO OCVLO, nempe ſi illam oculo mutilauerit, hoc enim hîc & in ſequentibus ſupplendum eſt, vnde in particulari quidem caſu ſed tamen generalis ſancitur lex talionis, vt qualem quiſque intulit iniuriam, tale ſupplicium pendat. Quæ lex fuit non fomes, ſed limes furoris, inquit Auguſtin. 19. contra Fauſtum cap. 25. hoc eſt, non vt accenderetur ad vindicandum læſus, ſed vt iniuriæ acceptæ menſuram nullo modo dolor vindicantis excederet, vt ait lib. contra Adimantum cap. 8. & ſic rudi populo conſtitutus eſt primus lenitatis gradus, nobis autem ſancita perfectio Matth. 5. v. 39. vt omnino non vindicemus. LXX. totam legem iſtam intelligunt de prole, & planè aliter legunt; nam pro iſto, *ſed ipſa vixerit*, legunt, *ſi non formatum fuerit*, ſcilicet abortiuum, ſeu proles: pro illo verò, *ſin autem mors*, &c. legunt, *ſi autem formatus fuerit infans*. Et ſic prolem formatam habent pro prole viua anima rationali, non formatam pro non viua; & ita conſequenter prolis formatæ occiſor obnoxius eſt legi talionis, informis autem non. Porrò talio inferebatur non à reo, ſed iudice.

28. LAPIDIBVS OBRVETVR, intellige à parte totum etiam de equis & aliis animalibus quæ quempiam occiderent, vt Auguſt. q. 81. in Exodum. Statuitur autem non in culpam bouis, ſed partim, vt horrorem conciperent homicidii, omnia inſtrumenta etiam innoxia deteſtando, partim vt etiam hîc quædam iuſtitiæ, id eſt, talionis ſpecies eluceret.

29. AB HERI ET NVDIVSTERTIVS, id eſt, ſi conſtiterit ante fuiſſe cornupetam, tunc enim quia cauſam damni non amouit herus, cùm amouere debuiſſet, reus eſt homicidii, & occidi debet: niſi à iudice leuitate culpæ cognitâ, pretium pecuniarium fuerit impoſitum quod daret *pro anima*, id eſt, pro redemptione vitæ ſuæ.

CAPVT XXII.

1. ET OCCIDERIT VEL VENDIDERIT, ſi enim adhuc apud furem reperientur viua, ſolum duplum ſoluebatur vt eſt v. 4.

QVINQVE BOVES, &c. ET QVATVOR OVES, &c. Rationem diuerſitatis petit Theodoretus quæſt. 50. quia grauiori delicto grauius ſupplicium debetur: ſed grauius eſſet ſupplicium, etſi ſolum quatuor boues redderet. Auguſtinus quæſt. 83. putat aliquid myſticè ſignificari. Sed dici poteſt rationem diuerſitatis eſſe, quia maius damnum infertur domino in furto bouis quàm onis, propter vtilitates quas interea attuliſſet bos arando, vehendo, &c.

2. SI EFFRINGENS FVR, &c. id eſt, ſi vim intulerit quamlibet ad furandum, occidi poteſt noctu non de die, diſcerni quippe poteſt quod ad furandum non occidendum venerit, inquit Auguſt. quæſt. 84. & auxi-

lium inuocare poteſt. Itaque lex ſtatuit hîc quemlibet dominum executorem iuſtitiæ, & ideo licitè faciebat. Ex quo tamen ſolo non rectè colligitur, bona iſta temporalia nunc defendi poſſe etiam de die cum occiſione rapientium, ſine alia legis permiſſione. Nam quantum ad occiſionem nocturni furis, eadem lex tranſlata videtur in ius canonicum.

3. SI NON HABVERIT, ſupple fur. Eſt enim ſuppletio legis primæ, ſi caruerit fur bouis, aut ouis, ad reſtituendum quadruplum, aut quintuplum.

6. *SI EGRESSVS IGNIS* negligenter cuſtoditus, INVENERIT SPINAS, ſeu ſepem ſpinarum qua ſepiuntur ſegetes. Intellige à paritate rationis quamlibet ſepem aut rem quam corripiens ignis ſerpat vlterius ad ſegetem.

7. SI INVENITVR FVR, DVPLVM REDDET, non ille cui depoſitum commendatum fuerat, ſed fur. Verùm ſupplendum ex verſu 4. ſi res apud furem inueniatur, & quidem integra: alioquin in caſu verſus primi reddebatur quadruplum, aut quintuplum. Si autem latet fur,

8. APPLICABITVR AD DEOS, id eſt, depoſitarius accedet ad iudices, & purgabit ſe iurando ſe non eſſe, vel conſcium, vel participem in furto, non ſolum oue & boue, ſed

9. QVIDQVID DAMNVM INFERRE POTEST, id eſt, in quacumque re, qua deponens ſe læſum fuiſſe conqueratur.

ET SI ILLI IVDICAVERINT, condemnando depoſitarium colluſionis in furto, DVPLVM RESTITVET, depoſitarius deponenti. Non enim agitur hîc de deponente, vt aliqui volunt, quaſi ille propter calumniam condemnaretur. Hæc eſt igitur prima lex de depoſitario colludente, ſeu intereunte rem per fraudem qui reddet duplum. Secunda eſt verſ. 10. & 11. & 13. ſi res perit ſecretò, itemque ſi citra negligentiam, nihil ſoluet. Tertia eſt v. 12. ſcilicet.

12. SI FVRTO ABLATVM FVERIT, ſine fraude, cum culpa tamen, vel negligentia depoſitarii, vt indicant Hebræa. RESTITVET DAMNVM DOMINO, nempe ſimplum, rem ipſam ſcilicet, ſeu pretium rei.

15. SI IMPRÆSENTIARVM DOMINVS FVERIT, imputet enim ſibi ſi ſe præſente pereat res ſua, ſiue per vim aliorum, ſiue naturaliter, ſiue per negligentiam ſuam.

MAXIME SI CONDVCTVM, quia conductoris grauior debet culpa, talis enim contractus eſt ſimul in vtilitatem Domini, commodatum autem tantùm in fauorem commodatarii.

17. REDDET PECVNIAM, id eſt violator nihilominus dabit pecuniam virgini non tamen ſemper æqualem, ſed

IVXTA MODVM DOTIS, id eſt, tantam quanta ſolet eſſe dos virginum talis conditionis, ditioribus & honeſtioribus maiorem, pauperioribus minorem. Et hæc eſt lex de eo qui

SEDVXERIT, id eſt, blanditiis pellexerit virginem. Deuteron. verò 22. v. 29. *De apprehendente eam* per vim ſtatuitur, vt ſoluat inſuper in mulctam patri puellæ 50. ſiclos.

18. MALEFICOS NON PATIERIS VIVERE. Hebraicè eſt, *maleficam*, quia vitium iſtud mulieribus, tamquam quæ ſeductu faciliores ſunt, magis eſt vſitatum quàm viris, ſignificat autem quamcumque quæ pactum habeat cum dæmonibus, etſi propriè non fuerit malefica, id eſt, venenis vtens.

25. NON VRGEBIS EVM QVASI EXACTOR, properè, præcipitanter ad ſolutionem cogendo: vel ſi dilationem ſufficientem dederis.

NON VSVRIS OPPRIMES, ſunt hæc ergo non vnum, ſed duo diſtincta præcepta.

26. SI PIGNVS ACCEPERIS VESTIMENTVM, maximè nocturnum quo ſe regat. Loquitur autem in caſu paupertatis tantæ, vt non niſi vnum habeat, ſi enim plura ſuppetunt ei, liceret veſtimentum in pignus & accipere & retinere.

28. DIIS, id eſt, iudicibus loco Dei commiſſum eſt iudicium, vt Theod. NON DETRAHES, maledicendo eis & verbis vilipendo, quia authoritate ſuâ indigent in regendo & iudicando populo. Prohibet hoc peculiariter: quia cùm in ſuo cuique tribuendo vna pars offendi ſoleat, facilè qui ſe læſum putat in maledicta effunditur.

30. Die octava reddes illvm mihi, quia ante diem octauum nimis teneri ſunt fœtus animalium. Quo allegoricè ſignificari putant nos ſeptem diebus manere ſub cura matris Eccleſiæ, in octaua reſurrectionis Domino eſſe ſiſtendos.

31. Viri sancti eritis, ab omni inquinatione non tantùm animi, ſed & corporis puri. Idcirco,

Carnem qvæ a bestiis fverit prægvstata, non comedetis, quia feritatem & barbariem præ ſe fert, vt Theodoretus, vnde & ferinos mores prouocat, & ab humanitate decentiaque alienos.

Capvt XXIII.

1. Non svscipies vocem mendacii, illi acquieſcendo, vt illud quoquo modo ratum habeas, vel promoueas, ſiue iudicando, ſiue patrocinando, ſiue teſtificando in fauorem eius.

Nec ivnges manvm tvam, id eſt, non cooperaberis falſo teſtimonio.

2. Non seqveris tvrbam, id eſt, non ſequeris, vel multitudinem, vel mores eius, qui impetu potiùs quàm ſano conſilio, conſuetudine magis quàm veritate gubernatur, vnde Auguſt. l. 3. contra Permenianum c. 2. quidquid ſceleris, & iniquitatis inebriat multitudinem, id amittit examinis veritatem. Vetat ergo ne ſe inde quiſquam defendat, quia cum pluribus fecit, aut ideo putet non eſſe peccatum, quia ſic moris eſt.

3. Pavperis non misereberis in ivdicio, fauendo ei contra iuſtitiam causâ miſericordiæ: bona enim miſericordia, ſed non debet eſſe contra iudicium, quo tribui debet cuique quod ſuum eſt, vnde Pſal. *Miſericordiam & iudicium cantabo tibi, Domine.* Ne quis autem iſto præcepto vetitam putaret miſericordiam, opportunè ſequitur extra tribunalia eam ſeruandam eſſe etiam cum *inimico*, id eſt, eo qui odit nos.

6. Non declinabis, à veritate ſcilicet & iuſtitia, in ivdicivm pavperis, id eſt, in condemnationem eius, contemnendo paupertatem ipſius. Eſt enim præceptum ſimile ſuperiori verſu 3. Nam nec faueri vult pauperi, nec noceri in iudicio propter paupertatem, ſed ſeuerè ſectandum eſt iuſtitiam, vnde ſequitur.

7. Mendacivm fvgies, id eſt, vt lxx. omne verbum iniuſtum in iudicio, ſeu omnem iniuſtitiam.

11. Anno septimo dimittes eam, vt eam non ſolum non metas, vt aliqui ſuſpicantur, ſed neque ſeras, vt præſcribitur Leuit. 25. v. 4. Erat enim ſeptimus annus ſabbatum totius terræ, ſicut ſeptimus dies ſabbatum hominum & iumentorum. Nam Deus pollicebatur ibid v. 21. ſe benedicturum anno ſexto, vt daret fructus trium annorum. Porrò ſabbatum iſtud annorum eaſdem cauſas habebat, quas ſabbatum dierum naturalem quidem, vt terra quieſcens anno octauo eſſet fertilior: moralem, vt ipſi coloni ab auaritia reuocati ſpem in Dei prouidentia conſtituerent, & pauperum miſereri diſcerent, illi enim fructibus anni ſeptimi ſponte granis deciduis præcedentis anni naſcentibus veſcebantur: ceremonialem, vt etiam ſic mundi creationem & ceſſationem Dei recolerent: & vt Auguſtinus ait, q. 92. in Leuit. vt ipſa vacatio terræ, velut merces eſſet habitationis, & redemptio quam Deo redderent.

13. Per nomen externorvm Deorvm non ivrabitis, quia iuramentum eſt cultus Dei externi, per quem iuratur, & ita ſpecies idololatriæ, vt docet Tertullianus lib. de idololatria cap. 19.

Neqve avdietvr ex ore vestro, eos Deos vocando; nam ait idem, cecidit in idololatriam, qui idolum nomine Dei honorauerit.

15. Solemnitatem azymorvm cvstodies, id eſt, feſtum Paſchatis cum azymis celebrandum tempore mensis novorvm, id eſt, nouarum frugum, qui eſt Niſan, ſeu primus menſis; nam ſecundo die azymorum offerebantur ſpicæ hordei matureſcentis.

Non apparebis in conspectv meo vacvvs, id eſt, in nulla iſtarum trium feſtiuitatum comparebis coram tabernaculo meo, ſine munere, ſeu oblatione, vt ſicut à me omnia accipis, ita ad me omnia refe-

rantur. Quod Theodor. hîc quæſt. 51. monet à Chriſtianis imitandum, vt diuites ſine eleemoſynis, pauperes ſine anima virtutibus plena coram Deo non compareant.

16. SOLEMNITATEM MESSIS PRIMITIVORVM OPERIS TVI, id eſt, ſolemnitatem primitiarum operum, vt eſt Hebraïcè, ſeu frugum tuarum. Hoc eſt ſecundum feſtum ſcilicet Pentecoſtes, quo offerebantur non iam ſpicæ virentes, ſed duo panes primitiarum meſſis vt eſt Leuit. 23.

SOLEMNITATEM QVOQVE IN EXITV ANNI, id eſt, circa finem anni vulgaris, ſeu ciuilis, qui finiebatur in æquinoctio autumnali, ſeu circa menſem noſtrum Septembrem. Eſt hoc tertium feſtum generale Tabernaculorum, ſeu Scenopegiæ, quod celebrabatur 15. die menſis ſeptimi Lunaris Tiſri, in quem incidit ſepè æquinoctium. Cauſa feſti erat gratiarum actio, tam pro acceptis toto anno frugibus & beneficiis, quàm etiam pro protectione 40. annorum in deſerto, vbi in tabernaculis habitauerant.

TER IN ANNO, ſcilicet tribus iſtis prædictis feſtiuitatibus, quæ clariùs exprimuntur Deut. 16. v. 16.

APPAREBIT OMNE MASCVLINVM, fœminas enim hoc præceptum non obligabat, CORAM DOMINO, tabernaculo vbi Dominus habitare cenſebatur, idque ſiue arca ibi ſimul eſſet, ſiue non.

18. NON IMMOLABIS SVPER FERMENTO, id eſt, cum fermento, ſeu pane fermentato. Sacrificia enim panis, laganorum, toſtæ, præſcribuntur fieri in azymis, vt in Leuit. patebit, idque vt ſemper recordarentur, tum liberationis ex Ægypto, quando primum azyma vſurpari cœpta ſunt, tum ſinceritatis & veritatis in omni cultu Dei, & conuerſatione exhibende.

NEC REMANEBIT ADEPS SOLEMNITATIS MEÆ, id eſt, qui mihi in ſolemnitatibus offerri debet, VSQVE MANE ſequentis diei, ſed ſtatim mactata victima mihi offeretur. Quo monemur carnalem voluptatem adipe ſignificatam ſtatim in conuerſione noſtra ad Deum igne charitatis abſumendam in honorem Dei.

19. NON COQVES HŒDVM LACTE IN MATRIS. Duas expoſitiones ſuggerit Theodoretus quæſt 56. & Auguſt. qu. 90. Prima, accipiendo vt verba ſonant, ne hœdus cum lacte materno coquatur, quia ſic mater quodammodo videtur ſimul coqui, inquit Theodoretus. Vnde Deuter. 22. verſ. 6. ſimilis miſericodiæ conſideratione iubetur vt comprehedens pullos in nido dimittat matrem, quia crudele eſt vtrumque ſimul tollere. Altera veriſimilior, vt non coquant hœdum qui eſt in lacte; ſiue dum ſugit lac matris, quia nimis tener eſt: vtrumque præcipitur ad inferrendam eis humanitatem etiam erga bruta. Maximè tamen putat Auguſtinus eſſe ſpectatam ſignificationem & prophetiam, quod Chriſtus non eſſet occidendus infans & lactens ab Herode vel Iudæis: aut eſſe poſſe præceptum ad Iudæos probos, ne ſe iungerent Scribis & Phariſæis ad occidendum Chriſtum in lacte matris, id eſt, in eodem menſe quo conceptus eſt, ſcilicet menſe primo; dicuntur enim fœminæ ex quo conceperint, lac colligere, inquit Auguſtinus.

20. ECCE EGO MITTAM ANGELVM MEVM. Iuſtinus Dialog. cum Tryphone, Auguſt. hîc & maximè lib. 16. contra Fauſtum c. 19. intelligunt Ioſue ſeu Ieſum, quia infrà dicitur, *eſt nomen meum in eo*, hoc eſt, vocatur nomine Ioſue ſeu Ieſus, qui eſt verbum Dei loquens ad Moyſen. Alii intelligunt ipſum Moyſen. Rectiùs videtur intelligi verus Angelus, quem ſuprà cap. 14. v. 19. videmus præceſſiſſe caſtra, & poſuiſſe ſe inter Ægyptios; vnde Ioſue 5. v. 14. vocatur Princeps exercitus Domini. Et ideo primum eius officium hîc ponitur, quod

PRÆCEDAT TE, inſtar exploratoris itinerum, inſidiarum, ac tamquam copiarum dux. Secundum,

ET CVSTODIAT IN VIA, protegendo contra omnia pericula tum gentium vicinarum, tum ſerpentium, &c. Tertium,

ET INTRODVCAT IN LOCVM QVEM PARAVI; terram ſcilicet Chanaan. Quartum,

21. NON DIMITTET CVM PECCAVERIS, ſinendo te impunem eſſe; nam & hoc peccantibus magnum eſt beneficium.

ET EST NOMEN MEVM IN EO, id eſt, quia

Dei, vel Horeb, vel Sinaï. Caſtrametatio iſta iuxta Sinaï contigit paulò poſt, hactenus enim in Raphidim morantur. Vnde colligitur veriſimiliter quæcumque hic dicuntur de Iethro per anticipationem dici; contigiſſe verò paulò ante diſceſſum ex monte Sinaï, id eſt, ſub finem anni primi, quod maximè colligitur ex Deuter 1. vbi narratur creatio illa magiſtratuum, de quibus hic, contigiſſe ſub diſceſſum ex illo monte. Et tamen hic dicitur v. 13. idem planè ſuggeſtum à Iethro die altera ab aduentu vel oblatis holocauſtis: niſi fortè dicamus executionem fuiſſe dilatam: quod minus videtur eſſe veriſimile.

11. Nvnc cognovi, experientiâ ſcilicet deprehendi, vnde non rectè infertur cum anteà non cognouiſſe verum Deum, ſic enim & Angelus dicit de Abraham poſt expertam eius pietatem, Nunc cognoui quòd timeas, &c. Gen. 22. verſ. 10. Itaque Auguſt. putat qu. 99 credibilius quòd vetus Dei cultor, vt Iob fuerit.

12. Obtvlit ergo Iethro, tamquam ſacerdos non idolorum, ſed veri Dei, alioquin enim non veniſſet Aaron & ſeniores.

Vt comederent panem cvm eo coram Deo, participando ſcilicet de ſacrificio idolorum. Nam ſacrificiorum pacificorum hoſtiæ cedebant ex parte in ſolemne epulum. Dicitur autem conuiuium factum Coram Deo, id eſt, coram tabernaculo iam tum erecto, vt ſuprà, vel quia erant cibi ſacri Deo, & comeſti in honorem Dei, qui vbique præſens eſt, vt Auguſt. qu. 66.

13. Venit popvlvs qværens sententiam Dei, id eſt, quærens iuſtum iudicium à Deo per me, quod infrà vocat *præcepta & leges eius*, nempe vt eis ſecundùm legem iam in Sinaï nobis traditam ius dicam: vel certè ſi non narrantur iſta per anticipationem, ſententiam Dei, & legem intelligit ſempiternam, quam conſulunt omnes piæ mentes, vt quod in ea inuenerint, vel faciant, vel iubeant, vel vetent, ſecundum quod illâ incommutabili veritate perceperunt, inquit Auguſt. 67. ſuper Exodum.

17. Non bonam rem pacis. Paſſus eſt Deus famulum ſibi tam familiarem ab alienigena admoneri, vt Aug. q. 68. vt per hoc primò diſceremus per quemlibet hominem detur conſilium veritatis, non debere contemni, ſecundò ne & ipſum tentaret ſuperbia, ſedebat enim iudiciaria ſublimitati ſolus vniuerſo populo ſtante.

19. Et erit Devs tecvm, adiuuans te vt faciliùs onus in alios partitum feras. Quamquam Auguſtinus dicto loco ſignificari præterea putet nimis intentum humanis actionibus animum Deo quodammodo vacuari, quo fit tantò plenior quantò in ſuperna atque æterna liberiùs extenditur. Vnde D. Greg. in Paſtorali monet 2. parte c. 7. à ſubditis inferiora gerenda, à rectoribus ſumma cogitanda, vt oculum qui pro videndis greſſibus intentus eſt, cura pulueris non obſcuret.

Esto tv popvlo, &c. in his qvæ ad Devm pertinent, id eſt, ſis internuncius inter Deum & populum in rebus diuinis; officium autem iſtud duo complectitur, Primum eſt reſpectu Dei,

Vt referas qvæ dicvntvr ad evm, id eſt, ad Deum, vt eſt Hebraïcè neceſſitates populi, infirmitates, & vota Deo exponendo & commendando inſtar Angelorum in Apoc. Alterum eſt reſpectu populi.

20. Vt ostendas popvlo ceremonias, &c. id eſt, vt viciſſim voluntatem Dei, & præcepta ad populum referas. Pro terrenis autem populi negatiis diiudicãdis.

21. Provide viros, non mulieres, quia vt obſeruat Caietanus, earum regimen infelicius eſſe ſolet.

Potentes, tam ingenio quàm animo, id eſt, prudentes & magnanimos. Vnde Moyſes exequens hoc conſilium Denter. 1. v. 13. viros ſapientes elegit, & hic infrà v. 25. viros ſtrenuos; vtraque enim conditio in iudice, & rectore valdè neceſſaria eſt, vt & ingenii ſolertiâ verum videant, ſine qua nihil rectum poſſunt facere, & animi magnitudine exequantur non timendo vultum principum & magnatum.

Et timentes Devm, tamquam iudicem ſuperiorem, cui rationem ſint reddituri, ſi enim ſolus timor humanus in animo regnat

regnat iudicis, innumerabiles perpetrabit iniuſtitias.

In qvibvs sit veritas. Heb. *viros veritatis*, id eſt, qui ſectatores ſint veritatis, diligendo id quod verum, & iuſtum & rectum eſt in legibus, in probationibus, in teſtibus: talis enim animus: non facilè abripitur à reddenda iuſtitia, vnde viri veritatis hîc ſunt viri iuſti, vt lxx. tranſtulerunt.

Et qvi oderint avaritiam, viro enim priuato ſufficit carere auaritia, iudici neceſſe eſt eam odiſſe, vt ſcilicet abhorreat à muneribus, qua excæcant oculos ſapientum.

Et constitve ex eis tribvnos. Hebraicè clariùs. *Conſtitue præfectos mille virorum, centi virorum, quinquaginta virorum, & decem virorum*, qui à noſtro decani vocantur. Hic igitur erat ordo, vt quinque decani ſubeſſent vni quinquagenario: duo quinquagenarii vni centurioni: decem centuriones vni tribuno, quaſi colonello. An verò omnes tribuni totius populi immediatè ſubeſſent Moyſi; nempe ſexcenti in populo ſexcentorum millium an verò potius, quæque tribus haberet vnum principem, qui præeſſet tribunis ſuis, hîc non dicitur: ſed hoc poſtremum veriſimilius eſſe patet ex lib. Numerorum, vbi duodecim principes tribuum numerantur, qui proinde immediatè ſubiecti erant Moyſi, ad quem vltimo appellabatur.

Capvt XIX.

Menſe tertio egressionis, non quaſi quinquaginta nouem, vel 60. dies qui duos menſes faciunt, eſſent impleti à die egreſſionis, vt aliqui perperam putauerunt, ſed quia primi duo menſes anni abſoluti erant, etſi egreſſio non fuiſſet inſtituta niſi 15. die menſis primi.

In die hac. D. Auguſtinus quæſt 70. & Abulenſis putant ſignificari diem primum, & conſequenter, quod infrà dicitur verſ. 11. *Sint parati in diem tertium*, quo lex danda erat intelligunt de die tertia menſis tertii: Sed cùm lex data ſit die 50. ab egreſſu (in cuius memoriam feſtum Pentecoſtes, quaſi diceres quinquageſimæ, inſtitutum eſt) difficulter eo modo dies iſti inueniri poſſunt, quæ cauſa fuit, vt Abulenſis legem datam putet die 48. ab egreſſu, Aug. verò vt eos inueniat omnes menſes dierum facit, & à veſpera Paſchatis id eſt, 14. incipit. Sed quia in vtroque magnum incommodum eſt, rectiùs per *diem hanc* intelligimus diem eandem, ſeu eiuſdem numeri, qui ſcilicet præceſſit, diem nempe tertiam; ſic enim rectè inuenientur 50. dies. Porrò dies illi computandi ſunt ab egreſſu, ſeu à 15. die excluſiuè, ita ſcilicet vt 50. dies compleantur poſt diem egreſſionis. Cuius ratio eſt quod dies datæ legis incidere debeat in eundem diem cum feſto Pentecoſtes, quod id eius memoriam inſtitutum fuit, atqui dies illi ad inueniendum feſtum Pentecoſtes computari incipiebant ab altera, ſeu ſecunda die Paſchatis, quo offerebatur manipulus ſpicarum, eratque 16. dies menſis primi, vt patet Leuit 23. v. 11. & 15. Iam verò collige dies 14. qui reſtant in menſe primo (eſt enim ille menſis cauus, id eſt, vigenti nouem dierum, vt ſuprà diximus) & 30. menſis ſecundi & 6. menſis tertii erunt præciſè 50. dies.

3. Moyses avtem ascendit ad Devm, qui illi cap. 3. in hoc monte apparuerat, & ſibi in eo ſacrificari præceperat.

Vocavitqve evm Dominvs, id eſt, quia vocauerat eum Dominus, vt Pagninus; datur enim ratio aſcenſus, nam vau Hebraicum ſæpè copulatiuè ſumi Gen. 14. diximus.

4. Qvomodo portaverim vos, per prouidentiam meam, svper alas aqvilarvm, id eſt, ſicut ſolet aquila portare pullos non in vnguibus, ſicut aues cæteræ, ſed ſupra alas ſuas, ne à iaculantibus transfigantur; ni ipſe prius transfixâ. Oſtenſa ſunt iſta prouidentia quando Angelus c. 14. ſe poſuit inter Ægyptios & Hebræos.

5. Eritis mihi in pecvlivm, id eſt, inſtar theſauri magnoperè delecti, vtrumque enim & pretium & amor indicatur voce Hebraica *ſegulla*, vt Rabbi Salomon expreſſit. Et huc tendunt omnes aliorum verſiones, vnde D. Paulus & lxx. vertunt populum *περιούσιον*, id eſt, populum peculiarem

exquiſitum, ſelectum ſcilicet ex omnibus gentibus.

MEA EST ENIM OMNIS TERRA, tamquam poſſeſſio & hæreditas mihi propria, ſed vos eritis illius hæreditatis peculium, vt beneficii iſtius magnitudinem æſtimetis. Neque hoc tantummodo, ſed

6. ERITIS MIHI IN REGNVM SACERDOTALE. D. Petrus Epiſt. 1. c. 2. ex LXX. inuerſo modo legit, *in ſacerdotium regale*, ſed idem ſenſus eſt, non vt aliqui volunt quòd futuri ſint regnum in quo ſacerdotes regnent, hoc enim vſque poſt captiuitatem Babylonicam falſum eſſe patet, & particula *mihi* aliud poſtulat, ſenſus eſt ergo, Eritis in regnum mihi cuius ſcilicet ego ſum peculiariter rex; hac enim de cauſa ægrè tulit Deus 1. Reg. 8. v. 7. quod alium regem poſtulando ſe reiecíſſent. Nam vſque ad illud tempus Deus Rempublicam illam per Iudices, velut vicarios à ſe electos rex erat. Regnum autem illud erit *Sacerdotale*, id eſt, non profanum, vt cætera regna ſunt, ſed cultui meo, & ſacrificiis dedicatum. Vnde his verbis vtrumque Reipublicæ ſtatum promittit, & politicum & ſacrum.

In vtroque figuram geſſerunt Teſtamenti noui, ſeu Eccleſiæ Chriſtianæ de qua vſurpat hæc verba D. Petrus & Ioannes Apocal. 1. v. 6. Sunt enim fideles regnum Dei, in quo Deus regnat & colitur, & amatur, facitque illos Deus reges, quia cupiditatum ſuarum motibus non ſuccumbere, ſed regendo præeſſe nouerunt, inquit Gregor. l. 26. Moralium c. 21. aliàs 16.

ET GENS SANCTA, quam ſicut exterori electione ab omnibus idolo latris ſeparabo, ita & interiori gratia ſanctificabo.

8. CVMQVE RETVLISSET. Hebraicè, *&* *retulit*, id eſt, ad referendum iam aſcendebat & ſe ſeparabat, ſed præuenitur à Deo. Nam poſt hæc verba Dei interpoſita, quòd venturus eſſet in nube caliginoſa ad conſtituendum eum non clam, ſed palam populi legiſlatorem, dicitur tandem Moyſes retuliſſe verba populi.

10. SANCTIFICA ILLOS, id eſt præcipe, vt ſe ſanctificent ab omni immunditia ſe ſeparando, tum corporali, purgando caſtra, tentoria, lauando corpus & veſtes, ſeparando ſe ab vxoribus; vt eſt v. 15. tum ſpiritali, vt ſic accipiendam legem cum magna reuerentia diſponantur.

11. ET SINT PARATI IN DIEM TERTIVM. Non menſis ſed tertium ab hoc præſenti die quo loquor. Erat enim ſextus dies menſis, vt ſuprà dictum eſt: quem diem calendaria Hebræorum deſignant diem datæ legis, vt videre licet apud Salianum.

13. CVM CŒPERIT CLANGERE BVCCINA, id eſt, audiri ſonus, quaſi buccinæ Angelo aërem collidente. Nam quod Iudæi buccinam illam volunt fuiſſe cornu arietis pro Iſaac immolati, fabulantur more ſuo.

TVNC ASCENDANT IN MONTEM, id eſt, verſus montem, ſic tamen vt ex curioſitate non tangant terminos à me præfixos, vel aſcendant in eum, alioquin repugnare verſui 12.

18. TOTVS MONS SINAI FVMABAT, fumo ignibus mixto, vt ſolet fieri in fornacibus flammam euomentibus. Nam Deut. 4. v. 11. dicitur mons arſiſſe, vſque ad cœlum. Fiebant hæc omnia primò ad incutiendum rudi populo terrorem & timorem Dei; tunc enim erat ſtatus timoris, quo carnalis populus regi, & à vitiis arceri debebat, nunc amoris, vnde dicitur populus timuiſſe, ſed non amaſſe, ſecundò ad adumbrandam aliquo modo maieſtatem Dei; tertiò denique ad ſignificandum aliquid ac docendum de Deo. Ignis enim Dei naturam, principatum, efficacitatem, gloriam, cæteraque multa eius attributa aptiſſimè ſignificat propter multiplices eius proprietates, quas latè & præclarè, vide apud Dionyſium Areopagitam c. 15. de cœleſti Hierarchia. Hîc verò pecurialiter deſignabat Deum inſtar ignis per legem illuminatorem fore & punitorem: fumus & deſiſſima nubes ſignificant Dei obſcuritatem & incomprehenſibilitatem: mons in quem deſcendit Dei ſublimitatem, ac dogmatum altitudinem: tonitrua, legem terrentem carnales animos: fulgura, eandem illuminantem: pluuia irrigantem: turbo quem Apoſtolus ad Hebræos 12. v. 18. affuiſſe dicit vindicantem tranſgreſſores: tuba pro-

vocantem ad bellum concupiſcentiis ſuis indicendum: ſed gratia quæ incrementum daret ac tangeret & mutaret cor, nouo Teſtamento ſeruata fuit. Tetigit nonnulla D. Cyrillus l. 3. in Ioan. c. 3.

ERATQVE OMNIS MONS TERRIBILIS, tum propter prædicta, tum propter terræ ac montis motum coniunctum, vt indicatur Pſalm. 67 v. 9. Quod etiam Hebræa indicant hoc loco prout nunc puncta diſpoſita ſunt, legendo *mons contremuit*, etſi Hieronym. aliis punctis legat *mons terrebat*, ſeu erat terribilis.

20. DESCENDITQVE DOMINVS, ſeu Angelus Dominum repræſentans. Deſcendit ex loco aëris celſiore in ipſum montis verticem.

ET VOCAVIT MOYSEN, ex radice montis, vbi antè loquebatur & Deus ſenſibili voce ei reſponderat. Tametſi quidam ea verba verſu 19. poſita eſſe velint per prolepſim.

22. SACERDOTES QVOQVE non Aaronici, necdum enim iuſtituti erant, ſed legis naturæ quos primogenitos fuiſſe communiter putant.

QVI ACCEDVNT AD DOMINVM, non ad montem Sinaï, hoc enim eis prohibitum erat, ſed qui accedere ſolent ad Deum.

SANCTIFICENTVR, eâ ſanctificatione de qua ſuprà.

23. DIXITQVE MOYSES, deprecando deſcenſum vt citiùs Dei colloquio frueretur: NON POTERIT VVLGVS ASCENDERE, nempe quia non audebit, territum ſcilicet tum præcepto antè iam promulgato, vt ſequitur, tum terribili iſta maieſtatis tuæ apparitione. Sed Deus non acquieſcit iſti excuſationi, partim quia Aaron quoque aduocari debebat vt ſacerdotium eius quoque diuinitus inſtitutum conſtaret, partim quia & ipſe Moyſes decalogi promulgationem audire debebat.

CAPVT XX.

1. LOCVTVSQVE EST DOMINVS, Angelus tamquam legatus voces & appellationes Dei mittentis vſurpans, vt fieri ſolet. Locutus eſt autem non voce buccinæ: talis enim vox articulata non eſt, ſed humanâ & intelligibili voce ex nubibus exiliente, quam totus ille numeroſiſſimus exercitus percipere poſſet.

CVNCTOS SERMONES HOS. Nempe decalogum, hic enim tamquam naturæ lex quam omnium mentibus Deus inſeruit, etiam immediatè à Deo non à Moyſe populo promulgatus eſt. Decalogus autem dicitur Græcè quaſi *decem verba*; id eſt, decem præcepta, quæ apellatio deſumpta eſt ex Deuteron. 4. v. 13. vbi decalogus vocatur tam Hebraicè quàm Latinè *decem verba quæ ſcripſit in duabus tabulis lapideis*. Iſta iſto autem numero præceptorum denario omnes conueniunt: in diſtinctione non item. Nam Philo libro de decalogo, Iudæi communiter, & ferè Græci, verſum 3. & 4. huius capitis, id eſt, præceptum de diis alienis & de ſculptilibus in duo præcepta diſtincta diuidunt: contrahunt verò in vnum præceptum de concupiſcentia vxoris proximi & aliarum rerum, ita vt ſint quatuor præcepta circa Deum, ſex circa proximum quod Caluino & hæreticis noſtris vehementer placet, vt commodiùs imagines expugnare poſſint. Contra verò Auguſtinus multis locis præcipuè libro de decem chordis c. 5. & 6. & q. 71. in Exod. contrahit illa duo de diis alienis & idolis in vnum: diuidit verò illa duo de non concupiſcendo, vt ſint tria tantum de Deo & ſeptem de proximo, quem ferè Scholaſtici ſequuntur. Et modus ille partiendi multò rationabilior eſt, quia prohibitio idolorum reuera non eſt aliud quàm perfectior explicatio eius quod dixerat. *Non habebis Deos alienos*, quod patet ex ſubiuncta ratione prohibitionis verſ. 5. repetit enim *Ego ſum Dominus Deus*. Rurſum ſic aptiſſimè tribus illis præceptis de Deo inſinuabitur Trinitas perſonarum, v Auguſtinus notat, primò quidem vnitas Patris, contra Deorum multitudinem, ſecundò verò veritas Filii, contra vanitatem, tertiò donum Spiritus ſancti quo requies nobis æterna tamquam ſabbatum perpetuum præſtatur. Diuiſio verò duorum præceptorum de non concupiſcendo indicatur clarè in Hebræo tam

hîc quàm Deuteronom. 5. verſ. 21. per repetitionem verbi *non concupiſces* vxorem, & non concupiſces domum, &c. vnde LXX. vtrobique duo illa præcepta diuiſerunt, tametſi in noſtro textu hîc confuſa ſint. Et ſanè res ipſa poſtulat vt diuidantur, quia tam differunt concupiſcentia vxoris & concupiſcentia bonorum proximi, ſicut non *adulterabis* & non *furaberis*.

2. EGO SVM DOMINVS. Eſt hîc Hebraïcum nomen tetragrammaton quod ſignificat, vt alibi dictum eſt, eſſe Dei independens & infinitum & fontem omnis eſſentiæ, vnde ſignificat maieſtatem Dei in ſe.

DEVS TVVS, Elohim, quod ab El, id eſt, fortis dicitur, & maximè Deo tribuitur tamquam iudici, & prout potenter mundum regit, vnde & pro iudicibus poni ſolet. Significat ergo Deum comparatione creaturarum: cuius ingens beneficium ſtatim addit,

QVI EDVXI TE, &c. Duplici ergo iſto titulo indicat ſe ſolum eſſe cui cultus diuinus & obedientia debeatur. Eſt enim hæc præfatio quidem ad totum decalogum, ſed tamen ſimul etiam eſt tacitè præceptum affirmatiuum de colendo vno vero Deo, quod vt vberiùs explicaret, ſubiungit & negatiuum,

NON HABEBIS DEOS ALIENOS, id eſt, alios vt eſt Hebraïcè & Græcè: CORAM ME, id eſt, in conſpectu meo, vt transfertur Deuteron. 5. ſeu me vidente, ita ſcilicet vt ſimul colas me & Deos alios tamquam Deos, vnde LXX. quoad ſenſum tranſtulerunt *alios præter me*. Quod verò hinc inferunt hæretici prohibitum eſſe cultum ſanctorum, ſtolidè errant. Cultus enim ſanctorum non eſt cultus aliorum Deorum qui hîc vetatur, ſed talis eſt, vt ſi eum Deo vero exhiberemus dicendo, pater vel Spiritus ſancte Deus, ora pro nobis, tamquam blaſphemi puniremur creatorem in creaturam transformantes. Vt autem præceptum iſtud & varietatem Deorum aliorum magis diſtinctè explicaret, ſubdit,

4. NON FACIES TIBI SCVLPTILE, id eſt, ſimulachrum ſculptum, ſub quo & fuſile, & ductile, & tornatile, & ſimilia accipienda ſunt, vt diſtinguatur contra pictas omneſque planas figuras quæ verantur verbis ſequentibus. Sculptile autem in Scriptura paſſim accipitur in malam partem, pro idolo ſeu ſtatua quæ pro Deo adoratur. Hinc v. 23. explicans Deus primum præceptum cuiuſmodi ſcilicet ſculptile prohibuiſſet, vocat *Deos aureos & argenteos*: & LXX. clariùs hîc verterunt, *Non facies tibi idolum*, quod ſcilicet tibi ſit pro Deo alio.

NEQVE OMNEM SIMILITVDINEM, &c. ſiue illa ſit ſculpta ſiue picta, ſiue aliter comparata, ſupplendum autem: *Non facies tibi*, id eſt, vt illa tibi ſit Deus alius coram me, manetur enim in eiuſdem præcepti explicatione. Vt autem indicaretur agi de ſculptili & imaginibus non quibuſlibet ſed idolicis, addit,

5. & 6. NON ADORABIS EA, corporis incuruatione proſtratione, vel inuocatione, NEQVE COLES ſacrificiis alioque cultu qui Deo tribuitur: quod LXX. vno verbo expreſſerunt, *Non coles latria*, eſt enim cultus ſoli Deo debitus.

EGO SVM DOMINVS. Eſt ratio prohibitionis, quia ſcilicet ego ſum ſolus verus Deus qui gloriam diuinitatis alteri non dabo, nec laudem meam ſculptilibus. Iſaiæ 42. v. 8. Ex quibus patet eorum imperitia, qui vt Catholicos quoquo modo carpere poſſint, omnes omnino imagines hic veritas volunt: ſed ita abſurda eſt hæc opinio vt refutatione vix indigeat. Si enim iure naturæ vetitas putant, ſicut decalogus excepto 4. præcepto prima iuris naturæ præcepta continet, ſequeretur, ſerpentem æneum, Cherubinos, palmas à Salomone ſculptas, apparitiones omnes Dei & Angelorum contra ius naturæ factas eſſe: item omnem viſionem, imaginationem, intellectionem, conceptum, quæ ſine ſimilitudine fieri nequeunt, productionem hominis qui eſt imago Dei, imo & generationem filii Dei qui eſt imago Patris eſſe naturæ iure illicitas: omnem artem pingendi & ſculpendi. Et ſanè quid ſtultius quàm illicitam eſſe iure naturæ ſimilitudinem rei veræ & licitæ? Sin verò velint, poſitiuo tantùm Dei præcepto ſimilitudines omnes eſſe vetitas,

iam nihil tangit Catholicos, vtpote quòd ſit præceptum ceremoniale, ſicut illud 4. de Sabbato quod nunc ceſſauit. Sed tamen & hoc falſum eſt, eſt cùm conſtet viſionem, ſcriptionem, generationem & huiuſmodi multa quæ ſine ſimilitudinum effictione fieri nequeunt, etiam antiquitus licuiſſe. Caluinus videns abſurditatem rei, vult ſaltem omnes imagines Dei ſeu Deum repræſentantes hîc iure naturæ vetitas. Iuuant eum Henricus Stephanus in Lexico, & eius abbreuiator Scapula, qui dicunt vſu Eccleſiaſtico vocem idolum, ſignificare omne ſimulachrum numen repræſentans quod cultu dignamur: ſed id falſum eſt. Idolum enim quamuis vſu ſæculari latè pateat, vſu Scripturæ & Eccleſiaſtico ſignificat ſolam imaginem falſi Dei, ſiue qui non eſt Deus; & hoc ſenſu dicit Scriptura. *ſcimus quia idolum nihil eſt*, quia ſcilicet nec eſt verus Deus, nec repræſentat verum Deum. Deinde ſequeretur omnes imagines Dei quæ apparuerunt in veteri Teſtamento Adamo, Abrahæ, Iacob, Moyſi, Danieli, Ezechieli, Ioanni in Apocalypſi, fuiſſe idola, & colentes ea idola coluiſſe, Filium Dei eſſe idolum Patris, quæ abſurdiſſima & blaſphema ſunt. Et hinc eſt quod Scriptura deſcribit Deum etiam verbis tribuendo ei aures, oculos, brachia, &c. non vt ſignificetur eis præditus, ſed vt per illa membra velut rudes & inadæquatas ſimilitudines perfectiones eius ſignificentur. Ineptiùs autem delirant recentes illi quatuor Profeſſores Leidenſes diſputatione 19. qui idolum vocant omnem ſimilitudinem cuius cultus quilibet religioſus exhibetur, quaſi ille ſoli Deo conueniret: cuius erroris refutatio alterius loci eſt. Totum itaque hoc præceptum eſt naturale, vetans omnes & ſolas imagines idolicas quocumque modo factas. Tametſi Vaſquez, cui fauet Tertull. lib. 2. contra Marcionem c. 22. & Origen. contra Celſum velit omnes imagines fuiſſe vetitas in veteri Teſtamento quæ eſſent factæ modo accommodato ad adorandum, id eſt, quæ quaſi conſiſterent per ſe, non vt appendices vel ornamenta alterius rei: & ſic præceptum iſtud ex naturali & ceremoniali eſſet mixtum. Sed verius id quod diximus. Quod enim Iudæi omnes huiuſmodi ſtatuas abominati ſunt, exceſſum potius ſuperſtitionis arguit, quàm veram legis intelligentiam: nam & imagines quæ erant tantùm ornamenta ſignorum bellicorum, deteſtabantur tamquam illicitas, vt patet ex Ioſepho lib. 18. Antiq. cap. 4.

Ego svm dominvs zelotes, quia inſtar viri zelotypi ferre non poſſum, quod creatura rationalis fornicetur cum alio Deo tamquam cum alio viro, vt Theodoretus q. 39. Nam quia zelando ſolent mariti vxorum pudicitiam cuſtodire, hinc poteſtas & diſciplina Dei qua fornicari animam impunè non ſinit zelus dicitur, inquit Aug. lib. contra Adimantum cap. 7. ſimulatque autem Deus amare deſinit, etiam zelare deſinit: vnde minando per Ezechielem c. 16. v. 42. dicit. Et auferetur zelus meus & quieſcam, nec iraſcar amplius.

Visitans iniqvitatem patrvm in filios, &c. id eſt, vindicans peccata patrum in filiis, in tertiam et qvartam generationem, id eſt, vſque ad nepotes, pronepotes & abnepotes. Non tamen negat ſe etiam vlterius viſitare, vt in Amaleticis patet, qui poſt quadringentos annos propter peccata patrum puniti ſunt, & in Iudæis ſuper quos omnis ſanguis iuſtus aliquot millibus annorum effuſus venit, ſed numerus finitus ponitur pro indefinito, ſicut etiam ſtatim.

Faciens misericordiam in millia, id eſt, in plurimas generationes. Tertiæ tamen & quartæ generationis mentionem facit, quia tam diu ſolent homines viuere, vt ſaltem poſteritati ſuæ proſpicientes ab idololatria recederent, vt Tertull. lib. 2. contra Marcionem cap. 15. quis enim non magis filiorum ſalutem, inquit, quàm ſuam curet? Hoc autem ne quis iniuſtum eſſe diceret, ſicut apud Ezechielem cap. 18 verſ. 2. & 25. palam dicunt, ſtatim addit.

Eorvm qvi oderunt me, id eſt, qui in peruerſitate parentum perſeuerare voluerunt, vt Auguſtinus contra Adimantum cap. 7. Nec enim Deus ſtatim, vt perpetrata ſunt, peccata punire ſolet, ſed tantùm

cum certa menſura in profundo diuinæ prouidentiæ conſtituta impleta fuerit. Tunc autem longè grauiùs propter peccata parentum punit poſteros, quam eos per ſe puniuiſſet, neminem tamen grauiùs quàm ex iuſtitia pro peccatis propriis meretur: idque ſiue tunc actu iuſtus fuerit, ſiue iniuſtus. Nam & præteritorum peccatorum pœna manere ſolet, ſicut de morte & morbis manifeſtum eſt. Quod autem apud Ezechielem dicitur c. 18. vnumquemque in ſua iniquitate moriturum, non eſt huic contrarium. Loquitur enim de his qui peccata patrum, non imitantur, & præcipuè de pœna animæ: non enim pro alienis peccatis, ſed propriis vnuſquiſque animę morte moritur ac damnatur: tametſi pœnâ corporis etiam paruuli iuſtificati, ſed pœnam portantes peccati originalis, occaſione peccati parentum iuſtè puniantur.

7. NON ASSVMES NOMEN DOMINI IN VANVM, putando Deum eſſe creaturam, inquit Aug. lib. de decem chordis c. 5. vnde & Tertull. lib. de Idolis c. 20. per *vanum* intelligit idolum quaſi prohiberetur ne idola vocemus Deos. Alii per *vanum* intelligunt falſum, vt ſolum periurium prohibeatur. Sed verius id quod dicit Theod. qu. 41. in Exodum prohiberi, ne quis nomen Dei pronunciet, ſine iuſta ratione, id eſt, ſiue docendi, ſiue precandi, ſiue aliâ neceſſitate, vt ſic vetetur omnis irreuerentia diuini nominis, ſiue fiat iurando, ſiue blaſphemando, ſiue negando, ſiue aliter, & ſic intellexit noſter interpres quando vertit eadem verba. Hebraïca Deuter. 5. v. 11. *Aſſumere nomen Dei fruſtra*, item, *aſſumere ſuper re vana*.

NEC ENIM INSONTEM HABEBIT, id eſt, ſontem habebit, vel vt transfertur Deut. 5. *Non erit impunitus*, id eſt, ſeuerè puniet irreuerentiam illam, plus enim ſignificatur quam dicitur, cuiuſmodi locutiones ſunt. 1. Reg. 12. verſ. 2. & Micheæ 2. verſ. 1.

8. MEMENTO tamquam rem iam ante tibi notam ſiue ex collectione mannæ, ſiue vſu patrum antiquorum. Nam etiam in lege naturæ ſabbatum aliquo modo innotuiſſe diximus.

VT DIEM SABBATI SANCTIFICES, id eſt, velut ſanctum & à cęteris diebus ſeparatum, ſanctè colas. Modus autem colendi conſiſtit in iis quæ ſequuntur, vt nullum opus ſcilicet ſeruile facerent, nam nec cibum in eo parare licebat, vt ſuprà cap. 16. verſ. 23. nec ignem accendere, vt infrà cap. 35. v. 3. quæ in aliis feſtis erant licita. Opus verò miſericordiæ & neceſſitatis non prohibetur, vt pecora adaquare, proximis ſuccurrere, ſe defendere, vt ex Chriſto Iudæorum ſuperſtitionem ſæpiùs caſtigantè, & ex Machabæis 1. Machab. 2. verſ. 38. patet, vt enim Tertullianus ait 4. contra Marcionem cap. 12. opus incolumitatis & ſalutis non eſt hominis, ſed Dei proprium.

10. SEPTIMO DIE SABBATVM DOMINI. id eſt, Domino dedicatum & ſacrum. Hîc indicatur finis huiuſmodi ſanctificationis per ceſſationem operum, videlicet, vt ad cultum Dei impenderetur, idque multipliciter: Primò ad recolendum tum animo grato, tum hâc ipsâ corporali requie opus creationis mundi, & requietis Dei, quæ cauſa datur hîc ſtatim verſu 11. & Gen. 2. Deinde, vt eſſet ſignum, quòd Deus eſſet qui ſanctificaret eos, vt dicitur Exod. 31. v. 14. Ceſſatio enim illa tempus dabat, vt vacarent Deo & ab ipſo tamquam ſola & vera cauſa eſt quæ nos facit à noſtris ſeruilibus, id eſt, malis operibus ceſſare, quam ſabbati ſignificationem aliquoties explicat Auguſtinus. Tertiò ad recolendum quòd à Deo educti eſſent è ſeruitute, ſeu operibus ſeruilibus Ægyptiacis, quæ cauſa ſabbati datur Deut. 5. v. 15. Quartò ad ſignificandum anagogicè quietem æternam, quam Deus erit in cælo daturus nobis ab omni prorſus opere ſeruili, ſeu peccato. Tangit eam Apoſtolus ad Heb. 4. v. 3. Ex quibus patet præceptum ſabbati quatenus ad colendum Deum iſtis modis refertur eſſe naturale: natura quippe dictat tempus aliquod diuino cultui eſſe tribuendum, contra quod peccant quotquot nugis, choreis, aleis, poculis, otio dies feſtos impendunt potiùs quàm Deo: quatenus verò dies iſte ſeptimus eſt, & tam arctam ceſſationem requirebat, eſſe ceremoniale, &

Chriſti lege abrogatum. Porrò cauſa naturalis huius præcepti fuit eadem quæ inſtitutæ noctis, vt ſcilicet requies aliqua daretur operariis, ſiue hominibus, ſiue brutis, ne continuatione laboris opprimerentur, vt tangitur Deut. 5. v. 14.

12. HONORA PATREM, &c. non tantùm animo, verbis, aliiſque ſignis reuerendo, vel ſalutando, ſed maximè obſequendo & neceſſitatibus eorum ſuccurrendo; vt Hier. notat in c. 15. Matth. v. 6. ille eſt enim realis honor, quo Apoſtolus iubet viduas & preſbyteros honorari 1. Timoth. 5. v. 3. & 17. cuius ſubtractionem grauiter in Phariſæis arguit Chriſtus Matth. 15. v. 6.

VT SIS LONGÆVVS SVPER TERRAM, Chanaan ſcilicet, vt tam hîc quàm Deut. 5. patet. Quæ tamen quia figura fuit terræ non morientium, ſed viuentium, hinc etiam illa parentes honorantibus promittitur, vt intelligit Hieron. in cap. 6. ad Epheſios, vbi propter hanc promiſſionem vocatur ab Apoſtolo mandatum primum in promiſſione, id eſt, cui promiſſio adiuncta eſt. Meritò autem talis promiſſio vitæ longioris ei addita eſt, quia vita eſt velut feudum à parentibus datum quod propter infidelitatem reuocari ſolet, vt notat D. Thom. opuſculo 7.

13. NON OCCIDES, hominem ſcilicet, vt Auguſt. 1. de Ciuitate cap. 20. explicat contra nonnullos qui & brutorum occiſionem hîc prohiberi volebant, & hoc vox Hebraïca propriè ſignificat. Intellige autem hominem quemlibet ſiue ſontem, ſiue inſontem: ſiue alterum, ſiue teipſum. Nam quicumque hoc in ſeipſis perpetrauerunt, animi magnitudine fortaſſis mirandi, non ſapientiæ ſanitate laudandi ſunt, inquit c. 31. Exceptio autem fieri debet de his, quos vel lex Dei generaliter, vel iuſſio eius ſpecialiter iubet occidi, tunc enim non tam homo, vel Reſpublica occidit quàm Deus ipſe cui homo miniſterium debet, vt Auguſt. quæſt. 71. in Exodum, & loco de Ciuitate Dei citato. Et hoc eſt quod alii addunt ſupplendum eſſe *priuata authoritate*. Referuntur autem huc omnia quæ ad occiſionem tendunt; vt ira, rixa & ſimilia.

14. NON MOECHABERIS, à parte, ſeu vna ſpecie impudicitiæ totam generis latitudinem intelligi voluit; nomine autem mœchiæ omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus vſus prohibitus debet intelligi: ſicut per illud,

15. & 16. NON FVRABERIS, prohibetur omnis illicita vſurpatio rei alienæ, vt rapina, vſura, & ſimilia, vtrumque tradit Auguſtinus quæſt. illa 31. ſimiliter nomine FALSI TESTIMONII, omnis iniuria prohibetur, quæ proximo verbis irrogatur, vt contumelia, irriſio, detractatio, &c.

17. NON CONCVPISCES DOMVM, &c. VXOREM, &c. nempe ſolo actu interno, hoc enim docere rudem populum erat valde neceſſarium, cùm Ioſephus etiam poſt datam legem dicat lib. 12. Antiquit. cap. 13. voluiſſe tantùm, & non perfeciſſe ſacrilegium non videri tem dignam ſupplicio. Qui Iudæorum error à Chriſto corrigitur Matth. 5. v. 22. & 28. Confunduntur autem hîc duo præcepta in textu Hebraïco, & noſtro quæ clarè ſeparantur Deuter. 5. vt etiam hîc apud LXX. nempe præceptum de concupiſcentia vxoris alienæ, & de concupiſcentia bonorum. Non vetatur etiam ſeorſum concupiſcentia homicidii & concupiſcentia falſi teſtimonii, quia vt D. Thomas ait 1. 2. quæſt. 100. a. 5. ad 5. delectatio adulterii & vtilitas diuitiarum ſunt propter ſe appetibilia, in quantum habent rationem boni, vnde non ſolum opus, ſed & concupiſcentia vetari debuit: ſed homicidium & falſitas ſunt ſecundum ſe horribilia & mala, quia proximus & veritas naturaliter amantur, vnde ſufficiebat, expreſſè peccatum operis prohiberi. Adde paſſiones concupiſcibilis eſſe radices paſſionum iraſcibilis, vnde radicibus prohibitis, omnes rami cenſentur prohiberi. Vetantur autem hîc ſolæ concupiſcentiæ voluntariæ, id eſt, conſenſus in paſſiones illas, non ipſæ paſſiones quaſi ſentiendo reum conſtituerent, vt volunt hæretici, contrarium enim clarè docet Apoſtolus, ad Rom. 7.

18. CVNCTVS POPVLVS VIDEBAT VOCES, id eſt, percipiebat eas, auditu ſcilicet, viſio pro perceptione cuiuſlibet ſenſus in quali-

bet penè lingua ponitur, vt notat Auguſtinus tum hic quæſt 72. tum lib. 10. Confeſſ. cap. 135. Per voces autem intelligitur, vel promulgatio decalogi ex nubibus per Angelum facta, vel potiùs tonitrua, poſt promulgationem iterum erumpentia, datur enim cauſa timoris, cur nollent ſibi Deum vlterius loqui,

Et lampades, id eſt, fulgura, et sonitum bvccinæ, quæ de nouo incipiebat clangere, & idcirco territi ne morerentur tam terribili apparitione Dei.

Steterunt procul, recedentes à monte Sinai & Deo. Contigerunt enim hæc poſt promulgatum decalogum, vt clarè patet Deuter. 5. v. 22. & 23. Per hunc autem timorem populi, inquit Aug. qu. 73. multum & ſolidè ſignificatur ad vetus teſtamentum timorem pertinere, ſicut ad nouum dilectionem: per receſſum à monte ac Deo, figurabatur eos etiam factis longè ſtaturos à Deo, eò quod timor non ſit qui faciat præcepta ſeruari, ſed dilectio qua quis accedit ad Deum; & hoc tunc ſignificatum eſſe indicat Apoſtolus ad Heb. 12. v. 19. & 25.

20. Vt enim probaret vos, vt ſcilicet innoteſceret non Deo, ſed ipſis Iſraëlitis quales eſſent in ſeruandis mandatis Dei. et vt terror illivs esset in vobis, hoc quoad ſenſum debet præcedere, quaſi dicat, ideo Deus ſic apparuit, vt quia dilectio non eſt adhuc in vobis, ſaltem timor eius in vobis ſit, vt ſic probet cuiuſmodi ſitis, ſolus enim timor non ſeruat mandata Dei, relinquit enim cor malis deſideriis plenum & manum tantummodo cohibet, vnde ceſſante illo pœnæ timore, mox deſideria erumpunt in facta.

21. Stetit popvlvs, &c. Moyses accessit, &c. in qua diuerſitate paſſim notant PP. Nazianz. Orat. 29. & latiùs 34. Ambroſ. Sermone 19. in Pſal. 118. gradus incipientium, proficientium & perfectorum, dum ſolus Moyſes caliginem diuinitatis ingreditur, ſacerdotes ad radices montis manent, populus conſiſtit procul à Deo.

24. & 25. Altare de terra facietis mihi, infrà datur exceptio v. 25. vel de lapidibus, ſed non sectis, id eſt, impolitis, nullo ferro aptatis. Si levaveris cvltrvm svper eo, id eſt, ferrum quodlibet quo lapides poliantur, pollvetvr, pollutum habebitur & ineptum ad offerenda in eo ſacrificia quæ ſanguinis effuſione mactantur. Nam altare thymiamatis ipſemet poſtea ex auro fieri voluit. Operiri tamen poterat hoc altare ære, ſicut præſcribitur infrà cap. 27. verſ. 2. & hoc ſenſu altare Salomonis dicitur æreum 3. Regum 16. verſ. 14. Nam intus fuiſſe plenum lapidibus patet 1. Machab. 4. v. 46. Prohibentur ergo hoc loco altare victimarum facere ex auro, argento, ligno, vel marmore affabre dolatis, vt gentiles diis ſuis faciebant, idque, vt ab omni ritu gentilium & idololatria quàm longiſſimè diſcederent, neque ſuperſtitiosè putarent, in materia, vel arte adhibita aliquid numinis, vel virium latere ad placandum Deum, vt D. Thom. 1. 2. q. 102. art. 4 ad 7. vbi & myſticam rationem vide.

26. Non accedes per gradvs ad altare, ne vt ſequitur in aſcenſu aliqua turpitudo conſpiceretur, vt fiebat in ſacris Priapi, cui periculo poſtea magis cautum fuit per fœminalium lineorum confectionem cap. 28. v. 42. vnde putant tunc præceptum hoc de gradibus ceſſaſſe, & ideo altare Salomonis 2. Paralip. 4. v. 1. quia 10. cubitorum erat altitudinis, & altare Ezechielis cap. 43 v. 17. habuiſſe gradus. Sed incredibile eſt Deum hoc præceptum tam citò poſt 40. ſcilicet dies quibus Moyſes in monte fuit reuocaſſe, vnde dicendum, aſcenſum ad illa altaria fuiſſe planum inſtar pontis, ſine gradibus, & paulatim aſcendentem, ſic enim nihil erat periculi, quamquam D. Thomas putet non fuiſſe vetitum per gradus portatiles, id eſt, ſcalas aſcendere.

Capvt XXI.

1. HÆc svnt ivdicia, id eſt, præcepta iudicialia, ſecundùm quæ Iudices lites finire debent & populum regere, diſtinguuntur hæc à ceremonialibus, quod hæc non populum, ſed cultum Dei reſpiciunt: & vtraque à naturalibus, quod hæc ex natura ſua vim obligandi habent, illa ſolùm ex inſtitutione Dei.

2. Si emeris servvm, vt ſit tibi non famulus, vel mercenarius, ſed mancipium.

In septimo egredietvr liber, non ſeptimo à die emptionis, ſed anno ſeptimo qui toti genti communis erat, & vocabatur Sabbaticus. Sicut enim Græci per Olympiades, id eſt, quatuor annorum decurſum, ita Iudæi per hebdomadas annorum computabant, & anno ſeptimo non dicebat agros colere, & ſeruos debebant dimittere. Hæc igitur emptio erat quaſi ſpecies quædam conductionis ad tempus, vnde iuxta leges conductionis creſcebat pretium pro multitudine annorum reſtantium, vſque ad ſeptimum. Vide c. 25. Leuit. v. 15. & 16. ſimile quid de venditione agrorum qui reddi debebant anno iubilari.

4. Si Dominvs dederit illi vxorem, non Hebræam, ſed alienigenam, nam Hebræa ſimiliter exire poterat anno ſeptimo.

Ipse vero exibit, vnde videtur ſolutum fuiſſe matrimonium, quod magis colligitur ex verſu 5 quia ne diuortium illud fieret, aliqui malebant manere ſerui.

6. Offeret evm diis, id eſt, iudicibus qui Dei loco iudiciaria poteſtate funguntur, vnde lxx. vertunt, *Adducet eum ad tribunal Dei* volebat itaque Deus publicè hoc conſtare, vt auferretur dominis facultas retinendi tyrannicè ſeruos ſuos, ſub prætextu quod voluntariè ſe tradidiſſent.

Applicabitvr ad ostivm, non portæ ciuitatis, vel curiæ, ſed domus herilis, vt eſt Deuter. 5. v. 17. ad ſignificandum eum fixe domui iſti mancipari.

Perforabitqve avrem eivs, in dedecus eius qui libertati ſeruitutem prætulerat, & vt illo ſigno admoneretur omnem obedientiam ſe debere domino, ita vt ne oſtium quidem ſine venia exire liceret, vt hæc notat Theodor. quæſt. 45. in Exod.

Et erit ei servvs in sæcvlvm, id eſt, per totum ſæculum quod vſque ad iubilæum, id eſt, annum 50. durabat, non enim ſemper æternitatem ſignificat. Tunc autem omnes omnino ſerui Hebræi, cum vxoribus & liberis exibant liberi, vt ſtatuitur Leuit. 25. v. 40. & 41. nam ſoli ſerui alienigenæ hæreditario iure ad poſteros tranſmittebantur. Totum hunc locum à verſu 2. hucuſque exponit Greg. Hom. 3. in Ezech. fusè & pulchrè allegoricè de vita contemplatiua & actiua.

7. Si qvis vendiderit filiam in famvlam, ita vt emptor eam ſimul in concubinam, ſeu vxorem ſecundariam deſponſaret, hoc enim poſtulant ſequentia.

Non egredietvr sicvt ancillæ consveverunt. Heb. *ſicut ſerui*, ſcilicet illi de quibus ſuprà verſu 2. & ſequentibus, nam ſub ſeruis illis etiam communes ancillæ comprehenduntur, vt patet Deut. 15. v. 12. & 18. ergo aliquid peculiare de his deſponſatis decernitur.

8. Si displicverit, &c. ei cvi tradita fverat, per deſponſationem, vt eſt Hebraicè ita ſcilicet, vt velit diuortio ab ea ſeparari, dimittet eam, ſtatim ſcilicet non exſpectato anno ſeptimo.

Popvlo avtem alieno, &c. id eſt, non poterit eam vendere vlli extra domum ſuam, ne quidem vſque ad annum ſeptimum, ſicut licuiſſet ſi non fuiſſet ei tanquam vxor deſponſata. Nam quod aliqui per populum alienum accipiunt gentes alienigenas, non quadrat huic loco; nullum enim ſic eſſet priuilegium talis ancillæ, cùm omnibus Hebræis hoc eſſet commune.

9. Ivxta morem filiarvm faciet illi, procurando, vt filius det ei dotem, & cætera quæ vxori debentur.

10. Qvod si alteram ei acceperit, id eſt, ſi vxorem ſecundam ei adiecerit, tunc ne prima vxor tanquam vilis ancilla tyrannicè opprimatur, hæc tria præſtabit ei, primò

Providebit pvellæ nvptias, id eſt, ius nuptiarum, ſeu debitum coniugale.

Et vestimenta, vxorem ſecundariam decentia,

Et pretivm pvdicitiæ, victvm & habitationem & omnia reliqua neceſſaria, hæc enim debentur ei pro defloratione, quamdiu vxor eſt. Si tria iſta ſimul non fecerit.

11. Egredietvr gratis; ita ſcilicet, vt vendi non poſſit, ſicut aliæ ancillæ communes.

13. Qvi avtem non est insidiatvs, ita vt præmeditatus fuerit mortem eius, ſed caſu occurrens cum occiderit, hoc eſt enim quod dicitur.

Sed Devs illvm tradidit, faciendo eum occurrere alteri non cogitanti: quæ enim non fiunt præmeditato conſilio peculiariter diuinæ tribuunt prouidentiæ, nam alioquin etiam cùm quis volens occidit, Deus tradit, vt Auguſt. quæſt. 79. In fauorem ergo homicidæ caſualis, vel ſaltem non molientis ex propoſito necem ſtatuitur ius aſyli, vt ira cognatorum mitigaretur, inquit Theodoretus.

18. Lapide vel pvgno, id eſt, eminus vel cominus quouis modo.

19. Si svrrexervnt, &c. innocens erit, id eſt, immunis à pœna talionis, quia cenſebitur mors ex negligentia curationis, vel aliâ cauſâ contigiſſe.

21. Qvia pecvnia eivs est, id eſt, quia poſſidet eum vt mancipium emptum pecunia inſtar equi aut bouis, nam intuitu illius iuris herilis mitigatur, vel tollitur hîc pœna talionis aduerſus Dominum.

22. Si qvis percvsserit mvlierem prægnantem, quæ inter pugnantes viros forſan interceſſerit, vt fieri ſolet,

23. Si mors eivs fverit svbsecvta, mulieris ſcilicet prægnantis, apertum eſt enim referri ad mulierem non ad abortiuum, ſeu prolem.

Reddet animam pro anima, id eſt, vitam pro vita. Ocvlvm pro ocvlo, nempe ſi illam oculo mutilauerit, hoc enim hîc & in ſequentibus ſupplendum eſt, vnde in particulari quidem caſu ſed tamen generalis ſancitur lex talionis, vt qualem quiſque intulit iniuriam, tale ſupplicium pendat. Quæ lex fuit non fomes, ſed limes furoris, inquit Auguſtin. 19. contra Fauſtum cap. 25. hoc eſt, non vt accenderetur ad vindicandum læſus, ſed vt iniuriæ acceptæ menſuram nullo modo dolor vindicantis excederet, vt ait lib. contra Adimantum cap. 8. & ſic rudi populo conſtitutus eſt primus lenitatis gradus, nobis autem ſancita perfectio Matth. 5. v. 39. vt omnino non vindicemus. lxx. totam legem iſtam intelligunt de prole, & planè aliter legunt; nam pro iſto, *ſed ipſa vixerit*, legunt, *ſi non formatum fuerit*, ſcilicet abortiuum, ſeu proles: pro illo verò, *ſin autem mors, &c.* legunt, *ſi autem formatus fuerit infans*. Et ſic prolem formatam habent pro prole viua anima rationali, non formatam pro non viua; & ita conſequenter prolis formatæ occiſor obnoxius eſt legi talionis, informis autem non. Porrò talio inferebatur non à reo, ſed iudice.

28. Lapidibvs obrvetvr, intellige à parte totum etiam de equis & aliis animalibus quæ quempiam occiderent, vt Auguſt. q. 81. in Exodum. Statuitur autem non in culpam bouis, ſed partim, vt horrorem conciperent homicidii, omnia inſtrumenta etiam innoxia deteſtando, partim vt etiam hîc quædam iuſtitiæ, id eſt, talionis ſpecies eluceret.

29. Ab heri et nvdivstertivs, id eſt, ſi conſtiterit ante fuiſſe cornupetam, tunc enim quia cauſam damni non amouit herus, cùm amouere debuiſſet, reus eſt homicidii, & occidi debet: niſi à iudice leuitate culpæ cognitâ, pretium pecuniarium fuerit impoſitum quod daret *pro anima*, id eſt, pro redemptione vitæ ſuæ.

Capvt XXII.

1. Et occiderit vel vendiderit, ſi enim adhuc apud furem reperientur viua, ſolum duplum ſoluebatur vt eſt v. 4.

Qvinqve boves, &c. et qvatvor oves, &c. Rationem diuerſitatis petit Theodoretus quæſt. 50. quia grauiori delicto grauius ſupplicium debetur: ſed grauius eſſet ſupplicium, etſi ſolum quatuor boues redderet. Auguſtinus quæſt. 83. putat aliquid myſticè ſignificari. Sed dici poteſt rationem diuerſitatis eſſe, quia maius damnum infertur domino in furto bouis quàm ouis, propter vtilitates quas interea attuliſſet bos arando, vehendo, &c.

2. Si effringens fvr, &c. id eſt, ſi vim intulerit quamlibet ad furandum, occidi poteſt noctu non de die, diſcerni quippe poteſt quod ad furandum non occidendum venerit, inquit Auguſt. quæſt. 84. & auxi-

lium inuocare poteſt. Itaque lex ſtatuit hîc quemlibet dominum executorem iuſtitiæ, & ideo licitè faciebat. Ex quo tamen ſolo non rectè colligitur, bona iſta temporalia nunc defendi poſſe etiam de die cum occiſione rapientium, ſine alia legis permiſſione. Nam quantum ad occiſionem nocturni furis, eadem lex tranſlata videtur in ius canonicum.

3. *Si* NON HABVERIT, ſupple fur. Eſt enim ſuppletio legis primæ, ſi caruerit fur bouis, aut ouis, ad reſtituendum quadruplum, aut quintuplum.

6. *Si* EGRESSVS IGNIS negligenter cuſtoditus, INVENERIT SPINAS, ſeu ſepem ſpinarum qua ſepiuntur ſegetes. Intellige à paritate rationis quamlibet ſepem aut rem quam corripiens ignis ſerpat vlterius ad ſegetem.

7. SI INVENITVR FVR, DVPLVM REDDET, non ille cui depoſitum commendatum fuerat, ſed fur. Verùm ſupplendum ex verſu 4. ſi res apud furem inueniatur, & quidem integra: alioquin in caſu verſus primi reddebatur quadruplum, aut quintuplum. Si autem latet fur,

8. APPLICABITVR AD DEOS, id eſt, depoſitarius accedet ad iudices, & purgabit ſe iurando ſe non eſſe, vel conſcium, vel participem in furto, non ſolum oue & boue, ſed

9. QVIDQVID DAMNVM INFERRE POTEST, id eſt, in quacumque re, qua deponens ſe læſum fuiſſe conqueratur.

ET SI ILLI IVDICAVERINT, condemnando depoſitarium colluſionis in furto, DVPLVM RESTITVET, depoſitarius deponenti. Non enim agitur hîc de deponente, vt aliqui volunt, quaſi ille propter calumniam condemnaretur. Hæc eſt igitur prima lex de depoſitario colludente, ſeu intereunte rem per fraudem qui reddet duplum. Secunda eſt verſ. 10. & 11. & 13. ſi res perit ſecretò, itemque ſi citra negligentiam, nihil ſoluet. Tertia eſt v. 12. ſcilicet.

12. SI FVRTO ABLATVM FVERIT, ſine fraude, cum culpa tamen, vel negligentia depoſitarii, vt indicant Hebræa. RESTITVET DAMNVM DOMINO, nempe ſimplum, rem ipſam ſcilicet, ſeu pretium rei.

15. SI IMPRÆSENTIARVM DOMINVS FVERIT, imputet enim ſibi ſi ſe præſente pereat res ſua, ſiue per vim aliorum, ſiue naturaliter, ſiue per negligentiam ſuam.

MAXIME SI CONDVCTVM, quia conductoris grauior debet culpa, talis enim contractus eſt ſimul in vtilitatem Domini, commodatum autem tantùm in fauorem commodatarii.

17. REDDET PECVNIAM, id eſt violator nihilominus dabit pucuniam virgini non tamen ſemper æqualem, ſed

IVXTA MODVM DOTIS, id eſt, tantam quanta ſolet eſſe dos virginum talis conditionis, ditioribus & honeſtioribus maiorem, pauperioribus minorem. Et hæc eſt lex de eo qui

SEDVXERIT, id eſt, blanditiis pellexerit virginem. Deuteron. verò 22. v. 29. *De apprehendite eam* per vim ſtatuitur, vt ſoluat inſuper in mulctam patri puellæ 50. ſiclos.

18. MALEFICOS NON PATIERIS VIVERE. Hebraicè eſt, *maleficam*, quia vitium iſtud mulieribus, tamquam quæ ſeductu faciliores ſunt, magis eſt vſitatum quàm viris, ſignificat autem quamcumque quæ pactum habeat cum dæmonibus, etſi propriè non fuerit malefica, id eſt, veneni vtens.

25. NON VRGEBIS EVM QVASI EXACTOR, properè, præcipitanter ad ſolutionem cogendo: vel ſi dilationem ſufficientem dederis.

NON VSVRIS OPPRIMES, ſunt hæc ergo non vnum, ſed duo diſtincta præcepta.

26. *Si* PIGNVS ACCEPERIS VESTIMENTVM, maximè nocturnum quo ſe tegat. Loquitur autem in caſu paupertatis tantæ, vt non niſi vnum habeat, ſi enim plura ſuppeterit ei, liceret veſtimentum in pignus & accipere & retinere.

28. DIIS, id eſt, iudicibus loco Dei commiſſum eſt iudicium, vt Theod. NON DETRAHES, maledicendo eis & verbis vilipendo, quia authoritate ſuâ indigent in regendo & iudicando populo. Prohibet hoc peculiariter: quia cùm in ſuo cuique tribuendo vna pars offendi ſoleat, facilè qui ſe læſum putat in maledicta effunditur.

30. Die octava reddes illvm mihi, quia ante diem octauum nimis teneri ſunt fœtus animalium. Quo allegoricè ſignificari putant nos ſeptem diebus manere ſub cura matris Eccleſiæ, in octaua reſurrectionis Domino eſſe ſiſtendos.

31. Viri sancti eritis, ab omni inquinatione non tantùm animi, ſed & corporis puri. Idcirco,

Carnem qvæ a bestiis fverit prægvstata, non comedetis, quia feritatem & barbariem præ ſe fert, vt Theodoretus, vnde & ferinos mores prouocat, & ab humanitate decentiaque alienos.

Capvt XXIII.

1. Non svscipies vocem mendacii, illi acquieſcendo, vt illud quoquo modo ratum habeas, vel promoueas, ſiue iudicando, ſiue patrocinando, ſiue teſtificando in fauorem eius.

Nec ivnges manvm tvam, id eſt, non cooperaberis falſo teſtimonio.

2. Non seqveris tvrbam, id eſt, non ſequeris, vel multitudinem, vel mores eius, qui impetu potiùs quàm ſano conſilio, conſuetudine magis quàm veritate gubernatur, vnde Auguſt. l. 3. contra Permenianum c. 2. quidquid ſceleris, & iniquitatis inebriat multitudinem, id amittit examinis veritatem. Vetat ergo ne ſe inde quiſquam defendat, quia cum pluribus fecit, aut ideo putet non eſſe peccatum, quia ſic moris eſt.

3. Pavperis non misereberis in ivdicio, fauendo ei contra iuſtitiam cauſâ miſericordiæ: bona enim miſericordia, ſed non debet eſſe contra iudicium, quo tribui debet cuique quod ſuum eſt, vnde Pſal. *Miſericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.* Ne quis autem iſto præcepto vetitam putaret miſericordiam, opportunè ſequitur extra tribunalia eam ſeruandam eſſe etiam cum *inimico*, id eſt, eo qui odit nos.

6. Non declinabis, à veritate ſcilicet & iuſtitia, in ivdicivm pavperis, id eſt, in condemnationem eius, contemnendo paupertatem ipſius. Eſt enim præceptum ſimile ſuperiori verſu 3. Nam nec fauere vult pauperi, nec nocere in iudicio propter paupertatem, ſed ſeuerè ſectandam eſſe iuſtitiam, vnde ſequitur.

7. Mendacivm fvgies, id eſt, vt lxx. omne verbum iniuſtum in iudicio, ſeu omnem iniuſtitiam.

11. Anno septimo dimittes eam, vt eam non ſolum non metas, vt aliqui ſuſpicantur, ſed neque ſeras, vt præſcribitur Leuit. 25. v. 4. Erat enim ſeptimus annus ſabbatum totius terræ, ſicut ſeptimus dies ſabbatum hominum & iumentorum. Nam Deus pollicebatur ibid v. 21. ſe benedicturum anno ſexto, vt daret fructus trium annorum. Porrò ſabbatum iſtud annorum eaſdem cauſas habebat, quas ſabbatum dierum naturalem quidem, vt terra quieſcens anno octauo eſſet fertilior: moralem, vt ipſi coloni ab auaritia reuocati ſpem in Dei prouidentia conſtituerent, & pauperum miſereri diſcerent, illi enim fructibus anni ſeptimi ſponte granis deciduis præcedentis anni naſcentibus veſcebantur: ceremonialem, vt etiam ſic mundi creationem & ceſſationem Dei recolerent: & vt Auguſtinus ait, q. 92. in Leuit. vt ipſa vacatio terræ, velut merces eſſet habitationis, & redemptio quam Deo redderent.

13. Per nomen externorvm Deorvm non ivrabitis, quia iuramentum eſt cultus Dei externi, per quem iuratur, & ita ſpecies idololatriæ, vt docet Tertullianus lib. de idololatria cap. 19.

Neqve avdietvr ex ore vestro, eos Deos vocando; nam ait idem, cecidit in idololatriam, qui idolum nomine Dei honorauerit.

15. Solemnitatem azymorvm cvstodies, id eſt, feſtum Paſchatis cum azymis celebrandum tempore mensis novorvm, id eſt, nouarum frugum, qui eſt Niſan, ſeu primus menſis; nam ſecundo die azymorum offerebantur ſpicæ hordei matureſcentis.

Non apparebis in conspectv meo vacvvs, id eſt, in nulla iſtarum trium feſtiuitatum comparebis coram tabernaculo meo, ſine munere, ſeu oblatione, vt ſicut à me omnia accipis, ita ad me omnia refe-

tantur. Quod Theodor. hic quæſt. 51. monet à Chriſtianis imitandum, vt diuites ſine eleemoſynis, pauperes ſine anima virtutibus plena coram Deo non compareant.

16. SOLEMNITATEM MESSIS PRIMITIVORVM OPERIS TVI, id eſt, ſolemnitatem primitiarum operum, vt eſt Hebraicè, ſeu frugum tuarum. Hoc eſt ſecundum feſtum ſcilicet Pentecoſtes, quo offerebantur non iam ſpicæ virentes, ſed duo panes primitiarum meſſis vt eſt Leuit. 23.

SOLEMNITATEM QVOQVE IN EXITV ANNI, id eſt, circa finem anni vulgaris, ſeu ciuilis, qui finiebatur in æquinoctio autumnali, ſeu circa menſem noſtrum Septembrem. Eſt hoc tertium feſtum generale Tabernaculorum, ſeu Scenopegiæ, quod celebrabatur 15. die menſis ſeptimi Lunari Tiſri, in quem incidit ſæpè æquinoctium. Cauſa feſti erat gratiarum actio, tam pro acceptis toto anno frugibus & beneficiis, quàm etiam pro protectione 40. annorum in deſerto, vbi in tabernaculis habitauerant.

TER IN ANNO, ſcilicet tribus iſtis prædictis feſtiuitatibus, quæ clariùs exprimuntur Deut. 16. v. 16.

APPAREBIT OMNE MASCVLINVM, fœminas enim hoc præceptum non obligabat, CORAM DOMINO, tabernaculo vbi Dominus habitare cenſebatur, idque ſiue arca ibi ſimul eſſet, ſiue non.

18. NON IMMOLABIS SVPER FERMENTO, id eſt, cum fermento, ſeu pane fermentato. Sacrificia enim panis, laganorum, toſtæ, præſcribuntur fieri in azymis, vt in Leuit. patebit, idque vt ſemper recordarentur, tum liberationis ex Ægypto, quando primum azyma vſurpari cœpta ſunt, tum ſinceritatis & veritatis in omni cultu Dei, & conuerſatione exhibende.

NEC REMANEBIT ADEPS SOLEMNITATIS MEÆ, id eſt, qui mihi in ſolemnitatibus offerri debet, VSQVE MANE ſequentis diei, ſed ſtatim mactata victima mihi offeretur. Quo monemur carnalem voluptatem adipe ſignificatam ſtatim in conuerſione noſtra ad Deum igne charitatis abſumendam in honorem Dei.

19. NON COQVES HŒDVM LACTE in MATRIS. Duas expoſitiones ſuggerit Theodoretus quæſt 56. & Auguſt. qu. 90. Prima, accipiendo vt verba ſonant, ne hœdus cum lacte materno coquatur, quia ſic mater quodammodo videtur ſimul coqui, inquit Theodoretus. Vnde Deuter. 22. verſ. 6. ſimilis miſericordiæ conſideratione iubetur vt comprehedens pullos in nido dimittat matrem, quia crudele eſt vtrumque ſimul tollere. Altera veriſimilior, vt non coquant hœdum qui eſt in lacte, ſiue dum ſugit lac matris, quia nimis tener eſt: vtrumque præcipitur ad inferrendam eis humanitatem etiam erga bruta. Maximè tamen putat Auguſtinus eſſe ſpectatam ſignificationem & prophetiam, quod Chriſtus non eſſet occidendus infans & lactens ab Herode vel Iudæis: aut eſſe poſſe præceptum ad Iudæos probos, ne ſe iungerent Scribis & Phariſæis ad occidendum Chriſtum in lacte matris, id eſt, in eodem menſe quo conceptus eſt, ſcilicet menſe primo; dicuntur enim fœminæ ex quo conceperint, lac colligere, inquit Auguſtinus.

20. ECCE EGO MITTAM ANGELVM MEVM. Iuſtinus Dialog. cum Tryphone, Auguſt. hic & maximè hb. 16. contra Fauſtum c. 19. intelligunt Ioſue ſeu Ieſum, quia infrà dicitur, *eſt nomen meum in eo*, hoc eſt, vocatur nomine Ioſue ſeu Ieſus, qui eſt verbum Dei loquens ad Moyſen. Alii intelligunt ipſum Moyſen. Rectiùs videtur intelligi verus Angelus, quem ſuprà cap. 14. v. 19. videmus præceſſiſſe caſtra, & poſuiſſe ſe inter Ægyptios; vnde Ioſue 5. v. 14. vocatur Princeps exercitus Domini. Et ideo primum eius officium hic ponitur, quod

PRÆCEDAT TE, inſtar exploratoris itinerum, inſidiarum, ac tamquam copiarum dux. Secundum,

ET CVSTODIAT IN VIA, protegendo contra omnia pericula tum gentium vicinarum, tum ſerpentium, &c. Tertium,

ET INTRODVCAT IN LOCVM QVEM PARAVI, terram ſcilicet Chanaan. Quartum;

21. NON DIMITTET CVM PECCAVERIS, ſinendo te impunem eſſe; nam & hoc peccantibus magnum eſt beneficium.

ET EST NOMEN MEVM IN EO, id eſt, quia

authoritas mea in ipſo eſt; quia perſonam meam repræſentans, nomine quoque meo cuncta gerit. Eadem præſtat Angelus cuſtos vnicuique fideli, vt eum perducat ad locum in æternitate præparatum.

25. VT BENEDICAM PANIBVS TVIS ET AQVIS, id eſt, cibo & potui, vel potiùs, per panem, frumentum intelligit panis materiam, per aquam, potum & maximè vinum: nam in illis precipuè locum habet benedictio Dei.

26. NVMERVM DIERVM TVORVM IMPLEBO, longam procurando tibi ſenectutem. Nam omnes iſtæ promiſſiones carnales ſunt tamquam pertinentes ad teſtamentum vetus, inquit Aug. q. 92.

28. EMITTENS CRABRONES, id eſt, aculeos timoris, inquit Aug. q. 93. quibus agitabuntur gentes iſtæ: ſed ipſe Aug. lib. locutionum in Exodum, & Theod. qu. 58. intelligit aptius veros crabrones quibus Chananæi afflicti ſunt & exterminati, ſicut Ægyptii ranis, locuſtis, bruchis: & ita clarè videtur exponi Sapientiæ 12. verſ. 8. vbi comparantur maioribus beſtiis. Crabronum enim venenati aculei ſunt, vt tradit Ariſtoteles. Naſcuntur autem iuxta Iſidorum l. 12. Origenem c. 8. ex aquis putridis ſicut fuci de mulis, apes de bobus.

31. PONAM TERMINOS TVOS A MARI RVBRO, nempe ad meridiem iuxta Ægyptum. VSQVE AD MARE PALÆSTINORVM, id eſt, Mediterraneum, quod totam Palæſtinam alluit. Hic terminus eſt ad occidentem, qui hac de cauſa ſæpiſſimè in Scriptura nomine maris deſignari ſolet. ET A DESERTO Arabiæ ſeu ab Arabia deſerta quæ terminus eſt ab oriente, VSQVE AD FLVVIVM, non Iordanem, ſed Euphratem qui terminus eſt in inter ſeptentrionem & orientem. Terminos iſtos vix paucis annis obtinuerunt ſub Salomone, non illos quidem inhabitando, ſed populos tenendo vectigales, idque propter peccata: propter quæ etiam totâ tandem terrâ pulſi ſunt.

CAPVT XXIV.

1. MOYSI QVOQVE DIXIT, ſcilicet poſtquam ſupradicta præcepta tam naturalia quàm iudicialia accepiſſet. Iubetur igitur deſcendere & ea populo proponere, atque aſſenſum eius poſtulare de illis obſeruandis, vt ſic idonei eſſe poſſent ad accipienda vlterius ceremonialia pręcepta de cultu Dei. Deſcenſum iſtum relinquit Scriptura intelligendum, & ſolum monet de reditu ſeu aſcenſu.

ASCENDE AD DOMINVM TV ET AARON, &c. id eſt, redite verſus me. Non enim omnes aſcenderunt in montem: Porrò *Nadab* & *Abiu* ſunt duo filii ſeniores Aaronis. *Septuaginta* autem *ſenes* non ſunt illi in quos Moyſes onus & ſpiritum ſuum partius eſt Num. 11. hoc enim contigit diu pôſt: ſed ſunt ex ſingulis tribubus delecti primores populi aut familiarum.

ET ADORABITIS PROCVL, etiam ipſe Aaron & filii eius. Manſerunt enim ad radicem montis vt populum gubernarent, ſolo Moyſe aſcendente in caliginem, cum famulo Ioſue.

ET NARRAVIT PLEBI, ita vt à ſingulis vox eius perciperetur: quod tum hîc, tum Deuter. 29. v. 10. & 11. ſine miraculo non videtur potuiſſe fieri. Cauſa huius rei fuit, vt omnes omnino diſtinctè pro ſe in obſeruationem legis poſſent conſentire, nec ſibi legem talem per vim obtruſam vel per imprudentiam acceptatam conquererentur, qua de cauſa etiam ſcribitur à Moyſe.

ÆDIFICAVIT ALTARE ET DVODECIM TITVLOS, id eſt, altare habens duodecim titulos ſeu lapides, vt LXX. transferunt, ita vt illud (&) ſit exegeticum pro (id eſt) ita Auguſtinus q. 97. quo ſignificatum putat, ipſum totum populum eſſe altare Dei, ſicut eſt & templum Dei.

MISITQVE IVVENES, vel filios Aaronis qui poſtea ſacerdotes facti ſunt, vel potius, vt Chaldæus exponit, primogenitos filiorum Iſraël, qui ex antiqua conſuetudine adhuc erant ſacerdotes.

VITVLOS. Vituli referendi ſunt ad victimas pacificas: nam holocauſta de quibus hic videntur fuiſſe ex hircis ſcilicet pro peccato, quos Apoſtolus ad Hebræos 9. v. 19. ſimul tunc oblatos fuiſſe ſcribit.

6. TVLIT DIMIDIAM PARTEM SAN-

gvinis. Hæc dimidia pars aſpergenda erat in populum, altera in altare quod repræſentabat Deum. Nam illo ritu fœdus inter Deum & populum ſanciebatur, Moyſe quaſi agente fecialem ſeu mediatorem: & ſignificabatur, ſic illum eſſe percutiendum & diuidendum qui prior fœdus rumperet, ſicut victimâ percuſſa fuerat, & ſanguis ille diuiſus. Vide dicta ad verſ. 10. cap. 15. Gen.

7. Assvmensqve volvmen foederis, in quo ſcripſerat Moyſes omnes ſermones Domini iam dictos ad populum, vt eſt v. 4. Continebantur in eis leges & promiſſa: leges vt obſeruandæ ex parte populi, illa enim erat conditio fœderis neceſſaria; promiſſa vt præſtanda ex parte Dei, vt patet cap. 19. verſ. 5. & magis cap. 23. verſ. 22. & ſeqq. vſque ad finem. Ex quo patet propriè vertiſſe interpretem noſtrum, volumen *fœderis*, non teſtamenti; erat enim propriè fœdus non teſtamentum.

Legit avdiente popvlo, vt ſcirent de quo cum Deo paciſcerentur, & conſentirent in conditionem fœderis neceſſariam, ſcilicet obſeruationem præceptorum, vnde ſtatim dicunt, omnia faciemvs. Eſt hæc valdè notanda differentia Teſtamenti veteris à nouo, quòd vetus tamquam verius fœdus quàm teſtamentum requirebat obſeruationem legum velut conditionem præſtandam ex parte populi vt promiſſis Dei frui poſſet: nouum autem tamquam teſtamentum, id eſt, liberalis donatio per mortem, tribuit ſimul & obſeruationem legum per gratiam, & præmium eius tamquam vnam completam hæreditatem filiis prædeſtinatis relictam.

8. Svmptvm sangvinem respersit in popvlvm, & ſimul etiam in librum, vt tradit Apoſtolus ad Hebræos 9. nam liber ſicut & altare repræſentabat Deum. Vnde vtraque pars ſanciens hîc fœdus, ſanguine aſpergebatur & ſe obligabat ad conditiones fœderis obſeruandas. Plura ſupplet Apoſtolus loco citato, nempe primò fuiſſe ſanguini admixtam aquàm, vt minus ſcilicet coagularetur, & facilius ac copioſius in tantum populum aſpergi poſſet. Secundò adhibitam fuiſſe hyſſopum & lanam coccineam, vt illis quaſi aſpergillo ſanguis in populum ſpargeretur. Quæ omnia hîc ſatis indicantur in verbo *reſpergendi*, quia ſine inſtrumento reſpergendi & materia ſparſili vix fieri potuit.

Hic est sangvis foederis, id eſt, quo dedicatur & confirmatur fœdus, ſeu pactum inter Deum & vos modo ſupradicto. Porrò ſicut vetus illud fœdus etſi non eſſet propriè teſtamentum, figura tamen fuit clariſſima fœderis noui, quod erat propriè teſtamentum, ita & ſanguis iſte & aqua figura fuit ſanguinis Chriſti & aquæ in cruce effuſæ quibus nouum teſtamentum confirmatum fuit. Vnde & iiſdem verbis Chriſtus in cœna vſus eſt huc ſine dubio reſpiciens, vnde & aqua miſcetur vino. Sed hæc fuit differentia, quòd ſanguine Chriſti confirmatum fuit nouum, tamquam morte teſtatoris, ſine qua teſtamentum non eſt validum, vt docet Apoſtolus ad Hebræos 9. ſanguis autem brutorum adhibitus fuit, non vt mors Dei, ſed tantum ſignificationis cauſa, vt teſtamentum vetus tamquam figura reſponderet nouo, ſignificando, ſine ſanguine Chriſti legem impleri non poſſe & per eius mortem nouum teſtamentum eſſe confirmandum: item adhibitus fuit ad confirmandum pactum iſtud humano more per ſacrificium, vt ſuprà diximus. Hyſſopus tamquam humilis herba & calida & purgatiua, ſignificabat humilitatem & charitatem Chriſti qua nos à peccatis purgauit: Lana coccinea carnem eius candidam ſeu innocentem ſanguine rubricatam.

10. Et vidervnt Devm Israel; corporali aliqua & humana ſpecie; idcirco enim fit mentio pedum eius, vnde nonnulli putant ſic Deum apparuiſſe Moyſi & ſenioribus, ſicut Ezechieli in curru Cherubinis ſtipato, & ad hoc exprimendum poſteà fabricatam eſſe arcam velut ſcabellum Dei inſidentis currui Cherubim. Quod ergo dicitur Deuter. 4. v. 15. nullam viſam eſſe ſimilitudinem in Horeb, hoc intelligitur de apparitione facta toti populo, non de iſta: quia viris illis prudentibus non erat periculum ne idolum Dei ſibi facerent, ſicut rudi populo in idololatriam prono.

bi: Plinius enim ab vtriſque ſupradictis diſtinguit. Itaque differt non ſolum colore, ſed etiam materia à purpura, cocco, & hyacintho, quòd hæc fuerint lanæ tinctæ diuerſis coloribus, byſſus verò linum. Vnde Ioſephus c. 4. l. 3. Antiq. vocat byſſum lini. Et quia fila erant tenuiſſima, hinc *Retorta*. ſeu duplicata dicuntur infrà. Quia verò tabernaculum erat typus mundi, vt Orig. Homil. 9. qui eſt velut tabernaculum Dei, quatuor illos colores exprimunt quatuor elementa, coccus ignem hyatinthus, aërem, purpura mare, byſſus terram.

PILOS CAPRARVM, quos nendo deducebant mulieres in fila vt inde fierent telæ quas camelottas vocemus, ad operiendum tabernaculum & arcendas pluuias valde idoneæ.

PELLES ARIETVM RVBRICATAS, id eſt, pelles ouium rubro colore tinctas, PELLES, QVÆ IANTHINAS. Hebraïcè, *tachas*, quod plerique Iudęi putant fuiſſe animal quod Latinè melis ſeu taxus dicitur. LXX. peritiores linguæ Hebraïcè retulerunt ad colorem transferendo hyacinthinas, & Hieronymus Græca voce *ianthinas*, id eſt, violaceas. Vterque autem color eſt aëreus, ſeu ceruleus, vt tradit Hieron. in verſum 9. cap. 16. Ezechielis ſed hyacinthinus magis eſt temperatus albo, ianthinus nigro. Pelles igitur tam rubricatæ quàm ianthinæ erant ex ouibus, vt Ioſephus apertè tradit 3. Antiq. c. 4. colore ſolo differentes.

LIGNA SETIM. Hebræi communiter transferunt cedrum, ſed optimè docet Hieronymus in verſu 18. cap. 3. Ioël, ſetim eſſe genus arboris in eremo ſpinæ albæ ſimile colore & foliis, non magnitudine. Fiunt enim iam grandes arbores ſetim, vt lætiſſima ex illis tabulata cædantur, lignumque fortiſſimum eſt & incredibilis leuitatis ac pulchritudinis, ita vt ex his etiam vaſa torcularium ditiſſimi quique ac ſtudioſiſſimi faciant: quæ ligna in locis cultis & in Romano ſolo, abſque Arabiæ ſolitudine non inueniuntur. Hæc Hieronymus, quibus ſimilia ſcribit in verſ. 19. cap. 41. Iſaiæ. Fortaſſis nomen acceperunt arbores à loco Sitim, vel contra, locus ab arboribus, vbi fornicatus eſt Iſraël cum Moabitis, Numerorum 25. v. 1.

6. AROMATA IN VNGVENTVM, quo conſecrandi ſunt ſacerdotes & omnia vaſa. ET THYMIAMATA, ſupple præpoſitionem (*in*) quaſi dicat, aromata ad compoſitionem thimiamatis ſeu ſuffimenti boni odoris.

Cæterum omnia iſta quæ offeruntur ad conſtructionem tabernaculi, typus fuerunt eorum, quæ quiſque adhibere debet ad conſtruendum ſpirituale tabernaculum in quo habitet Deus. Nam *aurum* eſt ſapientia ſeu intelligentia diuinitatis in recta fide, *argentum* eloquia Scripturarum *as* fidei prædicatio, *hyacinthus* ſpes cœleſtium, *purpura* crux ac tolerantia paſſionum amore regni cœleſtis exhibita, *coccus* charitas, *bis tinctus* erga Deum & proximum, *byſſus* immaculata carnis virginitas, *pili caprarum* pœnitentiæ aſperitas. Ita Greg. lib. 30. Moral. cap. 10. aliàs 6. *Pelles arietum rubricata* exempla doctorum gregis qui ſanguine ſuo rubricati fuerunt, *pelles ianthinæ* corporum cœleſtis immortalitas, *oleum ad concinnanda luminaria* fructus charitas miſericordiæ, *ligna ſetim imputribilia* mundities cordis & corporis, *aromata* bonum exemplum & bonę opinionis fama, *lapides pretioſi* omne genus virtutis, ita ferè Beda. Hoc autem fieri debet *iuxta omnem ſimilitudinem tabernaculi quod oſtendam tibi*, id eſt, iuxta idæam conuerſationis Angelorum in cœlis, vt Bernardus de vita ſolitaria latiùs.

10. ARCAM DE LIGNIS SETIM COMPINGITE, id eſt, ex tabulis iſtius ligni fabricate arcam in modum ciſtæ, non quadratæ, ſed quadrangulæ, cuius longitudo habeat.

DVOS ET SEMIS CVBITOS. Cubitus iſte non fuit Geometricus qui contineat alios ſex, quales Origenem in Arca Noe poſuiſſe diximus, ſed communis, quæ eſt longitudo ab extremitate iudicis vſque ad curuaturam brachii quæ cubitus vulgò dicitur: continetque ſpithamas duas, id eſt, viginti quatuor digitos maiores, ſeu pollices tranſuerſos. Spithama enim continet duodecim, ita cubitos arcæ explicat Ioſephus 3. Antiq. c. 6. Itaque arcæ longitudo continebat cu-

bitos duos & ſemis, id eſt, pollices ſexaginta, latitudo & altitudo, ſeu profunditas cubitum vnum & ſemis, id eſt, pollices triginta ſex.

DEAVRABIS EAM. Hebraïcè, teges, ſeu, veſties eam, quo ſignificatur non foliolis inauratam fuiſſe, ſed laminis aureis tectã intus & foris, vt Ioſephus loco citato.

11. FACIESQVE SVPRA CORONAM AVREAM, quæ circumdabat totam arcam inſtar limbi, ſupra arcam aliquantulum aſſurgens, ita vt operculum arcæ, ſeu propitiatorium intra coronam illam concluſum fuiſſe videatur.

12. ET QVATVOR CIRCVLOS AVREOS, in lateribus longitudinis arcæ, vt Ioſephus, non latitudinis, vt vult Caietanus vt ſic per vectes emiſſos ſacerdotum humeris ferri poſſet. Quia tamen latitudo arcę valdè anguſta eſt, ſententia Caietani non eſt improbabilis.

QVOS PONES PER QVATVOR ARCÆ ANGVLOS. Hebraïcè, per greſſus ſeu pedes, vnde putant aliqui arcam habuiſſe quatuor fulcra, quaſi pedes quibus inſiſteret, ne terram tangeret.

16. PONESQVE IN ARCA TESTIFICATIONEM, ſeu teſtimonium, vt eſt verſ. 21. id eſt, tabulas decalogi, & legem.

QVAM DABO TIBI, tamquam teſtificationem ſeu teſtimonium voluntatis meæ: vnde Moyſes narrat ſe illas in arca poſuiſſe infrà cap. 40. & Deuteron. 10. verſ. 5. nihil autem aliud in arca fuit, vel tunc, vel multis ſæculis poſt, vt patet 3. Reg. 8. verſ. 9. Et hinc fluxit quòd arca hîc v. 22. & alibi ſæpiſſimè dicitur arca teſtimonii, item frequenter arca fœderis Domini & teſtamenti Domini, quia lex & eius obſeruatio erat pars fœderis initi inter Deum & populum illum, hinc eadem phraſis vlterius extenſa eſt ad tabernaculum, vt diceretur tabernaculum teſtimonii & fœderis. Et hæc fuit vna cauſa tantæ venerationis arcæ, vt vocaretur 1. Reg. 4. verſ. 21. gloria Iſraël, & Pſal. 77. verſ. 61. virtus & pulchritudo Iſraël.

17. FACIES ET PROPITIATORIVM. LXX. vocant *epithema*, id eſt, ſuperimpoſitum, ſcilicet arcæ; erat enim operculum arcæ, nempe tabula ſolida ex auro puro eiuſdem prorſus longitudinis & latitudinis cum arca. Ioſephus vult cardinibus connexum fuiſſe arcæ, alii vt D. Thom. & aliqui recentiores volunt fuiſſe eleuatum, & vel manibus atque alis Cherubim, vel fulctis & columellis quibuſdam fuiſſe ſuſtentatum ſuper arcam. Et ſic neceſſarium eſſet, vt vel ponant arcam patuiſſe ſupernè, vel certè habuiſſe aliud operculum ex lignis ſetim. Primum abſurdum eſt propter pulueres, quibus arca & lex fuiſſet repleta: ſecundum verò non conuenit Scripturæ, quæ nec alterius operculi vmquam mentionem facit, & expreſsè dicit verſu 20. & Leuitici 16. v. 2. quod arca tegitur, ſeu operitur propitiatorio. Dictum eſt autem propitiatorium, quia Deus ex eo loquens propitiabatur populo, & quia vox Dei loquentis audiebatur de propitiatorio, quando dabat oracula, vt expreſsè dicitur Numer. 7. v. vltimo, hinc v. 18 & alibi vocatur oraculum.

18. DVOS QVOQVE CHERVBIM. Quæ Cherubinorum fuerit ſpecies non certò conſtat. Putant multi fuiſſe eadem prorſus effigie, qua quatuor illa animalia apud Ezechielem, vt ſcilicet habuerint ſimul faciem hominis, aquilę, leonis, & vituli ſeu bouis, & ſex alas cæteraque in Ezechiele deſcripta. Vnde Ioſepus hic dicit fuiſſe animalia voluctia, nouâ ſpicie, nec vnquam cuique hominum viſa. Quæ ſententia veriſimilis eſt, non tamen certa. Non enim videntur Cherubim ſemper eodem modo in Scriptura apparuiſſe, vnde S. Ioannes in Apocalypſi, ſingulis animalibus, quæ putant eadem fuiſſe cum illis Ezechielis, attribuit tantùm vnam faciem, item oculos multos ante & retro, de quibus nihil in Ezechiele. Rurſum Cherubini templi Salomonis videntur habuiſſe duas alas, quæ extendebantur per totum ſanctuarium, vnde & hic tantùm fuerunt duo Cherubini, apud Ezechielem quatuor, ſed quidquid ſit, conueniunt omnes, vt ſiue plures habuerint facies illi Cherubini, ſiue vnam tantùm, ſpecies humana in eis eminuerit, vnde hic verſ. 20. dicitur Hebraicè, *& facies eorum erat viri ad fratrem ſuum*,

vbi etiam alæ ponuntur in duali numero, quaſi duas tantùm habuerint alas. Rurſum 2. Paralip. 3. v. 13. dicitur quod *ſtabant erectis pedibus*. Itaque videntur fuiſſe humanâ ſpecie inſtar iuuenum alatorum, vt Angeli apud nos pingi ſolent, ad repræſentandam eorum perennitatem, viuacitatem, vigorem, celeritatem.

Ex VTRAQVE PARTE ORACVLI, id eſt, propitiatorii, ita ſcilicet, vt vnus ſit ab vno *latere*, id eſt, extremitate, alter ab altera, intellige ſecundùm longitudinem arcæ, non latitudinem. In Hebræo hîc v. 19. & c. 37. v. 8. additur, *Ex propitiatorio facies eos ſuper duas extremitates eius*, quod poſtremum noſter vertit, *in ſingulis ſummitatibus propitiatorii*, quibus verbis clarè videtur indicari locus Cherubinorum, de quo inter Doctores diſputatur, nempe fuiſſe productos malleis ex auro, idque ex ipſo propitiatorio ſtantes in ſingulis ſummitatibus, & extremitatibus eius non in terra, nec in limbo arcę, vt aliqui putant: iam enim diximus arcam fuiſſe tectam ipſo propitiatorio, vnde Ioſephus lib. 3. cap. 6. clarè dicit operculo arcæ impoſitos fuiſſe Cherubinos, ita vt fixi ei adhærerent. Et hinc eſt quòd nuſquam legamus Cherubinos illos ſeorſim ab arca fuiſſe portatos, vel palliis inuolutos in diſſolutione tabernaculi, hoc enim fuiſſet Deum quodammodo amouere ex ſede ſua.

20. VTRVMQVE LATVS PROPITIATORII TEGANT, ſcilicet corpore ſuo ſtantes ſuper extremitatem eius, vbi finitur longitudo.

EXPANDENTES ALAS, vtraſque ſcilicet, vt in Hebræo dicitur. Itaque quiſque Cherubim extendebat vtramque alam verſus alteram, vultibus ad ſe mutuò verſis, ſicut ſi duo homines ſe manibus extenſis tenerent, atque iſto modo tegebant, & vt Apoſtolus ait, obumbrabant totum propitiatorium alis ſuis. Porrò ſic reſpiciebant ſe mutuò, quantum ad ſitum faciei, vt tamen ſimul eſſent VERSIS VVLTIBVS IN PROPITIATORIVM, & ſic conſequenter oculos deiicerent in pedes ſuos, reuerentiæ causâ, quaſi non audentes Deum præſentem alis ſuis inſidentem aſpicere. Nam ille ſitus alarum Cherubim præbebat, quaſi ſedem Dei & propitiatorium vnà cum arca, quaſi ſcabellum pedum eius. Et hæc eſt cauſa cur Deus dicitur ſedere ſuper Cherubim Pſal. 79. & 98. & 2. Reg. 6. verſu 2. dicitur ſedere in Cherubim ſuper arcam: & 1. Paralip. 28. verſu 2. & Pſalm. 98. vocatur arca vnà cum propitiatorio ſcilicet eam claudente ſcabellum pedum eius. Sic autem ſedebat in arca & alis Cherubim, vt totum iſtud eſſet, quaſi currus Dei bellicus & triumphalis quo vehi ſolebant principes in bello & triumpho. Et hinc eſt quod Pſalm. 17. verſu 11. vbi nos legimus *& aſcendit ſuper Cherubim*, Hebræa clarè legunt, *& equitauit* ſeu *vectus fuit ſuper Cherubim*, & 1. Paralipom. 28. verſ. 18. dicitur facta fuiſſe quadriga Cherubim extendentium alas, & velantium arcam. Huius currus ſimilitudinem gerebat currus ille gloriæ Dei, qui deſcribitur Ezechielis 1. Itaque ſignificatur hâc ſeſſione Dei ſuper Cherubim Deum omnibus Angelicis ſpiritibus ſapientiâ, potentiâ, imperio præcellere, eos quaſi pedibus ſuis premere, vnde toties Deus vocatur Dominus ſabaoth, ſeu exercituum ſcilicet Angelicorum.

Allegoricè arca ſignificat humanitatem Chriſti, vt S. Greg. Hom. vltimâ in Ezech. quod latiſſimè proſecutus eſt Beda, vel alia conſideratione arca in ſanctuario ſunt ſancti in cœlo, qui habent ſupra ſe propitiatorium, id eſt, Chriſtum qui eſt propitiatio pro peccatis, & vallantur Cherubinis, id eſt, Angelis: vide aliam expoſitionem myſticam præclaram apud Auguſt. quæſt. 150. in Exodum.

22. INDE PRÆCIPIAM, &c. DE MEDIO DVORVM CHERVBIM, quia Deus ibi, quaſi ſedens in medio Cherubim, voce humanâ loquebatur, ſicut in rubo & monte locutus fuerat, patet hoc ex Num. 7. verſ. vlt. Ex quo liquet etiam Moyſen extra ordinem ſæpè intraſſe in Sancta Sanctorum ad conſulendum oraculum, quod Pontificibus nonniſi ſemel in anno licebat.

23. FACIES ET MENSAM, &c. in qua ponendi ſunt panes propoſitionis duodecim.

24. Faciesqve illi labivm avrevm, id eſt, limbum, qui eam circumdet, vt in menſis ſæpè fieri ſolet.

25. Et ipsi labio coronam interrasilem, id eſt, ſuper illum limbum, impone ſecundum limbum qui ſit inſtar coronæ laræ quatuor digitis, ſed habentis partes inſtar cancellorum, vel retis eraſas, ſeu perforatas, vel vt alii ſculptas; hoc enim vocatur opus interraſibile.

Et svper illam alteram coronam avreolam, id eſt, tertium limbum ex auro quidem ſed minorem. Limbi iſti coronæ vocantur, quia vndique cingebant, & quaſi coronabant menſam non rotundam, ſed quadrangulam, idque eo fine, ne panes facilè deciderent, vnde vocantur Hebraicè clauſuræ.

26. Qvatvor qvoqve circvlos avreos, &c. hi poſiti erant in quatuor pedibus menſæ.

27. Svbter coronam, id eſt, non in infimo pedum, ſed vt Ioſephus ferè in ſummo, vt immiſſis vectibus menſa portari poſſet. Abulenſis ponit vectes, tam menſæ quà in arcæ in lateribus latitudinis, vt faciliùs portari poſſit; ſic enim vectes magis à ſe diſtant. Ioſephus ponit vectes arcæ tantùm in lateribus longitudinis.

29. Parabis et acetabvla, id eſt, ſcutellas, vt Hebraicè & lxx. ſeu crateres, quibus panes imponebantur.

Ac phialas, id eſt, parua vaſcula concaua quibus panes tegebantur.

Thvribvla, quibus thus imponebatur ſuper panes, et cyathos ad libandum vinum pro panibus. Nam hæc omnia vaſa erant in vſum iſtius menſæ, vt dicitur Exodi 37. verſ. 16.

30. Et pones svper mensam panes propositionis, id eſt, propoſitos coram Domino, Hebraicè, *panes facierum coram facie mea*, vnde patet panes facierum dici non quod haberent duas facies ſimiles, infernè & supernè, ſed quia coram facie Dei, ſeu coram Deo eſſent propoſiti. Erant duodecim pro numero tribuum, ſignificantes omnes duodecim tribus debere nutrire Leuitas & in panibus omnia ad vitam ſuſtinendam ſpectantia offerre Deo, idque non ſemel, ſed ſingulis ſeptimanis ac diebus. Iſta autem menſa cum panibus figura fuit panis, & vini noſtri, quod in altari offertur quotidie Deo.

Facies et candelabrvm dvctile, id eſt, non fuſile ſed mallei percuſſione productum ex vno ſcilicet auri talento.

Hastile eivs, &c. ex ipso procedentia, id eſt, ex auro haſtilis, ſeu ſtipitis candelabri percuſſione mallei omnia educentur, non partes ex alia materia affigentur. Compoſitio verò erat inſtar arboris vtrimque ramos expandentis.

32. Sex calami egredientvr e lateribvs, bini ſcilicet ex vtraque parte ſtipitis, idque ter repetendo eo modo quo brachia hominis altrinſecus ſunt poſita. An autem iſti calami omnes, tam in infimo ordine quàm ſupremo ad æqualem altitudinem ſurrexerint, non iſta conſtat, ex capite tamen 37. v. 19. videntur omnes æqualiter ſurrexiſſe, dum dicitur æquum fuiſſe opus calamorum, id eſt, æquale.

33. Tres scyphi qvasi in nvcis modvm, &c id eſt, in ſingulis calamis erant primò *ſcyphus* habens formam nucis, ſeu vt Hebraicè amygdali, poſt ſcyphum verò interiectâ aliquâ parte calami ſequebatur *ſphærula*, Hebraicè pomum, id eſt, globulus rotundus inſtar pomi, & poſt ſphærulam interiecta parte calami ſequebatur tandem *lilium*; & iſte ordo ter repetebatur in ſingulis calamis, ac tandem vltimo lilio tamquam repanda folia habenti imponebatur lucerna, vt docet Philo, libro *Quis hæres rerum diuinarum*. Non deſunt tamen qui putent ſcyphos iſtos non fuiſſe à globulis, & liliis parte calami interiecti ſeparatos, ſed in ore ſcyphi fuiſſe ſphærulam & in ſphærula lilium, ferè ſicut videmus glandes naſci & ſic calami habuiſſent tantùm tres nodos, alioquin nouem.

34. In ipso avtem candelabro, &c. id eſt, in ipſo haſtili idem ille ordo ſcyphi, ſphærulæ, lilii quater repetetur: primò quidem infra omnes calamos, ſecundò inter primum & ſecundum ordinem calamorum, tertiò inter ſecundum & tertium

ordinem, ac denique in ſummitate haſtilis ſupra omnes calamos, cuius vltimo lilio imponebatur lucerna, ſicut & in calamis factum diximus. Vnde erant.

37. SEPTEM LVCERNÆ quæ lucebant EX ADVERSO verſus parrem oppoſitam ipſi candelabro, hoc eſt, verſus panes propoſitionis: candelabrum enim ſtabat in parte tabernaculi meridionali, menſa in ſeptemtrionali.

39. OMNE PONDVS, &c. TALENTVM, talentum iuxta Ioſephum lib. 3. Antiq. c. 7. continebat minas 100. minam verò conſtat continere ſiclos 60. ex Ezechielis 45. v. 12. vnde continuiſſet candelabrum ſiclos aureos ſex mille. Sed quia infrà c. 38. indicatur talentum continuiſſe tantum tria millia ſiclorum, error eſſe debet in numeris apud Ioſephum, vel de alio talenti genere loquitur.

Allegoricè candelabrum ſignificat Chriſtum, ductile quia paſſionum ictus pertulit, ex auro quia ſine peccato. Haſtile eius ſignificat Eccleſiam, calami prædicarores. Vide latiùs D. Greg. Hom. 6. in Ezechiel. Quamuis Beda putet per candelabrum Eccleſiam ſignificari, per haſtile Chriſtum, per calamos prædicatores, per ſeptem lucernas ſeptem dona Spiritus ſancti. Vide latiſſimè apud ipſum.

40. FAC SECVNDVM EXEMPLAR. Exhibita enim fuit Moyſi in monte forma, ſeu idæa omnium fabricandorum, ne putaretur humano ingenio omnia excogitaſſe. Voluit autem Deus hoc exemplar tam accuratè in omnibus exprimi, vt propterea impleuerit artifices ſuo ſpiritu, ne vel in minimo aberrarent ab eo. Ratio autem iſtius exemplaris conſiſtebat partim in eo quod Moyſi corporea quædam effigies oſtenſa fuerit quam fabricando exprimeret, partim & maximè in eo quod ei oſtenſum fuerit, quid omnia iſta ſignificare deberent in Eccleſia noui Teſtamenti & in cœlo, vt ad hoc exprimendum omnia aptarentur. Sic enim exponit iſtam rationem exemplaris Apoſtolus ad Heb. 8. verſ. 5. & idcirco totus ille apparatus vocatur ibidem exemplar & vmbrà, hoc eſt, obſcura delineatio, ſeu repræſentatio cœleſtium.

CAPVT XXVI.

1. TABERNACVLVM VERO ITA FACIES. Tabernaculum erat quaſi templum portatile & deambulatorium, vt vocat Auguſt. lib. 15. de Ciuitate cap. 10. in quo Iudæi tempore totius itineris Deum colerent. Conſtabat primò aſſeribus velut muris, ac deinde quatuor velis conficientibus vnum tectum: quod ab interiori parte supernè ornatet tabernaculum, ab exteriori arceret iniurias aëris. Tota longitudo tabernaculi erat præcisè 30. cubitorum, latitudo 10. ita vt proportio longitudinis eſſet tripla ad latitudinem. Situs eius erat, vt longitudo reſpiceret orientem vbi erat ingreſſus; & occidentem: latitudo verò meridiem & aquilonem. Hîc incipit deſcribere velum primum, ſeu intimum & pretioſiſſimum.

DECEM CORTINAS DE BYSSO RETORTA, id eſt, ex byſſo cuius fila torquendo duplicata ſunt, vt eſſent inſtar ſtaminis, ſeu fundi, cui, vel texendo, vel inſerendo varii colores implectérentur.

OPERE PLVMARIO, id eſt, auium plumas multi colores imitante: quod quia multæ induſtriæ eſt, hinc Hebraicè vocatur *opus cogitantis*, & à multis filiis & coloribus vocatur opus *polymitum*, & ab inuentoribus *Phrygium*, vel *Phrygionicum*, quia illi primi inceperunt acu pingere & intexere. Colores autem intexti, vel inſerti byſſo candide ſunt hyacinthinus, ſeu cæruleus, purpureus, & coccineus, ſeu ſanguineus. Vocatur hoc opus aliquando Hebraicè *opus Cherubim*, id eſt, variegatum, ſiue quia Cherubim haberent varias facies, vt aliqui putant, ſiue quod etymologia Cherub ſit quaſi multus, ſeu varius.

2. LONGITVDO 28. CVBITOS. Et proinde hæc longitudo cortinæ erat tanta, quantæ altitudo tabernaculi à meridie, altitudo ab aquilone & tota latitudo, exceptis duobus cubitis. Vnde cortinæ iſtæ in longum expanſæ ſuper tabernaculum tegebant totum tectum ſuperius; & vtrumque parietem, ſic

tamen, vt vtrimque dependentes vno cubito à terra diſtarent, ne fœdarentur.

3. QVINQVE CORTINÆ SIBI IVNGENTVR, vt ita ex decem cortinis fiant quaſi duæ cortinæ maiores quæ tandem omnes ſimul nectebantur, vt fieret vna cortina, & vnum tectum integrum. Cùm verò ſingulæ cortinæ eſſent quatuor cubitorum, neceſſe eſt decem cortinas iunctas effeciſſe quadraginta cubitos: quæ proinde adæquabant totam longitudinem tabernaculi 30. cubitorum, & totam altitudinem decem ſcilicet cubitorum. Nam decem iſti cubiti, vel certè nouem dependebant ad occidentem, ad tegendos aſſeres ibi ſtantes: nam ab oriente tabernaculum patebat.

4. ANSVLAS HYACINTHINAS. His anſulis iungebantur ſingulæ cortinæ ſibi inuicem vſque ad quinque, vt ſuprà. Sed poſtquam iam ex quinis cortinis duæ maiores eſſent factæ, illæ duæ iugebantur ſibi non anſulis, ſed

6. QVINQVAGINTA CIRCVLIS, ſeu fibulis aureis, ſic enim vocantur verſ. 11.

7. FACIES ET SAGA CILINA. Sagum ſignificat veſtem craſſam quæ pluuiis & iniuriis aëris reſiſtat, vnde in bello viſitata. Cilicinum autem dicitur quia contexebatur ex pilis non quibuſuis, ſed caprinis, quæ in Cilicia primò tonderi cœperunt. Talis veſtis erat fortiſſima, ac duriſſima, vnde manus eius vſus ad arcendas pluuias.

AD OPERIENDVM TECTVM, &c. Heb. *tentorium*, id eſt, totum illud velum pretioſum & intimum de quo ſuprà. Erant autem *vndecim*; vnde hoc tectum erat vno ſago, id eſt, quatuor cubitis latius quàm cortinę.

8. LONGITVDO HABEBIT 30. CVBITOS, vnde dependebant ad terram, vſque ſcilicet vtrimque vno cubito vltra cortinas ſuprà deſcriptas. Et quia latitudo omnium ſagorum coniunctorum erat quatuor cubitis maior quàm cortinarum, hinc vnum ſagum ſupererat, de quo præſcribitur verſu nono.

9. VT IN FRONTE TECTI DVPLICETVR, id eſt, vt medietas ſagi, ſeu duo cubiti dependeant in fronte tabernaculi, ſeu in oriente: ſed ita replicati, vt ibi non dependeret niſi latitudo duplicata vnius tantum cubiti, de altera medietate præſcribitur verſ. 12. vt per eam eodem modo operiantur.

12. POSTERIORA TABERNACVLI, ſcilicet in occidente, ſeruiebat hæc duplicatio ad hoc, ne ſuturæ cortinarum & ſagorum ſibi reſponderent.

13. ET CVBITVS EX VNA PARTE PENDEBIT, de longitudine ſagorum loquitur, non de latitudine & ſignificat, ſaga ſe extendiſſe ab vtraque parte ſcilicet meridie & aquilone, vno cubito vltra cortinas, quia erant duobus cubitis longiora cortinis.

14. FACIES ET OPERIMENTVM ALIVD TECTO, hoc eſt tertium operimentum ex pellibus rubris, quod fit tecto, id eſt, ſupremæ parti tabernaculi, inquit Beda & Caietanus, ita vt non tegeret latera, ſed Hebraicè eſt vt ſuprà verſ. 7. *tentorium*, tegebat igitur totum tabernaculum, ſicut ſaga: eadem enim erat neceſſitas tegendi omnia, ne ſcilicet imbribus auratæ tabulæ cortinæque læderentur.

ET SVPER HOC ALIVD DE IANTHINIS PELLIBVS, hoc erat quartum operimentum violaceum, ſeu hyacinthinum & penè cæruleum, quod exterius videbatur. Et de hoc loquitur Ioſephus lib. 3. cap. 5. rem fuiſſe miraculo digniſſimam, eò quòd colores non aliter micabant, quàm ſi cælum quis contueretur. De duorum iſtorum operimentorum longitudine aut latitudine Scriptura nihil dicit, ſed veriſimile eſt ea texiſſe omnia ſaga.

15. FACIES ET TABVLAS STANTES. Ex his fiebant quaſi parietes tabernaculi ac vela omnia ſuſtinenda. Singulæ habebant longitudinis.

16. DENOS CVBITOS. Ergo tabernaculum erat decem cubitis altum: latitudinis habebant cubitum & dimidium. In tabulis erant

17. DVÆ INCASTRATVRÆ, id eſt, commiſſuræ, ita vt ab vna parte fieret quaſi ſulcus excauatus, ab alia quædam prominentia quæ ſulco alterius aſſeris immitteretur, idque vt eſt verſu 24. à deorſum vſque ſurſum. Sed quia ſic neceſſario aliquid petit de iuſta latitudine tabularum, veriſi-

mile eſt artifices tantum ſingulis tabulis adieciſſe, quantum incaſtraturæ de latitudine tollebant. Erant autem in ſingulis lateribus meridionali & aquilonari.

18. TABVLÆ VIGINTI, ex quo neceſſariò ſequitur, totam longitudinem tabernaculi fuiſſe 30. cubitorum.

19. QVIBVS 40. BASES ARGENTEAS FVNDES. Putant aliqui has baſes toti latitudini aſſerum inferius reſpondiſſe, ita vt eſſent longæ & planæ, habentes ſulcum ſeu incaſtraturam per totum cui prominentiæ aſſeris immitti poſſet ſic tamen, vt

PER DVOS ANGVLOS haberent duo profundiora foramina, quibus aliquæ extremitates aſſerum prominentes quaſi claui lignei inſeri poſſent, ſed ex c. 36. v. 24. ſatis apertè indicatur poſitas fuiſſe baſes ſub angulis, vbi erat commiſſura ſeu incaſtratura vtriuſque tabulæ.

22. AD OCCIDENTALEM PLAGAM FACIES SEX TABVLAS, quæ ſimul efficiunt nouem cubitos.

23. ET RVRSVM DVAS ALIAS IN ANGVLIS, ſcilicet in angulo meridionali & aquilonari. Et ſic erant in vniuerſum octo tabulæ. Sed hæ duæ tabulæ angulares non videntur habuiſſe ſingulæ niſi dimidium cubitum, ita vt tota latitudo tabernaculi fuerit tantum decem cubitorum hoc enim colligitur partim ex longitudine ſagorum, vt ſuprà, partim quia ſic eadem planè proportio erat longitudinis, & latitudinis, & altitudinis tabernaculi quæ fuit Templi Salomonis. Ab oriente ſeu introitu tabernaculi nullæ erant tabulæ, ſed tantum pendebat velum.

26. FACIES ET VECTES QVINQVE, id eſt, quinque ordines vectium velut perticarum quæ exterius continebant omnes tabulas, erantque ordines illi ab omnibus tribus lateribus tabernaculi, meridie, aquilone, occidente.

28. QVI MITTENTVR PER MEDIAS TABVLAS, non quaſi craſſities tabularum eſſet perforata & illam tranſirent vectes, ſed per medias, quia exterius tangebant omnes tabulas.

A SVMMO VSQVE AD SVMMVM. Hebraicè clariùs, *ab extremo vſque ad extremum*, non enim tranſibant vectes à ſummo vſque ad imum, quaſi iuxta longitudinem tabularum applicati fuiſſent; ſic enim nullius fuiſſent vſus, ſed vnus vectis tranſibat omnes tabulas tranſuerſas ab oriente in occidentem, &c. An autem vectis vnus fuerit vnum tantùm lignum tantæ longitudinis 30. ſcilicet cubitorum, Scriptura non dicit: Ioſephus videtur putare quòd conſtiterint ex lignis diuerſis quorum capita ſibi mutuo insererentur per modum pixidis, inquit ille, vt videmus fieri in plumbeis canalibus quamquam ab occidente nulla difficultas ſit quin potuerit vnum eſſe lignum.

29. FVNDES IN EIS ANNVLOS AVREOS, per iſtos immittebantur vectes, vnde exterius erant affixi tabulis & ſibi mutuò exactè reſpondebant. Colligunt aliqui ex eo quod annuli erant aurei, eos fuiſſe poſitos intus; ſed non rectè, quia tabulæ erant inauratæ intus & extra, vt Ioſephus.

31. FACIES ET VELVM, hoc velum erat inſtar parietis in tabernaculo ſeparans Sanctum Sanctorum à Sancto ſeu reliqua parte tabernaculi. Si autem proportionem Templi Salomonis ſequamur, pendebat hoc velum præcisè 10. cubitis à tabulis occidentalibus, ita vt ab occidente relinqueretur locus exactè quadratus 10. cubitorum longitudinis & latitudinis, qui erat pars tabernaculi ſacratiſſima ſcilic. Sanctum Sanctorum: ab oriente autem quod ſupererat, ſcilicet 20. cubiti longitudinis, erat Sanctum ſeu ſanctuarium pars minus ſacrata.

32. QVOD APPENDES ANTE QVATVOR COLVMNAS, hæ æquali ſpatio diſtabant in ipſo tabernaculo, ſuper quas videtur fuiſſe lignum tranſuerſum eas continens & habens circulos, vnde velum pendere poſſet.

33. INTRA QVOD PONES ARCAM, quia arca ſtabat in Sancto Sanctorum & nihil præter eam; habens ſuprà ſe propitiatorium & Cherubinos.

35. MENSAMQVE EXTRA VELVM, hæc ſtabat in Sancto, à parte ſeptentrionali, id eſt, ad dexteram intrantibus tabernaculum.

ET CANDELABRVM, à ſiniſtra, id eſt, in parte meridionali. ...

36. Facies et tentorivm, id eſt, velum ſeu aulæum, ſicut & ſuprà v. 2. tentoria vocantur vela. Hoc velum erat ſuſpenſum ex quinque columnis efficientibus quaſi quatuor portas ſeu vias in introitv, ei vt erat quaſi oſtium claudens totum tabernaculum ab oriente, vbi pendebat velum, & ita cùm velum eſſet clauſum, intus fuiſſe obſcurum, maximè in Sancto Sanctorum ad deſignandam arcanam latentis Dei maieſtatem & ſecretiſſima veræ religionis myſteria.

Allegoriam ſtructuræ totius tabernaculi; doctè & fusè proſequitur Beda. Tabernaculum tamquam de ambulatorium templum ſignificat Ecclelesiam pręcipue in hoc mundo peregrinantem, ſicut Templum Salomonis in Ieruſalem, ſignificat eam in patria iam quieſcentem: Decem cortinæ variegatæ ſunt omnes electi variis virtutibus ornati: Saga rectores Eccleſiæ quibus electi muniuntur & teguntur: Pelles arietum rubricatæ, prædicatores Apoſtolici ſuo ſanguine tincti, & ſupremo loco pelles ianthinæ viri cæleſtibus virtutibus maximè caſtitate inſignes: Tabulæ ſunt Apoſtoli eorumque ſucceſſores, quorum laboribus erecta eſt Eccleſia: Baſes argenteæ, libri legis ac Propherarum: Vectes & annuli aurei, promiſſiones cæleſtes, quibus tota Eccleſia firmiter continetur: Sanctum Sanctorum eſt cœlum, vt Apoſtolus ad Hebr. 9. Velum variegatum oppanſum, gratia multiformis qua ad cœlum itur in veteri teſtamento velatum & occultum, vnde & in Chriſti paſſione diruptum eſt, quia propalata tunc & Sancti Sanctorum ſeu cœli via. Area in Sancto Sanctorum ſunt ſancti in cœlo: ſuper eos propitiatorium, id eſt, Chriſtus, vt dictum eſt cap. præcedenti. Altera pars tabernaculi ſcilicet Sanctum eſt præcipuè præſentis temporis Eccleſia, in qua menſa, id eſt, refectio corporalium & ſpiritualium beneficiorum, & candelabrum, id eſt, illuminatio doctrinæ & ſeptemplicis gratiæ, altare thymiamatis, id eſt, cultus Dei per in cenſum orationis in hac vita. Ita ferè Beda, vide & apud Greg. lib 25. Moral. cap 16. aliàs 22. Cyril. vero l. 4. in Ioan. cap. 28. pulchrè oſtendit & latè non ſolùm per tabernaculum, ſed etiam per ſigulas eius partes Chriſtum ſignificari, vide ipſum.

Capvt XXVII.

1. Facies et altare, hoc eſt altare quod à nobiliſſima ſacrificii parte dici ſolet holocauſtorum, & ſtabat ab orientali parte tabernaculi, ante fores eius in atrio ſub dio.

De lignis setim, non ex columnis quatuor in angulis, vt quidam imaginantur, nec etiam ex ſolidis lignis ita contextis, vt torum altare eſſet quaſi vna moles lignea: vtrumque enim repugnat v. 8. vbi dicitur fuiſſe intus *cauum*, quod repugnat columnis, quatuor enim nudæ columnę non faciunt cauitarem: & *inane*, quod repugnat lignis ſolidis. Itaque fiebat ex tabulis ligni ſetim inſtar arcę ſine fundo & operculo: eratque ęqualis longitudinis & latitudinis, id eſt, perfectè quadratum.

2. Cornva per qvatvor angvlos ex ipso ervnt, id eſt, cornua ſupernè ex ipſis angulis altaris aſſurgent inſtar obeliſcorum ad ornatum.

Et operies illvd ære, id eſt, tabulas omnes teges æreis laminis intus & extra ne ab igne lędantur.

3. Faciesqve, &c. fvscinvlas, quibus caro ex ollis extrahitur, de quibus 1. Reg. 2. v. 13. & 14.

Et ignivm receptacvla, quibus carbones ex hoc altari ſumerentur ad adolendum incenſum quotidie in thuribulis.

4. Craticvlamqve in modvm retis æneam. De hac craticula magna diſſenſio eſt. Rabbini, Abulenſis, Caieranus putant hanc craticulam fuiſſe infrà ad terram altari circumdatam, ad altitudinem cubiti cum dimidio inſtar cancellorum, vel ad ornatum, vel ad arcendos homines ab altari, ſed apertè repugnat Scriptura infrà cap. 38. verſ. 4. vbi ponitur arula in medio altaris, ſub craticula. Verior igitur eſt ſententia Ioſephi libr. 3. Antiq. cap. 7. craticulam illam fuiſſe ſuperpoſitam altari, vt eſſet planities eius. Fallitur tamen Ioſephus putans per foramina craticulę cineres in terram

tam decidiſſe. Expreſsè enim Scriptura loco citato & hîc ponit *arulam*, hoc eſt, æreum receptaculum in quo prunæ poni ſolent, de quo Ieremiæ 36. verſu 22 & 23. Itaque hæc craticula ſupernè tegebat altare, & pertingebat.

5. VSQVE AD ALTARIS MEDIVM, quia arula iſta erat quaſi vnum opus cum craticula, quæ proinde per adiunctam arulam deſcendebat vſque ad altaris medium. In hac arula ponebatur ignis cuius flamma per craticulam aſſurgens hoſtias conſumebat. Et ita neceſſe fuiſſe videtur vt in latere altaris eſſet feneſtra, qua ligna immitterentur. Alii volunt arulam fuiſſe ad excipiendos cineres, & quidquid decideret, ligna verò & ignem ſuper craticulam fuiſſe poſita, & eis impoſitam fuiſſe hoſtiam, vt inſinuatur Leuit. 1. verſ. 8. & ſicut fecit Abraham Geneſis 22. verſ. 9. Annuli verò de quibus hîc fit mentio, erant ad portandam ſeorſim craticulam vna cum arula, ne altare totum nimis eſſet oneroſum. Nam ipſum altare etiam duobus vectibus portabatur, vt eſt verſu 7.

8. NEQVE SOLIDVM SED INANE ET CAVVM, nempe vſque ad medium altaris, aiunt quidam; nam infrà plenum erat vel terra vel lapidibus inſectis, iuxta legem ſupra datam Exod. 20. v. 24. ſed quia Scriptura abſolutè dicit fuiſſe intus inane, nec vllum indicium eſt in Scriptura, quòd in manſionum mutationibus illa altaria terrea vel ſaxea relicta vel diſſipata fuerint, hinc veriſimilius videtur, ex ſolis lignis fuiſſe fabricatum, vt hîc præſcribitur. Vniuerſale autem præceptum Exodi 20. reſpicit altaria ſtabilia quæ poſtmodum in terra promiſſionis erant fabricanda: cui præcepto generali præiudicat iſtud particulare hoc loco.

9. FACIES ET ATRIVM TABERNACVLI. Atrium erat locus vaſtus procurrens ab oriente in occidentem longus cubitis centum & latus quinquaginta: in cuius latere meridionali erant æneæ columnæ viginti: in ſeptentrionali totidem: ab oriente tantum decem, & ab occidente totidem. In columnis erant *pax illi*, vt eſt v.19. ſeu claui æreі, ex quibus ſuſpenſa erant *tentoria*, id eſt, vela quinque cubitis alta inſtar ſepti ſeu muri portatilis, idque ex ſola byſſo retorta. In hoc atrio ſtabat Tabernaculum verſus occidentem ita vt diſtaret iuxta Philonem viginti cubitis à cortinis meridionalibus, ſeptentrionalibus, & occidentalibus; vnde cum tabernaculum eſſet longum 30. cubitis: neceſſe eſt oſtium tabernaculi pertigiſſe præciſe vſque ad medium atrii, id eſt, quinquageſimum cubitum longitudinis: & ita ſupererant alii quinquaginta cubiti ab oriente: in quem locum intrabat populus ad orandum, ſpectandum ſacrificia, epulandum coram Domino, id eſt, tabernaculo: erat enim quaſi templum populi qui numquam in tabernaculum intrabat. Porrò ſicut olim Salomon fecit duplex atrium, exterius in quo ſtabat populus proſpiciens ſacrificia per murum altum tribus cubitis, & interius in quo ſtabat altare & labrum æneum, ita veriſimile eſt & hic altare fuiſſe aliquo ſepto ſeparatum à reliquo atrio, ne populus ſacerdotibus miſceretur.

13. IN ATRII LATITVDINE QVÆ RESPICIT ORIENTEM. Hoc latus erat prorſus æquale occidentali in latitudine & numero columnarum; ſed hoc erat diſcrimen, quòd ab oriente cortinæ, ſeu vela non eſſent continua; ſed vtrimque per quindecim cubitos erant vela cæteris ſimilia ex ſola byſſo; in medio verò vbi erat quaſi oſtium, erat tentorium, id eſt, velum magnificentius ex hyacintho purpurâ cocco & byſſo occupans reliquos 20. cubitos.

17. OMNES COLVMNÆ ATRII. Columnæ tabernaculi factæ fuerant ex lignis ſetim deauratæ, ſed hæ columnæ atrii ſunt æneæ, VESTITÆ LAMINIS ARGENTEIS, non continuis quaſi nihil aëris videretur, ſed interciſis: erant fila, ſeu circuli quidam argentei qui gyrando ambiebant columnas, vnde verſu 10. vocantur celaturæ.

CAPITIBVS ARGENTEIS, ita vt capita columnarum vnâ continuâ laminâ tegerentur.

BASIBVS ÆNEIS, mucronatis, inquit Ioſephus, ita vt eſſent imæ haſtæ ſimiles, vt in terram defigi poſſent.

19. Cuncta vasa tabernaculi, intellige quæ ſpectabant ad vſum tabernaculi exteriorem in atrio & altari holocauſti.

. Ex ære facies. Nam multa vaſa quorum vſus erat in ipſo tabernaculo, erant ex auro.

Allegoriam atrii doctè & accuratè proſequitur Beda. Breuiter ſicut Sancta Sanctorum ſignificant Eccleſiam cœleſtem, & Sanctum, ſeu anterius tabernaculum vitam perfectam Eccleſiæ huius vitæ, ita atrium, inquit, prima incipientium rudimenta demonſtrat; vnde in atrio eſt altare holocauſti, id eſt, mortificatio vitiorum, & lauacrum, id eſt, pœnitentia.

20. Oleum pilo contusum, quia mundius eſſe dicitur quàm quod molâ exprimitur. Vt ardeat lucerna semper, id eſt, vt ſeptem lucernæ ardeant ſemper. Colligunt hinc Caietanus & Lypomanus lucernas omnes numquam extinctas fuiſſe, ſed arſiſſe ſemper, id eſt, tam interdiu quàm noctu. Fauet eis Ioſephus lib. 3 Antiq. c. 9. vbi dicit tres lucernas per diem in candelabro luxiſſe, reliquas fuiſſe ſub veſperam accenſas. Sed quia Ioſephus tabernaculum iſtud non vidit, Scripturæ magis conſonat, vt illud *ſemper* ſignificet ſingulis ac totis noctibus. Nam ſtatim Scriptura ſe explicat hoc loco:

21. Et collocabunt eam, &c. id eſt, & ſacerdotes aptabunt lucernas veſperi.

Vt usque mane luceat coram Domino, qui ſuper Cherubim & arca veluti throno ſuo reſidebat in Sancto Sanctorum. Candelabrum enim ſtabat in Sancto.

Extra velum quod oppansum est testimonio, id eſt, arcæ, in qua Teſtimonium, ſeu Legis tabulæ à Moyſe poſitæ fuerunt. Itaque indicat Scriptura lucernas non arſiſſe niſi noctu, vſque manè & tunc extinctas fuiſſe, vt indicatur clariùs 1. Reg. 3. v. 3. vnde & Leuitici 24. v. 3. dicuntur lucernæ ponendæ à veſpere vſque manè, & 2. Paralip. 13. v. 11. accendendæ ad veſperam, numquam autem fit mentio accenſionis matutinæ. Nec erat opus; interdiu enim ſatis luminis intromitti poterat in tabernaculum per velum.

Significabatur autem hoc myſterio, vt Beda, prædicationis lucem in nocte huius peregrinationis tantum lucere in Eccleſia; cùm autem dies æternitatis illuxerit, non opus amplius fore lumine lucernę, quia claritas Dei illuminabit cæleſtem ciuitatem.

Capvt XXVIII.

1. Applica ad te Aaron cum filiis, id eſt, acceſſe eos ad te, vt à te aptentur veſtibus, vnctione, & conſecratione ad ſacerdotium. Hæc eſt illa legitima vocatio, ſeu miſſio miniſtrorum Dei ad functiones ſacerdotii, de qua Apoſtolus ad Heb. 5. *Nemo ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron*, contra quam peccant omnes nouatores, qui nemine mittente à ſemetipſis veniunt.

2. Faciesque vestem sanctam, id eſt, veſtes ſanctas & conſecratas, in gloriam et decorem, ſacerdotii & cultus diuini, ad hoc enim adhibentur veſtes ſacræ & communibus nitidiores & magnificentiores, vt per eas proteſtemur primò magnificentiam & maieſtatem Dei; ſecundò quanta reuerentia & nitor animi conueniat cultui eius, vnde Pſal. 95. ſanctimonia & magnificentia in ſanctificatione eius, tertiò, vt aſſiſtentes ſacrâ quadam veneratione excitentur ad res diuinas, ne tanquam prophanæ contemnantur.

3. Loqueris cunctis sapientibus corde, id eſt, peritis artificibus qui non nudè exequi queant artis miniſteria, ſed rei faciendæ rationes norunt: ſapiens enim in vnaquaque arte dicitur, qui ſupremam cauſam in illo genere nouerit, quamuis Hebręi artem, ſcientiam, ſapientiam, prudentiam ferè confundere ſoleant.

Qvos replevi spiritv prvdentiæ, id eſt, quibus ego indidi peritiam illam, idque ſiue peculiari inſpiratione, vt idonei eſſent ad fabricanda tabernaculi inſtrumenta, ſiue naturali intelligentiæ dono, ſic enim Deus dicit ſe gallo dediſſe intelligentiam Iob 38. verſ. 36.

6. Facient svperhvmerale. Hebręis dicitur Ephod ab aphad, id eſt, ſuperinduit, quia cæteris omnibus veſtibus ſacerdotis ſuperinduebatur, vel etiam *cinxit*,

quia cingebatur balteo, vel potius quòd arctitudine ſua inſtar thoracis cæteras veſtes cingeret & ſtringeret: Thoraci enim comparat Philo l. 2. de monarchia. Et Ioſephus ait fuiſſe longitudine cubitali cum manicis, & circa medium pectus lacunam vacuam relictam fuiſſe ad inſerendum Rationale. Hæc erat ſoli ſacerdoti ſummo propria. Erat tamen & aliud Ephod commune ſacerdotibus cæteris, imò & laïcis, vnde & Samuel, & Dauid dicuntur fuiſſe accincti Ephod: ſed ferè vocatur Ephod bad, id eſt, lineum, vnde ab eo differt hoc noſtrum totâ ſtructurâ: nam fiebat ex variis filis primò ex byſſo retorta, tamquam flamine cui intexerentur, vel inſererentur veriorum colorum fila, inſtar tapetis videlicet DE AVRO, id eſt, fila aurea, vt Hieronymus ad Fabiolam, hyacinthina, purpurea & coccinea, & ideo dicitur fieri, OPERE POLIMITO, id eſt, variorum liciorum & colorum. Et hæc de materia eius. Forma verò erat talis.

7. DVAS ORAS IVNCTAS TABEBIT IN VROQVE LATERE SVMMITATVM, id eſt, non erit apertum in lateribus, vt indui poſſit, ſed in ſummitate, ſeu ſupernè in vtroque humero erunt duæ oræ, quæ ſe aperiant in induendo: REDEANT AVTEM IN VNVM, id eſt, coniungantur & nectantur fibulâ, cùm indutum fuerit, vt in dalmaticis fieri videmus.

9. SVMESQVE DVOS LAPIDES ONICHINOS, quos Ioſephus vocat ſardonicas, vt vel colorem lapidum ſcilicet rubeum, vel patriam demonſtraret, inquit Hieron. Epiſtola 128. ad Fabiolam.

SCVLPES IN EIS NOMINA FILIORVM ISRAEL, omiſſo Leui & Ioſeph. Nam loco illorum ſucceſſerunt Ephraim & Manaſſe adoptati à Iacob.

10. IVXTA ORDINEM NATIVITATIS EORVM, vnde in dextro humero tanquam digniore erant ſeniores, Ruben, Simeon, Iudas, Dan, Nephtali, Gad: in ſiniſtro iuniores, Aſer, Aſſachar, Zabulon, Ephraim, Manaſſes, Beniamin, vt Ioſephus.

12. ET PONES IN VTROQVE LATERE SVPERHVMERALIS, id eſt, in vtroque humero, Ita vt necterent illas duas oras inſtar fibulæ.

MEMORIALE FILIIS ISRAEL. Hebraicè, lapides memoriæ, ſeu recordationis, quod ſtatim explicat, quia Aaron portabit ea nomina OB RECORDATIONEM, id eſt, vt Aaron per nomina Patriarcharum recordetur ſingulatum tribuum, & per patrum merita pro filiis oret: conſequenter verò vt etiam Deus patrum nomina intuendo recordetur filiorum. Rem memorabilem refert de his lapidibus Ioſephus, quod dexter, cum Deus placatus eſſet ſacrificio, tanto fulgore micaret, vt eminus à quibuſlibet conſpiceretur.

13. FACIES ET VNCINOS, iſti vncidi ponebantur in ſummitate Ephod, ſeu in humeri, prope lapides onychinos.

14. ET DVAS CATENVLAS, quarum ſuperior pars inſerebatur vncinis illis, inferior verò ſuſtinebat Rationale.

SIBI INVICEM COHÆRENTES, id eſt, quarum annuli ſibi mutuo implectantur, vt in catenis fieri ſolet: de catenis latiùs infrà verſ. 22. & ſeqq.

15. RATIONALE QVOQVE IVDICII, Hæc eſt ſecunda veſtis Pontificis, ſeu potiùs pars primæ veſtis Ephod, omnium ſacratiſſima. Rationale iudicii dictum putat Cyrillus, quia ibi poſitum geſtabatur, vbi rationalis facultatis eſt locus, nempe ſupra pectus: vel vt alii quia tamquam ratione præditum debat iudicium ſeu oraculum, ipsâque nominum ſculpturâ, & inſcriptione Pontificem admonebat officii ſui Hebraïcè dicitur חשן *choſen*, quod aliqui pectorale vocant, alii à חסן *choſen*, id eſt, fortitudo dictum putant, quia muniebat pectus ſacerdotis, vocatur aliquando iudicium, vt verſu 30. *geſtabit iudicium*, id eſt, rationale iudicii, ſicut arca vocatur teſtimonium. Structura quantum ad pannum erat prorſus eadem, quæ ſuperhumeralis, quantum ad reliquam formam.

16. QVADRANGVLVM ERIT, &c. id eſt, prorſus quadratum ab omni latere habens MENSVRAM PALMI, id eſt, magnitudinem ſpithamæ, vt LXX. ſeu duodecim digitorum tranſuerſorum. ET DVPLEX, id eſt, duplicatum quaſi pro ſuffultura, vt faciliùs ſuſtinere poſſit pondus gemmarum.

17. Poneſque in eo quatvor ordines lapidvm, quibus inſculpebantur nomina Patriarcharum eodem plane modo & causâ, vt ſuprà, vt ſcilicet Pontifex recordaretur eorum in precibus, eoſque ferret in pectore eos diligendo, in humeris eorum imperfectiones ſufferendo. Accuratè autem ordo hîc gemmarum præſcribitur, vt ſciamus in eis myſticum aliquid contineri, ſiue ſpectemus proportionem cuiuſque gemmæ ad Patriarcham quem inſculptum gerit, ſiue allegoriam reſpectu duodecim Apoſtolorum, quibus ſimiles ferè tribuuntur gemmæ in Apocalypſi, ſiue denique tropologiam. Nam vt Hieron. Epiſtola 128. quatuor ordines lapidum ſunt quatuor virtutes cardinales quæ ſibi hærent inuicem. Quas autem gemmas Hebraïca nomina hic ſignificent, maxima inter Rabbinos incertitudo eſt. Nihil tutius quàm ſequi LXX. interpretes tamquam antiquiſſimos quos vulgatus in omnibus ſecutus eſt exceptis duabus vltimis, quæ ordine inuerſo poſitæ ſunt ſine dubio per ſcribentium incuriam.

In primo versv lapis sardivs. Ex teſtimonio Plinii & S. Iſidori l. 6. Orig. c. 8. ſardius eſt colore ruber, non vt corallium, ſed dilutior, vt humana caro, ita dictus, quia primùm repertus eſt à Sardis. Iſidorus addit eſſe marmore quidem præſtantiorem, ſed gemmarum viliſſimam, ſcilicet ſuo tempore, vnde & Plinius ait nullam fuiſſe antiquis vſu frequentiorem, quod ſignum vilitatis. Aptè ſignificat cognitionem ſui, ſeu vilitatis ſuæ, quod homo ſit caro & ſanguis.

Topazivs omnium antiquorum iudicio eſt viridis, ſed paulò dilutior, ſeu pallidior, inſtar porri, cum aurea quadam reſplendentia, qualem videmus ſubinde in collo columbarum, & in muſcis quibuſdam. Ampliſſimum, id eſt, maximum vocat eum Iſidorus, nam teſte Plinio ſtatua quatuor cubitorum ex eo facta fuit vxor Ptolomæi Philadelphi. Significat ſacerdoti adeſſe debere animum cæleſtem & infractum.

Et smaragdvs, gemma notiſſima eſt; de qua Iſidorus, & alii quod omnium gemmarum virentium principatum teneat, inficiens viriditate ipſum repercuſſum aërem, nulla quoque aſpectu iucundior, ideoque gratiſſima ſculptoribus. Optimè conuenit ſceptro ac dignitati Iudæ, ſignificat autem perennem gratiſſimamque carnis virginitatem.

18. In secvndo carbvncvlvs, Græcè *anthrax*, id eſt, carbo, quia vt Iſidorus, & plinius inſtar carbonis ardentis ignitus eſt, ita vt in tenebris luceat, & radios ad oculos vibret: inter omnes ardentes gemmas princeps fuit, etſi hodie dicatur non agnoſci, eſt autem ſymbolum ardentis charitatis.

Saphirvs. Plinij, Iſidori imò & Scripturæ teſtimonio eſt colore cæruleus, nam ſupra c. 24. v. 10. comparatur cœlo cùm ſerenum eſt, interlucet autem punctis aureis quaſi ſtellulis. Conuenire putant Nephthali, vnde cæleſtes viri Apoſtoli prodierunt; ſignificat autem ſpem rerum cæleſtium.

Et Iaspis hic etiam vnanimiter agnoſcitur eſſe viridis, ſmaragdo ſubſimilis, inquit Iſidorus; ſed craſſi coloris, quidam firmiſſimum eſſe volunt, vnde fortiſſimam fidem ſignificare poteſt.

19. In tertio Ligvrivs, Quis ille ſit magis incertum eſt. Aliqui putant eſſe ſuccinum, qui eſt ſuccus pini arboris duratus, coloris fului, & cerei parui pretii. Hieronymus putat eſſe poſitum pro Hyacintho, vt Ligurius quaſi λίγυρος dicatur, id eſt, iucundus: eſt enim colore ferè cæruleo accedente ad violaceum, vnde ſignificare poteſt amorem cæleſtium.

Achates, gemma nigra eſt, inquit Iſidorus, habens in medio circulos nigros & albos iunctos & variatos ſimilis hemathiti, vnde alii dicunt eſſe variorum colorum; ſubinde guttis aureis inſperſa eſt, ſignificat ſapientiam omnigenam.

Et amethystvs, dictus eſt Græcè ab, α, & μεθύειν inebriari, quia colore vini rubri quaſi inebriatur & impletur; ſic tamen, vt deſinat in violaceum. Ebrietati à quibuſdam reſiſtere putatur. Significat in ſacerdote temperantiam.

20 In qvarto chrysolithvs, id eſt, Græcè, *aureus lapis*, quia vt Iſidorus l. 16. c. 14. auro ſimilis eſt cum marini coloris ſimilitudine, quæ fortaſſe cauſa eſt cur Hebraï-

cètharſis dicatur, quod nomen mare ſubinde ſignificat,ſymbolum eſt fortitudinis aduerſus omnes tempeſtates ſæculi.

Onychinvs, ſeu onyx, id eſt, vnguis, quia color ſimilitudinem habet vnguis humani qui eſt color languidus, ſignificat humanitatem & innocentiam.

Et berÿllvs, teſte Iſidoro, ſmaragdo viriditate ſimilis eſt, ſed cum pallore aliquo, vnde Plinius probatiſſimos eos eſſe dicit qui viriditatem puri maris imitantur. Sexangulâ formâ ſculpi ſolent, vt languidus color repercuſſione angulorum excitetur, ſignificat virentem ſemper in bonis operibus perſeuerantiam.

21. Habebvntqve nomina, &c. Ex quo loco ſicut & verſu 10. & ſequentibus apertiſſimum eſt, ipſa nomina Patriacharum lapidibus inſculpta fuiſſe contrà quoſdam qui putant ex leui fundamento, non ipſa nomina, ſed arma, ſeu inſignia ſingularum tribuum eis fuiſſe inſculpta, quod enim Hebraicè dicitur fieri deberè *ſculturâ ſigilli*, nihil aliud ſignificat quam opere ſculptoris ſeu cælatoris.

22. Facies in rationali catenas, hæ ſunt eædem catenulæ de quibus ſuprà v. 14.

23. Et dvos annvlos, hi ſunt duo annuli maiores in ſuprema ora Rationalis poſiti, quibus inſertæ catenulæ aſcendebant ſuper vtrumque humerum, & ibi copulatæ duobus vncinis, ſuſtinebant quaſi pendulum *Rationale*. Sed præter iſtos duos annulos maiores, præſcribitur v. 26. & 27. vt faciat alios annvlos dvos avreos, ponendos ſcilicet in ora Rationalis ſuperiori, &. alios dvos in ora ſcilicet inferiori, quibus quatuor annulis reſpondebant è regione, alii quatuor annuli in ſuperhumerali, ita vt ſe inuicem tangerent, in eum finem, vt vitta hyacinthina per annulos illos tranſiens ſtringeret Rationale cum ſuperhumerali, ne vnquam ſeparari poſſet.

30. Pones in rationali doctrinam et veritatem, Hebraicè, *vrim & tummim*, hoc eſt, luces ſeu illuminationes & perfectiones, plurali poſito pro ſingulari per anallagen numerorum, quod LXX. reſpiciendo tranſtulerunt ſenſum δήλωσις, ϗ ἀλήθεια, id eſt, manifeſtatio & veritas: noſter eodem ſenſu *doctrina & veritas*, quia veritas eſt perfectio hominis in ſe, doctrina verò eſt lux, & manifeſtatio veritatis reſpectu aliorum. Quid ſibi hæc velint inuenire difficile eſt, inquit Auguſtinus, quæſt. 117. in Exod. quod patet ex multitudine ſententiarum, quibus authores diſtracti ſunt. Caietan. putauit ipſum Rationale ſic vocari, eò quòd lucidè, id eſt, ſine rugis, & perfectè eſſet aptatum ſuperhumerali. Oleaſter ipſas duodecim gemmas Rationali incluſas, ſic vocari voluit, eò quòd eſſent lucidæ & perfectæ. Sed hæc duo nimis rem iſtam extenuant. Alii putant fuiſſe, vel vnum adamantem, vt Epiphanius lib. de gemmis, vel duos alios lapides lucidiſſimos, vt Arias in Rationali poſitos, vel eoſdem illos duodecim ita dictos, quia per illos Deus docebat veritatem de futuris conſultus, nempe ſplendore lapidum ſignificans proſpera, obſcuritate aduerſa, aliis coloribus alia, quam vltimam opinionem multi recentiores ex Ioſepho libro 3. Antiq. cap. 9. videntur hauſiſſe. Sed veriſimilius videtur, hîc præcipi ad litteram, vt characteres illorum verborum *vrim & tummim*, id eſt; doctrina & veritas ponerentur in Rationali, ſiue inter lapides ſiue ad latera eorum acu pingendo; ſiue etiam in aliis lapidibus eos ſculpendo. Nam illo verſu 30. planè indicatur aliquid diſtinctum præſcribi à præcedenti ornatu gemmarum, quod corporaliter in Rationali deberet poni, vt obſeruat Auguſt. & ſimplex narratio hoc poſtulare videtur. Nam ſimili modo inſculpebatur lamine frontali *ſanctum Domino*, vt eſt verſu 36. nam quod de fulgore lapidum dicitur, meritò fabuloſum Auguſtino videtur; & erat inſufficiens ad ſignificandas euentuum particulares circunſtantias, quas Deus conſulentibus indicabat. Itaque per illa verba, doctrina & veritas, primò monebatur ſacerdos pectus ſuum implere veritate, vt eam intelligeret, & doctrina vt eum doceret, ſecundò indicabatur eum à Deo exſpectare debere doctrinam & veritatem, vt ad dubia conſulentium reſpondere poſſet. Vnde illis

charaćteribus præferebat, quaſi priuilegium ſibi addićtum à Deo, vt populus non quæterer oracula à dæmonibus, ſed à Deo per ſacerdotem. Et hinc eſt quòd ſæpè in Scriptura legamus Deum conſultum fuiſſe, fuiſſe, vel reſpondiſſe per Vrim, vel per Ephod, id eſt, per ſacerdotem indutum Ephod & Rationali, in quo ſcriptum erat vrim & tummim: vt Num. 27. verſ. 21. vbi nos legimus, *Eleazar ſacerdos conſulet Dominum*, Hebraicè eſt, *interrogabit in iudicio vrim coram Domino*. Et 1. Reg. 28. verſ. 6. *Non reſpondit ei Dominus, neque in ſomnis, neque per ſacerdotes*, Hebraicè, *neque in vrim*. Et 1. Eſdræ 2. verſ. 63. *Donec ſurgeret ſacerdos doctus, atque perfectus*, Hebraicè, *ſacerdos in vrim & tummim*. Ex quo loco colligitur tempore Eſdræ iam ceſſaſſe, ſed tamen exſpećtatum fuiſſe oraculum per vrim. Quando autem generaliter ceſſauerit incertum eſt. Plerique Rabbini itemque Genebrardus lib. 2. Chronologiæ indicant poſt captiuitatem Babylonicam ceſſaſſe: quòd cum illo loco Eſdræ ſatis conuenit.

31. FACIES ET TVNICAM SVPERHVMERALIS, hæc eſt tertia veſtis ſoli Pontifici propria: quæ Hebraicè dicitur *Mehil*, Latinè abſolutè, tunica, vel etiam tunica ſuperhumeralis, quia immediatè ſub ſuperhumerali induebatur: Græcè poderes, quia laxa ad pedes, ſeu talos vſque pertingebat bat. Nam eſt & alia tunica linea, & ſtrićtior omnibus ſacerdotibus communis. Hæc Pontificalis erat *hyacinthina* id eſt, ex lana coloris cærulei accedentis ad violaceum. Erat in eius medio

32. CAPITIVM, id eſt, apertura, ET ORA PER GYRVM TEXTILIS, id eſt, fimbria, ſeu limbus non acu factus, ſed opere textili ad textus, ne in duendo rumperetur; deorſum verò erant effigies *malorum Punicorum* ex variis coloribus numero ſeptuaginta duo, in quorum medio mixta erant alternatim *aurea tintinnabula* todidem numero, vt Hieronym. Epiſtola ad Fabiolam.

35. VT AVDIATVR SONVS, nempe vt ſic ad reuerentiam maieſtatis meæ tam ipſe quàm populus excitetur, & ita NON MORIATVR, per inobedientiam, negligendo præceptum meum. Per hæc tintinnabula ſignificatum putat Origen. Homil. 9. ſacerdotem de extremis temporibus & fine mundi numquam debere ſilere. Totius autem veſtis huius ſignificatio traditur Sapientiæ 18. verſ. 24. vbi in veſte poderis, id eſt, in tunica illa talari dicitur fuiſſe totus orbis terrarum, ſymbolicè ſcilicet per colores tunicæ & malorum Punicorum dependentium deſignatus. Nam vt Hieron. Epiſtola cit. ex Hebræis, nempe ex Ioſepho 3. Antiq cap. 8. byſſus terram ſignificat, quia ex terra gignitur; purpura mare, quia ex cochleis eius generatur; hyacinthus aërem; coccus ignem propter colores.

36. FACIES ET LAMINAM. Quarta veſtis Pontifici propria lamina ſcilicet ex auro ſolido, in qua ſculpum erat nomen illud glorioſum tetragrammaton Hebraicis charaćteribus *podes ladonai*, id eſt *ſanctum* ſeu *ſanctitas Domino*. Quo emblemate ſignificabatur, ſanćtitatem Deo eſſe propriam, & ab ipſo ſolo exſpećtandam, ipſum ſanćtiſſimè colendum tamquam qui ſit ab omni inquinatione libera, incontaminatiſſima, & perfećtiſſima puritas.

38. PORTABITQVE AARON, &c. Eſt ratio cur laminæ *ſanctum Domino* inſcribendum ſit, nempe vt ipſe ſuſcipiat in ſe.

INIQVITATES EORVM QVÆ OBTVLERVNT, id eſt, peccata populi quæ in hoſtiarum capita quaſi tranſlata ſunt, vt ea virtute nominis diuini, quod quaſi tacitè inuocat, deleantur. Hoſtiarum enim ſanguis loco ſanguinis humani effunditur, & delićta quaſi in hoſtiam transferuntur, vt in capro Emiſſario manifeſtum eſt, & clarè indicatur Leuit. 17. v. 11.

ERIT LAMINA SEMPER IN FRONTE, quandocumque ſcilicet tabernaculum ei ingrediendum eſt, VT PLACATVS SIT EIS DOMINVS, id eſt, vt Deus tali inuocatione & cultu nominis ſui placatus fiat populo.

39. STRINGESQVE TVNICAM BYSSO. Duplex veſtis hîc breuiter tangitur. Primò tunica, non illa hyacinthina quæ erat exterior Pontifici propria, ſed interior quæ idcirco Leuitici 8. verſ. 7. vocatur *ſubucula*

linea, communiſque erat omnibus ſacerdotibus. Linea dicitur, etſi eſſet ex byſſo, vt patet infrà c 39. v. 25. quia arctiſſimè ſtringebat corpus ſine rugis, manicata, vt eam deſcribit Ioſephus 3. Antiq. Secundò tangitur hic byſſus, id eſt, ſingulum ſeu zona qua tunica iſta circa pectus paulò infra axillas, inquit Ioſephus, accingebatur. Deſcribit eam quod fuerit zona lata quatuor digitos, intus inanis, ita contexta vt ſerpentis exuuium videri poſſet: floribus erat picturata Punicis, purpureis, hyacinthinis & biſſinis; ſtamen verò è ſola byſſo, quæ ſcilicet ſemel atque iterum circa pectus reuoluta ad talos vſque defluebat extra ſacrificia cùm verò eſſet miniſtrandum ſacris, ne ventilata eſſet impedimento, ſuper humerum læuum reiiciebatur: ita Ioſephus.

Et tiaram byssinam facies. Pontificalem ſcilicet quæ proprio nomine vocatur hîc *Miſnepheth*. Deſcriptio eius ex nullo tutius quam Ioſepho, qui eam ſæpius vidit, peti poteſt: mentem eius videntur pauci aſſecuti. Itaque Tiara ſeu Cydaris Pontificis habebat aliquid commune cum tiaris ſacerdotum, aliquid verò peculiare. Commune omnibus erat: Primò quòd videretur, vt ait Ioſephus l. 3. c. 8. vitta linea ſæpè in orbem replicata & conſuta. Vnde videtur habuiſſe aliquam ſimilitudinem Turbanti Turcici. Secundò illam vittam ſupernè alia ſindon integebat ad frontem vſque deſcendens, ſuturas ac deformitates iſtius vittæ tegens. Vnde Hier. Epiſt. ſæpè citatâ de illo pileolo dicit fuiſſe inſtar ſphæræ mediæ diuiſæ. Tertiò ne dilaberetur inter ſacrificandum, alia vitta aſtringebatur. Peculiare verò erat, quòd tiare ſacerdotum haberent ad ornatũ coronulas byſſinas, vt patet Exodi 39. v. 27. Pontificalis habebat iuxta Ioſephum ſupra pileolum illum, alium pileum ex hyacintho variatum, ſecundò aurea corona eum triplici ordine circumdabat, tertiò in fronte habebat laminam auream ſupradictam.

Et baltevm opere plvmarii, id eſt, acu pictum variis liciis & coloribus. Hæc erat ſecunda zona exterior Pontifici ſoli propria, qua Ephod cum thunica hyacinthina cingebatur.

40. Porro filiis Aaron, ſacerdotibus, tvnicas lineas parabis balteos ac tiaras De quibus tribus iam diximus, nam tres iſtæ veſtes vnà cum zona tunicæ lineæ ſuprà deſcriptæ communes erant ſacerdotibus & Pontificibus: ſicut & fœminalia linea, id eſt, baccæ lineæ ſeu byſſinæ, vt vocantur c. 29. v. 27. quæ erant firmitatis causâ ex byſſo retorta, circa lumbos adſtrictæ vt eas deſcribit Ioſephus: & ad hoc inſtitutæ à Deo, ne inter laborandum caſu vel aliter pateret nuditas.

Hic igitur erat ordo veſtium ſacerdotalium & Pontificalium: primò omnes induebantur fœminalibus ſeu braccis lineis. Secundò tunicâ illâ lineâ ſtrictâ: vtraque erant ex lino præſtantiſſimo, id eſt, byſſo. Tertiò zonâ cingebantur. Quartò tiara capiti imponebatur. Præter hęc induebat Pontifex primò tunicam hyacinthinam cum tintinnabulis. Secundò Ephod habens in medio Rationale. Tertiò ſtringebat Ephod cum tunica alio balteo, quod deorſum pendebat, inquit Ioſephus. Quartò tiaram ſuprà deſcriptam vnà cum lamina aurea.

Symbolicè fœminalia & tunica linea terram ſignificant, hyacinthina aërem, mala eius Punica & tintinnabula fulgura & tonitrua ſiue omnium conſonantiam elementorum: zona Oceanum: Ephod varium, cœlum ſidereum: duo onychini lapides, Solem & Lunam: duodecim lapides Rationalis menſes duodecim vel duodecim ſigna zodiaci: tiara cælum empyreum: lamina cum nomine tetragrammaton Deum omnibus rebus præſidentem. Horum omnium ratio erat, vt Pontifex creatoris portans in veſtibus typum omnium creaturarum per hoc indicaret cuncta indigere miſericordia Dei, vt ſacrificio eius expiaretur vniuerſi conditio, nec pro Iſraël tantùm, ſed pro tota creatura habitu non minus quàm voce precaretur. Ita ferè Hieronym. Epiſtola 128. & Ioſephus l. 5. Antiq. c. 8. Quid eædem veſtes tropologicè ſignificent, vide apud eundem Hieronymum & Bedam: & pulchrè apud Diuum Gregorium, 2. parte Paſtor. curæ cap. 3.

CAPVT XXIX.

2. ET CRVSTVLAM.hebraicè, placentam ſeu panem frixum, QVÆ CONSPERSA SIT OLEO, id eſt, quæ oleo non tantùm vncta ſed ſubacta ſit cùm pinſeretur, vt LXX.

LAGANA QVOQVE, id eſt, tenuia liba quę aqua quidem ſubacta ſunt, ſed poſtmodũ OLEO LITA, ſeu vncta, vt eo frigantur.

5. INDVES LINEA, id eſt, tunicâ illâ ſtrictâ lineâ, ET TVNICA, hyacinthinâ ſcilicet.

7. ET OLEVM VNCTIONIS FVNDES SVPER CAPVT EIVS. Aaronis, non filiorum. Nam ſolius ſummi Pontificis caput vngebatur oleo, vt ſignificaretur poteſtatem offerendi ab ipſo in inferiores deſcendere: ſacerdotum verò ſolæ manus oleo initiabantur vt indicatur v. 9. qua manum conſecratione ſignificabatur, poteſtatem illis dari vt etiam ipſi aliquid conſecrare poſſent, inquit Aug. quæſt. 125. nempe victimas, quas contactu ſuo Deo decidebant & quaſi conſecrabant. Et ſic erunt ſacerdotes

9. RELIGIONE PERPETVA, quamdiu ſcilicet ille ſtatus legis duraret quo res perpetuæ ſignificabantur: vel perpetua, quia nullus terminus durationis ei præſtitutus erat, vt Auguſtinus hîc, de qua phraſi & in Geneſi diximus.

IMPONENTQVE AARON, &c. MANVS SVPER CAPVT EIVS. Non tamquam ſacerdotes victimam immolantes, ſed tanquam adhuc laïci offerentes. Moyſes enim agebat hîc ſacerdotem, vt patet v. 11. vnde ſicut legiſlator. Ita & ſummus ſacerdos erat extra ordinem. Sed inſtituto ſacerdotio Aaronis poſteri Moyſis inter Leuitas deputati ſunt, vt patet 1. Paralip. 23. verſ. 14. Hoc autem ritu impoſitionis manus tria ſignificabantur: Primò ſe oſtiam ex manu ſua dimiſſam in Dei ius transferre. Erat enim quaſi quædam manumiſſio. Vnde Num. 8. v. 10. Leuitę iſto ritu offeruntur Deo. Secundò ſe peccata ſua in caput hoſtiæ pro ſe immolandæ transferre quo ſpectat etiam quod in ſacrificio miſſę manus hoſtię ſuperponuntur. Tertiò ſe pro ſuo ipſius capite, ſanguine & vita, caput, ſanguinem & vitam hoſtiæ offerre Deo, vt latè docet Euſebius libro 1. demonſtrationis Euangelicæ cap. vltimo. Et hæc eſt ratio cur cornua altaris tingerentur ſanguine, & cur funderetur ſanguis circa altare, quia altare repræſentabat Deum.

13. SVMES ET ADIPEM. Adeps, iecur, renes, cauſæ ſunt & ſigna concupiſcentiæ. Vnde vt ſignificet Deum illam eſſe omnibus & in primis ſacerdotibus mortificandam, iubet illa ſibi offerri INCENSVM id eſt, incendi & adoleri, vt in fumum aſcendant coram Deo.

CARNES VERO, &c. COMBVRES EXTRA CASTRA, vt ſic ſignificetur, peccata quæ capiti hoſtiæ impoſita fuerant, & pœnam eorum ab offerentibus & Republica auerti. Ideo enim pro ratione ſequitur,

EO QVOD PRO PECCATO SIT. Typum hoc fuiſſe Chriſti extra portam pro peccatis paſſuri tradit Apoſtolus ad Hebr. 13. verſu 12.

18. ET OFFERES TOTVM ARIETEM, quia erat holocauſtum, & hoc ſignificat id quod ſequitur, OBLATIO EST DOMINO. Hebraicè, *holocauſtum eſt Domino*, ODOR SVAVISSIMVS VICTIMÆ, id eſt, gratiſſimus propter deuotionem offerentium, non enim Deus fumo & nidore carnium delectatur, ſed re per fumum & odorem ad Deum aſcendentem ſignificata, & illa victima ſingulari quæ per iſta carnalia ſacrificia figurabatur.

19. TOLLES QVOQVE ARIETEM ALTERVM. Hæc eſt tertia victima ſcilicet pacifica. Nam primus aries fuerat holocauſtum, vitulus verò pro peccato. Itaque omne genus ſacrificii in ſacerdotum conſecratione adhibetur, quia omnibus offerendis deſtinantur. Sanguis verò victimæ pacificæ ſeu ſecundi arietis ponitur.

20. SVPER EXTREMVM AVRICVLÆ DEXTRÆ, ad ſignificandam promptam ſacerdotis obedientiam reſpectu legis Dei, ET SVPER POLLICES MANVS, vt legem operibus exequantur, AC PEDIS DEXTRI, vt ſciant in lege Dei ſibi eſſe ambulandum, prout hæc tria explicat Cyrillus libro 11. de adoratione.

FVNDESQVE SANGVINEM SVPER ALTARE, non ſuper cornua altaris vt in vitulo, neque

neque ad baſin, vt in ariete holocauſti, ſed ſuper altare, ita vt per latera omnia per circuitum deflueret.

21. CVMQVE TVLERIS DE SANGVINE ET DE OLEO, &c. ſimul mixtis, quibus aſpergebantur & conſecrabantur veſtes, ſicut nunc aquâ luſtrali, & ad omne genus ſacrificii offerendum quaſi aptæ reddebantur.

24. PONESQVE OMNIA SVPER MANVS AARON, &c. vt ita primitias ſui ſacerdotii faciant offerendo munera ſua Deo.

ET SANCTIFICABIS EOS ELEVANS, &c. videlicet hoc ipſo ritu eleuandi manus eorum & munera impoſita, per quem tam munera quàm ſacerdotum manus ad Deum pertinere ſignificabatur, tamquam etiam ſanctificatas.

Porrò ritus iſte eleuandi in pleriſque hoſtiis maximè pacificis erat familiariſſimus, ita vt inde oblatio hoſtiarum dicta ſit Hebraïcè *tenupha* eleuatio quam Hebræi putant factam fuiſſe ſurſum deorſum, ad dexteram & ſiniſtram, id eſt, ad meridiem & ſeptentrionem, ac denique antrorſum & retrorſum, ſeu ad orientem, & occidentem.

27. SANCTIFICABISQVE ET PECTVSCVLVM ET ARMVM. Lex iſta reſpicit non hoc ſacrificium conſecrationis ſacerdotum: nam de eo iam dictum erat verſu 25. quòd armus vnà cum cæteris incendi deberet Deo, & verſu 26. quòd pectuſculum cederet in partem Moyſis tamquam conſecratoris. Reſpicit igitur omne ſacrificium pacificum in poſterum à ſacerdotibus offerendum, vt ſicut illa duo in ſuo ſacrificio data fuerant Deo & Moyſi, ita in poſterum *ſanctificabis*, id eſt, ſegregabis ea à cæteris carnibus & dicabis Deo, neque incendentur in altari ſed

28. CEDENT IN PARTEM AARONIS ET FILIORVM, tamquam miniſtrorum & ſacerdotum Dei. QVIA PRIMITIVA SVNT ET INITIA, id eſt, quia ſunt primæ adeoque digniſſimę partes quę ex victimis pacificis ſeparari debent & ſacerdotibus tradi. Hac igitur lege interpoſitâ itemque aliâ quod Pontifice mortuo ſucceſſor eius in veſtibus paternis deberet conſecrari redit verſu 31. ad ſacrificium pro Aarone oblatum, præſcribens qui de carnibus reliquis deberet fieri.

31. ARIETEM, inquit, CONSECRATIONIS TOLLES, id eſt, tolles reliquas carnes iſtius arietis quo conſecratus eſt Aaron, ET COQVES IN LOCO SANCTO, nempe non in domo priuata, ſed in atrio ante tabernaculum.

32. PANES QVOQVE QVI SVNT IN CANISTRO, qui ſcilicet reliqui manſerunt, pręter tortam panis vnius cruſtulam, & laganum iam v. 23. oblatum Deo. IN VESTIBVLO TABERNACVLI COMEDENT, vbi erant loca ad manſionem ſacerdotum, coctionem comeſtionemque accommodata.

33. VT SIT PLACABILE SACRIFICIVM, id eſt, quo Deus propitietur, dum ſicut præſcribitur, leges omnes in offerendo, coquendo, comedendo, accuratè obſeruantur. ET SANCTIFICENTVR OFFERENTIVM MANVS, id eſt, & ſic conſecrentur nouellorum ſacerdotum manus contactu ſacrificii iam dicti. ALIENIGENA NON VESCETVR EX EIS, id eſt, qui ex alio genere, quàm Aaronis ſeu ſacerdotali, etiam ſi fuerit Leuita, NON VESCETVR EX EIS panibus & carnibus huius paticularis ſacrificii pro conſecratione oblati. Nam ex aliis ſacrificiis pacificis etiam offerentes comedere poterant. Sic etiam huic ſacrificio pro ſacerdotibus peculiare fuit, quòd ſi quid ex eo vel caſu vel ngligentiâ vel defectu comedentium.

REMANSISSET VSQVE MANE ſequentis diei, non poſſet comedi, ſed igne conſumi deberet: nam in ſacrificiis pacificis nonnullis poterant carnes ſecundo die comedi, non tertio, vt eſt Leuit 7. v. 16. & 17. hoc autem fiebat, QVIA SANCTIFICATA SVNT id eſt, quia maiori ſanctitate prædita ſunt, quàm vt vel abiici deberent vel rancida & marcida ſecundo die comedi.

Tropologicè pectus & armus ſeparatur ſacerdoti, inquit Gregor. 2. parte Paſtoralis c. 3. vt non ſolum pectore quæ recta ſunt, cogitet, ſed ſpectatores ſuos ad ſublimia armo operationis inuitet. Nec ei à loco ſancto, id eſt, à Deo ſanctarumque rerum recordatione vnquam recedēdum eſt, vt poſſit ſacrificium eius Deo eſſe gratum: nihil ſeruantur in mane, quia in futuro ſæculo

alius erit modus ſacrificandi Deo, vt Cyrill. lib. 11. de adoratione.

37. SEPTEM DIEBVS CONSECRABIS MANVS EORVM. Hactenus tractauit ea quæ primo conſecrationis die facienda fuerunt, nunc adiungit quatuor alia facienda per ſeptem dies. Primò repetenda eſt conſecratio manuum, ſecundò immolandus vitulus pro peccato, vt ſuprà, tertiò poſt hoſtiam expiationis oblatam, altare mundandum, & ita quaſi expiandum ab immunditia & à ſæculari vſu ſegregandum, quartò oleo vngendum *in ſanctificationem*, id eſt, vt conſecretur Deo, & ſit *Sanctum Sanctorum*, ſiue ſanctiſſimum.

OMNIS QVI TETIGERIT ILLVD, SANCTIFICABITVR, id eſt, omnis, qui illud tangere voluerit, ſi legaliter immundus fuerit prius mundari & ſanctificari debet aquâ luſtrationis, quæ præſcribitur Num. 19. Res enim ſancta contactu ſuo non ſanctificabat pollutam, ſed contra res polluta ſanctam polluebat, vt indicatur Hierem. 11. v. 15. & Aggæi 2. v. 13. & hactenus quidem de conſecratione ſacerdotum & altaris; nunc ſequitur præcipuus vſus altaris.

38. HOC EST QVOD FACIES IN ALTARI, id eſt, hoc eſt, quod quotidie offeres in altari. Nam facere hîc ſumi pro ſacrificare, vel offerre patet ex caſibus, qui reguntur *agnos anniculos duos*. Deſcribitur hîc celebre illud ſacrificium veteris legis quod dicebatur quotidianum, & iuge ſacrificium, quia ſingulis diebus, nullo intermiſſo, ſiue ſacro, ſiue profano, offerrebatur, ſcilicet agnus vnus manè ante omnia ſacrificia, alter VESPERE poſt alia ſcilicet ſacrificia. Hebraicè, *inter duas veſperas*, id eſt, hoc tempore, quo agnus Paſchalis immolabatur, de quo Exodi 12. vt ita ſcilicet initium, & finis diei & actionum omnium offeretur Deo, eius auxilium poſtulando & gratias agendo. Addebatur autem inſtar libaminis, ſeu minchæ primò decima pars Ephi ſimilæ, hoc eſt, gomor, vt habetur Exodi 16. verſ. vlt. ſeu quantum vnus homo circiter vno die comedere poteſt. Secundò quarta pars Hin olei tuſi, tamquam purioris quo conſpergebatur, id eſt, ſubigebatur & pinſebatur ſimilia: quartam autem partem Hin Hebræi volunt continuiſſe octodecim oua. Tertiò eiuſdem menſuræ vinum ad libandum, vnde quia ſumptuoſum erat ſacrificium, fiebat expenſis publicis vt Ioſephus l. 3. Antiq. figura autem erat Chriſti Domini iugiter in Eccleſia immolandi, tamquam agni immaculati; vnde ſicut Antiochus illud abſtulit, ita Antichriſtus illius antitypus hoc ablaturus dicitur.

42. VBI CONSTITVAM VT LOQVAR AD TE, ad oſtium ſcilicet tabernaculi. Duobus ergo locis Deus loquebatur: primò ſuper arcam in Sancto Sanctorum, ſecundò ad oſtium tabernaculi. Vtrique loco propinquum erat altare, illi thymiatis, huic holocauſti. In vtroque offerebatur iuge ſacrificium manè & veſpere, ad colendam illam dignationem præſentiæ diuinæ.

43. IBIQVE PRÆCIPIAM FILIIS ISRAEL, non immediatè loquens eis, ſed per te internuncium voluntatis meæ.

ET SANTIFICABITVR ALTARE IN GLORIA MEA, id eſt, altare ſanctificatum declarabitur per gloriam meam, quæ igne cœlitus miſſo in conſecratione ſacerdotum ſe oſtendet, de quo Leuit. 9. verſ. penult. & vlt: & eodem modo Deus ſanctificauit tabernaculum & ſacerdotes, mirabiliter eorum tuendo dignitatem in ſacrificiis Nadab & Abiu Leuit. 10. & in ſeditione Core Num. 16. quamuis & ille ſenſus eſſe poſſit, vt Deus Moyſen inſtruat quod non irrita ſit futura conſecratio altaris tabernaculi, & ſacerdotum, eò quòd non Moyſes ſed ipſemet Deus per adhibitas illas ceremonias ſit eos ſanctificaturus.

45. ET HABITABO IN MEDIO, &c. quia tabernaculum erat, quaſi tentorium Dei, tamquam Principis in medio populi ſui habitantis, cui poſtea Salomon ædificauit domum cedrinam, de quo 2. Reg. 7. à v. 2. vſque ad 7.

CAPVT XXX.

FACIES QVOQVE ALTARE AD ADOLENDVM THYMIAMA, id eſt, ſuffitum incenſi, ſeu aromatum odoratorum; non quaſi Deus thymiamatum odoratu gaude-

ret, ſed cultu offerentium. Thymiamatis enim ſeu thuris oblatio, vbique gentium diuinis honoribus adhiberi ſolita fuit. In hoc ergo altari nihil adolebatur, niſi incenſum; ſtabat enim in ipſo tabernaculo, & valdè exiguum fuit vnius ſcilicet cubiti, ſeu figura prorſus quadrata.

2. Cornva ex ipso procedent; ita vt ex ipſis quatuor angulis altaris, ſeu lignis altare ſuſtinentibus aſſurgerent, ſiue in modum popolorum, vt Hebræi, ſiue obeliſci, vt plerique recentiores; res enim incerta eſt. Totum erat auro tectum, etiam craticula ſuperior ſcilicet planities reticulata, ſicut diximus de altari holocauſti, cadebant per hanc craticulam, ſiue cineres aromatum incenſorum ſiue pruniæ, aut quidquid aliud ſordidum in altare fortè ex thuribulis excideret. Nam valdè veriſimile aromata non ipſa planitie altaris immediatè, ſed in thuribulis ſuprà poſitis fuiſſe incenſa, ne vel aurum liquefieret, vel altare læderetur, vt colligi videtur ex Leuit. 10. verſ. 1. Nam intus in tabernaculo hoc contigiſſe indicat verſus 5.

3. Faciesqve et coronam, id eſt, limbum oras altaris ambientem, vt ſuprà de menſa dictum eſt.

6. Ponesqve altare contra velvm qvod ante arcam pendet, id eſt, quod ſeparat Sanctum à Sancto Sanctorum, vbi erat arca. Sed quia contra velum duobus modis poni poteſt, ſcilicet vel ita vt ſit intra illud, vel ita vt ſit extra, hinc grauis oritur quæſtio vtro loco fuerit altare thymiamatis. Nam Auguſtinus quæſt. 133. in Exod. itemque in quæſtionibus in Leuit. & Origen. Homil. 9. in Leuit. clarè docent fuiſſe intra velum in Sancto Sanctorum: Ratio potiſſima eſt, quia ad Hebr. 9. v. 4. dicitur Sanctum Sanctorum habuiſſe arcam & thuribulum, quod non eſt aliud quam iſtud altare; nam Græcè eſt *θυμιατήριον* quod etiam locum, ſeu aram in qua ſit ſuffiitus ſignificat. Sed longè verius eſt, ita fuiſſe contra velum, vt manſerit extrà, ita vt ſolum velum fuerit interiectum inter ipſum altare & arcam, & hac de cauſa dicitur hîc eſſe *coram propitiatorio*, & Leuit. 16. verſ. 18. *coram Domino*, & 3. Regum 6. v. 22. vocatur *altare oraculi*, id eſt, Sancti Sanctorum ſitum quia ei contiguum erat, tum quia non alium habebat vſum principalem, quàm vt Deus in oraculo, quaſi ſacratiùs reſidens, fumo per velum intrante, & totum oraculum obumbrante coleretur. Docet hanc ſententiam expreſſis verbis Ioſephus l. 6. de bello Iudaico c. 6. & 3. Antiq. c. 7. quem ferè omnes recentiores ſequuntur. Ratio eſt quia non licebat ingredi Sanctum Sanctorum, niſi ſummo Pontifici, idque ſemel in anno, vt patet ad Heb. 9. v. 6. & 7. In altari verò thymiamatis incenſum ponebatur bis quotidie, vt eſt hîc v. 7. & 8. idque non tantum à ſummo Pontifice, ſed à quibuiſuis ſacerdotibus ſecundum ordinem vicis ſuæ, vt patet de Zacharia Lucæ 1. Et hunc ſitum altaris thymiamatis planè poſtulat deſcriptio Moyſis infrà cap. vlt. & Leuit. 16. v. 18. Locus Apoſtoli ad Hebræos non aliud requirit, quàm Sanctum Sanctorum habuiſſe thuribulum, ſeu altare iſtud nempe proximè adiunctum ad vſum ſuprà dictum.

7. Et adolebit incensvm Aaron, non ſolus, ſed etiam ſacerdotes reliqui, vt dictum eſt, mane, qvando componet lvcernas, id eſt, quando extinguet & emundabit.

8. Et qvando collocabit ad veſpervm, Hebraicè, *quando accendet*, veſperi enim accendebantur, vt ſuprà latiùs.

Vret thymiama, thuribulo & igne ex altari holocauſtorum accepto, præſcribitur Leuitici 16. verſu 12. Sempiternvm, quia quotidie debebat bis offerri, & ſic erat quoddam genus iugis ſacrificii, ſicut & holocauſtum duorum agnorum in altari holocauſti. Porrò verſu nono vetat quatuor res in illo altari offerri: primo

9. Thymiama compositionis altérivs, id eſt, aliter compoſitum quàm infrà præſcribitur, ſecundò oblationem, id eſt, ſacrificium ex farina, Hebraicè *minchà*, tertio victimam ſcilicet cruentam, quartò libamen ſcilicet ex re liquida.

10. Et deprecabitvr Aaron svper cornva. Hic eſt ſecundus vſus altaris thy-

miamatis, ſcilicet vt in die expiationis decima menſis ſeptimi, Aaron ferret ſanguinem victimæ pro peccato immolatæ, & tingẽdo cornua huius altaris deprecaretur Deũ IN SANGVINE, id eſt, per ſanguinem illum expians altare, quaſi peccatis totius anni contaminatum: ſic autem hoc altare, vel etiam iſte expiandi ritus, SANCTVM SANCTORVM ERIT, id eſt, ſanctiſſimus erit Domino.

Myſticè altare thymiamatis ſignificat vitam perfectorum, qui non immolant amplius Deo carnalium ſenſuum delectationes, ſed ſopitis illecebris carnis orationum vota Deo offerunt, vt Greg. Homil. 22. in Ezechielem: vide fusè & pulchrè explicata à Beda in opere de Tabernaculo.

12. QVANDO TVLERIS SVMMAM, id eſt, quandocumque, ſiue iuſſu meo, ſiue vrgente neceſſitate numeraueris populum.

DABVNT SINGVLI PRETIVM. Heb. *redemptionẽ* vel *proprietatem*, PRO ANIMABVS, id eſt, rediment dato pretio vitam ſuam, ſic enim fiet, vt iſta redemptione profitendo Deum eſſe authorem vitæ ſuæ, NON SIT PLAGA IN EIS, id eſt, vt à communibus plagis, peſte, fame & ſimilibus liberi viuant. Poterat ergo non quidem ex vanitate & ſuperbia, vt fecit Dauid, ſed iuſta de cauſa, vt ad militiam, vel tributum pendendũ numerari populus, obſeruata ſcilicet cenſus ſolutione, quam etiam DAVID videtur neglexiſſe.

13. OMNI QVI TRANSIT AD NOMEN, id eſt, qui in cenſu nomine recenſetur, DABIT DIMIDIVM SICLI, id eſt, duas drachmas Atticas, ſeu vnam drachmam Hebræam, vnde LXX. legunt *dabit dimidium didrachmatis*, ſeu duarum drachmarum: ſiclus enim appendebat quatuor drachmas Atticas, id eſt, ſemiunciam, ſiue eſſet æreus ſiue argenteus, ſiue aureus; ſed in pretio erat differentia auri ad argentum decupla, vel duo, decupla. Dimidius ergo ſiclus argenteus valebat decem circiter ſtuferos noſtrates vel aliquanto amplius, vide dicta in Geneſim cap. 23. IVXTA MENSVRAM TEMPLI, non quaſi alia eſſet menſura templi, alia ciuilis aut communis: nam Ezechiel c. 45. v. 12. loquens de ſiclo communi, dicit eum habere viginti obolos, quot habet ſacer hoc loco: ſed quia menſura templi ſeu ſanctuarii, hoc eſt in templo aſſeruata erat iuſtiſſima.

SICLVS VIGINTI OBOLOS HABET, nempe Iudaicos, itaque obolus talis erat circiter ſtuferus Brabanticus.

15. DIVES NON ADDET, &c. quia idem eſt animæ cuiuſque valor, eadem apud Deum æſtimatio, eadem erga Deum obligatio, hæc æqualitas quoque vtilis erat ad ſciendum ex pretio numerum populi.

18. FACIES ET LABRVM ÆNEVM, id eſt, concham, ſeu vas lauatorium, ex quo per epiſtomium aqua defluebat, vt ſacerdotes in ea lauarent manus ac pedes, *quando ingreſſuri ſunt tabernaculum*, quod bis fiebat in die, manè & veſperè. Ex quo non malè colligitur eos miniſtraſſe incenſum in tabernaculo nudis pedibus; ne ſcilicet illud fœdarent, nihil tamen hîc preſcribitur, vt lauent ſe quando extra tabernaculum mactaturi ſunt victimas. Hac igitur cæremonia monebantur reuerentiæ erga Deum, & locum ſacrum, itemque internę puritatis per pœnitentiam procurandæ vt Greg. Hom. 17. in Euangelia.

23. SVME TIBI AROMATA PRIMÆ MYRRHÆ, id eſt, præſtantiſſimæ, quæ alia voce vocatur ſtatim *electa*, Hebraicè, *Myrrha liberatis*, id eſt, liberè, ſeu ſponte fluentis, non arte expreſſæ, quæ vocatur ſtacte: nam vt Baſil. in Pſal. 44. ſtacte eſt myrrhæ ſpecies; quod enim fluidum eſt, ſtacte dicitur, quod autem ſpiſius, myrrha, vnde optimè LXX. vocant hic *florem myrrhæ electæ*, quia eſt lachryma myrrhæ.

CYNNAMOMI ET CALAMI, nempe aromatici & odorati, quid autem antiquorum cynnamomum & calamus fuerit, magna inter herbarios contentio eſt.

24. CASIÆ, quæ nonnullis eſt illud cynnamomum noſtrum vulgatum quod canellam vocamus. Ex adiuncto oleo fiebat vnguentum, cuius vnctione in aliqua determinata particula conſecrabantur, tam tabernaculum & omnia vtenſilia eius, quàm ipſi ſacerdotes. Vetantur autem ſacerdotes hoc transferre in vſum ſuum, itemque dare ex eo *alieno*, id eſt, ei qui non fuerit de genere ſacerdotali ſub pœna mor-

tis, vt ex verſu 33. Hanc prohibitionem ceſſaſſe poſtea volunt nonnulli, quando Salomon cornu olei de tabernaculo ſumpto vnctus eſt, vt eſt 3. Reg. 1. ſed incertum eſt an fuerit iſtud vnguentum, an oleum purum.

34. SVME STACTEN. Hîc deſcribitur incenſum adolendum in altari thymiamatis, de ſtacte ſuprà diximus.

ONYCHA. Onyx conchilii tegumentum eſt quod in nardiferis Indiæ paludibus inuenitur, ideò ſuauem odorem ſpirans quod conchilia ibi nardi pabulo veſcantur, vt vult Dioſcorides.

GALBANVM. Eſt ſuccus ferulæ arboris in Syria, vt idem notat: BONI ODORIS, id eſt, aromaticum. Nam alioquin Dioſcorides notat Galbanum eſſe communiter graui odore. Ex his mixtis fiebat thymiama.

SANCTIFICATIONE DIGNISSIMVM, id eſt, digniſſimum vt mihi adolendo & offerendo ſanctificetur. Per thymiama ex aromatibus compoſitum intelligit D. Greg. l. 10. Moral. c. 19. aliàs 39. virtutum multiplicitatem, quæ ſcilicet Deo in oratione oblatâ omnes fragrant, & latè explicat omnia quæ hîc præſcribuntur. Vnde in Pſalmis *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum* &c. vt enim fumus thymiamatis ſurſum tendit aromatibus, ita oratio tunc cum fructu aſcendit; cùm ex variis virtutibus ardore accenſis excitatur, vt idem Hom. 22. in Ezechielem.

CAPVT XXXI.

2. ECCE VOCAVI EX NOMINE, id eſt, vocaui ac deſignaui nominatim præ cęteris ad omnia fabricanda BESELEEL FILIVM VRI FILII HVR, ita vt Hur fuerit auus eius, maritus Mariæ ſororis Moyſis, vt vult Ioſeph. & alii, de quo vide ſup. c. 17.

3. IMPLEVI EVM SPIRITV DEI, id eſt, meo, qui Spiritus EST SAPIENTIA, INTELLIGENTIA ET SCIENTIA à me afflata, vel potiùs, qui Spiritus eſt cauſa ſapientiæ, &c. vt intelligatur ipſe Spiritus ſanctus, nam in Hebręo eſt, *impleui eum Spiritu Dei in ſapientia*, &c. ſic enim quando dicitur dari ſpiritus fidei, prophetiæ, ſapientiæ, charitatis, &c. ſenſus eſt quòd detur Spiritus Dei cauſans in homine fidem, prophetiam, ſapientiam, charitatem, etiamſi ratione huiuſmodi donorum non ſemper inhabitet hominem. Ita huiuſmodi locutiones exponere ſolet Auguſtinus.

3. VIDETE VT SABBATVM CVSTODIATIS. Solum præceptum ſabbati repetitur, tùm ne putarent occaſione fabricæ tabernaculi eſſe negligendum; tùm vt hac ceremonia tamquam præcipua veteris legis ſingulis hebdomadibus recurrente, tanquam populum ſibi dedicatum firmiter adſtringeret ad cultum ſuum. Hinc enim ſubdit.

QVIA SIGNVM EST INTER ME ET VOS, ſignum ſcilicet illius quod ſequitur, vt per hoc recordemini & ſciatis: QVIA EGO DOMINVS, QVI SANCTIFICO VOS, id eſt, qui ſicut vos ab operibus ſeruilibus peccata ſignificantibus abſtinere per præceptum iubeo, ita & abſtinentiam ab ipſis peccatis in vobis per ſpiritum meum operor. Ideo autem ſabbatum eſt ſignum, quia eſt proteſtatio perpetua, quod Deus ſit creator hominum & omnium rerum, vt explicatur v. 17. Dicitur & *pactum* v 16. id eſt, vna conditio vel pars pacti obſeruanda, cuiuſmodi erat & totus decalogus.

18. DEDIT DVAS TABVLAS TESTIMONII, id eſt, decalogi teſtificantis quæ ſit voluntas Dei de rebus agendis. In quarum prima erant præcepta tria de cultu Dei: in ſecunda reliqua ſeptem de iuſtitia inter homines ſeruanda.

SCRIPTAS DIGITO DEI, id eſt, operatione Dei, digitis enim operari & ſculpere ſolemus, aptè verò digitum nominat, quia ſic vocatur Spiritus ſanctus Lucæ 11. verſ. 20. vt figuraretur quòd ſicut digito Dei ſcripta fuit lex in tabulis lapideis, ita à Spiritu ſancto erat lex ſcribenda in tabulis cordis carnalibus, vt Aug. lib. de Spiritu & littera c. 16.

CAPVT XXXII.

1. FAC NOBIS DEOS, non eſt vis in plurali numero. Nam Elohim & Deum & deos ſignificat. Rectè tamen pluraliter expreſſum eſt, vt idololatria inſinuaretur.

QVI NOS PRÆCEDANT. Non in Ægyptum, ſed terram promiſſam. Pertæſi enim

erant tantæ moræ, & quia columna non mouebatur ad præcedendum, petunt alios deos, quia recordabantur à quot periculis diuini numinis poteſtate ſeruati fuerant, & à quot malis liberati. Sed ſtultitiæ plena eſt iſta poſtulatio, vt deos qui nondum erant, ſibi fabricandos putarent.

Moysi enim hvic viro. Valdè contemptim de Moyſe loquuntur, vt ingrati ſolent.

Ignoramvs qvid acciderit. Veriſimiliter enim occiſum à Deo tantâ fulgurum, & tonitruorum, & ignium tempeſtate putauerunt.

2. Tollite inavres avreas. Difficile hoc auaris & ſuperbis mulieribus. Itaque rem difficilem præcepit, vt hoc modo eos ab illa intentione reuocaret, inquit Auguſt. qu.141. & Theod. q. 66. qu. Aaronem propter iſtam tergiuerſationem putat veniam meruiſſe. Propter eos autem notandam rei difficultatem putaui, inquit Auguſt. qui contriſtantur ſi quid tale propter vitam æternam diuinitus fieri, vel æquo animo tolerari iubeatur.

4. Formavit opere fvsorio. Hebræa & LXX. *Formauit ſtylo ſcultorio.* Nempe ex luto formando figuram vituli, cui poſtea infunderetur aurum, ſicut opera fuſilia fieri ſolent: feciſſe autem dicitur Aaron quod plaſtes eius iuſſu fecit. Nam quod Rabbini & alii nonnulli nituntur Aaronem à peccato purgare, repugnat tum huic verſ. 4. & 5. tum maximè Deut 9. v. 20. vbi Moyſis deprecatione à pœna iſtius peccati liberatur. Quòd ergò fecit, metu quidem mortis fecit. Sed ſatius erat à furente populo occidi, quàm impiæ voluntati eius acquieſcere.

Et fecit ex eis vitvlvm, non viuum & comedentem, vt Rabbi Salomon, ſed conflatilem. Voluiſſe eos imitari id quod in Ægypto viderant, docet Hieron. in c. 4. Oſeæ quod Ieroboam ex Ægypto redux poſtea imitatus eſt. Nam Ægyptii colebant bouem fœminam Iſidi ſacram nomine Apis & Serapis. Vnde vitulam potius quàm vitulum fuiſſe veriſimile eſt, & multi cenſent. Colore erat nigra, quadratum in fronte candorem gerens, maculam in tergo, vt Herodotus, vel vt alii in latere dextro. Vnde quod Tertull lib. contr. Iudæos, Lactantius lib. de vera ſapientia cap. 10. Optatus lib. 3. & Hier. ſuprà vocant vituli vel bubulum caput, videntur ſynecdochicè loqui: ſic enim & priſcis Chriſtianis obiiciebatur quòd colerent nunc aſinum, nunc aſini caput.

Dixervntqve: Hi svnt Dii tvi, iiſdem verbis vſus eſt Ieroboam 3. Reg. 12. verſu 28. vnde conſtat eum voluiſſe hunc vitulum & Ægyptiorum ritum quem viderat, imitari. Hoc ergo cùm vidiſſet Aaron, nempe populum ita contentum,

5. Ædificavit altare, vt oblato ſacrificio eius diuinitatem ſeu dominium ſuper omnia teſtaretur, & proclamari fecit.

Cras solemnitas Domini est, Hebraicè eſt nomen incommunicabile Dei: quaſi dicat, Cras vitulus iſte tamquam Deus veſter Adonai feſto & ſacrificiis colendus eſt. Itaque non in vitulo Deum verum tamquam in figura repræſentante Deum, vt volunt Profeſſores Leydenſes in Synopſi ſua, theſi 19. n. 13. ſed vitulum ipſum tamquam Deum colere voluerunt, vt patet v. 4.

6. Sedit popvlvs mandvcare, de hoſtiis pacificis in honorem vituli immolaties, et bibere, inebriando ſe vt in diebus feſtiuis gentilium ſolebat fieri.

Et svrrexervnt lvdere, cantu & choris vt v. 18. & 19. & hæc videtur fuiſſe imitatio gaudii publici quod Ægyptii exhibebant, cùm boue mortuo alium inueniſſent iiſdem maculis inſignem. Tertull. libr. de ieiunio putat luſum fuiſſe impudicum, à quo non adhorret D. Ambroſius. Nam Gentile etiam Romani in ſimilibus feſtis omni obſcœnitati indulgebant.

7. Peccavit popvlvs tvvs, non iam meus amplius, quia me deſeruit.

9. Rvrsvmqve ait Dominvs. Hæc diſtinctio indicat quod mora aliqua inter verba Dei interceſſerit, qua Moyſes audito peccato populi ad orationem ſe mox compoſuerit, ideo enim ſequitur.

10. Dimitte me vt irascatvr fvror mevs, id eſt, intermitte preces quæ

mihi manus ligant, ne pœnam inferam, ira enim Dei eſt vindicta peccati, quia tribuitur ei ſicut & exteræ paſſiones, propter ſimilitudinem effectuum, non effectuum. Portò dicendo *dimitte me*, tacitè potiùs contrarium ſuggerit, *cohibe me*, vt notat Theodoret. q. 67. per hoc enim deprecandi auſum præbet & fiduciam impetrandi. Illud ergò *dimitte* non eſt iubentis nec etiam petentis, ſed exprimentis quid eſſet illud quod ſe à ſupplicio inferendo reuocaret, videlicet dilectio Moyſis, vt obſeruat Auguſt. quæſt. 149. Nulla quoque fuit hîc in Deo inconſtantia, vt obiecit Iulian. apud Cyrill. lib. 5. quaſi Deus punire voluiſſet & poſtea nollet, Nam ab initio ignoſcere voluit & ex hac ignoſcendi voluntate deprecandi affectum & opponendi ſe Deo inſpirauit Moyſi, & verbis etiam iſtis fiduciam impetrandi auxit. Neſcio enim quo modo vt ſic eos diligeret Moyſes, Deus illos occultius diligebat qui manifeſta voce terrebat, inquit idem Auguſt. Nam quando voluntas puniendi abſoluta eſt, nulla ratio poteſt pœnam auertere, vt patet in ipſo Moyſe qui nullis precibus efficere potuit vt terram ſanctam intraret, imò tunc Deus prohibet ne quis orando intercedat, quia non exaudiet, vt patet Ieremiæ 9. v. 6.

10. FACIAMQVE TE IN GENTEM MAGNAM, id eſt, Principem ſuper gentem maiorem & fortiorem quàm hæc eſt, vt eſt Numerorum 14. verſ. 12. in Hebræo, non ergò propagatio poſteritatis, ſed imperium promittitur.

11. MOYSES AVTEM ORABAT, quia vt Chryſoſtom. Homil. 12. in c. 1. Ioannis tales oportet eſſe eos quibus animarum cura commiſſa eſt, vt perire malint cum his qui ſibi crediti ſunt quàm ſine illis ſalui eſſe.

15. PORTANS DVAS TABVLAS, exiguas, quales facilè portare poterat, SCRIPTAS EX VTRAQVE PARTE, Hebr. *à duobus lateribus* quod quidam ita accipiunt, vt ſcriptas fuiſſe ſignificetur intus & foris, & ſatis indicat Ioſephus 3. Antiq. c. 6. ſi Græca attendantur, ſcriptas autem fuiſſe, ſiue ſemel tantum propter magnitudinem characterum, ſiue bis, vt ſcilicet ab vtroque latere à ſtante populo decalogus totus legi poſſet, quamuis ſenſus eſſe poſſit, ſcriptum fuiſſe decalogum non in vna tabula ſed in vtraque; vel etiam in vtraque columna vniuſcuiuſque tabulæ.

19. CONFREGIT EAS AD RADICEM MONTIS, indignum iudicans vt populo ebrio lex daretur, inquit Ambroſ. de Elia & ieiunio, capite 6. Itaque tot dierum labor vnius horæ ſaturitate perit, quia ſciebat non ſolum indignum eſſe; ſed etiam, vt ait Hieron. lib. 2. contra Iouinianum, Dei ſermonem non poſſe audire temulentos. Per quod tamen Auguſt. qu. 144. in Exod. docet magno myſterio figuratam eſſe iterationem Teſtamenti noui, quia vetus fuerat abolendum. In huius confractionis memoriam inſtitutum fuit ieiunium 17. die menſis 4. quo contigit vt ex Calendario Hebræorum patet, & indicatum putat D. Hieronym. Zachariæ 8. verſ. 9.

20. ARRIPIENSQVE VITVLVM COMBVSSIT, id eſt, igne liquefecit deſtruens figuram vituli: ET CONTRIVIT VSQVE AD PVLVEREM, ſiue malleis tundendo, ſiue potius limando.

ET SPARSIT IN AQVAM, præter caſtra ex monte labentem, ET DEDIT EX EO POTVM cogendo eos idoli ſui puluerem bibere, vt ſic carnalis & craſſus populus diſceret contemnere quod videret in ſeceſſum proiici, cuius rei myſticam ſignificationem tradit Auguſt. 22. contra Fauſtum cap. 93.

24. EGRESSVSQVE EST HIC VITVLVS, Ex quibus verbis ſumpſerunt Iudæi occaſionem aſſerendi, quòd Aaron aurum tantum in ignem proiecerit, opera verò magorum qui ſimul cum eis Ægypto egreſſi fuerant, formatus fuerit vitulus, ſed verſ. 4. eis repugnat. Rem ergò tangit compendio, inquit Auguſt. hîc, idque non negandi, ſed extenuandi criminis cauſa vt fratrem mitigaret.

25. VIDENS POPVLVM QVOD ESSET NVDATVS, non inauribus, vt quidam, nec pileis quibus inſcriptum eſſet in monte Sinaï nomen tetragrammaton, illud enim parui momenti, hoc fabuloſam, ſed nudatus inter medios hoſtes auxilio Dei, propter hoc ſcelus irati, vt in ſimili clarè exponitur 2. Paralipo. 18. v. 19. & apertius Iudith. 5. v. 17. 18.

& 24. hoc enim ſibi vult ratio ſequens.

Spoliaverat enim evm Aaron, ſcilicet illa protectione Dei quæ populum iſtum quamdiu Deum coluit, numquam deſeruit, propter ignominiam sordis, id eſt, propter idolum iſtud ignominioſum & inſtar ſtercoris ſordidum, ſolent enim Hebræi idola vocare, ſordes ſeu ſtercora, quia viliſſima ſunt & inſtar ſordium abominanda. Vt ergo Moyſes Dei auxilium iterum populo conciliaret, eum per aliquod vindictæ genus placando.

26. Stans in porta, id eſt, in ingreſſu caſtrorum omnes Dei veri cultores ad ſe vocat.

Congregatiqve svnt ad evm omnes filii Levi, omnes pro maxima parte intelligendi ſunt. Multos enim etiam Leuitarum occiſos eſſe tamquam idololatras patet verſ. 29. & Deuter. 33. verſ. 9. Leuitarum ergo magna pars non conſenſit ſceleri. Occiſionem autem illam indicit non ſolùm ex ſpeciali mandato Dei, vt ipſemet dicit, ſed etiam vt rector populi, cui licuit tali pœna ſcelus plectendo iram Dei à toto populo auertere.

27. Ite de porta vsqve ad portam, non ingrediendo ſcilicet tabernacula: ſed eos qui in flagranti adhuc delicto erant, vel nondum à publicis iſtis feſtis diſceſſerant occidendo. Sic ergo non videtur fuiſſe opus alia diſcretione ſontium ab inſontibus, videlicet vt fabulantur Iudæi & ex eis Rupertus & Lyranus, per mutationem labiorum aut barbæ in colorem aureum ex potu vituli.

28. Ceciderunt qvasi 23. millia: ita & Paulus 1. ad Corinth. 10. niſi verius ſit cum de alia occiſione loqui. Hebræa legunt, *quaſi tria millia*, quod ſequuntur & LXX. & Tertull. c. 3. Scorpiaci, ſed littera *caph* non videtur eſſe ſimilitudinis, ſed numeri expreſſiua: ſignificat enim viginti.

29. Consecrastis manvs vestras, id eſt, ſanctificaſtis illas eo modo ac ſi eas conſecraſſetis oleo ad fungendum ſacerdotio. Nam iſte zelus Leuitarum promeruit ipſis benedictionem à Deo, id eſt, ſacerdotum. Sed miratur Auguſtinus cur in Aaron non fuerit vindicatum, nec à Moyſe nec à Deo, quod refert ad inſcrutabilia Dei iudicia: Nouit, inquit, cui parcat vſque ad commutationem in melius, & cui parcat ad tempus, quamuis eum præſcierit in melius non mutari, & cui non parcat vt mutetur in melius, & cui non parcat ita vt vitæ eius mutationem exſpectet. Deuteronomii tamen 9. v. 20. patet Moyſen deprecatum eſſe pœnam quam Deus Aaroni infligere voluit.

30. Ascendam ad Dominvm. Hebræa & LXX. addunt, *nunc aſcendam*, ſcilicet altera ipſa die poſt deſcenſum & occiſionem populi.

Si qvomodo qvivero deprecari, quia ſuprà verſ. 14. non omnis pœna ablata fuerat, ſed tantum, ne deleret eos omnes vna vice vnde meritò Moyſes verebatur grauiter adhuc vindicandum.

31. Reversvsqve ad Dominvm. Hic eſt ſecundus aſcenſus in montem: aſcendit autem ſolummodò ad placandum penitus Deum populo, nihil adhuc ſciens de aliis tabulis accipiendis. Manſit autem in iſta inſtantiſſima oratione alios continuos quadraginta dies, vt clarè teſtatur hæc omnia ipſe Moyſes Deuteron. 9. v. 18. & 25. & Deuter. 10. v. 10. tranſigens ibi ſecundam quadrageſimam. Quâ finitâ, & accepta populo venia iubetur deſcendere, & populum ad pœnitentiam diſponere c. 33. & nouas tabulas præcidere initio c. 34. quo facto inchoauit tertiam quadrageſimam & in precibus tranſegit ad accipiendam nouarum tabularum inſcriptionem. incipit hæc tertia quadrageſima initio cap. 34. & declaratur fuiſſe perfecta verſ. 28. Et hos ter quadragenos dies in monte tranſactos agnoſcit Seder Olam cap. 6. ſcholaque Iudæorum, finitique ponuntur decimo die menſis 7. quamuis Torniellus & aliqui recentiores non niſi duas quadrageſimas à Moyſe in monte tranſactas velint, ſed vt dixi, Scriptura videtur poſtulare contrarium.

32. Dele me de libro qvem scripsisti, per mortem corporalem, inquit Hieron. quæſt. 9. ad Algaſiam, & Gregor. libro 10. Moralium capite 4. alias 7. vt ſcilicet tamquam bonus paſtor animam pro grege

grege ponere voluerit. Verùm liber vitæ quem hîc Deus vocat *librum meum*, non ſolet in ſcripturis ſignificare librum vitæ mortalis ſed conſcriptionem ſeu catalogum eorum qui per prædeſtinationem in vitam æternam tranſmittendi ſunt, vt patet Apocalyp. 21. verſ. vlt. & Danielis 12. verſu 1. Omiſſa opinionum varietate verior videtur ſententia Auguſtini hîc q. 147. Moyſen hoc dixiſſe ſecurum de ſua conſcriptione, vt ſic à conſequentibus ratiocinatio concluderetur, id eſt, vt quia certò ſciret Deum non deleturum ſe de libro ſuo ſequeretur quòd peccatum ipſis remitteret. Sic enim loqui ſolent ij qui maximam habent fiduciam in alterius beneuolentia. Non enim tam indicant affectum ſuæ ſeparationis, quam ſciunt vel non licere, vel non poſſe fieri quam coniunctionis aliorum cum Deo quòd maximi amoris non ſolùm erga proximum, ſed præcipuè erga Deum ipſum indicium eſt. Vnde iſto explicandi modo ceſſant multæ quæſtiones & obiectiones quæ contra alios moueri ſolent. Similis eſt locus Pauli ad Rom 9 *Optabam anathema eſſe*, &c. ſed quia durior eſt quam verba Moyſis, ideo ſuo vberius de vtroque dicendum erit.

34. IN DIE VLTIONIS VISITABO, condonauit, itaque delictum Deus, poſt iſtantes illas quadraginta dierum preces Moyſis, non tamen ſine omni pœna, vnde ſequitur.

35. PERCVSSIT ERGO DOMINVS POPVLVM, quamuis modus percutiendi nullibi explicetur.

CAPVT XXXIII.

1. LOCVTVSQVE EST DOMINVS, poſt finitos illos ſecundos quadraginta dies, quibus veniam peccati pro populo poſtulauerat, conceſſit eam Deus renouans hîc promiſſionem de danda terra fluente lac & mel, ſed vnum in pœnam adiecit, ſcilicet

3. NON ASCENDAM TECVM, neque per meipſum ducatum tibi præſtando, neque per Angelum qui perſonam meam tamquam legatus repræſentet, vel miracula meo nomine patret, ſicut anteà fecit.

QVIA POPVLVS DVRÆ CERVICIS ES, id eſt, ceruicoſus & refractarius, cuius ingratitudo, pertinacia & irreuerentia maieſtatem meam præſentem facilè prouocaret ad perdendos omnes.

4. NVLLVS EX MORE INDVTVS EST CVLTV SVO, in ſignum pœnitentiæ, idque Deo ita mandante. Nam hic v. 4. debet quantũ ad ſenſum ſequi poſt verſum quintum iſtum.

5. VT SCIAM QVID FACIAM TIBI, id eſt, vt ex magnitudine, vel paruitate pœnitentiæ ſciam quam ſententiam de te ferre debeam.

MOYSES TOLLENS TABERNACVLVM, non ſuum, vt patet ex verſ. 8. & maximè 9. nec etiam illud magnum cuius fabricam ſuprà audiuimus, hoc enim nondum erat fabricatum: ſed tabernaculum intelligit, in quo anteà Deus colebatur, cui incubabat nubes, vbi conuentus fiebant populi, &c. transtulit hoc extra caſtra, in pœnam peccati: & ad indicandum populo, quòd repulſo à ſe Deo caſtra eſſent, quaſi excommunicata: nam cum tabernaculo iſto migrauit ſimul & columna nubis, vt patet verſ. 9. vbi dicitur, quòd

9. DESCENDEBAT COLVMNA NVBIS, ſcilicet ex ſummitate tabernaculi deſcendendo ad oſtium, vt Deus cum Moyſe loqueretur. Porrò quæ hîc narrantur, inceperunt fieri ſtatim poſtquam tranſacta illa ſecundâ quadrageſimâ & acceptâ populo veniâ, rediuit ex monte, & continuata ſunt fieri vſque ad erectionem illius magni tabernaculi, hîc autem ſimul omnia narrantur.

11. LOQVEBATVR AD MOYSEN FACIE AD FACIEM, id eſt, præſens præſenti, non ſcilicet per figuras in imaginatione formatas, non per ſomnia, non per ænigmata allegorica, ſed præſentiam ſuam exhibens, & voces humanas proferens.

SICVT SOLET LOQVI HOMO AD AMICVM, per quod indicatur ſumma Dei cum Moyſe familiaritas.

IOSVE PVER, &c. Puer eſt hîc nomen non ætatis, vt patet ex bello Amalec, ſed obſequii erga ſuperiorem, vnde paſſim in Scriptura famuli vocantur pueri, vide 2. Reg. 21. verſ. 2. & 5.

NON RECEDEBAT DE TABERNACVLO,

quia non decedebat eſſe ſolum. Itaque non in ipſo cubabat tabernaculo; hoc enim nec Moyſes fecit, ſed propè in tentorio ſuo.

12. Dixit avtem Moyses. Proſequitur hîc ſermonem ſuum cum Deo, antequam deſcenderet de monte, quem per interpoſitam illam præcepti diuini executionem v. 4. & ſequentibus interruperat. Moyſes ergò non contentus de mittendo Angelo ductore populi, vt præceſſit verſu 3, reſpondet Deo verecundè:

Et non indicas qvem missvrvs es, quem ſcilicet Angelum determinatè cuius authoritatis & poteſtatis, præſertim cùm dixeris novi te ex nomine, id eſt, amicitiâ valdè particulari te complector. Itaque ſi hoc ita eſt,

13. Ostende mihi faciem tvam, D. Auguſt. l. 2. de Trinit. c. 16. putat hanc eandem eſſe petitionem cum ea quæ habetur infrà v. 18. diuerſis verbis repetitam, ſcilicet petitionem videndi diuinam eſſentiam. Poſſunt tamen appoſitè diſtingui, vt hoc loco petat tantum ſibi oſtendi, *faciem Dei*, id eſt, vt non Angelus, ſed Dei facies, ſeu Deus ipſe præcedat populū, vnde Hebraicè eſt, *oſtende mihi vitam tuam*; id eſt, tu ipſe oſtende nobis viam per quā nos duci cupis.

Vt sciam te, et inveniam gratiam, id eſt, vt ſciam per hoc me & populum tibi acceptum eſſe, & in gratiam reſtitutū. Nam ſub hoc ducatu Dei comprehenditur omnis protectio, & beneficia populo neceſſaria.

14. Facies mea præcedet te, id eſt, ego ipſe iam placatus præcedam vos, non Angelus ex perſona ſua propria. et reqviem dabo tibi, non ſolùm ab hoſtibus protegendo, ſed perducendo in terram promiſſam. Patet itaque Deum hîc concedere Moyſi, id quod verſu 13. petierat, cùm tamen viſionem eſſentiæ ſuæ ei paulò inferiùs neget: nam populus hîc plenè reconciliatur Deo, vnde quod ſequitur;

15. Si non tv ipse præcedas, ſeu facies tua, vt eſt Hebraicè: nam eſt noui beneficii poſtulatio, ſed tantùm petit confirmari, id quod iam conceſſerat, afferendo ſimul rationem cur id tantopere deſideraret.

18. Ostende mihi gloriam tvam. Tertull. l. 4. contra Marcionem c. 22. intelligit gloriam Chriſti in poſterioribus temporibus reuelandam. Plerique recentiores intelligunt gloriam exteriorem faciei Angeli qui cum Moyſe loquebatur, petitam eſſe, vt ſcilicet eum amota nebula, qua tectus erat, in faciem videret. Sed primum à textu alienum eſt, alterum verò nimis ieiunium: quid enim magnum eſt viro, tam ſpiritali, videre ſpeciem illam externam faciei, quam Abraham & alii viderant, & quam ſciebat non eſſe, vel Angeli, vel Dei, ſed aſſumpti corporis; Rectius ergo dixerimus peti viſionem veram diuinæ gloriæ, ſic enim exponunt plerique veteres vt Aug. plurimis in locis, lib. 2. de Trinit. cap. 16. lib. 12. de Gen. ad litt. cap. 27. q. 154. in Exod. Epiſt. 112. quem Greg. & alii ſecuti ſunt, huic deſiderio reſpondet Deus;

19. Ego ostendam omne bonvm tibi, cuius videlicet in hac mortali vita capax es: quod fit per altiſſimam diuinitatis contemplationem tametſi reuelata facie nondum videatur Deus ſicuti eſt; nimis enim minutum eſt, quod Deus ſolam gloriam aſſumpti corporis externam vocaret *omne bonum*. Non tamen putandum eſt, quòd Deus hîc conceſſerit Moyſi, id quod poſtulauerat. Nam oppoſitio illa quæ ſequitur verſ. 20. *Non poteris videre faciem meam*, & ratio ſubiecta, *non enim videbit me homo, & viuet*, ſatis indicant Deum non conceſſiſſe ei quod petierat. Vnde Auguſt. l. 2. de Trinit. citato apertiſſimè demonſtratum dicit, neo deſideranti hoc fuiſſe conceſſum. Aliis itaque locis, vbi tradit Moyſen vidiſſe diuinam eſſentiam, vt Epiſt. 112. cap. 3. per verbum (*fortè*) ſubdubitans loquitur, & fundatur maximè in loco Num. 12. verſ. 8. quem ibi explicabimus.

Et vocabo in nomine Domini coram te. Hebraica phraſis eſt, quaſi dicat, vocabo ſeu recenſebo, & exprimam nomen Domini, & attributa eius intellige, non ſolum eâ voce reſonando, ſed altiſſima notitia tibi manifeſtando, maximè verò attributum clementiæ, & miſericordiæ meæ, quam expertus es, hoc eſt enim quod ſequitur,

Et miserebor cvi volvero, quod D. Paulus ex lxx. & Hebræos legit, *miſerebor cuius miſerebor*, ſed ſenſus eſt idem cohærens præcedentibus, videlicet vocabo, ſeu recenſebo hoc epithetum, quod miſericors ſum idque non coactè, non ex meritis cuiuſquam, ſed liberrimè erga quemcumque voluero, omnes enim damnationis rei ſunt, ne quiſquam de propriarum virtutum meritis, ſed in Domino glorietur, vnde cap. 34. vbi reipſa exhibetur, id quod hic promittitur, omnia penè epitheta ſpectant ad miſericordiam.

Et clemens ero in qvem mihi placverit, hac repetitione, vel miſericordiæ ſuæ firmitatem Deus monſtrauit, vel vtrique populis Gentibus & Iudæis ſe pronunciauit miſericordiam eſſe facturum, ita Aug. q. 154. in Exodum, qui conformiter ad S. Paulum hęc de hominum ſaluatione & prędeſtinatione poſſim accipere ſolet, quamuis Græci Chryſoſtom. ac diſcipuli eius nimis artè & minùs aptè hæc intelligant litteraliter de miſericordia erga illos adoratores vituli, quos Deus vellet, vt ſcilicet Paulus allegoricè hoc traxerit ad prædeſtinationem.

20. Non poteris videre faciem meam, vt cognoſcas me ſicut ſum, & gloriam meam, qualis eſt: non ſcilicet per imagines quaſdam, ſed per ipſum incircumſcriptum lumen æternitatis. Viſio faciei ſignificat viſionem rei claram, vt eſt in ſe, ſiue corporalem litteraliter, quando de perſonis corporalibus agitur, ſiue metaphoricè, quando ad ſpiritualia transfertur, vt 1. ad Corinth. 13. v. 12. Ratio datur,

Non enim videbit me homo, clarâ ſcilicet illâ viſione, ſicut ſum, et vivet, in hiſce mortalibus & corruptilibus ſenſibus, ſiue hoc contingat ſolùm ex eo quòd Deus ſtatuerit nemini viuenti conferre tantum bonum, ad ſignificandum quantum abſit eius æternitas ab omni corruptione: ſiue potiùs quod ſit quędam repugnantia inter tam ſpiritualem, & ſublimem viſionem, & vitam in ſenſibus corruptibilibus & peccato obnoxiis: vt indicat Ambr. li. de bono mortis c. 11. & Aug. indicat q. citata. Hinc Paulus in raptu illo altiſſimo neſciebat, vtrum in corpore eſſet an extra corpus. Idem tradit Greg. l. 18. Moral. c. 28. aliàs 37. qui tamen addit. Si quis in hac vita Dei claritatem viderit, eum ſaltem amore penitùs fuiſſe mundo mortuum.

22. Ponam te in foramine petræ, ſeu in cauerna in qua lateas, et protegam dextera mea, Hebraïcè, tegam te, ſeu ſuper te manu mea, donec transeam, ne ſcilicet me videas, & cùm tranſiero, tollam manum, vt videas posteriora, id eſt, tergum tranſeuntis, non faciem: idque non quaſi non potuiſſet illa corporea Angeli facies videri, niſi moreretur Moyſes, ſed per iſta velut ſymbolum ac figuram indicare voluit, Deum ſecundùm faciem, id eſt, ipſam claram diuinitatem ſecundùm ſe videri non poſſe, ſed tantùm ſecundùm *poſteriora*, id eſt, effectus, velut vmbras tanti luminis. Auguſtinus verò in toto hoc loco vult eſſe prophetiam de Chriſto, quod ſcilicet promiſerit Deus Iudæos, quorum figuram gerebat Moyſes, ponendos in petra, id eſt, in Chriſto per fidem, poſtquam tranſierit *gloria eius*, id poſt paſſionem & reſurrectionem gloriam eius: antè verò tegendos eſſe dextera Dei, id eſt, cæcitatem incredulitatis in Iſraël futuram, vt Chriſti præſentis faciem non agnoſcant: quam figuram præcipuè ſpectaſſe hic Spiritum ſanctum valde veriſimile eſt, vide fusè Aug. q. 154. in Exod. & paulò aliter l. 2. de Trinit. c. 17. quod ſcilicet facies ſignificet diuinitatem, poſteriora carnem Chriſti; illius viſio hic negatur, hęc verò videnda & credenda in petra, id eſt, in Eccleſia poſt tranſitum, ſeu paſſionē & reſurrectionem promittitur.

Capvt XXXIV.

1. Præcide tibi, &c. priores tabulas præciderat ipſe Deus, iſtas Moyſes: quo ſignificatur id quod plerumque fieri videmus, beneficia & gratias ſine labore obtentas, ſi ſemel amittantur, non ſine maximo labore reparari.

5. Cvmqve descendisset dominvs, stetit Moyses cvm eo invocans, nempe ea forma, quæ ſequitur: dominator

DOMINE, &c. ſed in Hebræo ſic legitur: *Deſcendit Dominus & ſtetit cum eo, & inuocauit in nomine Domini, & tranſiuit & clamauit:* ita vt incertum ſit an pertineant ad Moyſen, an ad ipſum Deum. Senſus poſtulare videtur, vt illud. *& ait*, referatur ad ipſum Deum iuxta promiſſionem capite præcedenti v.19.& Numer.14.v.18. Noſter ad Moyſen retulit, quem non eſt dubium ſimul intenſiſſimè oraſſe, & eadem epitheta, quæ audiebat ex Deo, eſſe poſteà proſecutum. Attributa verò ſibi dat Dominus vndecim, quamuis textus Latinus recenſeat duodecim, quia illud (*dominator Domine*) eſt Hebraïcè eadem vox repetita, nomen ſcilicet tetragrammaton, tria prima pertinent ad DEI eſſentiam & potentiam, ſeptem ad miſericordiam, duo vltima ad iuſtitiam.

7. NVLLVSQVE, ſupple peccator, APVD TE PER SE INNOCENS, id eſt, impunis à peccati ſupplicio, ſi ipſum per, ſe ſeu meritum peccatoris attendamus: ſi enim parcitur ei hoc diuinæ benignitatis eſt, Idcirco autem innocẽtem exponimus per impunem, quia Hebraïcè eſt, *mundans non mundabit*, id eſt, eum qui reus eſt, non habebit pro mundato & abſoluto, ſeu innocente & impuni. Nam noſter interpres eandem phraſim eiuſdem orationis transfert Numer.14.v.18. *nullum innoxium*, id eſt, impunem, *derelinquens*, & ſic exponit Aug.q.155. in Exodum.

10. EGO INIBO PACTVM CVNCTIS VIDENTIBVS, renouando fœdus anteà initum nouarum tabularum datione: nam primum quodammodo diſſipatum erat.

SIGNA FACIAM, patrando ea in gentibus, quas tranſituri eſtis, & in introitu terræ Chanaan, vt vos & omnes gentes intelligant, vos eſſe iterum populum meum: ſic tamen vt hæc vna conditio ex parte veſtra ſeruetur, ſcilicet, vt

11. OBSERVES CVNCTA QVÆ HODIE MANDO TIBI, tamquam ſcilicet repræſentãti totum populum, & ſic reliqua non ſolùm ad Moyſen, ſed maximè ad populum ſpectant.

22. SOLEMNITATEM HEBDOMADARVM FACIES, id eſt, feſtum Pentecoſtes celebrabis, offerendo primitias frugum, ſeu panes duos, vt eſt Leuit.25, verſ.11. & ſeqq. vocatur *hebdomadarum*, quia ad illud conſtituendum numerabantur ſeptem hebdomadæ ab altero die Paſchatis, vt eſt ibid. m.

ET SOLEMNITATEM, QVANDO REDEVNTE ANNI TEMPORE, &c. id eſt, feſtum Scenopegiæ, ſeu Tabernaculorum, quod celebratur redeunte initio anni vulgaris menſe ſeptimo, tempore meſſis oleæ, vineæ & arborum, vide dicta c.23. v.16.

27. SCRIBE TIBI VERBA HÆC, non decalogum, ſed leges quas hic recenſui: decalogus enim quamuis Aug. q.166. in Exod. diſſentire videatur, etiam ſecundâ vice ſcriptus eſt ab ipſo Deo, vt patet Deut.10.v.2. & 4. Vnde quod hic dicitur verſu 28. *Scripſit in tabulis verba fœderis decem*, id eſt, decalogum, referendum eſt non ad Moyſen, ſed ad ipſum Deum ſcribentem,

28. FVIT IBI CVM DOMINO 40 DIES. Hæc eſt illa tertia quadrageſima quam egit cum Deo, & finitam diximus die 10. menſis 7.

PANEM NON COMEDIT, &c. id eſt, neque comedit neque bibit, quia duabus illis rebus ſolent Hebræi omnem cibum & potum, tanquam à parte totum ſignificare, inquid Aug.q.165. in Exod.

29. ET IGNORABAT QVOD CORNVTA ESSET FACIES. Hebraicè & Græcè, *cutis faciei eius*, ex quo intelligitur cornutum ſumi metaphoricè pro radiis emiſſis, quemadmodum ſanctis appingi ſolent, neque enim cornua cuti tribuuntur vnde LXX. transferunt, *quod glorificatus eſſet aſpectus cutis faciei ſue*. Quod & Apoſtolus 2. ad Corint. 3, v.7. ſecutus eſt referens hoc ad gloriam vultus Moyſis.

EX CONSORTIO SERMONIS DOMINI. Illuſtratio enim non ſolùm animæ, ſed etiam ſubinde corporis eſt fructus profundæ orationis. Cauſa litteralis fuit, vt Moyſi authoritas conciliaretur, & populo certitudo, quod legem accepiſſet ex Deo, & ita magis eam & legiſlatorem eius reuerentur. Vnde

30. VIDENTES FACIEM MOYSI, TIMVERVNT PROPE ACCEDERE, propter reuerentiam quam huiuſmodi diuina lux conciliare ſolet, non autem quod oculos in eos non poſſet figere, vt quidam volunt: contrarium enim patet ex verſ.33.

31. Posvit velamen svper faciem svam, litteraliter liberioris colloquii cauſâ: virorum enim magnorum eſt, tegere rariora dona Dei.

Allegoricè, vt ſignificaretur velamen eſſe poſitum ſuper obtuſos ſenſus Iudæorum, ne gloriam Chriſti tot ceremoniis in lege velatam intelligerent, vt exponit Apoſtolus 2. Corinth. 3. verſ. 13. & ſeqq. vnde Chriſtus illud abſtulit, ſed credentibus in ſe; Iudæis enim reliquis adhuc manet, non niſi in fine mundi auferetur.

Capvt XXXV.

11. Tabernacvlvm. Hebraicè, *miſcam* id eſt, illud quod decem illis cortinis pretioſis conſtabat, ita ſumitur &c. ſequenti v. 13.

Et tecvm eivs. Hebraicè *ohel*: quod conſtabat ex vndecim ſagis factis ex pilis caprarum, ita ſumitur &c. ſeqq. v. 14.

Atqve operimentvm. Hebraicè *michſe*, hoc erat tertium & quartum tegumentum ex pellibus arietum rubricatis & ianthinis.

Paxillos. Hebraicè *columnas*; in quibus etiam paxilli erant.

35. Vt faciant opera abietarii, id eſt, fabri lignarii, ſeu omne opus fabrile, et polymitarii, qui varia fila variorumque colorum artificioſè texit, ac plvmarii, id eſt, Phrygionis qui acu pingit. Hic enim illa duo diſtinguuntur, quæ ſuperius ſæpè confuſa fuerunt.

Capvt XXXVI.

14. Ad operiendvm tectvm tabernacvli. Hebraicè clariùs, in tectum, ſeu vt eſſet tectum tabernaculi ex decem pretioſis cortinis confecti.

33. Fecit qvoqve vectem alivm. Hic videtur eſſe vectis ab omnibus aliis ordinibus vectium diſtinctus: cuius meminit & Ioſephus l. 3. Antiq. c. 5. vbi dicit eum fuiſſe in tergo tabernaculi, id eſt, ad occidentem. Vnde noſter dicit eum tranſiuiſſe *ab angulo vſque ad angulum*. Nam anguli nulli erant niſi in occidentali latere.

Per medias tabvlas, ita ſcilicet vt per ipſam craſſitiem tabularum tranſiret ſine annulorum adminiculo. Hic omiſſo capite 37. ſequitur.

Capvt XXXVIII.

8. Fecit et labrvm ænevm de specvlis mvlierum. Hebraicè *bemaroth*, id eſt, in ſpeculis, vel vt alii, in viſionibus, quo Caietanus ſignificari putat fuiſſe inſtar ſpeculi ſplendidum ſcilicet, ſed quod ſequitur de mulieribus aliquid amplius poſtulat. Itaque (*in*) Hebraicè ſæpè eſt idem quod (*de*) & ita optimè noſter & lxx. tranſtulerunt. Olim enim teſte Plinio ſpecula optima erant ex ſtanno & ære mixta, poſtea prælata ſunt argentea, quæ tamen Vitruuius minùs probat.

Qvæ excvbabant in ostio tabernacvli, valedictio ſcilicet ſæculo ſe exercentes in ieiuniis, vt lxx. orationibus & obſeruationibus, ſicut Anna Propheteſſa Lucæ 2. v. 36. Itaque cultum muliebrem quo antè vtebantur ad vanitatem contulerunt in cultum Dei. De huiuſmodi mulieribus obſeruantibus ſeu excubantibus ad oſtium tabernacnli orationis ſcilicet cauſâ, fit mentio etiam 1. Reg. 2. v. 22.

24. &c. Omne avrvm qvod oblatvm est in donariis, id eſt, quod ſpontaneâ donatione non ex vi legis oblatum fuit in vſum tabernaculi. Vnde id quod ſequitur v. 25. Oblatvm, est avtem, non debet referri ad aurum, ſed eſt noua ſententia referenda ad oblationem argenti quæ ſequitur; & illud fvervnt prætrea ſic, accipiendum eſt ac ſi diceretur *vnde fuerunt præterea*, id eſt, præter aurum oblata fuerunt centvm talenta argenti: quibus addi debent mille ſeptingenti ſeptuaginta quinque, ſupple ſicli, qui exprimuntur verſ. 28 Patet hoc manifeſtiſſimè ex Hebræo, vbi ſimul tota illa ſumma argenti exprimitur. Interpres enim noſter in hac 2. recenſione fabricæ tabernaculi prolixas repetitiones quibus Hebræi gaudent, nonnunquam breuiter contrahit, ſi aliunde ſatis intelligatur. Iam verò ex diſtributione argenti quæ hîc ſequitur verſu 27. & 28. itemque ex numero armatorum qui hîc verſu 25. exprimitur, dimidium ſiclum of-

ferentium ſatis illa ſumma argenti colligebatur. Ex quo neceſſariò ſequitur talentum Hebræum continuiſſe præciſè tria millia ſiclorum. Nam ſexenta tria millia quingenti & quinquaginta armati offerentes ſinguli dimidium ſiclum, conficiunt ſiclorum trecenta millia mille ſeptingentos & ſeptuaginta quinque; quæ ſumma ſi diuidatur per tria millia (quot ſiclos continet vnum talentum) exurgent præciſe centum talentum, & relinquentur mille ſeptingenti ſeptuaginta quinque ſicli, quæ eſt ipſiſſima ſumma hic expreſſa. Ioſephus lib. 3. Antiq. 7. indicat talentum continuiſſe centum minas. Mina autem continet iuxta Ezechielem c. 45. v. 12. ſiclos ſexaginta, & conſequenter multiplicando ſexaginta cum centum, continuiſſet talentum ſex millia ſiclorum, id eſt, duplo amplius. Sed vel eſt error in numeris Ioſephi, & pro centum minis ſcribendum quinquaginta, vel certè loquitur de minis minoribus quæ non continerent niſi triginta ſiclos: quos non conſtat fuiſſe in vſu. Porrò cùm ſiclus contineret circiter ſemiunciam ſeu quatuor drachmas nam (nam octo faciunt vnciam) & duodecim vnciæ libram minorem, ſexdecim maiorem, facile erit ſummas hîc expreſſas ad libras, & monetam noſtratem reuocare. Talentum enim continebit centum viginti quinque libras duodecim vnciarum.

27. Centvm bases factæ svnt de talentis centvm. Baſes iſtæ fuerunt non columnarum atrii, ſed ſuppoſitæ tabulis tabernaculi, binæ ſingulis. Vnde erant 40. à meridie, quadraginta ab aquilone, ſexdecim ab occidente, & quatuor reliquæ erant baſes quatuor columnarum diuidentium Sanctum Sanctorum à ſanctuario, vide c. 26.

29. Æris qvoqve oblata talenta septvaginta dvo millia. Hebraicè claritìs, oblata ſunt ſeptuaginta talenta & duo millia. Itaque textus noſter ſic intelligendus, vt poſt ſeptuaginta ponatur diſtinctio, & ſenſus ſit, oblata eſſe talenta ſeptuaginta, & præterea duo millia talentorum, numerus enim minor more Hebraico præpoſitus eſt maiori. Hîc omiſſo c. 39. ſequitur.

Capvt LX.

17. Expandit tecvm, ſcilicet ſaga ex pellibus caprinis, svper tabernacvlvm; ſcilicet velum illud intimum & maximè pretioſum,

Imposito desvper operimento, ſcilicet ex pellibus arietum rubricatis & ianthinis, Sic enim ſolent iſta diſtinguit, quod maximè ex Hebræo patet. Vide cap. 25.

32. Et gloria Domini implevit illvd. Idem aliis verbis exprimitur: nam ipſa nubes quæ intus, & extra implebat tabernaculum vocatur gloria, vt Aug. qu. 173. in Exod. vbi notat ſignificationis cauſa factum, vt Moyſes hic propter nubem non poſſet ingredi tabernaculum, qui in monte nubem ingreſſus fuerat. Tunc enim, inquit, gerebat perſonam eorum qui participes fiunt intimæ veritatis Dei, id eſt, altiſſimæ contemplationis Dei: hic verò Iudæorum quibus gloria Domini quę eſt in tabernaculo, id eſt, gratia Chriſti in Eccleſia velut nubes opponitur, vt eam non intelligant, & ideo non intrant in eam. Porrò erectio iſta tabernaculi contigit prima die menſis primi anni ſecundi egreſſionis ex Ægypto, vt eſt hic v. 15. Ex quo ſequitur Exodum complecti præciſè hiſtoriam 145. annorum, nempe à morte Ioſeph, vſque ad diem erectionis tabernaculi. Qui numerus ſic colligendus eſt; quia filii Iſraël habitauerunt in Ægypto 215. annos, ab anno ſcilicet 39. Ioſeph; quo ingreſſi ſunt, vſque ad octogeſimum Moyſis qui erat annus egreſſionis eorum, vt dictum eſt Exod. 12. v. 40. & Geneſ. vlt. His detrahendi ſunt anni reliqui vitæ Ioſeph, ſcilicet 71. anni qui ſpectant ad Geneſim iuxta ea quæ dicta ſunt Gen. vlt. Ergo ſuperſunt à morte Ioſephi, vnde incipit Exodus, vſque ad annum egreſſionis eorum 144. anni. Quibus ſi addas vnum annum quo iam morati ſunt in deſerto, erunt 145. anni completi, & qui incidunt in annum mundi 1484. ſecundùm ea quæ diximus Geneſis vltimo.

FINIS.

PRÆFATIO
IN LEVITICVM.

LIBER *Leuitici apud Hebræos à ſuo initio nomen ſortitus eſt: apud Græcos verò & Latinos à materia. Leuiticus enim dicitur, quia tractat ea quæ ſpectant ad ſolam tribum Leui, hoc eſt, ſacerdotalia; cuiuſmodi erant ſacrificia, varij ritus expiationum, ſecta & ſimilia. Tota enim tribus Leui erat huiuſmodi Dei cultui dedicata. Diuiditur autem generaliter in tres partes. Prima tractat de ritibus ſacrificiorum à capite 1. vſque ad 8. Secunda de offerentibus ſacrificium & variis eorum præparationibus, munditus, immunditiis, &c. à cap. 8. vſque ad 25. Tertia denique de tempore quo præcipuè, efferebantur ſacrificia, ſcilicet de diebus feſtis: quibus nonnulla de votis adiunguntur. Dictatus autem eſt à Deo liber iſte Moyſi ſeu materia libri, non ex ipſo monte Sinai, vt decalogus legeſque iudiciales* Exod. 20. *& ſeqq. ſed in tabernaculo iam recens erecto, vt patet hic cap. 1. v. 1. eo tamen tempore quo adhuc hærebant in menſione montis Sinai iuxta c. 26. verſu vlt. & cap. vltimum verſ. vlt. & conſequenter inter primum diem anni ſecundi egreſſionis & diem vigeſimum menſis ſecundi eiuſdem anni quo diſceſſerunt ex monte Sinai, vt patet ſi conferas verſu 15. capitis vltimi Exod, & verſu 11. cap. 10. Num.*

Porrò totus ille cultus Dei, de quo hoc libro, erat proportionatus ipſi legi & præmio eius. Sicut enim legis obſeruatio, prout erat propriè veteris legis, non erat ſpiritualis ex amore Dei vel virtutis, ſed ex timore pœnæ, & præmium non erat niſi bona terrena, ita cultus quoque non fiebat per res Deo ſeipſis placentes, ſed per externas tantummodo occiſiones animalium: quæ vt per ſe Deo non placent, ſicut virtutes placent, ita nec eas Deus tamquam per ſe deſideratas, vel etiam ſibi neceſſarias impoſuit Iudæis. Et hoc eſt quod Auguſtinus docet de ſacrificiis animalium l. 18. contra Fauſtum c. 6. Quis noſtrum neſciat, magis ea peruerſo populo congruenter impoſita, quàm Deo deſideranti oblata? Quæ congruentia in eo ſita videtur, vt latiùs Cyrill. lib. 6. contra Iulianum: quod cùm eſſet quodammodo impoſſibile & onus intolerabile, vt ipſe loquitur, propter carnalem craſſitiem iſtius populi, vt adimpleret adorationem in ſpiritu & veritate, laboremque vitæ puriſſimæ & Euangelicæ preferret, craſſa, externa, carnaliaque ſacrificia eis impoſuit, quibus dediti fuerant in Ægypto, vt per ea tamquam per cultum non malum quidem, ſed tamen mentibus tam abiectis conuenientem, bona carnalia deſiderata impetrarent. Hoc tamen diſcrimen erat primò quòd antea offerrent ea ſacrificia Dæmonibus, vt eadem bona impetrarent; nunc autem vero Deo. Secundò quod antea nihil vlterius per illa docerentur quàm id quod videbant: nunc verò tali artificio præſcriberet ea Deus, vt in eis verus cultus ſpiritualis, ſanctitas morum, & ipſe fons ſanctitatis Chriſtus Dominus exprimeretur &

quodammodò delinearetur. Et ſic quemadmodum tota lex, ita ſacrificia erant durus quidam pædagogus Iudæorum, partim cogens eos illa offerre vero Deo, ne ad idola defluerent, partim docens & ducens eos ad Chriſtum, vnde liberatio & ſanctitas erat exſpectanda. Et hoc ſenſu nonnulli veteres dicunt hæc ſacrificia Deo non fuiſſe grata, nec eius deſtinata voluntate oblata; nempe quia aliud magis placens in eis ſpectabat, ad quod eos ducere intendebat.

CAPVT I.

Capite primo tractatur de holocauſto, capite ſecundo de mincha ſeu oblatione farinacea, cap. 3. de hoſtia pacifica, c 4.5.6.& 7. de ſacrificiis pro peccato & delicto. Hoc enim quadruplex ſacrificiorum genus apud Iudæos, quorum perfectiſſimum erat holocauſtum. Generatim enim diuidebantur eorum ſacrificia in cruenta & in incruenta quæ ferè cruentis adiungebantur. Cruenta fiebant immolatione animalis mundi ad ſacrificium: non enim omne animal mundum ad eſum, erat etiam mundum ad ſacrificium. Nam ad ſacrificium non niſi tres ſpecies quadrupedum erant mundæ, bos, ouis, & capra, comprehendendo ſub ſingulis totam ſpeciem, hoc eſt, ſub bobus etiam vaccas & vitulos, ſub ouibus agnos & arietes, ſub capris hircos, capreolos, &c. Ex volatilibus ſimiliter non niſi tres erant ſpecies, columba, turtur, paſſer, cùm tamen plures eſſent mundæ ad eſum, vt patebit inferiùs. De his omnibus ſpeciebus, excepto paſſere, tractatur iſto capite. In primis autem deſcribitur holocauſtum ex quadrupedibus à verſu 2. vſque ad 14. cuius ſi omnes ritus iunctos habere velis, addenda ſunt huic capiti ea quæ habentur Leuitici 6. à verſu 9. vſque ad 14.

2. HOMO QVI OBTVLERIT HOSTIAM DE PECORIBVS, id eſt, de animalibus quadrupedibus; non enim hîc ſumitur pro animalibus minoribus: vt contra armenta diſtinguuntur, vt patet ex ſubiuncta explicatione, ID EST, DE BOBVS ET OVIBVS. Pro ouibus eſt Hebraïcè *tſon*, quod ſpeciem ouibus & capris communem ſignificat.

3. SI HOLOCAVSTVM FVERIT EIVS OBLATIO. Holocauſtum decitur Græcè quaſi ὅλον καυστὸν, id eſt, totum combuſtum, Hebraïcè *hola* ab aſcendendo, quia totum aſcendebat per ignem & fumum ad Deum. Tota enim victima, exceptâ pelle, conſumebatur in honorem Dei, neque quidquam inde cedebat in ſacerdotis aut offerentium vtilitatem. Hinc erat ſacrificium perfectiſſimum; purè oblatum Deo in honorem & amorem ſupremæ maieſtatis eius omnibus rebus dominantis, in cuius laudem ſe totos, ſuaque omnia iſtâ oblatione conſecrabant offerentes: ideoque vt Sanctus Thomas 1. 2. qu. 102. a. 3. ad 8 & Theodor. quæſt. 1. conuenit ſtatuit perfectorum, ſicut hoſtia pacifica proficientium, & hoſtia pro peccato incipientium ſeu pœnitentium.

AC DE ARMENTO, id eſt, de bobus vt eſt Hebraicè, MASCVLVM IMMACVLATVM OFFERET, id eſt, integrum, ſine vitiis, non coloris, ſed corporis v. g. cæcitatis fracturæ, &c. de quibus Deuter. 15. v. 20. hæc enim erat generalis conditio animalium quæ debebant offerri Deo. Maſculus autem debebat eſſe propter perfectionem illius ſacrificii: nam in reliquis poterant eſſe fœmellæ. Quo ſignificatur eos qui ſe totos Deo conſecrant, maſculos eſſe debere animi fortitudine, & immaculatos vitę innocentiâ.

AD OSTIVM TABERNACVLI, quia altare holocauſti ei vicinum erat, quamuis aliqui intelligant introitum atrii ſacerdotum, quod putant ſeparatum fuiſſe ab atrio laicorum, quod quamuis in templo Salomonis ita fuerit, ante ſtructuram tamen templi, ſic fuiſſe non videtur poſſe ex Pentateucho colligi.

AD PLACANDVM SIBI DOMINVM. Ex conſequenti ſcilicet; nam holocauſtum non offerebatur propriè ad placandum Deum, ſed ad honorandum & amandum, ex quo tamen ſequitur eius placatio.

4. PONETQVE MANVM SVPER CAPVT HOSTIÆ,

HOSTIÆ, duabus potiſſimum de cauſis, primò vt ſignificet offerens, ſe vnà cum hoſtia totum offerre Deo, & in poteſtatem eius ſe transferre, quæ ratio holocauſto propria eſt. Deinde ſe peccata ſua in caput hoſtiæ transferre, vt luculentè explicatur infrà c. 16. v. 21. vide dicta ad v. 10. c. 29. Exodi.

ET ACCEPTABILIS ERIT, ſupple hoſtia, ad expiationem, ſiue mundationem peccati, eamque ſiue legalem & carnis, ne vt immundi à templo ſacrificiis, aut caſtris arcerentur, ſiue etiam ſpiritualem coram Deo, ſi ex fide Chriſti per victimam ſignificati cum vera pœnitentia offerentur.

5. IMMOLABITQVE offerens, non tamen ſuâ, ſed ſacerdotum manibus VITVLVM, Hebraïcè *filium bouis*, id eſt, bouem: non enim tam ſignificatur ætas determinata, & ita tenera quàm ſexus bouis; poterat enim holocauſtum ex quauis offerri ætate: tametſi meritò noſter vitulum tranſtulerit, vt ſignificet meliora Deo offerenda.

SANGVINEM EIVS FVNDENTES. Sanguis enim brutorum effundebatur ad altare, id eſt, Deo pro ſanguine humano, qui propter peccatum effundi debebat, vnde Leuitici 17. v. 11. dicit Deus ſe dediſſe ſanguinem, vt ſupra altare in eo expiarent pro animabus ſuis. Porrò ſanguis iſte effundebatur non ſuper craticulam altaris, ſed circa baſim, & latera per circuitum.

6. DETRACTAQVE PELLE, quæ omnibus hoſtiis, præterquam nonnullis victimis pro peccato, & vitulæ rufæ detrahebatur, cedebatque ſacerdoti, vt eſt cap. 7. v. 8. reliqua membra tota in altari comburebantur.

9. IN SVAVEM ODOREM DOMINO, id eſt, & ſic erit ſacrificium iſtud gratum Deo, inſtar odoris *quietis*, vt eſt Hebraicè, id eſt, in quo acquieſcimus & delectamur. Scriptura verò hic tantùm capitis, pedum, iecoris & inteſtinorum facit mentionem, quia magis de illis poterat eſſe dubium, vtrum etiam deberent adoleri Deo. Porrò eodem modo fiebat oblatio holocauſti ex pecoribus, ſeu ouibus & capris, de quo verſu 10. & ſeqq. ſolùm locus immolationis, ſcilicet ad aquilonem altaris paulò accuratiùs exprimitur.

Allegoricè in his omnibus Chriſtus figurabatur, de quo breuiter S. Iſidorus in Leuit. c. 1. & 6. Chriſtus vitulus eſt ex armentis, quia ex Patriarcharum progenie deſcendens, agnus propter innocentiam, aries propter principatum, hircus propter ſimilitudinem carnis peccati, turtur & columba propter Deum & hominem. Offeruntur hæc non in tabernaculo, ſed ad oſtium, quia Chriſtus extra portam paſſus eſt, ſanguinem circa altare, id eſt, crucem, fudit membris conciſus, quia flagris laceratus, igne, id eſt, ignita charitate crematus. Senſus morali, vt idem ait offerimus vitulum, cùm carnis ſuperbiam vicimus, agnum, cùm irrationabiles inſipienteſque motus corrigemus, hœdum cùm laſciuiam ſuperamus, columbam, dum ſimplicitatem mentis oſtendimus, turturem, dum carnis ſeruamus caſtitatem, caput & iecur, ſeu inteſtina offerimus, quia intellectum & affectum: vide de ſingulis latiùs, & paulò aliter Cyrill. Alexand. l. 16. de adoratione, initio.

14. SI AVTEM DE AVIBVS. Aliud holocauſti genus ex volatilibus, ſed ferè pauperibus proprium, vt patet Leuit. 12 verſ. vlt. & cap. 14. verſ. 21 & 22. & ita tradit etiam Ioſephus 3. Antiq. cap 10.

CAPVT II.

1. ANIMA, id eſt, homo, pars pro toto. CVM OBTVLERIT OBLATIONEM SACRIFICII, non cuiuſlibet generatim, ſed farinacei, ſeu ex farre. Hebraicè eſt enim *mincha*, quod non ſignificat quodlibet ſacrificii genus, ſed ex farre, à noſtro transfertur ſimpliciter *ſacrificium*, quia proprio nomine diſtinctiuo caret. Erat autem verum quidem ſacrificium, ſicut ex immutatione cæteriſque circumſtantiis patet; non tantum videtur apud Iudæos fuiſſe oblatum ſeparatim à ſacrificiis animalium, ſed plerumque cum illis, ſcilicet cum holocauſto victima pacifica, & pro peccato, pauciſſimis caſibus exceptis, vnde fuit appendix, ſeu complementum eorum quaſi mola & libamen. Adhibebatur autem non ideò quod ſacrificium celebraretur, quaſi conuiuium Dei, vt aliqui putant: hæc enim opinio

gentilibus digna eſt, non veris Dei cultoribus: quam Dauid videtur reprobaſſe, quando dicit Pſalmo 49. *Numquid manducabo carnes taurorum* &c. ſed partim, vt quia tota hominis vita debetur Deo, offerrentur ei omnia, quibus vita ſuſtentatur: non tantùm animalia, ſed & fruges & fructus quilibet. Deinde vt ex huiuſmodi fructuum ſacrificiis victus ſuppeteret miniſtriis Dei. Maxima enim pars eorum cedebat in vſum ſacerdotum. Huius ſacrificii quinque hìc ſpecies recenſentur, quarum prima eſt hic v. 1.

Simila erit eivs oblatio, id eſt, fiet ex pura ſimila furfuribus purgata, ſine vlla coctione. Nam diuerſis nominibus farina vocari ſolet pro maiori, vel minori puritate. Puriſſima namque vocatur ſiligo, poſt quam paulò impurior, dicitur ſimila, ſeu ſimilago: deinde ſequitur farina, ſicut ex mola venit ſine vlla cribatione, denique furfur. Huic ſimilæ addebatur oleum, quod panem ſapidiorem reddit, & thus ad adolendum Deo.

2. Ponet memoriale svper altare, id eſt, ponet pugillum plenum ſimilæ in altare, vt Deus ſit memor eius, concedendo ſcilicet id quod petit. Reliquum verò etſi non fuerit oblatum Deo, in altari, tamen.

3. Sanctvm Sanctorvm erit, id eſt, erit ſanctiſſimum, tamquam pars rei in altari oblatæ, ideoque à ſola familia ſacerdotis comedendum.

4. Cvm obtvleris coctvm in clibano. Hæc eſt ſecunda ſpecies *Mincha*, quæ coquitur in clibano. De simila, ſupple offeres illud, Et lagana azyma oleo lita, id eſt, liba tenuia & plana, vt clariùs indicat vox Hebręa, eaque non oleo conſperſa, hoc eſt ſubacta, ſed oblita tantùm. Tertia ſpecies eſt verſ. quinto *de ſartagine*, cum ſcilicet ſimilia in ſartagine coquitur.

Quarta verò ſpecies eſt v. 7. cùm coquitur *in craticula*. De omnibus autem iſtis ſacerdos.

9. Tolle memoriale, id eſt, partem illius ſacrificii farrei adolendam Deo, vt ſit memor offerentis. Non fit hic vlla mentio vini ad libandum: ſed ex Numerorum 15. verſ. 5. & ſeqq. patet, omnibus huiuſmodi farinaceis ſacrificiis adhiberi debuiſſe tantum vini quantum olei.

Allegorica cauſa ſacrificii iſtius farinacei fuit, vt ſignificaretur non tantùm ſacrificium Chriſti occiſi in cruce per occiſiones animalium, ſed etiam immolati in Euchariſtia. Hæc eſt autem illa mincha, ſeu oblatio munda, quæ à Malachia c. 1. v. 11. prædicitur offerenda in omni loco. Oleum verò ſignificat illam Chriſti charitatem quam in offerendo hoc ſacrificio manifeſtauit. Thus verò indicat quod gratiſſimo odore ad Deum aſcenderet.

Tropologicè offerenda ſignificatur Deo ſimila, id eſt, conſcientiæ puritas cum oleo, id eſt, hilaritate, & thure, id eſt, odore ſuauitatis, qui ex rectè factis, oratione & virtutibus conſurgit ita ferè Cyrillus l. 16. de adoratione, & Iſidorus in Leuit. cap. 5.

11. Omnis oblatio, ſcilicet farinacea, ſeu mincha, absqve fermento fiet, vt ita perpetuò illa liberatio Ægyptiatica obſeruaretur memoriæ: præcipuè verò ad ſignificandum abeſſe debere à vita humana fermentum malitiæ & nequitiæ, vt exponit Paulus. 1. ad Corinth. vel vt Cyrill. lib. 15. de adoratione, aſtutiam.

Nec qvidqvam mellis adolebitvr in sacrificio, ſcilicet farinaceo, quia mel coctum acore quodam, quaſi fermentat panem. Sed maior ratio fuit habita ſignificationis: indicat enim abeſſe debere à ſacris omnem carnalem voluptatem, vt Cyrill. loco citato, & Theodoretus qu. 1. Deo enim nihil placet, inquit Iſidorus c. 3. niſi habeat aliquid mordacis voluptatis, vnde & Paſcha comeditur cum amaritudinibus, vt eſt Hebraicè.

12. Primitias tantvm eorvm offeretis, id eſt, non poſſunt miſceri farinæ, & offerri Deo in ſacrificium, ſed tantùm ſeorſim offerri ſacerdotibus per modum primitiarum, vel voluntarii muneris: tunc enim non corrumpunt, puritatem ſacrificii ſimilaginei. Ex quo patet rationem petendam ex ſignificatione, nempe vt ſignificetur peccata fermento, & melle ſignificata per ſacerdotes purgari, vt Theodoretus quæſt. citatâ.

13. Qvidqvid obtvleris sacrificiis,

sale condies. Quia ciborum omnium ſal eſt aptiſſimum condimentum. Magis tamen hoc præcipitur ad ſignificandum, in omni vita humana & cultu Dei adeſſe debere diſcretionem & prudentiam, vt indicatur Marci 9. v. 49. & latiùs declarat Iſidorus, Theodor. & Cyrill. locis cit. vt ita iuxta Apoſtolum ſit *rationabile obſequium noſtrum* Origenes Hom. 27. in Numeros, ſignificari putat, quod vt caro ſine ſale corrumpitur, ita anima niſi tentationibus aſſiduis quodammodo ſaliatur, continuò reſoluitur & relaxatur, eò quòd tentatio, inquit, ſit cuſtodia & munimen animæ.

Nec avferes, id eſt, non patieris deeſſe sal foederis, id eſt, ſal præcepti, ſeu legis huius quod iam præcipio adhiberi de sacrificio tvo, nempe farinaceo ſeu mincha, vt eſt Heb. Lex enim nonnumquam vocatur fœdus, quia erat conditio præcipua fœderis ex parte populi ſeruanda, reddens fœdus, ſeu pactum cum populo firmum & ſtabile, ſicut ſal carnes à corruptione conſeruat, vnde *pactum ſalis,* vocatur pactum firmum & incorruptibile.

14. Si avtem obtvleris mvnvs primarvm frvgvm. Hæc eſt 5. ſpecies minchæ, offerebatur enim ſecunda die Paſchatis ex lege manipulus ſpinarum virentium quidem ſed tamen matureſcentium, ita vt grana confricando ſeparari poſſent: hoc eſt enim quòd hìc dicitur, confringes nomen in farris, ita vt non fieret farina de quo ſacrificio latiùs agitur c. 23. v. 10. & ſeqq. Porrò primitiarum erat triplex genus: primum de quo hìc agitur in Paſchate offerendum, ſecundum panes ex nouis frugibus, qui offerebantur in Pentecoſte, tertium denique reliquorum fructuum primitiæ, poſtquam collecti eſſent menſe ſeptimo. Porrò tota iſta præparatio, quæ hìc præſcribitur, fuiſſe videtur facta domui ab vnoquoque offerente vt ex primitiis iſtis aliquid poſſet *adolere ſacerdos.* Significabat autem iſte manipulus Chriſtum Dominum, qui tamquam primitiæ naturæ renouatæ in Paſchate reſurrexit vt Cyrill. lib. 17. de adoratione.

Capvt III.

1\. Qvod si hostia pacificorvm. Hęc eſt ſecunda ſpecies ſacrificii cruenti, quæ vocatur ſacrificium *pacificum,* vel hoſtia pacifica, vel pacificorum ſcilicet animalium. Offerri autem ſolebant pro pace obtinenda vel obtenta. Pax autem Hebræis omnem ſalutem & incolumitatem ſignificat, ſiue externam, ſiue internam, ſiue corporis, ſiue animæ. Et hinc oritur quòd hæc hoſtia à quibuſdam ex Hebræo transferatur hoſtia *retributionis,* gratiarum actionis, quæ retribuitur Deo pro ſalute aut beneficio obtento; ab aliis hoſtia *tranquillorum,* quia offertur pro tranquilitate ſeu pace; ab aliis hoſtia *ſalutis,* ſeu ſalutaris: eoque magis quia vox Hebræa iſta omnia tamquam connexa ſignificat. Ritus eius accuratè hoc capite deſcribuntur, addi tamen debent nonnulli, qui habentur Leuit. 7. à verſu 11. vſque ad 19. & à verſu 28. vſque ad 33.

Et de bobvs volverit offerre. Non erat enim reſtrictum hoc ſacrificium ad boues, ſed poterat eſſe ex ouibus & capris: non tamen ex auibus, quia non ita poterant diuidi inter Deum, ſacerdotem, & laicum offerentem, ſicut in hac hoſtia neceſſe erat. Marem sive foeminam, quia hæc hoſtia offerebatur ſponte, non ex præſcripto legis, vnde relinquebatur libertati offerentis, vt eſſet mas vel fœmina.

3\. Adipem qvi operit vitalia. Hebraicè interiora ſeu præcordia, quibus vita maximè continetur.

4\. Et reticvlvm iecoris, id eſt, aruinam iecoris, vt transfertur verſ. 15. ſeu pinguedinem, qua inſtar retis tegitur iecur, cvm renvncvlis, id eſt, renibus non enim eſt hæc oblatio rei diſtinctæ à præcedentibus, ſed eſt repetitio eius quod iam dixerat, quod Hebræis eſt familiare, vnde LXX. pro renunculis ſimpliciter vertunt renes, ſicut habent & Hebræa.

6\. Si viro de ovibvs. Secunda ſpecies ſacrificii pacifici ex ouibus, vt comprehenduntagnos & arietes, cui hoc tantùm peculiare, quòd hìc cauda ſimul offerebatur

Deo quo non habebat locum in oblationibus bouis aut capræ.

7. Nec sangvinem comedetis, ſiue in ſacrificio, ſiue extra effuſum, de qua prohibitione diximus in cap. 9. Geneſ. v. 4. & alibi dicturi ſumus.

Nec adipem omnino comedetis, nempe animalis immolatitii, ſeu mundi ad ſacrificium, ſcilicet bouis, ouis & capræ, vt præſcribitur, c. 7. v. 23. idque ſiue immolarentur Deo, ſiue domi mactarentur adipem reliquorum mundorum animalium ad eſum comedere non vetabantur. Ratio legis videtur, quia adeps pars eſt animalis præſtantitior & aptiſſimus fomes ignis, vnde Deus eum ſibi ſeruari voluit. Intelligitur autem adeps purus, & qui ſeorſim à carne ſeparatus eſt, non ille qui carni concretus.

Tropologicè vt per holocauſti oblationem ſignificatur vita perfectorum ſe totos Deo offerentium, ita per pacificam hoſtiam vita mediocrium qui proficiunt. Offertur autem tam ex maribus, quàm ex fœmellis, quia in hoc ſtatu nec omnes fortes vt viri, nec imbelles vt fœminæ. Per bouem, ouem & capram, tria mediocrium genera ſignificantur: primum eorum, qui de laboribus ſuis ſeruiunt Deo, ſecundum eorum qui laborare aut eleemoſynis dandis Deo ſeruire non poſſunt, ſed ei per innocentiam placent, tertium denique eorum, qui per pœnitentiam vitam caſtigant. Ex iis adoleri ſibi vult Deus *adipem qui operit vitalia*, id eſt, omnem affectum erga ea quibus vita ſuſtentatur, in qua & *renes*, id eſt, partem concupiſcibilem, in qua vigent omnes concupiſcentiæ, ſeu libidines & *reticulum iecoris* quod eſt fons ſanguinis, id eſt, partem iraſcibilem, de quibus vide latiùs Baſil. lib. de virginitate, & *caudam*, id eſt, perſeuerantiam boni operis, vſque in finem, vt Greg. Hom. 25. in Euangelia, in initio. De oblatione capitis & iecoris, lotione pedum inteſtinorum, vide eumdem apud ſanctum Paterium c. 1. in Leuit. ex libris Moralium.

Capvt IV.

2. Anima qvæ peccaverit per ignorantiam. Vnde ſacrificia iſta non videntur pertinere ad peccata malitiæ præſertim publica, quæ ab ignorantia multum diſtinguitur. Intelligitur autem ignorantia, tam facti quàm iuris, vtraque enim diminuit peccatum, ſi non eſt omnino inuincibilis.

Et de vniversis mandatis, &c. id eſt, rebus per præceptum, ſiue affirmatiuum, ſiue negatiuum elicitis aliquid fecerit. Per illud autem, *vniuerſis*, excluditur opinio Abulenſis, putantis agi de ſolis peccatis contra legem ceremonialem. Error enim etiam in præceptis naturalibus aliquo remedio expiandus erat. Nam ſcienter & publicè commiſſa, per pœnam à iudice inflictam expiabantur. Vnde Ioſephus lib. 3. cap. 10. etiam ſcienter ſed nemine conſcio commiſſa dicit ſacrificiis fuiſſe expiata.

3. Si sacerdos qvi vnctvs est, id eſt, iam conſecratus Pontifex maximus peccaverit peccato quod natum eſt alios ſcandalizare, offeret pro peccato. Hîc deſcribitur tertia ſpecies ſacrificii cruenti, ſcilicet hoſtia pro peccato: eaque in quadruplici differentia: prima pro Pontifice ſcilicet vitulus. Secunda pro populo, ſeu Repub. verſ. 13. etiam vitulus. Tertia pro Principe hircus verſ. 22. denique quarta pro *populo terræ*, id eſt, pro plebeiis capra, vel ouis verſu 27. & ſeqq.

4. Et immolabit evm, ipſe ſcilicet Pontifex adducens. Nam pro illo non deprecabatur alius, ſed ipſemet pro ſua & populi ignorantia, vt eſt ad Hebr. 9. verſ. 7.

6. Asperget eo septies, ad ſignificandam perfectam peccati expiationem coram Domino, quia coram velo quod ſeparabat, Sanctum, vbi ſtabat ſacerdos cùm aſpergeret, à Sancto Sanctorum. Hac enim aſperſione ſignificabatur ſanguinem hoſtiæ quaſi pro ſanguine peccantis offerri, & à Deo acceptari.

11. & 12. Pellem vero, &c. efferet extra castra. Eadem ceremonia obſeruari iubetur in victima pro peccato totius populi oblata verſu 21. idque quia nemo Pontifice totoque populo maior eſt, inquit Philo lib. de victimis, qui carnes hoſtiæ comedendo pro illis roget. Vnde iſtâ

ceremoniâ efferendi extra caſtra quaſi rogatur Deus, vt peccatum à Pontifice totoque populo transferat: ſicut aliâ ceremoniâ idem ſignificante, peccata imponebantur hirco emiſſario in deſertum dimittendo. Theodoret. q 3. putat per integram combuſtionem quæ hîc præcipitur, indicari ſacerdotem ſimiliter totum eſſe dedicatum Deo.

Allegoricè ſignificatum fuit, Chriſtum extra portas Ieruſalem eſſe paſſurum, vt & nos vitæ conformatione idem faciamus, ſcilicet improperium Chriſti portantes, ſicut hæc explicat Apoſtolus ad Hebr. 13. verſu 12. & 13.

13. QVOD SI OMNIS TVRBA IGNORAVERIT, id eſt, per ignorantiam peccauerit. Eſt hoc ſecundum genus hoſtiæ pro peccato totius Reipublicæ, quæ hoc ſolo differt à præcedente, quòd ibi Pontifex imponebat manus hoſtiæ, hîc verò ſeniores populi tanquam Remp. repræſentantes, idque ad ſignificandum vtrobique quòd peccata offerentium in hoſtiam transferrentur. Et quia Chriſtus ſolus ſummus Pontifex expiaturus erat peccata totius humani generis, hinc ad illud præfigurandum *ſacerdos qui vnctus eſt*, id eſt, ſummus Pontifex inferebat ſanguinem huius hoſtiæ pro peccato totius populi oblatæ in tabernaculum.

22. SI PECCAVERIT PRINCEPS, id eſt, ille qui præeſt, ſiue toti populo, ſiue tribui, ſiue familiæ ſuæ: generaliter enim Hebraïcè prælatus cæteris ſignificatur. Hoc eſt tertium genus hoſtiæ pro peccato: differt à duabus præcedentibus quòd hic offertur hircus, illic vitulus: hic tanguntur cornua altaris holocauſti, illic thymiamatis: hic carnes comeduntur à ſacerdotibus, vt præſcribitur cap. 6. verſu 26. illic verò comburuntur extra caſtra.

24. QVIA PRO PECCATO EST, TINGET SACERDOS, &c. id eſt, idcirco tinget ſacerdos digitum in ſanguine hoſtiæ, quia pro peccato offertur. Hæc enim cæremonia adhibebatur, in ſolis hoſtiis pro peccato propter cauſam dictam v. 6.

32. SIN AVTEM DE PECORIBVS, id eſt, de ouibus vel agnis, vt clarè Hebræa. Nam de de capra præceſſerat verſu 28. proſequitur enim hîc quartum genus hoſtiæ pro peccato, ſcilicet plebeiorum. Præſcribitur autem hic fœmella; in certis tamen caſibus offerri poterat maſculus, vt patet c. 5. v. 15. & ſequentibus.

CAPVT V.

1. SI PECCAVERIT ANIMA. Quælibet ſcilicet & Pōtifex & Princeps. Hoc enim caput quintum & ſextum, non continent aliud, niſi caſus particulares variorum peccatorum, pro quibus expiandis ritus generales præſcripti fuerant capite præcedente.

ET AVDIERIT VOCEM IVRANTIS, id eſt, iuramento aliquid confirmantis, ſiue contractum, ſiue promiſſionem, ſiue aliud quidpiam, ita vt de eo teſtari poſſit: NISI INDICAVERIT, illis ſcilicet circumſtantiis quibus debet indicare, vt ſi rogetur in iudicio, &c.

PORTABIT INIQVITATEM SVAM, id eſt, reus erit delicti & ſupplicii, etſi ab homine non inferatur ei: idem enim ſignificat quod verſu 2. *rea eſt & deliquit*, & verſu 3 *ſubiacebit delicto*. Idcirco enim præſcribitur ei ſacrificium verſu 6. ad auferendam iniquitatem illam; quia peccauit & contra patrem indocentem, & contra iudicem, & contra Rempublicam.

2. ANIMA QVÆ TETIGERIT, &c. ſecundus caſus iſque quadrimembris peccati ſcilicet ex tactu rei immundę, ſiue fuerit morticinum, idque à beſtia occiſum, aut per ſe mortuum, ſiue reptile, quæ omnia immunda erant. Leuit. 11. verſu 42. & 43.

SIVE IMMVNDITIA HOMINIS, id eſt, homo immundus, vt leproſus, menſtruata, ſeminifluus, quorum contractus reddebat immundum.

ET OBLITA FVERIT IMMVNDITIÆ SVÆ, ita ſcilicet, vt propterea ritum luſtrationis non adhibuerit, lauando veſtimenta ſua, vt præſcribitur Leuit. 11. REA EST, & ideo ſacrificio pro peccato expianda eſt.

4. ANIMA QVÆ IVRAVERIT, &c. VT VEL MALE QVID FACERET, VEL BENE. Per malè facere aliqui accipiunt ieiunare; quia malè tractatur corpus: ſed oppoſitio, *bene facere*, videtur aliud poſtulare, niſi fortè intelligas opera miſericordiæ. Rectiùs bene fa-

cere, & male facere eſt beneficium alicui, vel malum pœnæ inferre quod iuſtè inferri poteſt. OBLITAQVE, nempe iuramenti, & ideo neglectu eius rea,

6. OFFERAT AGNAM. Referenda eſt iſta oblatio ad omnes caſus præcedentes, vt obſeruat Auguſt. qu. 2. Leuit. eàdem enim ratione omnia iſta ignorantiæ peccata expianda eſſe ſignificatur. Quod verò dicit: *agat pœnitentiam pro peccato*. Hebr. explicat modum pœnitentiæ, legit enim: *confitebitur id ſuper quo peccauit*. Ex quo loco ſicut & ex eo quod dicitur v. 18. iuxta æſtimationem peccati *arietem* minus vel magis pretioſum eſſe delingendum, manifeſtè indicatur opus fuiſſe ad remiſſionem peccari coram Deo non ſolum verâ pœnitentiâ, ſeu cordis contritione, ſed etiam particulari confeſſione peccati. Vnde Numer. 5. verſ. 7. Hebraïcè legitur, *confitebantur peccatum ſuum quod fecerunt*. Quod ita factum fuiſſe non ſolùm docent Philo lib. de victimis pag. 653. & Ioſephus l. 3. Antiq cap. 10. ſed Rabbini recentiores etiam formulam pœnitentię ita exprimunt, vt in ſe complectatur tres illas notas pœnitentiæ partes *obſecro, Domine, peccaui, iniquè egi, ſic & ſic feci; ecce pœnitet me & pudet operum meorum; numquam reuertar ad rem iſtam*.

11. OFFERET SI ILÆ PARTEM EPHI DECIMAM. Quæ eſt menſura gomor, ſeu quantum ſufficit victui quotidiani vnius viri, vt patet Exod. 16. v. 16. & vltimò. Porrò quod hic & verſu 7. præſcribitur de ſubſtituendis turturibus, vel ſimila loco ouis, aut capræ propter paupertatem, ad omnes ſimiles caſus extendendum eſt.

NOM MITTET IN EAM OLEVM, NEC THVRIS ALIQVID IMPONET, &c. ſicut moris eſt & præſcriptum fuerat in ſacrificio ſimilæ Leuit. 2. Rationem vtriuſque dat Theodoretus qu. 1. in Leuit. in fine, & Cyrillus l. 15. de adoratione, quia oleum lætitiam indicat, thus ſuauem odorem, quorum vtroque caret peccatum. Eſt enim abominabile coram Deo, & animam implet triſtitia. Quam rationem tacitè textus indicat, cùm adiungit, *quia pro peccato eſt*.

15. ANIMA SI PRÆVARICANS CEREMONIAS PER ERROREM, quia ſi fiebat de induſtria pœna erat, vt periret de populo, id eſt, vt puniretur morte, quæ differentia accuratè declaratur Numerorum 15. verſ. 30. & aliquot præcedentibus.

SI IGITVR PECCAVERIT IN HIS QVÆ DOMINO SVNT SANCTIFICATA, vt ſi v. g. laïcus comedat carnes ſanctas, vel aliquid ſanctum ſibi vindicet præter legem.

OFFERET ARIETEM QVI EMI POTEST DVOBVS SICLIS, valentibus circiter duos florenos noſtrates, vnde Hebræum quod habet iam puncta pluralis numeri, videtur punctuandum vt duale.

IVXTA PONDVS SANCTVARII, id eſt, exacti & iuſti ponderis quod in ſanctuario ſeruabatur.

17. ANNA SI PECCAVERIT, &c. FECERITQVE VNVM EX HIS QVÆ DOMINI LEGE PROHIBENTVR, omittendo ſcilicet ceremoniam aliquam ſacram, quæ tamen in nullius damnum cedat, nam de omiſſione damnoſa iam dictum erat verſu 15.

CAPVT VI.

ANIMA QVÆ CONTEMPTO DOMINO NEGAVERIT PROXIMO DEPOSITVM. Recenſet hic caſus iniuriarum in proximum commiſſarum. Porrò omnes iſti caſus negati depoſiti, vi extorti, calumniæ, periurij, intelligendi ſunt de occultis, hoc eſt, externis quidem ſed qui teſtibus conuinci non poſſunt: & hac de cauſa dicitur *contempſiſſe Dominum* qui ſolus occultorum peccatorum iſtorum teſtis erat. Nam pro iniuriis quæ per teſtes in iudicio conuincebantur, aliæ leges erant præſcriptæ Exodi 22. quod ergo verſu quarto dicitur *conuicta delicti*, intelligi debet non per teſtes in iudicio, ſed per remorſum propriæ conſcientiæ. Et ita expreſsè exponunt Philo & Ioſephus locis ſuperiori capite citatis.

6. OFFERET ARIETEM, nempe pro talibus peccatis ſcienter commiſſis: nam quemadmodum talia peccata grauiora ſunt delictis ex ignorantia commiſſis, ita aries præſtantior quàm capra quæ pro peccatis ignoranter commiſſis offerebatur, vt dictum eſt ſuprà.

9. HÆC EST LEX HOLOCAVSTI. Hactenus de expiatione variorum delictorum hîc incipit ſupplere ritus adhibendos in ſingulis generibus ſacrificiorum. Incipit autem ab holocauſto non quolibet, ſed illo quod iuge ſacrificium dicebatur, quia offerebatur quotidie, manè ſcilicet & veſpere.

CREMABITVR TOTA NOCTE VSQVE MANE. Spectat peculiariter ſacrificium veſpertinum, vnde ſequitur non debuiſſe ſimul & ſemel imponi altari, & ita abſumi, vt fiebat in cæteris holocauſtis ſed partes ſucceſſiuè imponebantur à ſacerdote hac de cauſa vigilante, & ita pro populo iugiter deprecante, vt tota nocte cremari poſſent.

IGNIS EX EODEM ALTARI ERIT. Hebraicè, in eodem altari erit; ſenſus idem eſt, nempe ignem iſtum nôn debere aliunde inferri, ſed eſſe debere eiuſdem altaris & ſacrum qui ſcilicet in eo iugiter cuſtodiebatur & ardebat, vnde LXX. ſenſum reddunt. *Ignis altaris ardebit ſuper illud, non extinguetur,* quam ceremoniam imitatus eſt dæmon excogitatis ad ignis perpetui cuſtodiam veſtalibus. Ignis iſte latiùs deſcribitur v. 12. & 13. Significabat autem quia cœlitus miſſus erat, amorem Dei, quo tamquam igne ſacro & cœleſti cor hominis tamquam altare iugiter ardere debet. Amores reliquarum rerum ignis alienus ſunt, cum quo Deo nihil offerri debet. Ignis iſte quotidie lignis ſubiectis, id eſt, Scripturæ teſtimoniis & patrū & exemplis, beneficiis diuinis attentè conſideratis, nutriendus eſt ne extinguatur, ita ferè D. Gr. l. 25. Mor. c. 7. latè.

10. VESTIETVR TVNICA, illa linea, quam ſacerdotibus omnibus communem eſſe diximus, factâ enim veſte ad ſacratiſſimam ſacrificii actionem peragendam indui decebat: ſub qua actione etiam extractio cinerum ex altari continetur, ſed ad ferendos eos extra caſtra.

11. SPOLIABITVR PRIORIBVS VESTIMENTIS, ſacris ſcilicet, vt induatur, vulgaribus, & eos cineres AD FAVILLAM CONSVMI FACIET, non tam propter ipſos cineres qui comburi amplius non poſſunt, ſed propter ea quæ cineribus permixta ſunt, partes lignorum, carbonum, adipis, carnis, oſſium, &c. nihil enim ex holocauſto niſi ſoli cineres ſupereſſe debebat.

12. ET IMPOSITO HOLOCAVSTO, nempe iugi, quod ante omnia alia offerebatur, DESVPER ADOLEBIT ADIPES PACIFICORVM, imponendo eos holocauſto matutino, vt non adoleantur illi ſeorſim, ſed vnà cum illo holocauſto. Idem præſcribitur cap. 3. verſu 5. vbi quod dicitur *adolebunt ea in holocauſtum*, intelligendum, eſt, ſuper holocauſtum, vt patet ex Hebræo.

14. HÆC EST LEX SACRIFICII, non cuiuſlibet, ſed farinacei, ſeu minchæ, de quo ſup. cap. 2. ad quod ſignificandum noſter adiecit, ET LIBAMENTORVM, quæ libamenta hîc non dicuntur à libando, ſed à libis & laganis, ex quibus mincha fiebat.

16. COMEDET AARON CVM FILIIS, nempe maribus tantum, vt ſequitur v. 18. vnde nec filiæ eorum, nec vxores, nec ſerui ex iis comedere poterant, ſicut omnes iſti poterant ex hoſtia pacifica, exceptis mercenariis, iuxta preſcriptum c. 22. v. 11.

17. NON FERMENTABITVR, QVIA PARS EIVS OFFERTVR; id eſt, quia eſt vna pars ſacrificii, cuius altera pars in altari oblata fuit, vnde ſicut ante oblationem nil eius fermentari debebat, iuxta legem c. 2. v. 11. ita nec poſt, ſed SANCTVM SANCTORVM ERIT, id eſt, ſanctiſſimum cenſebitur illud ſacrificium ſimilæ, ita ſcilicet vt nemo ex eo comedere poſſit alienus, ſicut nec ex ſacrificio *pro delicto atque peccato*, hinc vlterius.

18. OMNIS QVI TETIGERIT ILLA, id eſt, qui illa tangere voluerit, etiam ſacerdos, SANCTIFICABITVR, id eſt, curare debet, vt ſit ſanctus & mundus, ab illa ſcilicet immunditia quæ ex contactu rerum immundarum, vt leproſi, &c. contrahitur. Non ergo ſignificatur ſanctificationem à contactu illius ſacrificii manere in tangentem; hoc enim repugnat Aggæi 2. v. 3. ſed eſt præceptum de præmittenda ſanctificatione.

20. HÆC EST OBLATIO AARON ET FILIORVM EIVS, id eſt, ſummi Pontificis & cæterorum ſacerdotum inferiorum. Aliqui accipiunt hic Aaronem pro ſucceſſoribus Aaronis, ſed nihil vetat ſimul & pro ipſo accipi. Cùm enim Leuiticus primo

menſe erecti tabernaculi maxima ex parte dictarus ſit, nec Aaron conſecrari potuerit, niſi illo iam erecto, vt patet Exod. 29. & Leuit.8 conſequenter ſupplentur hîc cæremoniæ adhibendæ etiam in Aaronis conſecratione.

23. OMNE ENIM SACRIFICIVM SACERDOTVM, intellige ex Hebræo farinaceum pro ſecerdotum conſecratione oblatum, IGNE CONSVMETVR, nam ex pacificis hoſtiis pro eis oblatis aliquid auferri poterat, vt patet de armo, Exod. 29. verſu 26.

26. SACERDOS QVI OFFERT, hoſtiam pro peccato, COMEDET EAM. Non ergo erat diuidenda hoſtia pro peccato aliis ſacerdotibus: ſed cedebat ſoli offerenti & maſculis familiæ eius. Et quia Hebræi ipſam hoſtiam pro peccato ſæpiſſime ſimpliciter peccatum vocant: hinc illa phraſis, quòd ſacerdotes dicantur comedere peccata populi, maximè quia interceſſione ſacerdotum remiſſio peccati concedebatur, qua phraſi etiam Chriſtus dicitur pro nobis peccatum factus ab Apoſtolo.

27. QVIDQVID TETIGERIT CARNES EIVS, SANCTIFICABITVR, id eſt, aliquid ſanctitatis contrahet, ne iterum vſui profano applicetur, & hac de cauſa, vt res poſſet iterum vſui promiſcuo inſeruire, veſtis erat lauanda ſcilicet à ſanguine ſancto, vas æneum defricandum, vas fictile confringendum, quia quando non eſt illitum & munitum, ſicut olim ſolebat fieri, humorem aut ſuccum carnibus ſanctis facilius imbibit: ſtatuit autem viliorum confractionem, vt legem de immunditia firmiùs ſanciret. Vnde hac lege, inquit Theod. qu. 5. reuerentiam docet, & rebus diuinis cum timore, & procul eſſe aſſiſtendum. Regulam pro contactu rei ſacræ iſtam quidam tradunt, vt ſi res ſacra ſuo contactu ſuccum aut humorem communicaret, res tangens eam ſanctificabatur, aliàs non, vt patet in contactu tabernaculi, veſtium ſacrarum altaris, &c.

CAPVT VII.

1 HÆC QVOQVE LEX HOSTIÆ PRO DELICTO. Diſtinguitur hîc hoſtia pro delicto ab hoſtia pro peccato, de quo latè ſuprà. In quo autem ſita ſit iſta differentia, admodum perplexæ difficultatis eſt. Peccatum Hebræi vocant *catthai*, delictum verò *aſcam*, quæ tamen ipſæ voces videntur ſæpe confundi, imò & in eadem ſententia coniungi, quaſi vna aliam explicaret. Vnde & Latinè peccatum & delictum ſæpè promiſcuè accipiuntur, vt obſeruat Auguſt. q. 20. in Leuit. ſed voces propriè accipiendo idem Auguſt. ibidem diſputando dicit, peccatum eſſe perpetrationem mali, delictum deſertionem boni, id eſt, peccatum eſſe contra præcepta negatiua, delictum contra affirmatiua. Hebræi è contrario volunt peccatum eſſe contra præcepta affirmatiua, quæ ipſi tot enumerant quot ſunt oſſa in corpore humano, ſcilicet 248. delictum contra negatiua num. 365. quot dies continet annus, Gregorius Hom. 21. in Ezechielem peccatum tribuit operibus, delictum cogitationibus. Magis veriſimilis alia ſententia, quam loco cit. affert, & probat ex Scripturis Auguſtinus, eamque ſequitur & Hieronymus in v. 39. c. 48. Ezechielis, peccatum eſſe, quod à ſciente committitur, delictum quod imprudenter, id eſt, ignoranter. Vnde Hieron. & LXX. ibid. in Ezechiele pro delicto vertunt ignorantiam, hîc verò incuriam aut negligentiam, ſed vt dixi etiam in ipſo Leuitico, ſæpè illa duo confunduntur, etiamſi aliquam agnoſci debere differentiam ex hoc verſ. 1. & 7. manifeſtum ſit. Cæremoniæ eædem ſunt hoſtiæ pro delicto quæ hoſtiæ pro peccato, niſi quod hîc iubetur etiam *cauda* offerri verſu 3. intellige ex ouibus; nam ex vitulo aut capra non offerebatur, quod autem ait:

6. OMNIS MASCVLVS VESCETVR, intellige quiſque in vice ſua, quando obtulerit: nam hæc hoſtia, ſicut, & pro peccato pertinet iure ad ſolum offerentem & familiam eius, vt verſu 7.

8. SACERDOS QVI OFFERT HOLOCAVSTI, &C. HABEBIT PELLEM EIVS, quia illa ſola ſupereſt ex holocauſto, & proinde data eſt in ſtipendium ſacerdoti offerenti. De ſacrificio verò ſimilæ ſtatuitur vt

10. MENSVRA ÆQVA PER SINGVLOS DIVIDATVR.

vidatvr, non quaſi ſacerdos offerens ſacrificium ſimilæ æqualiter cum cæteris ſacerdotibus partiri deberet, hoc enim repugnat verſui præcedenti, ſed hoc intellige iuxta verſum 6. explicatum, quod ſcilicet menſura æqua erit ſingulorum miniſtrantium, ita nempe vt æquo iure omnia ſacrificia ſimilæ pertineant ad eum, qui ea offeret in vice ſua.

12. Collyridas, ſunt liba frixa.

13. Panes qvoqve fermentatos, non vt in ſacrificium offerantur; eſt enim contra legem cap. 2. ſed vt ſine mutatione ſimplici oblatione offerantur Deo in ſubſidium ſacerdotum.

17. Qvidqvid tertivs invenerit dies, ignis absvmet. Præcipit hoc, ne corruptione carnium vileſceret religio ſacrificii: & vt ait Teodoret. quæſt. 6. vt neceſſitate legis huius compulſi adhiberent pauperes conuiuii ſui ſocios, ne quid ſupereſſet. Porrò carnes hoſtiæ pro gratiarum actione oblatæ primo die conſumi debebant: ex voto verò, vel ſponte oblatæ ſecundo die: quia illa nobilior erat tamquam ex animi gratitudine & liberalitate proficiſcens, hæc verò vel amore beneficii aſſequendi, vel neceſſitate voti.

19. Caro qvæ aliqvid tetigerit immvndvm, poſtquam ſcilicet iam immolata Deoque oblata fuerit; nam ſi ante tetigiſſet immundum, ne quidem Deo offerri poterat non comedetvr, quia non ſanctificaretur, ſed polueret ipſum comedentem, sed combvretvr igni, ad reuerentiam ſacrorum, ne eius abiectio cederet in contemptum rei, quæ iam Deo dedicata fuerat.

Qvi fverit mvndvs, vescetvr ex ea, non ſpectat hoc carnem iſtam, quæ tetigiſſet immunditiam, comedi enim non poterat, ſed eſt noua lex de carne hoſtiæ pacificæ, quod patet ex verſu ſequenti, vbi decernitur mors contra pollutum, qui comederit ex hoſtia pacifica. Explicat autem aliquos caſus eiuſmodi pollutionis, vt ſi

21. Tetigerit immvnditiam hominis, id eſt, quæ ex homine prouenit, vt ſi tetigerit cadauer hominis, menſtruatam, lectum eius, &c.

23. Adipem ovis et bovis et capræ non comedetis, in nullo omnino caſu, ſiue immolarentur Deo, ſiue mactarentur ad vſum communem: ratio prohibitionis eſt, quòd iſta ſola animalia quadrupedia eſſent munda ad ſacrificium, vnde in ſui honorem iubet ab adipe, qui offerebatur maximè Deo, abſtineri, etiamſi animal ſibi actu non immolaretur, dummodo eſſet immolabile, & hoc ſignificatur verſu 25.

24. Adipem cadaveris morticini, non bouis, ouis aut capræ, ſed aliorum animalium mundorum ad eſum etſi immunda eſſent ad ſacrificia: talia erant, ceruus, bubalus, caprea, &c. nam adipe talium licebat veſci, exceptis caſibus hîc præſcriptis, ſcilicet ſi ſponte eſſent mortua, vel à beſtiis capta ſeu lacerata.

34. Pectvscvlvm enim elevationis, id eſt, quod eleuatum fuerit coram Deo ritu illo tenupha; de quo diximus Exod. 29. verſu 24. Et armvm separationis, quem iure perpetuo mihi ſeparari præcepi ex hoſtiis pacificis,

Dedi Aaron, &c. in ſuſtentationem eorum. Rationem myſticam loco cit. dedi ex Gregor.

Capvt VIII.

1. Locvtvsqve est Dominvs ad Moysen. Iſto capite octauo narrantur ea in Aarone & filiis eius conſecrandis completa, quæ Exodi 29. præſcripta fuerant. Putant aliqui per recapitulationem narrati ea quæ antè facta fuerant, ſed non eſt neceſſe: nam eodem primo die erectionis tabernaculi poterant, & hæc per ſeptem dies continuatos fieri, & ſimul leges illæ præcedentes de ſacrificiis præſcribi, neceſſe enim erat, vt ſacerdotes ante conſecrationem peractam inſtruerentur de officiis ſuis præcipuis. Videnda ſunt ea quæ diximus ad cap. 29. Exodi, itemque ad cap. 28. de veſtibus Pontificis & ſacerdotum.

12. Qvod fvndens svper capvt Aaron. Hæc effuſio ſuper caput erat propria ſoli Pontifici, cuius ritu ipſe conſecrabatur, ſignificat autem plenitudinem effuſam Spiritus ſancti, & maximè vnctionem

miſericordiæ, qua Pontifex erga alios effectus eſſe debet; vnctio verò minorum ſacerdotum non tam erat vnctio quàm aſperſio facta oleo & ſanguine, quæ fiebat etiam Pontifici, & deſcribitur infrà verſ. 30. & ſignificatur merito ſanguinis Chriſti & oleo, id eſt, gratia Spiritus ſancti vitam noſtram eſſe ſanctificandam. Putant aliqui probabiliter inſuper manus ſacerdotum fuiſſe vnctas oleo ex Exodi 29. v. 9. ſed illa initiatio ſeu conſecratio, & vt Hebraïcè eſt, *impletio* manuum, non neceſſariò ſignificat vnctionem olei, ſed fieri poterat vnctione ſanguinis, de qua fit ibidem mentio verſ. 20. & illâ rerum oblatione, quæ manibus eorum imponebatur verſ. 24. ibidem. Ritus autem hic deſcripti & facti vno die debebant per ſeptem dies repeti, antequam abſoluta eſſet eorum conſecratio, vt ſic aſſueſcerent rebus diuinis, diſcerentque totam vitam ſuam, quæ 7. dierum reuolutione peragitur, conſecratam eſſe bebere Deo.

CAPVT IX.

1. FACTO OCTAVO DIE, qui eſt ſimul octauus menſis primi anni ſecundi, & primus poſt abſolutam conſecrationem Aaron & filiorum eius. Iubentur igitur hic noui ſacerdotes omne genus ſacrificiis, ſcilicet pro peccato, holocauſtum, pacifica, libamenta, Deo tamquam primitias ſui ſacerdotii offerre, & primò quidem.

2. VITVLVM PRO PECCATO, ſcilicet ipſius Aaronis, in cuius ritu verſu 8. & ſeqq. prætermittitur, quòd ſanguis eius inferretur in tabernaculum, vt præſcriptum fuit c. 4. verſ. 5. ſed intelligendum eſt, quòd ibi tradatur ritus expiandi certum & determinatum peccatum, hic autem tantum in genere, ſimili de cauſa hic v. 15. pro peccato populi *mactauit hircum*, cùm tamen c. 4. v. 14. præſcriptus fuerit vitulus, vel fortè, quia hircus iſte pro principibus ſeu maioribus natu populi oblatus fuit (illi enim vocantur hic v. 1. ad ſacrificium) & pro populo tantum conſequenter, quia expiatio principum proficit populo. Hircus enim propriè offerebatur pro peccato principis cap. 4. verſu 23. vnde & hircus iſte non erat comburendus extra caſtra, ſicut victima pro peccato populi comburi debebat, quod verò hic verſu 4. additur, *in ſacrificio ſingulorum ſimilam offerentes*, intellige in mincha ſeu ſacrificio farreo; hoc enim debebat ſingulis ſacrificiis animalium addi oleo conſperſum ſeu ſubactum, vt præſcribitur cap. 2. & Numer. 15.

15. MACTAVIT HIRCVM, EXPIATOQVE ALTARI, ſcilicet per ſanguinem hirci, quo cornua altaris tingebantur, & ira quodammodo expiabatur vt ſacrificium pro peccato ei imponendum deleret peccatum offerentium. Addidit autem in ſacrificio libamenta, nempe mincham ſeu ſacrificium farreum, vt in Hebræo, & pariter offerri debebat, vt dixi, fecit autem hæc

17. ABSQVE CEREMONIIS HOLOCAVSTI MATVTINI, id eſt, præter iuge ſacrificium quod mane offerri debebat.

23. APPARVITQVE GLORIA DOMINI, per emiſſionem illam ignis ad deuorandas victimas, pro quo videntur Moyſes & Aaron in tabernaculo oraſſe. An autem ignis iſte eruperit ex tabernaculo an ex nube, Scriptura tacet, & Aug. incertum relinquit qu. 30. Scripturæ phraſis ſatis innuit ex adytis tabernaculi prorupiſſe, vt expreſsè dicit Philo l. 3. de vita Moyſis, licet communior ſententia velit de cœlo deſcendiſſe, vt habetur 2. Machab. 2. v. 10. factum eſt hoc à Deo ad teſtandum toti populi ſacerdotium iſtud & ſacrorum ritum à ſe eſſe inſtitutum, & approbatum. Porrò ignis iſte perpetuò poſteà etiam in deſerto à ſacerdotibus alitus fuit, iuxta legem ſuprà datam c. 6. nec vnquam extinctus niſi in captiuitate Babylonica, & ſoluta captiuitate iterum diuinitus accenſus, vt patet 2. Machab. 1. v. 19. & ſeqq.

CAPVT X.

1. ARREPTISQVE NADAB ET ABIV THVRIBVLIS, ad implendum aliud ſacerdotii ſui munus, ſcilicet ad offerendum thymiama quotidianum in tabernaculo, vnde credibile eſt tempus fuiſſe veſpertinum quo thymiama ſolebat adoleri. Erant autem hi duo filii ſeniores Aaron, vt ſatis indicatur Exodi 6. verſu 23.

POSVERVNT IGNEM ET INCENSVM DESVPER, ergo occiſi ſunt in ipſo tabernaculo incenſum enim non videtur fuiſſe poſitum, niſi in ipſo altari thymiamatis. Et hoc eſt quod ſequitur eos obtuliſſe, CORAM DOMINO, ſcilicet in arca ſedente.

IGNEM ALIENVM, id eſt, non ſacrum, qui iam diuinitùs accenſus erat, vnde lex de igne ſacro adhibendo videtur iam tum fuiſſe lata, & ſatis ſaltem indicatum fuit ſuprà c. 6. v. 9. Ignis autem non ſacri vſus erat in coquendis carnibus in atrio, & hactenus fuerat etiam in ſacrificiis quæ Moyſes obtulerat in conſecratione ſacerdotum, vnde fortaſſi ex iſta præcedenti conſuetudine & inexperientiâ nouis ſacerdotibus vſitatâ ignem iſtum alienum adhibere voluerunt, quamuis Iudæi putent eos fuiſſe temulentos, & idcirco ſtatim hîc v. 8. vetari vſum vini & omnis potus qui inebriare poteſt. Contendit Caietanus cladem iſtam non contigiſſe eodem die quo Aaron has primitias obtulit, ſed contrarium videtur ſatis indicari verſu 16, & 19.

QVOD EIS PRÆCEPTVM NON ERAT, id eſt, quod vetitum erat, vt ſuprà dictum eſt, aliàs enim non peccaſſent. Vnde falluntur hæretici qui hinc conficere volunt, nihil adhibendum diuino cultui, niſi ſit præceptum.

2. EGRESSVSQVE IGNIS A DOMINO, ex ipſo ſcilicet altari thymiamatis, vel etiam ex Sancto Sanctorum cui propinqui erant, nam in ſanctuario occiſos indicat id quod verſu 5. dicuntur eiecti foras.

DEVORAVIT EOS, id eſt, occidit, non enim ſolùm corpora non erant conſumpta, ſed nec veſtes læſo; quaſi fulmine igitur afflati & percuſſi ſunt, & verbum Hebraïcum eſt generale ad omnem conſumptionem & occiſionem. Diſputant hic vtrum peccauerint mortaliter an veniàliter: vtrum temporaliter an etiam in æternum puniti ſint? Sed hæc tutius diuino iudicio relinquuntur, nullum enim argumentum alterutrum conuincens adferunt. Nam etſi tantum venialiter peccaſſent tantæ tamen vindictæ ſeueritate noua diſciplina meritò ſanciri potuit, in exemplum aliorum, ſicut etiam Oza arcam ſuſtinere volens morte punitus eſt.

3. SANCTIFICABOR IN IIS QVI APPROPINQVANT MIHI, id eſt, in ſacerdotibus, qui propius ad me accedunt, oſtendam me eſſe ſanctum, & me ſanctè eſſe colendum. Sanctificatus eſt autem Deus hâc pœnâ, quia tali exemplo commendatus eſt timor eius inquit Auguſt. quæſt. 32. in Exodum.

6. CAPITA VESTRA NOLITE DVRARE, nempe Cydaris ſeu mithræ depoſitione, vnde LXX. vertunt, *caput non nudabitis cydari*, id eſt, non exhibebitis vlla ſigna luctus propter mortem eorum. Sicut enim in noſtra conſuetudine, qui caput magis apertum habemus, operitur in luctu; ſic quia illi operimento capiti ornabantur, nudandum erat lugentibus, inquit Auguſt. quæſt. cit. Puluerem enim ſolebant capiti lugentes inſpergere, vt patet Iob. 1. & alibi. Sciſſionem autem veſtium ſignum eſſe luctus, paſſim in Scriptura liquet.

7. VOS AVTEM NON EGREDIEMINI FORES TABERNACVLI, ſub quo & atrium ſæpè comprehenditur, in quo ſacerdotes manebant. Colligunt hinc aliqui adhuc duraſſe ſeptem illos conſecrationis diês, ſed ex verſu 1. cap. 9. patet contrarium. Vult ergo eos hoc die quo ſacrificiis ſuis primis occupati erant, non debere propter mortem fratrum exire de loco ſacto, eò quòd reliquiæ ſacrificiorum adhuc deberent comedi, vt patet verſu 12. & ſeqq.

OLEVM QVIPPE SANCTÆ VNCTIONIS EST SVPER VOS, quia ſcilicet conſecrati mihi eſtis in ſacerdotes, & ad officia altiora tranſlati, quàm vt ad iſta humana delabi debeatis, vnde verſu 6. populo permittit luctum, non ſacerdotibus.

9. VINVM ET OMNE QVOD INEBRIARE POTEST, &c. quod Hebræi vno nomine *ſechar* vocant, NON BIBETIS QVANDO INTRATIS IN TABERNACVLVM, miniſtrabãt enim per vices. Ex quo ſequitur, abſtinentiam illam in initio fuiſſe penè perpetuam, quia præter Aaron non erant niſi duo ſacerdotes, poſtea multiplicato numero fuit interruptio. Cauſa legis additur.

VT HABEATIS SCIENTIAM DISCERNENDI, &c. id eſt, vt ritè omnibus officiis diuidis fungi poſſitis, ſiue in diſcernendis te-

bus ſanctis à prophanis, ſiue in docendo populo, immodicus enim vini vſus ad quem ex modico vſu facile delabimur, impedit mentis officia.

12. Tollite sacrificium, farreum ſeu farinaceum, vt eſt Hebraicè, et comedite in loco sancto, atrio ſcilicet tabernaculi, qui paulò poſt vocatur etiam *locus mundiſſimus*, vbi comedere debeant hoſtiam pacificam, non ſolùm maſculi vt fiebat in hoſtia pro peccatô, ſed etiam filiæ: fœminæ enim non erant ab eſu hoſtiæ pacificæ excluſæ. Datur autem armus, & pectus ſacerdotibus, et quod armum, et pectus, et adipes elevaverunt, id eſt, pro miniſterio, quod exhibuerunt in offerendo armo, pectuſculo, & adipibus, volo vt armus, & pectus ipſis cedant, adipes mihi, reliquæ carnes laicis offerentibus.

16. Hircum exustum rep rit, non caſu, ſed ex propoſito, quia propter luctum eum comedere non potuerant, vt indicatur v. 19. comedi tamen debuerat, quia non erat ex illo genere hoſtiæ, quæ tota crematetur extra caſtra; nam ſanguis eius non fuerat illatus in Sanctum, de quo cap. 6. verſu vltimo, & toto capite quarto.

Caput XI.

2. Hæc sunt animalia quæ comedere debetis, Diſtinguuntur hoc capite animalia munda ab immundis: munda inquam, non ad ſacrificium, ſed ad eſum. Cauſæ diſtinctionis huius variæ ſunt: Prima eaque præcipua, morum informatio, non enim animalia quædam immunda dicuntur naturâ ſuâ, ſed ſignificatione, vt Aug. l. 6. contra Fauſtum c. 7. quia ſignificat mores, vel homines immundos. Hanc rationem omnes penè patres tetigerunt, qui de hac re ſcripſerunt, vt Irenæus, Clemens Alexandrinus, Orig. Auguſt. Cyrill. & alii. Secunda cauſa, quæ ex prima naſcitur, fuit prophetia noui Teſtamenti: tempus enim tunc erat quo non tantum dictis, ſed & factis prophetari oporteret ea quæ poſteriori tempore fuerant reuelanda, vt Aug. ibid. Nam ſicut in figuram contingebant illis ea quæ patiebantur, ita in figuram accipiebant ea quæ monebantur, vt omnia illa præcepta carnali populo impoſita futuram diſciplinam ſpiritualis populi prophetarent, quos ſcilicet mores Eccleſia, quæ eſt corpus Chriſti in ſuæ vnitatis vinculum ſtabile, & ſempiternum recipere non poteſt, tanquam immundas eſcas reſpuens, & in ſua viſcera non conuertens, vt idem Aug. lib. contra Adimantum c. 15. Tertia cauſa eſt, vt in omnibus ſeruituti legis ſubiicerentur, vt author quæſtionum apud Iuſtinum qu. 35. & ita ſemper Dei etiam in cibis eſſent memores. Quarta, vt opiniones Ægyptiacas, quibus aſſueuerant, exterminaret: nam quia Ægyptii penè omnibus animalibus diuinos honores tribuerent, munda mactari permiſit, immunda comedi vetuit, ita docens vtra que eſſe indigna appellatione diuinâ, vt idem Author quæſt. cit. Quinta vt eos doceret temperantiam, idque duobus ex capitibus quæ tanguntur à Clemente Alexand. primò, quia innumerabilium eis rerum vſum abſtulit, adeo vt eis omninò pauca reſtarent ad alimentum, inquit, lib. 2. Pædagogi cap. 1. deinde quia veſci prohibuit nonnullis, quæ ſunt delicatiſſima, vt inter quadrupedia, carnibus ſuum, inter piſces verò, iis qui carent pinnis & ſquammis: carnium enim bonitate & pinguedine, hi aliis piſcibus antecellunt, inquit lib. 2. Stromatum cap. 9. quod in multis piſcibus marinis veriſſimum eſt: vt meritò operam ſuam perdere videantur, qui conantur oſtendere omnia animalia hîc prohibita eſſe mali ſucci.

3. Omne quod habet divisam vngulam et ruminat, hoc eſt, duo iſta ſimul debet habere animal, quod ſit mundum ad eſum, ſcilicet vngulam diuiſam & ruminationem: adeò vt omne animal quod vel vngula careat, vel eam non diuidat, vel non ruminet, à cibis abiiciendum ſit. Hæc eſt prima regula de quadrupedibus. Conantur multi rationem naturalem huius, & aliarum prohibitionum petere ex diſtemperie animalium prohibitorum ad nutrimentum. Vetari ergò volunt ea quæ carent vngulis, quia nimis humida ſunt: quæ non diuidunt, ſed ſoli pedia ſunt,

vt equi, aſini, &c. quia nimis dura & ſicca: quæ non ruminant, quia digeſtionis non ita bonæ. In pleriſque hoc verum eſt, non in omnibus. Ratio præcipua eſt ad ſignificandum, immundos eſſe homines, neque in æternam ædificationem corporis Chriſti admittendos, qui non ruminat, id eſt, qui etſi libenter audiant verba ſapientię, poſtea de his omninò non cogitant, & ipsâ à talibus carnalibus abſtinentiâ, tale vitium nos cauere præmonuit, inquit Auguſtinus 6. contra Fauſtum cap. 7. eandem ferè rationem dant Ariſtæas, & Irenæus lib. 5. cap. 8. & alii paſſim, vngulam autem diuidunt, qui firmo gradu innocentiæ, & omnis virtutis itinera conficiunt; eorum enim quæ in duas vngulas pedes diuidunt, longè firmior inceſſus eſt, dum vna vngula ſubbaiulat alteram, & in veſtigii ſoliditate retinet, & faciliùs terræ infiguntur: vide latiùs Irenæum applicantem hæc Iudæis, Hæreticis, Ethnicis, itemque Clementem Alexand. lib. 7. Strom. cap. 10.

5. CHŒROGRYLLVS. Hebraicè eſt *ſap'an* quod licet pro cuniculo communiter ſumatur, ex etymo tamen ſignificat animalia, quæ ſe abſcondunt in antris, vel aliter, & iſta cauſa eſt, cur in ſcripturis vertatur diuerſis modis, etiam lepuſculus, & hericinacius. Eſt autem chœrogryllus, authore Beda in cap. 30. Prouerb. animal non maius hericio, habens ſimilitudinem muris & vrſi, cuius in Paleſtinæ regionibus magna & abundantia, in cauernis ſemper habitans, vnde videtur eſſe idem cum herinacio, vt noſter tranſtulit. Pſal. 103. & non abludit ipſa vox, χοιρόγρυλλος enim dicitur quaſi petrarum, ſeu rupium porcellûs. Significant autem hæc quatuor quadrupedia quatuor immunda hominum genera. Camelus tanquam globoſus ſuperbos, vt ſanctus Iſidorus c. 9. in Leuit, ex Nouatiano (qui exſtat in operibus Tertulliani) homines informes & criminibus tortuoſos: Chœrogryllus, tamquam qui vaſtent agros, homines ex rapto viuentes: Lepus libidinoſos: fertur enim inſano ſtupore in venerem vt Clemens Alexand. l. 2. Pædag. c. 10. & authores hiſtoriæ naturalis paſſim notant: Sus eos qui corporalibus & ſordidis vitiorum voluptatibus gaudent, vt Iſidorus ibidem, & Clemens lib. 3. Pedag. cap. 11. vide plura cap. 3. lib. 7. Strom.

9. OMNE QVOD HABET PINNVLAS ET SQVAMMAS, COMEDETIS. Hæc eſt ſecunda regula de piſcibus. Rationem dant, quia tales ſunt ſicciores, carneque denſiore & minus viſcoſa, quàm qui vtriuſque, pinnulis ſcilicet, & ſquammis carent, vt patet in anguillis. Ratio tamen non eſt vniuerſalis vt manifeſtè liquet in ſoleis, rhumbo & ſimilibus, quæ quamuis careant, ſquammis, vel pinnis, carne ſunt ſicca & ſolida. Ratio ergò moralis eſt, vt ſignificetur eos immutãdos, & vitandos eſſe qui rebus ſęcularibus ſemper immerſi emergere nequeunt, neque mentem ad ſuperna erigere, inſtar piſcium pinnis, ſquammis carentium qui plerumque in profundo limo verſantur, ſegnes ſunt, & parum notant, vt Cyrill. lib. 4. in Iulianum, & in fine lib. 7. in Leuit. cui conſonat S. Gregor. lib. 5. Moral. cap. 8. aliàs 6.

13. HÆC SVNT QVÆ DE AVIBVS, &c. De his nulla datur certa regula, ſed tantùm variæ ſpecies vetantur, partim quia cibis immundiſſimis veſcuntur, vt cyconiæ bubones, noctuæ, veſpertiliones, vpupæ; partim & maximè, quia carniuoræ ſunt, & raptoaliarumque auium iniuriis viuunt: quæ verò permittuntur ferè ſunt manſueta & pura, frumentoque, ac ſeminibus viuunt, vt notat Ariſtæas, vnde generaliter ſignificatum fuit, talium immundorum animalium mores eſſe vitandos, vt Iſidor. c. 9. in Leuit.

ET GRYPHEN. Hebraicè *peres*, ab aduncis, & magnis vnguibus, & roſtro, vnde & Græcè γρυπὸς, aduncus, inflexus. Origenes l. 4. Periarch. c. 2. apertè dicit gryphem nunquam eſſe rupertum, ſed intelligit gryphem, quaſi deſcribitur ab Herodoto. Pauſania, Solino, & aliis corpore leonino, quatuor pedibus, &c. qui reuera videtur eſſe fabuloſus. Itaque cùm gryps hic ponatur inter aquilam & haliætum quæ eſt vna ſpecies aquilæ, videtur eſſe genus aquilæ maximum, vnguibus roſtroque præ cæteris

aduncum, quod nomen gryphus ſignificat, ideoque rapaciſſimum, fortaſſis illud quod Ariſtoteles lib. 9. de hiſtoria animalium ponit ſextum genus corpore maximum, colore fuluum.

Et haliæetum, id eſt, aquilam marinam, quod quintum genus aquilæ ab Ariſtotele ponitur: & deſcribitur à Plinio eſſe clariſſimâ oculorum acie, librans ex alto ſeſe, viſoque in mari piſce præceps in eum ruens & diſcuſſis pectore aquis rapiens: idque tanta auiditate, vt teſte Ariſtotele, cùm ferrè nequeat prædam, ſubinde in gurgitem demergatur.

16. Strvthionem. Auis eſt gemebunda, vt patet Michææ 1. verſ. 8. Deſcribitur accuratè Iob 39. v. 13. & ſeqq. vbi patet eſſe obliuioſiſſimam & ſapientia deſtitutam, vt meritò propterea inter immundas numerata ſit.

Et larvm. Latus, vt volat in aëre, ita & in aquis natat, vnde piſcibus capiendis inſidiatur, deditque prouerbio locum *larus hians*. putant Belgis vocari *een meeu*.

17. Et ibin. Auis eſt Ægyptiis nota, cui hæc immunditiés peculiaris eſt quod roſtri aduncitate adhibens aquam ſalſuginoſam per eam partem ſe proluit, qua cibi egeruntur. Vnde Ægyptii ex ea clyſteris vſum didicerunt, vt ſcribit Plinius & alii.

18. Et onocrotalvm. Ab onos id eſt, aſinus, & crotalum, id eſt, crepitaculum, propter abſonam & rudem vocem. LXX. vertunt pelicanum, vt etiam nos habemus in Pſal. 101. Conueniunt authores Oppianus & alii eſſe voracem, & habere ingluuiem, ſeu ſinum ante pectus dependentem, in quem cibum piſces integros, immo conchas recondat, vt maceratas & apertas reuomat, & pulpam deuoret. Magnitudine eſt inſtar cygni collo & roſtro longiſſimo.

Et porphyrionem. A porphura id eſt, purpura, ſeu colore roſtri & crurum nomē habet, magnitudine eſt gallinæ, cryſtam habens in capite, crura longiora. Solo morſu bibit, iuxta Plinium, omnem cibum aqua tingens, & pede ad roſtrum afferens. Paſſim tamen commendatur eius caſtitas, vſque adeo, vt Tzetzes in Græco epigrammate dicat ita eſſe temperantem, vt ſi ſolum videat meretricem, ſtatim moriatur. Oppianus addit, nunquam palam coniugi miſceri, adulterium hominum ſagaciter deprehendere, & ſua nece illud prodere.

19. Herodionem. Auguſtinus in Pſal. 103. legit fulicam, Lyranus putat eſſe falconem, alii aquilam. Mirum eſt quid ſibi velint, qui dicunt Ariſtotelem & Plinium eius non meminiſſe: Ariſtoteles enim lib. 9. c. 1. tradit eum bellum gerere cum aquila: & tria ponit eius genera. Cuius verba ferè deſcribens Plinius, herodium transfert ardeam quod ſatis conuenit cum Suida, qui paluſtrem eſſe tradit. Vox Hebraica *caſida* miſericordem ſignificat, vnde aliqui putauerunt eſſe ciconiam, quæ à pietate in parentes commendatur.

Et charadrion. Græca vox à charadra, id eſt, vorago, cauerna, qualem facit terræ motus, vel aquarum eluuio, quia in eiuſmodi locis auis illa habitat vt Ariſtoteles l. 9. de animalibus, qui eam deſcribens, Charadrius, inquit, colore & voce paruus eſt, noctu apparet, & diem fugit: vnde meritò inter immundas relata eſt.

Ivxta genvs svvm, id eſt, iuxta totam latitudinem ſuæ ſpeciei, quod de omnibus ſupradictis auibus debet intelligi: multa ſunt enim genera, id eſt, ſpecies v. g. aquilarum, quas Ariſtoteles ſex enumerat, item accipitrum, cornicum, ſeu coruorum.

Vpvpa à ſono vocis ſic dicta eſt. Semper enim inſtar cuculi eandem vocem ingeminat. Auis eſt ſatis communis, nidum ſordibus humanis circumlinit, mures, muſcas & vermes venatur. Iſidorus l. 12. Orig. c. 7. auem ſpurciſſimam vocat, quæ ſemper in ſepulchris & humano ſtercore commoretur. Tropologicas, ſeu morales rationes prohibitionis omnium iſtarum auium, vide deductas apud D. Thom. 1. 2. quæſt. 110. ar. 6. ad 1.

20. Omne de volvcribvs qvod graditvr svper qvatvor pedes, id eſt, quidquid habet alas, vt videatur eſſe de auium genere; ſed tamen habet quatuor pedes æquales, ita vt non ſaliat, ſed gradiatur ſuper illos, immundum erit; quia

velut monſtrum degenerat in terreſtre animal; ſi autem ſaliat, habet aliquid aërei, ratione cuius inter munda, velut volucre cenſeri poſſit.

22. VT EST BRVCHVS, &c. Quatuor hic ponuntur locauſtarum ſpecies, inter quas bruchus dictus à brucho, id eſt, rodo, quia ingenti volans multitudine fruges radicitus exedit, vt patet Ioëlis 1. verſ. 4. & Nahum. 3. v. 16. Heſychius teſtatur à Cypris viridem locauſtam vocari bruchum.

ATTACVS alio nomine vocatur attelabus, quem Heronymus ita deſcribit in verſum 17. cap. 3. Nahum: Parua locuſta eſt, inter locuſtam & bruchum, & modicis pennis reptans, potius quam volans, ſemperque ſubſiliens; & ob hanc cauſam vbicumque orta fuerit, vſque ad puluerem cuncta conſumit, quia donec creſcant pennæ, abire non poteſt.

ATQVE OPHIOMACHVS, quaſi cum ſerpentibus pugnans, quod & lacertis competit, ſed hic eſt locuſtæ ſpecies. Comedebantur iſta locuſtarum genera vt ex Ioanne Baptiſta patet, ſed ferè non niſi apud Orientales & Lybes, vt notat Hieron. lib. 2. contra Iouinianum, idque propter ingentem earum in illis locis multitudinem: ad quas ſi compellas Phrygem & Ponticum, nefas putabit. Alimentum enim iſtud dicitur vitam abbreuiare, pediculos & morbos gignere.

QVI TETIGERIT ILLVD, animal ſcilicet non ruminans ac diuidens vngulam, CONTAMINABITVR. Intellige autem de cadauere animalium non ruminantium. Nam viua tangi poterant, vt æquitando in aſinis & mulis.

27. QVOD AMBVLAT SVPER MANVS, id eſt, quod loco pedum anteriorum habet, quaſi manus, vt vrſus & ſimia, IMMVNDVM ERIT.

29. CROCODILVS. Animal eſt lacertæ ſimile, ſed ingenti magnitudine, vtpote ſubinde ſeptemdecim, vel octodecim cubitorum, Ægyptiis & Indiæ orientali ferè proprium, de quo plura Solinus, Plinius, Ariſtoteles, & Scaliger contra Cardanum exercitatione 196.

30. MYGALE, ex μῦς, id eſt, mus, & γαλῆ, id eſt, muſtella, quia murem magnitudine, muſtellam ſpecie refert, diciturque mus araneus, abundat in Britannia.

CHAMELEON. Animal Europæis ignotum, in Aſia & India ſatis frequens, dicitur quaſi terrenus, ſeu humi repens leo. Magnitudine eſt lacertæ, ſuillo roſtro, capite quaſi leonino, aduncis vnguibus, ore ſemper hiante: vnde aliqui putarunt aëre viuere, ſed hoc falſum eſſe, multis experientiis probatum eſt, vt nouiſſimè teſtatur Scaliger exercitatione citatâ: nam linguæ repentino & momentaneo motu muſcas capit. Addit & hoc, colores eius, non propriè mutari ad aliarum rerum præſentiam, vt vulgò dicitur, ſed viridem colorem, qui ei naturalis eſt, fieri vel intenſiorem, vel dilutiorem, atque ita temperari iuxta colores præſentes.

STELLIO, à colore nomen habet. Eſt enim tergore pictus lucentibus guttis in modum ſtellarum, vt Iſidorus lib. 12. Orig. cap. 4. de quo Ouidius

Aptusque colori
Nomen habet, variis ſtellatus corpore guttis.

Similis eſt lacertæ, ſed multò minor, viuit rore, & araneis, vt Ariſtoteles, morbo comitiali remedium præbet præſens cute ſua, quam quotannnis exuit: ſed vt hominem ea fraudet, ſtatim deuorat, vnde Iuriſconſultis crimen ſtellionatus, eſt crimen impoſturæ ac doli. Quid per iſta tropologicè vetetur, vide apud ſanctum Iſidorum in Leuit cap. 9. ex Nouatiano qui extat in fine operum Tertulliani.

31. OMNIA HÆC IMMVNDA SVNT, ſcilicet reptilia nominata, & quidem omnia, non ſolum mortua, ſed etiam viua, vt patet ſuprà cap. 5. verſ. 2. alia animalia immunda poterant viua ſine contaminatione tangi. Ratio diuerſitatis eſt, quòd reptilia ferè ſunt venenata & fœdita, quia plerumque in antris latitant.

34. OMNIS CIBVS, &c. SI FVSA FVERIT SVPER EVM AQVA. Non quælibet, ſed quæ tetigerit vas prædictis modis pollutum, vt indicat Chaldæus, & annotat Aug. q. 37. in Leuit. & Theodor. q. 12. nam ſine aqua ci-

bus lixari non poteſt: quod tamen moris erat etiam in ſacrificis pacificis. Sic in ſequenti membro *quod bibitur de vniuerſo vaſe*, intellige, ſimiliter priùs polluto. Res tamen ſiccæ non videntur fuiſſe pollutæ, quia nihil de illis ſtatuitur.

36. FONTES VERO ET CISTERNÆ. Eſt exceptio à priori lege, vt ſcilicet non polluantur etſi res immunda in eos ceciderit. Hæc exceptio neceſſaria fuit, propter aquarum huiuſmodi neceſſitatem & ſæpè penuriam: vnde ſimilis quoque fit de ſeminibus, ſiue creſcentibus adhuc in ſegete, ſiue ſeorſim excuſſis. Niſi fortè antè fuiſſent aquis perfuſa; tunc enim polluebantur, quia immunditia facilius penetrat ſemina madefacta.

39. SI MORTVVM FVERIT ANIMAL QVOD LICET COMEDERE. Intellige ſpontè mortuum, vel à bruto occiſum. Homini enim licebat illud occidere ad comedendum, & conſequenter tangere.

QVI TETIGERIT CADAVER, &c. QVI PORTAVERIT, &c. addunt pleriqne legem hanc non intelligi de tactu vel portatione voluntaria, eò quòd talis ſupplicio plecteretur, ſed de iis tantum qui portarent inaduertenter, aut ignoranter. Verùm contrarium expreſsè præſcribitur de cadaueribus adhuc magis immundis hoc eodem cap. v. 25. aliquando enim neceſſe erat illa tangere, vel portare etiam voluntariè. Itaque videtur intelligi de tactu & portatione, ſine iſta cauſa. Alioqui enim ſi omnino ex propoſito fieret, fuiſſet contemptus legis magis ex ſuperbia, & conſequenter ſupplicio dignus, vt ſtatuitur Numerorum 15. verſ. 30.

41. OMNE QVOD REPTAT. Tres hic ſequuntur leges generales: prima de reptilibus his ipſis verbis. Secunda *quidquid ſuper pectus quadrupes graditur*, quia ſcilicet pedibus ita breuibus nititur, vt ſimul pectore & ventre innitatur terræ, vt nonnulla ſerpentium genera. Tertia in illis verbis, *& multos habet pedes*, eſt enim hæc lex diſtincta hoc ſenſu: Quidquid multos habet pedes, plures ſcilicet quàm quatuor, vt ſunt plerique vermes, ſiue per humum trahitur, vt lumbrici & reptilia, non comedetis. Totius autem prohibitionis duplicem Deus affert rationem: primam petitam ex ſanctitate Dei, cui nihil conuenit niſi purum & ſanctum. Vnde illam externam puritatem in eis poſtulat, vt manu ducerentur ad intelligendum quanta, puritas à vitiis per varietatem illorum animalium ſignificatis in homine requiratur. Secundam ex beneficentia in ipſos, magno ſcilicet illo beneficio eductionis ex terra Ægypti: quod non alia de cauſa eis præſtitit, niſi vt eſſent populus Deo illi ſanctiſſimo colendo dedicatus.

CAPVT XII.

1. MVLIER SVSCEPTO SEMINE PEPERERIT MASCVLVM. Triplex eſt hic expoſitio. Prima Ianſenii cap. 10. Concordiæ, & quorumdam hebraïzantium qui per ſemen intelligunt non principium prolis, ſed ipſam prolem ſicut frequenter ſumitur in Scripturis, vt in illa celebri prophetia *In ſemine tuo benedicentur*, &c. vt ſenſus ſit, ſi mulier ſuſceperit prolem, vel iuxta Hebraicum, eodem ſenſu, ſi fecerit ſemen, ſeu prolem eamque peperit, &c. atque ita volunt hanc legem etiam Beatæ Virgini conueniſſe Altera eſt LXX. & textus noſtri, qui ſemen intelligunt virile quod ſuſcipitur, vt illis verbis exprimatur modus conceptionis ordinarius: cum qua conuenit in re ipſa etiam tertia expoſitio ex textu Hebraïco, qui propriè legit, *Mulier ſi ſeminificauerit*, ſeu *fecerit, ſemen*, intellige illud quod ſolet mulier ad generationem prolis conferre. Et ita verbum iſtud propriè ſumitur Geneſ. 1. verſu 11. itemque 12. ſecundum quas duas expoſitiones maximeque ſecundam quæ ſecum trahit & coniunctam habet tertiam, beata Virgo nullo modo comprehenditur. Et ita intellexerunt ferè antiqui Patres, vt ex profeſſo Origenes Homil. 8. in Leuiticum, Baſilius in verſum 14. cap. 7. Iſaiæ, Chryſoſt. Homil. in occurſum Domini, Cyrillus lib. 2. de fide ad Reginas. Senſus eſt, Mulier ſi communi concipiendi modo per ſuſceptionem ſeminis virilis ac ſui conceperit, &c. Quod autem Abulenſis obiicit hanc purificationis legem non tam

ſtatui propter ſeminis ſuſceptionem quàm propter naturalem ſanguinis & ſordium purgationem, quæ puerperis naturalis eſt & perpetua: hanc autem etiam in Virgine locum habuiſſe, & ita lege fuiſſe comprehenſam; non videtur eſſe verum. Nam quemadmodum conceptus ſine concubitu fuit ita & partus ſine dolore & ſordibus, vt docet Aug. lib. de quinque hæreſibus c. 5.

IMMVNDA ERIT 7. DIEBVS, ita ſcilicet vt lectus, vaſa, & quæcumque tangeret, immunda fierent.

IVXTA DIES SEPARATIONIS MENSTRVÆ, id eſt, iuxta eumdem dierum numerum & immunditię modum, quo mulier menſtruis laborans ſeptem diebus immunda eſt & ſeparari debet à ciuili conſortio, ne omnia coinquinaret, ſicut præſcribitur infrà capite 15. verſ. 19. & ſeqq.

14. IPSA VERO TRIGINTA TRIBVS DIEBVS, diſtinctis ſcilicet ab illis 7. præcedentibus, ita vt ſimul fiant dies quadraginta.

MANEBIT IN SANGVINE PVRIFICATIONIS, quo nempe aſſiduè per illos dies purgatur. Manebit autem in illo ita videlicet, vt tactu rerum ſacratum, vt notat Auguſtinus quæſt. 39. in Leuit. & à ſanctuario, id eſt, atrio arceatur, etiamſi non ſeparetur ab hominum conuerſatione. Tradit enim Franciſcus Valeſius duplicem puerperis fieri euacuationem, ſeu purgationem, primam ſanguinis copioſè fluentis, vt ſingulis menſibus fieri ſolet: alteram aliorum excrementorum, inquit, cum exiguo ſanguine paulatim fluentium. Vtraque euacuatio breuiter inſinuatur. Nam ratione primæ purgationis ſtatuitur immunditia 7. dierum inſtar menſtruatæ: ratione ſecundæ, immunditia 33. dierum qui ſimul efficiunt 40. Tempus autem hoc duplicatur in partu fœminæ, non quod exactè tanto diutius duret purgatio, ſed quia illud tempus ſaltem non exceditur. Cauſa verò diuerſitatis eſt, vt idem Valeſius tangit, quia fœminæ humidiores & excrementoſiores ſunt quàm maſculi, vnde, inquit, neceſſe eſt earum quoque principia in hortu humidiora, & diuturniorem fore purgationem: ſicut ex hiſce Moyſis verbis in primis conuincitur. Cùm verò expleti fuerint dies purificationis, ſiue

6. PRO FILIO, SIVE PRO FILIA Referenda ſunt hæc verba ad id quod præceſſit *dies purificationis ſuæ*, non ad id quod ſequitur, *deferet agnum*. Significatur enim poſt finitos dies purgationis qui pro partu ſiue filii, ſiue filię præſtituti ſunt agnum eſſe deferendum: non autem quod agnus pro filio, aut filia, deferatur, & offeratur quaſi ad purgationem peccati originalis. Hoc enim iam circumciſione, octauo die purgatum erat. Senſus iſte clarius ex Hebręo colligitur: tametſi D. Aug. qu. 40. magis putet pro prole fuiſſe agnum oblatum ex Euangelio Lucæ 2. vbi dicitur, *vt facerent ſecundum conſuetudinem legis pro eo*, ſcilicet puero Ieſu. Sed ibi reſpicitur non ad hanc oblationem agni, ſed ad oblationem & redemptionem ipſius pueri tamquam primogeniti: quæ lex ab hac diuerſa eſt. Quamuis eodem tempore ſimul vtraque lex impleretur.

DEFERET AGNVM IN HOLOCAVSTVM, ad offerendam ſimul ſe totam & prolem in obſequium Dei, qui incolumitatem ſibi, & ipſam prolem donauerat, ET PVLLVM COLVMBÆ, &c. PRO PECCATO. Peccatum intelligendum videtur, & propriè dictum, ſi quod à prægnante vel pariente admiſſum fuerit, & maximè legale; peccatum autem non prolis, vt iam dixi, ſed matris, ſicut hæc colliguntur, ex v. 7. vbi dicitur quod *ſacerdos orabit pro ea*, ſcilicet muliere, & quod ſic mundabitur per talem hoſtiam.

7. A PROFLVVIO SANGVINIS SVI, id eſt, ab immunditia orta ex illo profluuio, quam duplicem ſuprà indicauimus. Nam ipſum profluuium iam ſanatum erat, antequam agnum deferret.

8. QVOD SI NON INVENERIT MANVS EIVS, id eſt, ſi pauperior fuerit quam vt emere poſſit agnum in holocauſtum, SVMET DVOS TVRTVRES, &c. ita fecit B. Virgo in teſtimonium paupertatis ſuæ. Meritò autem hanc exceptionem legis facit Deus, quia vt Nazianzenus Orat. 4. nihil apud Deum magnum quod non pauper quoque donare poſſit. Nam etſi in cæte-

ris rebus inter diuitias, & paupertatem interſit: in donando tamen, ille ditior, qui promptior & alacrior.

CAPVT XIII.

1. DIVERSVS COLOR SIVE POSTVLA, AVT QVASI LVGENS QVIDPIAM. Tria hîc ſigna exprimit, mutationem coloris natiui, puſtulam ſeu tumorem aliquem, & lucens quidpiam, id eſt, fulgentes furfures ſeu ſquammas. Dantur autem iſta ſigna non adhuc lepræ, ſed tantùm talia ex quibus aliquis ſuſpicari poſſet, ortam eſſe lepram. Vnde quod dicitur, *id eſt, lepra plaga*, ſenſum habet vt videatur eſſe plaga lepræ. Hebraïcè, *in lepram*, id eſt, ſimilitudinem lepræ: & ſic lepra hoc capite paſſim ſumitur pro affectione carnis habente ſimilitudinem lepræ.

ADDVCETVR AD AARON, tamquam præfectum ſanctuarij, vt diſcernat, quis ab eo tamquam immundus arceri debeat, vel vt mundus admitti. Vnde typum geſſit ſacerdotum nouæ legis, quibus, inquit Chryſoſt. lib. 3. de ſacerdotio, non corporis lepram, ſed animæ ſordes, non probare, ſed purgare conceſſum eſt.

3. QVI CVM VIDERIT PILOS IN ALBVM MVTATOS COLOREM. Prima lepræ ſpecies: quæ à medicis iuxta F. Valeſium dicitur lychen, ſeu impetigo, neque tam eſt vera lepra hodierna quàm ſpecies ſcabiei, ſerpit ad alias partes, vnde vocatur etiam lepra volatilis. Oritur ex pituita ſalſa, cui aliquando atra bilis miſcetur, vnde fit vt cutis ex ſalſetudine fiat ſiccior & contractior, adeoque *humilior carne reliquâ*. Hinc cutis fit candida ex pituita, & reddit pilos ſibi ſimiles, id eſt, albos: cùm enim pili naſcantur ex humoribus, non mirum ſi ex corruptis color mutetur, vtrumque ſignum præſcribitur hîc verſu 3. & ſæpè inferiùs.

AD ARBITRIVM EIVS SEPARABITVR, à conſortio hominum tamquam lepra contaminatus. Clariùs hunc ſenſum indicant Hebræa & LXX. qui legunt, *inquinabit eum*, id eſt, inquinatum lepra pronunciabit, quod eſt cauſa ſeparationis eius. Ita ſæpè in his materiis ſumuntur verba mundandi, inquinandi, polluendi, contaminandi, &c. vnde verſum 6. 11. 14. 20. &c.

4. SIN LVCENS CANDOR FVERIT IN CVTE. Proponitur hic caſus lepræ dubius, vbi eſt ſolus candor in cute, nulla autem cutis depreſſio vel pilorum mutatio. Ad dignoſcendum ergo an ſit lepra, RECLVDET EVM SEPTEM DIEBVS. Vtrum in loco ad hoc deſtinato an verò in propria leproſi domo, vt quaſi immundus ſeorſim viueret, ex Scriptura non conſtat. Si ergo color cutis fieret obſcurior, & non creſcerent maculæ.

6. MVNDABIT EVM, id eſt, mundum declarabit, quia eſt ſolum ſcabies; quod ſi poſt declaratam munditiam creſcerent maculæ.

8. IMMVNDITIÆ CONDEMNABITVR, quia recidiua illa ſignum eſt infectionis ſtabilis & radicis vitiatæ. Et hæc poteſt ſtatui ſecunda lepræ ſpecies, vbi eſt ſola macularum repetitio, & maior diffuſio.

10. IPSA CARO QVOQVE VIVA APPARVERIT. Tertia ſpecies, quæ præter cutis pilorumque mutationem, habet *quod caro viua* appareat, id eſt, quod ipſa quoque caro ſub cute vel detracta cute appareat ſimilis cuti & capillis, nempe, albi coloris.

11. LEPRA VETVSTISSIMA IVDICABITVR, tamquam inhærens non tantum cuti & capillis, ſed etiam ipſi carni quę ſimul infecta eſt: ideoque peior eſt præcedentibus. Vocatur iſta ſpecies elephantia, iuxta Valeſium. An autem caro ſit leproſa, iubet Auicenna & Paulus Ægineta explorari punctione acus & confricatione. Si enim, inquiunt, caro puncta non ſanguinem ſed liquorem album emittat, vel confricata non rubeat, lepra eſt inſanabilis, quia ſalſedo humorum ipſam quoque carnem penetrabit & corrupit. Quæ ſanè cum hac lege Leuitici ſatis conueniunt.

12. SI AVTEM EFFLORVERIT DISCVRRENS LEPRA. Multi ponunt hîc quartam ſpeciem lepræ, quam vocant *mundiſſimam*, id eſt, non contagioſam. Sed eos falli patet ex Hebræo, vbi loco illius, *tenebri lepra mundiſſima iudicabit*, textus habet, *mũdabit eum*, id eſt, mundum à lepra pronunciabit. Et hoc vult indicatum noſter textus. Nam vt diximus ſuprà: lepra hic ſæpę ſumitur

pro vitio de quo dubitari poſſet an ſit lepra. Cauſa verò munditiæ hîc indicatur, *eo quod omnis cutis in candorem verſa ſit.* Hoc eſt enim ſignum eſſe tantùm validam purgationem naturę, quę vndequaque malum expellit, vt fit in magna ſcabie, variolis, &c. nihil enim potius cenſent medici, quàm vt cacochymiæ abundantes erumpant. Quòd ſi verò apparuerit in eo

14. Caro vivens, ita ſcilicet vt ſparſim per corpus appareant quaſi maculæ carnis quæ inter albedinem cutis reliquæ, pollutæ lepra iudicabitur. Et hæc eſt quarta ſpecies lepræ.

16. Qvod si rvrsvm verba fuerit in al... rem, id eſt, ſi illa caro viua facta fuerit ſimilis cuti reliquæ quæ albedine cooperta est,

17. Mvndvm esse decernet, quia erit vniformis quædam purgatio naturæ, vt initio verſus 12. dictum. Et hactenus de lepra carnis aut cutis integræ.

18. Caro avtem et cvtis in qva vlcvs. Hîc incipit applicare ſigna lepræ lepra v. 3. deſcripta ad cicatrices & vlcera: hoc tamen diſcrimine eſt, quòd cùm color lepræ ſit albedo maculæ, hîc in cicatricibus poſſit eſſe *ſubrufus*, quia ſanguis in parte propter læſionem debilitati, difficilius mutatur.

22. Et si qvidem diffvserit adivdicabit evm lepræ, quia ſignum eſt, non eſſe maculam propriam cicatrici (non enim ſerperet) ſed ex alia cauſa maligna oriri. Eadem iudicium de caſu combuſtionis, vt legitur. Hæc eſt quinta ſpecies lepræ: quamuis à præcedentibus vix differat, cùm earum ſigna habeat in determinata tantum corporis parte. Origenes tamen diſtinguit.

29. Vir sive mvlier. Eadem lepra hîc extenditur ad barbam & caput cum iiſdem ferè ſignis: hac tamen differentia, quod in alis partibus pili fiant albi, hîc autem flaui. Ratio diſcriminis eſt, vt Valeſius tradit, quòd capiti innaſcantur vlcuſcula quædam quæ achores vocantur, plena liquore mellei coloris, quod ſignum eſt cutem ſimili liquore eſſe imbutam. Hinc pili naſcuntur ſimiles, tenues ſcilicet & flaui propter mixtionem pituitæ cum flaua bile. Vnde hæc poteſt eſſe ſexta ſpecies lepræ.

38. Vir sive mvlier in cvivs cvte candor apparverit, & nihil ſcilicet præterea. Vnde ſtatuitur hîc differentia inter talem ſimplicem maculam albam & priores maculas ſuprà deſcriptas quæ erant lepra.

40. Vir de cvivs capite capilli flvvnt, nempe vel toto, vel ſuperiori eius parte calvvs est, & vocatur,

41. Et si a fronte ceciderint, ſeu anteriori capitis parte vocatur recalvaster, et mvndvs est. Eſt enim naturalis affectio, quæ oritur ex naturali ſiccitate & duritie cutis. Nam ſicut ex arida terra, duriſque lapidibus nullæ naſcuntur herbæ, ita nec ex arida iſta cruſta cutis pili: & ſi qui ſunt, deficiente humore, vt fit in ſenibus, accreſcunt & excidunt. Vnde ex cauſa contraria propter abundantiam humoris, pueri, mulieres, & eunuchi non clauescunt.

42. & 43. Si in calvitio albvs vel rvfvs color fverit exortvs, lepræ evm condemnabit, quia ſignum eſt cacochymiæ quæ per colorem cutis proditur, vt ex Galeno Valeſius. Significat enim ille color cutis infectionem à ſalſa pituita, ſi color albus eſt, aut à bile, ſi eſt rufus. Et inter lepræ ſpecies ponitur diuerſa à præcedentibus: ad quam indicandam ſolæ maculæ dicuntur ſufficere, etiam ſine ſupradictis reliquis ſignis.

44. Qvicvmqve ergo macvlatvs, &c. Præſcribuntur hîc leges conuerſationi leproſorum: earum quędam obſeruandę ſunt leproſo propter ſeipſum, videlicet primò

45. Habebit vestimenta dissvta, ſecundò capvt nvdvm, id eſt, detectum pileo, itemque raſum. Vtriuſque cauſa eſt, vt putridi vapores faciliùs expirent. Quædam propter alios, vt quod habeat os veste contectvm, quia nullâ re faciliùs inficere quis poteſt alios quàm ſpiratione, quæ fit per os. Deinde clamet se contaminatvm ac sordidvm. Admoniti enim alii vel non accedent, vel ore ipſius tecto non lędentur. Quædam propter vtroſque vt ſcilicet

46. Solvs habitet extra castra. Quia & ipſe liberiori frueretur aëre, quo

cere, & male facere eſt beneficium alicui, vel malum pœnæ inferre quod iuſtè inferri poteſt. OBLITAQVE, nempe iuramenti, & ideo neglectu eius rea,

6. OFFERAT AGNAM. Referenda eſt iſta oblatio ad omnes caſus præcedentes, vt obſeruat Auguſt. qu. 2. Leuit. eâdem enim ratione omnia iſta ignorantiæ peccata expianda eſſe ſignificatur. Quod verò dicit: *agat pœnitentiam pro peccato*. Hebr. explicat modum pœnitentiæ, legit enim: *confitebitur id ſuper quo peccauit*. Ex quo loco ſicut & ex eo quod dicitur v. 18 iuxta æſtimationem peccati *arietem* minus vel magis pretioſum eſſe delingendum, manifeſtè indicatur opus fuiſſe ad remiſſionem peccati coram Deo non ſolum verà pœnitentià, ſeu cordis contritione, ſed etiam particulari confeſſione peccati. Vnde Numer. 5. verſ. 7. Hebraïcè legitur, *confitebantur peccatum ſuum quod fecerunt*. Quod ita factum fuiſſe non ſolùm docent Philo lib. de victimis pag. 653. & Ioſephus l. 3. Antiq cap. 10. ſed Rabbini recentiores etiam formulam pœnitentię ita exprimunt, vt in ſe complectatur tres illas notas pœnitentiæ pares *obſecro, Domine, peccaui, iniquè egi, ſic & ſic feci; ecce pœnitet me & pudet operum meorum; nunquam reuertar ad rem iſtam.*

11. OFFERET SI ILÆ PARTEM EPHI DECIMAM. Quæ eſt menſura gomor, ſeu quantum ſufficit victui quotidiani vnius viri, vt patet Exod. 16. v. 16. & vltimò. Porrò quod hic & verſu 7. præſcribitur de ſubſtituendis turturibus, vel ſimila loco ouis, aut capræ propter paupertatem, ad omnes ſimiles caſus extendendum eſt.

NOM MITTET IN EAM OLEVM, NEC THVRIS ALIQVID IMPONET, &c. ſicut moris eſt & præſcriptum fuerat in ſacrificio ſimilæ Leuit. 2. Rationem vtriuſque dat Theodoretus qu. 1. in Leuit. in fine, & Cyrillus l. 15. de adoratione, quia oleum lætitiam indicat, thùs ſuauem odorem, quorum vtroque caret peccatum. Eſt enim abominabile coram Deo, & animam implet triſtitia. Quam rationem tacitè textus indicat, cùm adiungit, *quia pro peccato eſt*.

15. ANIMA SI PRÆVARICANS CERIMONIAS PER ERROREM, quia ſi fiebat de induſtria pœna erat, vt periret de populo, id eſt, vt puniretur morte, quæ differentia accuratè declaratur Numerorum 15. verſ. 30. & aliquot præcedentibus.

SI IGITVR PECCAVERIT IN HIS QVÆ DOMINO SVNT SANCTIFICATA, vt ſi v. g. laïcus comedat carnes ſanctas, vel aliquid ſanctum ſibi vindicet præter legem.

OFFERET ARIETEM QVI EMI POTEST DVOBVS SICLIS, valentibus circiter duos florenos noſtrates, vnde Hebræum quod habet iam puncta pluralis numeri, videtur punctuandum vt duale.

IVXTA PONDVS SANCTVARII, id eſt, exacti & iuſti ponderis quod in ſanctuario ſeruabatur.

17. ANNA SI PECCAVERIT, &c. FECERITQVE VNVM EX HIS QVÆ DOMINI LEGE PROHIBENTVR, omittendo ſcilicet ceremoniam aliquam ſacram, quæ tamen in nullius damnum cedat, nam de omiſſione damnoſa iam dictum erat verſu 15.

CAPVT VI.

ANIMA QVÆ CONTEMPTO DOMINO NEGAVERIT PROXIMO DEPOSITVM. Recenſet hic caſus iniuriarum in proximum commiſſarum. Porrò omnes iſti caſus negati depoſiti, vi extorti, calumniæ, periurij, intelligendi ſunt de occultis, hoc eſt, externis quidem ſed qui teſtibus conuinci non poſſunt: & hac de cauſa dicitur *contempſiſſe Dominum* qui ſolus occultorum peccatorum iſtorum teſtis erat. Nam pro iniuriis quæ per teſtes in iudicio conuincebantur, aliæ leges erant præſcriptæ Exodi 22. quod ergo verſu quarto dicitur *conuicta delicti*, intelligi debet non per teſtes in iudicio, ſed per remorſum propriæ conſcientiæ. Et ita expreſsè exponunt Philo & Ioſephus locis ſuperiori capite citatis.

6. OFFERET ARIETEM, nempe pro talibus peccatis ſcienter commiſſis: nam quemadmodum talia peccata grauiora ſunt delictis ex ignorantia commiſſis, ita aries præſtantior quàm capra quæ pro peccatis ignoranter commiſſis offerebatur, vt dictum eſt ſuprà.

9. Hæc est lex holocausti. Hactenus de expiatione variorum delictorum hîc incipit ſupplere ritus adhibendos in ſingulis generibus ſacrificiorum. Incipit autem ab holocauſto non quolibet, ſed illo quod iuge ſacrificium dicebatur, quia offerebatur quotidie, manè ſcilicet & veſpere.

Cremabitur tota nocte vsque mane. Spectat peculiariter ſacrificium veſpertinum, vnde ſequitur non debuiſſe ſimul & ſemel imponi altari, & ita abſumi, vt fiebat in cœteris holocauſtis ſed partes ſucceſſiuè imponebantur à ſacerdote hac de cauſa vigilante, & ita pro populo iugiter deprecante, vt tota nocte cremari poſſent.

Ignis ex eodem altari erit. Hebraicè, in eodem altari erit; ſenſus idem eſt, nempe ignem iſtum nòn debere aliunde inferri, ſed eſſe debere eiuſdem altaris & ſacrum qui ſcilicet in eo iugiter cuſtodiebatur & ardebat, vnde LXX. ſenſum reddunt. *Ignis altaris ardebit ſuper illud, non extinguetur*, quam ceremoniam imitatus eſt dæmon excogitatis ad ignis perpetui cuſtodiam veſtalibus. Ignis iſte latiùs deſcribitur v. 12. & 13. Significabat autem quia cœlitus miſſus erat, amorem Dei, quo tamquam igne ſacro & cœleſti cor hominis tamquam altare iugiter ardere debet. Amores reliquarum rerum ignis alienus ſunt, cum quo Deo nihil offerri debet. Ignis iſte quotidie lignis ſubiectis, id eſt, Scripturæ teſtimoniis & patrũ & exemplis, beneficiis diuinis attentè conſideratis, nutriendus eſt ne extinguatur, ita ferè D. Gr. l. 25. Mor. c. 7. latè.

10. Vestietur tunica, illa linea, quam ſacerdotibus omnibus communem eſſe diximus, ſacrâ enim veſte ad ſacratiſſimam ſacrificii actionem peragendam indui decebat: ſub qua actione etiam extractio cinerum ex altari continetur, ſed ad ferendos eos extra caſtra.

11. Spoliabitur prioribus vestimentis, ſacris ſcilicet, vt induatur, vulgaribus, & eos cineres ad favillam consumi facit, non tam propter ipſos cineres qui combuti amplius non poſſunt, ſed propter ea quæ cineribus permixta ſunt, partes lignorum, carbonum, adipis, carnis, oſſium, &c. nihil enim ex holocauſto niſi ſoli cineres ſupereſſe debebat.

12. Et imposito holocausto, nempe iugi, quod ante omnia alia offerebatur, desuper adolebit adipes pacificorum, imponendo eos holocauſto matutino, vt non adoleantur illi ſeorſim, ſed vnà cum illo holocauſto. Idem præſcribitur cap. 3. verſu 5. vbi quod dicitur *adolebunt ea in holocauſtum*, intelligendum, eſt, ſuper holocauſtum, vt patet ex Hebræo.

14. Hæc est lex sacrificii, non cuiuſlibet, ſed farinacei, ſeu minchæ, de quo ſup. cap. 2. ad quod ſignificandum noſter adiecit, et libamentorum, quæ libamenta hîc non dicuntur à libando, ſed à libis & laganis, ex quibus mincha fiebat.

16. Comedet Aaron cum filiis, nempe maribus tantum, vt ſequitur v. 18. vnde nec filiæ eorum, nec vxores, nec ſerui ex iis comedere poterant, ſicut omnes iſti poterant ex hoſtia pacifica, exceptis mercenariis, iuxta præſcriptum c. 22. v. 11.

17. Non fermentabitur, quia pars eius offertur, id eſt, quia eſt vna pars ſacrificii, cuius altera pars in altari oblata fuit, vnde ſicut ante oblationem nil eius fermentari debebat, iuxta legem c. 2. v. 11. ita nec poſt, ſed Sanctum Sanctorum erit, id eſt, ſanctiſſimum cenſebitur illud ſacrificium ſimilæ, ita ſcilicet vt nemo ex eo comedere poſſit alienus, ſicut nec ex ſacrificio *pro delicto atque peccato*, hinc vlterius.

18. Omnis qui tetigerit illa, id eſt, qui illa tangere voluerit, etiam ſacerdos, sanctificabitur, id eſt, curare debet, vt ſit ſanctus & mundus, ab illa ſcilicet immunditia quæ ex contactu rerum immundarum, vt leproſi, &c. contrahitur. Non ergo ſignificatur ſanctificationem à contactu illius ſacrificii manere in tangentem; hoc enim repugnat Aggæi 2. v. 3. ſed eſt præceptum de præmittenda ſanctificatione.

20. Hæc est oblatio Aaron et filiorum eius, id eſt, ſummi Pontificis & cæterorum ſacerdotum inferiorum. Aliqui accipiunt hîc Aaronem pro ſucceſſoribus Aaronis, ſed nihil vetat ſimul & pro ipſo accipi. Cùm enim Leuiticus primo

menſe erecti tabernaculi maxima ex parte dictatus ſit, nec Aaron conſecrari potuerit, niſi illo iam erecto, vt patet Exod. 29. & Leuit. 8 conſequenter ſupplentur hîc cæremoniæ adhibendæ etiam in Aaronis conſecratione.

23. OMNE ENIM SACRIFICIVM SACERDOTVM, intellige ex Hebræo farinaceum pro ſecerdotum conſecratione oblatum, IGNE CONSVMETVR, nam ex pacificis hoſtiis pro eis oblatis aliquid auferri poterat, vt patet de armo, Exod. 29. verſu 26.

26. SACERDOS QVI OFFERT, hoſtiam pro peccato, COMEDET EAM. Non ergo erat diuidenda hoſtia pro peccato aliis ſacerdotibus: ſed cedebat ſoli offerenti & maſculis familiæ eius. Et quia Hebræi ipſam hoſtiam pro peccato ſæpiſſimè ſimpliciter peccatum vocant: hinc illa phraſis, quòd ſacerdotes dicantur comedere peccata populi, maximè quia interceſſione ſacerdorum remiſſio peccati concedebatur, qua phraſi etiam Chriſtus dicitur pro nobis peccatum factus ab Apoſtolo.

27. QVIDQVID TETIGERIT CARNES EIVS, SANCTIFICABITVR, id eſt, aliquid ſanctitatis contrahet, ne iterum vſui profano applicetur, & hac de cauſa, vt res poſſet iterum vſui promiſcuo inſeruire, veſtis erat lauanda ſcilicet à ſanguine ſancto, vas æneum defricandum, vas fictile confringendum, quia quando non eſt illitum & munitum, ſicut olim ſolebat fieri, humorem aut ſuccum carnibus ſanctis facilius imbibit: ſtatuit autem viliorum confractionem, vt legem de immunditia firmiùs ſanciret. Vnde hac lege, inquit Theod. qu. 5. reuerentiam docet, & rebus diuinis cum timore, & procul eſſe aſſiſtendum. Regulam pro contactu rei ſacræ iſtam quidam tradunt, vt ſi res ſacra ſuo contactu ſuccum aut humorem communicaret, res tangens eam ſanctificabatur, aliàs non, vt patet in contactu tabernaculi, veſtium ſacrarum altaris, &c.

CAPVT VII.

1 HÆC QVOQVE LEX HOSTIÆ PRO DELICTO. Diſtinguitur hîc hoſtia pro delicto ab hoſtia pro peccato, de quo latè ſuprà. In quo autem ſita ſit iſta differentia, admodum perplexæ difficultatis eſt. Peccatum Hebræi vocant *catthai*, delictum vero *aſcam*, quæ tamen ipſæ voces videntur ſæpe confundi, imò & in eadem ſententia coniungi, quaſi vna aliam explicaret. Vnde & Latinè peccatum & delictum ſæpè promiſcuè accipiuntur, vt obſeruat Auguſt. q. 20. in Leuit. ſed voces propriè accipiendo idem Auguſt. ibidem diſputando dicit, peccatum eſſe perpetrationem mali, delictum deſertionem boni, id eſt, peccatum eſſe contra præcepta negatiua, delictum contra affirmatiua. Hebræi è contrario volunt peccatum eſſe contra præcepta affirmatiua, quæ ipſi tot enumerant quot ſunt oſſa in corpore humano, ſcilicet 248. delictum contra negatiua num. 365. quot dies continet annus, Gregorius Hom. 21. in Ezechielem peccatum tribuit operibus, delictum cogitationibus. Magis veriſimilis alia ſententia, quam loco cit. affert, & probat ex Scripturis Auguſtinus, eamque ſequitur & Hieronymus in v. 39. c. 48. Ezechielis, peccatum eſſe, quod à ſciente committitur, delictum quod imprudenter, id eſt, ignoranter. Vnde Hieron. & LXX. ibid. in Ezechiele pro delicto vertunt ignorantiam, hîc verò incuriam aut negligentiam, ſed vt dixi etiam in ipſo Leuitico, ſæpè illa duo confunduntur, etiamſi aliquam agnoſci debere differentiam ex hoc verſ. 1. & 7. manifeſtum ſit. Cæremoniæ eædem ſunt hoſtiæ pro delicto quæ hoſtiæ pro peccato, niſi quod hîc iubetur etiam *cauda* offerri verſu 3. intellige ex ouibus; nam ex vitulo aut capra non offerebatur, quod autem ait:

6. OMNIS MASCVLVS VESCETVR, intellige quiſque in vice ſua, quando obtulerit: nam hæc hoſtia, ſicut, & pro peccato pertinet iure ad ſolum offerentem & familiam eius, vt verſu 7.

8. SACERDOS QVI OFFERT HOLOCAVSTI, &c. HABEBIT PELLEM EIVS; quia illa ſola ſupereſt ex holocauſto, & proinde data eſt in ſtipendium ſacerdoti offerenti. De ſacrificio verò ſimilæ ſtatuitur vt

10. MENSVRA ÆQVA PER SINGVLOS DIVIDATVR.

vidatur, non quaſi ſacerdos offerens ſacrificium ſimilæ æqualiter cum cæteris ſacerdotibus partiri deberet, hoc enim repugnat verſui præcedenti, ſed hoc intellige iuxta verſum 6. explicatum, quod ſcilicet menſura æqua erit ſingulorum miniſtrantium, ita nempe vt æquo iure omnia ſacrificia ſimilæ pertineant ad eum, qui ea offeret in vice ſua.

12. Collyridas, ſunt liba frixa.

13. Panes qvoqve fermentatos, non vt in ſacrificium offerantur; eſt enim contra legem cap. 2. ſed vt ſine mutatione ſimplici oblatione offerantur Deo in ſubſidium ſacerdotum.

17. Qvidqvid tertivs invenerit dies, ignis absvmet. Præcipit hoc, ne corruptione carnium vileſceret religio ſacrificii: & vt ait Teodoret. quæſt. 6. vt neceſſitate legis huius compulſi adhiberent pauperes conuiuii ſui ſocios, ne quid ſupereſſet. Porrò carnes hoſtiæ pro gratiarum actione oblatæ primo die conſumi debebant: ex voto verò, vel ſponte oblatæ ſecundo die: quia illa nobilior erat tamquam ex animi gratitudine & liberalitate proficiſcens, hæc verò vel amore beneficii aſſequendi, vel neceſſitate voti.

19. Caro qvæ aliqvid tetigerit immvndvm, poſtquam ſcilicet iam immolata Deoque oblata fuerit; nam ſi ante tetigiſſet immundum, ne quidem Deo offerri poterat non comedetvr, quia non ſanctificaret, ſed polueret ipſum comedentem, sed combvretvr igni, ad reuerentiam ſacrorum, ne eius abiectio cederet in contemptum rei, quæ iam Deo dedicata fuerat.

Qvi fverit mvndvs, vescetvr ex ea, non ſpectat hoc carnem iſtam, quæ tetigiſſet immunditiam, comedi enim non poterat, ſed eſt noua lex de carne hoſtiæ pacificæ, quod patet ex verſu ſequenti, vbi decernitur mors contra pollutum, qui comederit ex hoſtia pacifica. Explicat autem aliquos caſus eiuſmodi pollutionis, vt ſi

21. Tetigerit immvnditiam hominis, id eſt, quæ ex homine prouenit, vt ſi tetigerit cadauer hominis, menſtruatam, lectum eius, &c.

23. Adipem ovis et bovis et capræ non comedetis, in nullo omnino caſu, ſiue immolarentur Deo, ſiue mactarentur ad vſum communem: ratio prohibitionis eſt, quòd iſta ſola animalia quadrupedia eſſent munda ad ſacrificium, vnde in ſui honorem iubet ab adipe, qui offerebatur maximè Deo, abſtineri, etiamſi animal ſibi actu non immolaretur, dummodo eſſet immolabile, & hoc ſignificatur verſu 25.

24. Adipem cadaveris morticini, non bouis, ouis aut capræ, ſed aliorum animalium mundorum ad eſum etſi immunda eſſent ad ſacrificia: talia erant, ceruus, bubalus, caprea, &c. nam adipe talium licebat veſci, exceptis caſibus hîc præſcriptis, ſcilicet ſi ſponte eſſent mortua, vel à beſtiis capta ſeu lacerata.

34. Pectvscvlvm enim elevationis, id eſt, quod eleuatum fuerit coram Deo ritu illo tenupha; de quo diximus Exod. 29. verſu 24. Et armvm separationis, quem iure perpetuo mihi ſeparari præcepi ex hoſtiis pacificis,

Dedi Aaron, &c. in ſuſtentationem eorum. Rationem myſticam loco cit. dedi ex Gregor.

Capvt VIII.

1. Locvtvsqve est Dominvs ad Moysen. Iſto capite octauo narrantur ea in Aarone & filiis eius conſecrandis completa, quæ Exodi 29. præſcripta fuerant. Putant aliqui per recapitulationem narrati ea quæ antè facta fuerant, ſed non eſt neceſſe: nam eodem primo die erectionis tabernaculi poterant, & hæc per ſeptem dies continuatos fieri, & ſimul leges illæ præcedentes de ſacrificiis præſcribi, neceſſe enim erat, vt ſacerdotes ante conſecrationem peractam inſtruerentur de officiis ſuis præcipuis. Videnda ſunt ea quæ diximus ad cap. 29. Exodi, itemque ad cap. 28. de veſtibus Pontificis & ſacerdotum.

12. Qvod fvndens svper capvt Aaron. Hæc effuſio ſuper caput erat propria ſoli Pontifici, cuius ritu ipſe conſecrabatur, ſignificat autem plenitudinem effuſam Spiritus ſancti, & maximè vnctionem

miſericordiæ, qua Pontifex erga alios effe-ctus eſſe debet; vnctio verò minorum ſacerdotum non tam erat vnctio quàm aſperſio facta oleo & ſanguine, quæ fiebat etiam Pontifici, & deſcribitur infrà verſ. 30. & ſignificatur merito ſanguinis Chriſti & oleo, id eſt, gratia Spiritus ſancti vitam noſtram eſſe ſanctificandam. Putant aliqui probabiliter inſuper manus ſacerdotum fuiſſe vnctas oleo ex Exodi 29. v. 9. ſed illa initiatio ſeu conſecratio, & vt Hebraïcè eſt, *impletio* manuum, non neceſſariò ſignificat vnctionem olei, ſed fieri poterat vnctione ſanguinis, de qua fit ibidem mentio verſ. 20. & illâ rerum oblatione, quæ manibus eorum imponebatur verſ. 24. ibidem. Ritus autem hic deſcripti & facti vno die debebant per ſeptem dies repeti, antequam abſoluta eſſet eorum conſecratio, vt ſic aſſueſcerent rebus diuinis, diſcerentque totam vitam ſuam, quæ 7. dierum reuolutione peragitur, conſecratam eſſe bebere Deo.

CAPVT IX.

1. FACTO OCTAVO DIE, qui eſt ſimul octauus menſis primi anni ſecundi, & primus poſt abſolutam conſecrationem Aaron & filiorum eius. Iubenrur igitur hic noui ſacerdotes omne genus ſacrificiis, ſcilicet pro peccato, holocauſtum, pacifica, libamenta, Deo tamquam primitias ſui ſacerdotii offerre, & primò quidem.

2. VITVLVM PRO PECCATO, ſcilicet ipſius Aaronis, in cuius ritu verſu 8. & ſeqq. prætermittitur, quòd ſanguis eius inferretur in tabernaculum, vt præſcriptum fuit c. 4. verſ. 5. ſed intelligendum eſt, quòd ibi tradatur ritus expiandi certum & determinatum peccatum, hic autem tantum in genere, ſimili de cauſa hic v. 15. pro peccato populi *mactauit hircum*, cùm tamen c. 4. v. 14. præſcriptus fuerit vitulus, vel fortè, quia hircus iſte pro principibus ſeu maioribus natu populi oblatus fuit (illi enim vocantur hic v. 1. ad ſacrificium) & pro populo tantum conſequenter, quia expiatio principum proficit populo. Hircus enim propriè offerebatur pro peccato principis cap. 4. verſu 23. vnde & hircus iſte non erat comburendus extra caſtra, ſicut victima pro peccato populi comburi debebat, quod verò hic verſu 4. additur, *in ſacrificio ſingulorum ſimilam offerentes*, intellige in mincha ſeu ſacrificio farreo; hoc enim debebat ſingulis ſacrificiis animalium addi oleo conſperſum ſeu ſubactum, vt præſcribitur cap. 2. & Numer. 15.

15. MACTAVIT HIRCVM, EXPIATOQVE ALTARI, ſcilicet per ſanguinem hirci, quo cornua altaris tingebantur, & ita quodammodo expiabatur vt ſacrificium pro peccato ei imponendum deleret peccatum offerentium. Addidit autem in ſacrificio libamenta, nempe mincham ſeu ſacrificium farreum, vt in Hebræo, & pariter offerri debebat, vt dixi, fecit autem hæc

17. ABSQVE CEREMONIIS HOLOCAVSTI MATVTINI, id eſt, præter iuge ſacrificium quod mane offerri debebat.

23. APPARVITQVE GLORIA DOMINI, per emiſſionem illam ignis ad deuorandas victimas, pro quo videntur Moyſes & Aaron in tabernaculo oraſſe. An autem ignis iſte eruperit ex tabernaculo an ex nube, Scriptura tacet, & Aug. incertum relinquit qu. 30. Scripturæ phraſis ſatis innuit ex adytis tabernaculi prorupiſſe, vt expreſsè dicit Philo l. 3. de vita Moyſis, licet communior ſententia velit de cœlo deſcendiſſe, vt habetur 2. Machab. 2. v. 10. factum eſt hoc à Deo ad teſtandum toti populi ſacerdotium iſtud & ſacrorum ritum à ſe eſſe inſtitutum, & approbatum. Porrò ignis iſte perpetuò poſteà etiam in deſerto à ſacerdotibus alitus fuit, iuxta legem ſuprà datam c. 6. nec vnquam extinctus niſi in captiuitate Babylonica, & ſoluta captiuitate iterum diuinitus accenſus, vt patet 2. Machab. 1. v. 19. & ſeqq.

CAPVT X.

1. ARREPTISQVE NADAB ET ABIV THVRIBVLIS, ad implendum aliud ſacerdotii ſui munus, ſcilicet ad offerendum thymiama quotidianum in tabernaculo, vnde credibile eſt tempus fuiſſe veſpertinum quo thymiama ſolebat adoleri. Erant autem hi duo filii ſeniores Aaron, vt ſatis indicatur Exodi 6. verſu 23.

Posvervnt ignem et incensvm deſvper, ergo occiſi ſunt in ipſo tabernaculo incenſum enim non videtur fuiſſe poſitum, niſi in ipſo altari thymiamatis. Et hoc eſt quod ſequitur eos obtuliſſe, Coram Domino, ſcilicet in arca ſedente.

Ignem alienvm, id eſt, non ſacrum, qui iam diuinitùs accenſus erat, vnde lex de igne ſacro adhibendo videtur iam tum fuiſſe lata, & ſatis ſaltem indicatum fuit ſuprà c. 6. v. 9. Ignis autem non ſacri vſus erat in coquendis carnibus in atrio, & hactenus fuerat etiam in ſacrificiis quæ Moyſes obtulerat in conſecratione ſacerdotum, vnde fortaſſi ex iſta præcedenti conſuetudine & inexperientiâ nouis ſacerdotibus vſitatâ ignem iſtum alienum adhibere voluerunt, quamuis Iudæi putent eos fuiſſe temulentos, & idcirco ſtatim hîc v. 8. vetari vſum vini & omnis potus qui inebriare poteſt. Contendit Caietanus cladem iſtam non contigiſſe eodem die quo Aaron has primitias obtulit, ſed contrarium videtur ſatis indicari verſu 16, & 19.

Qvod eis præceptvm non erat, id eſt, quod vetitum erat, vt ſuprà dictum eſt, aliàs enim non peccaſſent. Vnde falluntur hæretici qui hinc conficere volunt, nihil adhibendum diuino cultui, niſi ſit præceptum.

2. Egressvsqve ignis a Domino, ex ipſo ſcilicet altari thymiamatis, vel etiam ex Sancto Sanctorum cui propinqui erant, nam in ſanctuario occiſos indicat id quod verſus 5. dicuntur eiecti foras.

Devoravit eos, id eſt, occidit, non enim ſolùm corpora non erant conſumpta, ſed nec veſtes læſo; quaſi fulmine igitur afflati & percuſſi ſunt, & verbum Hebraïcum eſt generale ad omnem conſumptionem & occiſionem. Diſputant hic vtrum peccauerint mortaliter an veniáliter: vtrum temporaliter an etiam in æternum puniti ſint? Sed hæc tutius diuino iudicio relinquuntur, nullum enim argumentum alterutrum conuincens adferunt. Nam etſi tantum venialiter peccaſſent tantæ tamen vindictæ ſeueritate noua diſciplina meritò ſanciri potuit, in exemplum aliorum, ſicut etiam Oza arcam ſuſtinere volens morte punitus eſt.

3. Sanctificabor in iis qvi appropinqvant mihi, id eſt, in ſacerdotibus, qui propius ad me accedunt, oſtendam me eſſe ſanctum, & me ſanctè eſſe colendum. Sanctificatus eſt autem Deus hâc pœnâ, quia tali exemplo commendatus eſt timor eius inquit Auguſt. quæſt. 32. in Exodum.

6. Capita vestra nolite dvrare, nempe Cydaris ſeu mithræ depoſitione, vnde LXX. vertunt, *caput non nudabitis cydari*, id eſt, non exhibebitis vlla ſigna luctus propter mortem eorum. Sicut enim in noſtra conſuetudine, qui caput magis apertum habemus, operitur in luctu; ſic quia illi operimento capiti ornabantur, nudandum erat lugentibus, inquit Auguſt. quæſt. cit. Puluerem enim ſolebant capiti lugentes inſpergere, vt patet Iob. 1. & alibi. Sciſſionem autem veſtium ſignum eſſe luctus, paſſim in Scriptura liquet.

7. Vos avtem non egrediemini fores tabernacvli, ſub quo & atrium ſæpè comprehenditur, in quo ſacerdotes manebant. Colligunt hinc aliqui adhuc duraſſe ſeptem illos conſecrationis diês, ſed ex verſu 1. cap. 9. patet contrarium. Vult ergo eos hoc die quo ſacrificiis ſuis primis occupati erant, non debere propter mortem fratrum exire de loco ſacro, eò quòd reliquiæ ſacrificiorum adhuc deberent comedi, vt patet verſu 12. & ſeqq.

Olevm qvippe sanctæ vnctionis est svper vos, quia ſcilicet conſecrati mihi eſtis in ſacerdotes, & ad officia altiora tranſlati, quàm vt ad iſta humana delabi debeatis, vnde verſu 6. populo permittit luctum, non ſacerdotibus.

9. Vinvm et omne qvod inebriare potest, &c. quod Hebræi vno nomine *ſechar* vocant, non bibetis qvando intratis in tabernacvlvm, miniſtrabât enim per vices. Ex quo ſequitur, abſtinentiam illam in initio fuiſſe penè perpetuam, quia præter Aaron non erant niſi duo ſacerdotes, poſtea multiplicato numero fuit interruptio. Cauſa legis additur.

Vt habeatis scientiam discernendi, &c. id eſt, vt ritè omnibus officiis diuidis fungi poſſitis, ſiue in diſcernendis re-

bus ſanctis à prophanis, ſiue in docendo populo, immodicus enim vini vſus ad quem ex modico vſu facile delabimur, impedit mentis officia.

12. TOLLITE SACRIFICIVM, farreum ſeu farinaceum, vt eſt Hebraicè, ET COMEDITE IN LOCO SANCTO, atrio ſcilicet tabernaculi, qui paulò poſt vocatur etiam *locus mundiſſimus*, vbi comedere debeant hoſtiam pacificam, non ſolùm maſculi vt fiebat in hoſtia pro peccato, ſed etiam filiæ: fœminæ enim non erant ab eſu hoſtiæ pacificæ excluſæ. Datur autem armus, & pectus ſacerdotibus, ET QVOD ARMVM, ET PECTVS, ET ADIPES ELEVAVERVNT, id eſt, pro miniſterio, quod exhibuerunt in offerendo armo, pectuſculo, & adipibus, volo vt armus, & pectus ipſis cedant, adipes mihi, reliquæ carnes laicis offerentibus.

16. HIRCVM EXVSTVM REPERIT, non caſu, ſed ex propoſito, quia propter luctum eum comedere non potuerant, vt indicatur v. 19. comedi tamen debuerat, quia non erat ex illo genere hoſtiæ, quæ tota crema retur extra caſtra; nam ſanguis eius non fuerat illatus in Sanctum, de quo cap. 6. verſu vltimo, & toto capite quarto.

CAPVT XI.

2. HÆC SVNT ANIMALIA QVÆ COMEDERE DEBETIS, Diſtinguuntur hoc capite animalia munda ab immundis: munda inquam, non ad ſacrificium, ſed ad eſum. Cauſæ diſtinctionis huius variæ ſunt: Prima eaque præcipua, morum informatio, non enim animalia quædam immunda dicuntur naturâ ſuâ, ſed ſignificatione, vt Aug. l. 6. contra Fauſtum c. 7. quia ſignificat mores, vel homines immundos. Hanc rationem omnes penè patres tetigerunt, qui de hac re ſcripſerunt, vt Irenæus, Clemens Alexandrinus, Orig. Auguſt. Cyrill. & alii. Secunda cauſa, quæ ex prima naſcitur, fuit prophetia noui Teſtamenti; tempus enim tunc erat quo non tantum dictis, ſed & factis prophetari oporteret ea quæ poſteriori tempore fuerant reuelanda, vt Aug. ibid. Nam ſicut in figuram contingebant illis ea quæ patiebantur, ita in figuram accipiebant ea quæ monebantur, vt omnia illa præcepta carnali populo impoſita futuram diſciplinam ſpiritualis populi prophetarent, quos ſcilicet mores Eccleſia, quæ eſt corpus Chriſti in ſuæ vnitatis vinculum ſtabile, & ſempiternum recipere non poteſt, tanquam immundas eſcas reſpuens, & in ſua viſcera non conuertens, vt idem Aug. lib. contra Adimantum c. 15. Tertia cauſa eſt, vt in omnibus ſeruituti legis ſubiicerentur, vt author quæſtionum apud Iuſtinum qu. 35. & ita ſemper Dei etiam in cibis eſſent memores. Quarta, vt opiniones Ægyptiacas, quibus aſſueuerant, exterminaret: nam quia Ægyptii penè omnibus animalibus diuinos honores tribuerent, munda mactari permiſit, immunda comedi vetuit, ita docens vtra que eſſe indigna appellatione diuinâ, vt idem Author quæſt. cit. Quinta vt eos doceret temperantiam, idque duobus ex capitibus quæ tanguntur à Clemente Alexand. primò, quia innumerabilium eis rerum vſum abſtulit, adeo vt eis omninò pauca reſtarent ad alimentum, inquit, lib. 2. Pædagogi cap. 1. deinde quia veſci prohibuit nonnullis, quæ ſunt delicatiſſima, vt inter quadrupedia, carnibus ſuum, inter piſces verò, iis qui carent pinnis & ſquammis: carnium enim bonitate & pinguedine, hi aliis piſcibus antecellunt, inquit lib. 2. Stromatum cap. 9. quod in multis piſcibus marinis veriſſimum eſt: vt meritò operam ſuam perdere videantur, qui conantur oſtendere omnia animalia hîc prohibita eſſe mali ſucci.

3. OMNE QVOD HABET DIVISAM VNGVLAM ET RVMINAT, hoc eſt, duo iſta ſimul debet habere animal, quod ſit mundum ad eſum, ſcilicet vngulam diuiſam & ruminationem: adeò vt omne animal quod vel vngula careat, vel eam non diuidat, vel non ruminet, à cibis abiiciendum ſit. Hæc eſt prima regula de quadrupedibus. Conantur multi rationem naturalem huius, & aliarum prohibitionum petere ex diſtemperie animalium prohibitorum ad nutrimentum. Vetari ergò volunt ea quæ carent vngulis, quia nimis humida ſunt: quæ non diuidunt, ſed ſoli pedia ſunt,

vt equi, aſini, &c. quia nimis dura & ſicca: quæ non ruminant, quia digeſtionis non ita bonæ. In pleriſque hoc verum eſt, non in omnibus. Ratio præcipua eſt ad ſignificandum, immundos eſſe homines, neque in æternam ædificationem corporis Chriſti admittendos, qui non ruminat, id eſt, qui etſi libenter audiant verba ſapientiæ, poſtea de his omninò non cogitant, & ipsâ à tali bus carnalibus abſtinentiâ, tale vitium nos cauere præmonuit, inquit Auguſtinus 6. contra Fauſtum cap. 7. eandem ferè rationem dant Ariſtæas, & Irenæus lib. 5. cap. 8. & alii paſſim, vngulam autem diuidunt, qui firmo gradu innocentiæ, & omnis virtutis itinera conficiunt; eorum enim quæ in duas vngulas pedes diuidunt, longè firmior inceſſus eſt, dum vna vngula ſubbaiulat alteram, & in veſtigii ſoliditate retinet, & facilius terræ infiguntur: vide latiùs Irenæum applicantem hæc Iudæis, Hæreticis, Ethnicis, itemque Clementem Alexand. lib. 7. Strom. cap. 10.

5. Chœrogryllvs. Hebraicè eſt *ſap' an* quod licet pro cuniculo communiter ſumatur, ex etymo tamen ſignificat animalia, quæ ſe abſcondunt in antris, vel aliter, & iſta cauſa eſt, cur in ſcripturis vertatur diuerſis modis, etiam lepuſculus, & hericinacius. Eſt autem chœrogryllus, authore Beda in cap. 30. Prouerb. animal non maius hericio, habens ſimilitudinem muris & vrſi, cuius in Paleſtinæ regionibus magna & abundantia, in cauernis ſemper habitans, vnde videtur eſſe idem cum herinacio, vt noſter tranſtulit. Pſal. 103. & non abludit ipſa vox, χοιρόγρυλλος enim dicitur quaſi petrarum, ſeu rupium porcellus. Significant autem hæc quatuor quadrupedia quatuor immunda hominum genera. Camelus tanquam globoſus ſuperbos, vt ſanctus Iſidorus c. 9. in Leuit. ex Nouatiano (qui exſtat in operibus Tertulliani) homines informes & criminibus tortuoſos: Chœrogryllus, tamquam qui vaſtent agros, homines ex rapto viuentes: Lepus libidinoſos: fertur enim inſano ſtupore in venerem vt Clemens Alexand. l. 2. Pædag. c. 10. & authores hiſtoriæ naturalis paſſim notant: Sus eos qui corporalibus & ſordidis vitiorum voluptatibus gaudent, vt Iſidorus ibidem, & Clemens lib. 3. Pedag. cap. 11. vide plura cap. 3. lib. 7. Strom.

9. Omne qvod habet pinnvlas et sqvammas, comedetis. Hæc eſt ſecunda regula de piſcibus. Rationem dant, quia tales ſunt ſicciores, carneque denſiore & minus viſcoſa, quàm qui vtriuſque, pinnulis ſcilicet, & ſquammis carent, vt patet in anguillis. Ratio tamen non eſt vniuerſalis vt manifeſtè liquet in ſoleis, rhumbo & ſimilibus, quæ quamuis careant, ſquammis, vel pinnis, carne ſunt ſicca & ſolida. Ratio ergò moralis eſt, vt ſignificetur eos immundos, & vitandos eſſe qui rebus ſæcularibus ſemper immerſi emergere nequeunt, neque mentem ad ſuperna erigere, inſtar piſcium pinnis, ſquammis carentium qui plerumque in profundo limo verſantur, ſegnes ſunt, & parum notant, vt Cyrill. lib. 4. in Iulianum, & in fine lib. 7. in Leuit. cui conſonat S. Gregor. lib. 5. Moral. cap. 8. aliàs 6.

13. Hæc svnt qvæ de avibvs, &c. D. his nulla datur certa regula, ſed tantùm variæ ſpecies vetantur, partim quia cibis immundiſſimis veſcuntur, vt cyconiæ bubones, noctuæ, veſpertiliones, vpupæ; partim & maximè, quia carniuoræ ſunt, & rapto aliarumque auium iniuriis viuunt: quæ verò permittuntur ferè ſunt manſueta & pura, frumentoque, ac ſeminibus viuunt, vt notat Ariſtæas, vnde generaliter ſignificatum fuit, talium immundorum animalium mores eſſe vitandos, vt Iſidor. c. 9. in Leuit.

Et gryphen. Hebraicè *peres*, ab aduncis, & magnis vnguibus, & roſtro, vnde & Græcè γρυπὸς, aduncus, inflexus. Origenes l. 4. Periarch. c. 2. apertè dicit gryphem nunquam eſſe repertum, ſed intelligit gryphem, quaſi deſcribitur ab Herodoto. Pauſania, Solino, & aliis corpore leonino, quatuor pedibus, &c. qui reuera videtur eſſe fabuloſus. Itaque cùm gryps hîc ponatur inter aquilam & haliætum quæ eſt vna ſpecies aquilæ, videtur eſſe genus aquilæ maximum, vnguibus roſtroque præ cæteris

aduncum, quod nomen gryphus ſignificat, ideoque rapaciſſimum, fortaſſis illud quod Ariſtoteles lib. 9. de hiſtoria animalium ponit ſextum genus corpore maximum, colore fuluum.

Et haliæetvm, id eſt, aquilam marinam, quod quintum genus aquilæ ab Ariſtotele ponitur: & deſcribitur à Plinio eſſe clariſſimâ oculorum acie, librans ex alto ſeſe, viſoque in mari piſce præceps in eum ruens & diſcuſſis pectore aquis rapiens: idque tanta auiditate, vt teſte Ariſtotele, cùm ferrè nequeat prædam, ſubinde in gurgitem demergatur.

16. Strvthionem. Auis eſt gemebunda, vt patet Michææ 1. verſ. 8. Deſcribitur accuratè Iob 39. v. 13. & ſeqq. vbi patet eſſe obliuioſiſſimam & ſapientia deſtitutam, vt meritò propterea inter immundas numerata ſit.

Et larvm. Larus, vt volat in aëre, ita & in aquis natat, vnde piſcibus rapiendis inſidiatur, deditque prouerbio locum *larus hians*. putant Belgis vocari *een meeu*.

17. Et ibin. Auis eſt Ægyptiis nota, cui hæc immundities peculiaris eſt quod roſtri aduncitate adhibens aquam ſalſuginoſam per eam partem ſe proluit, qua cibi egeruntur. Vnde Ægyptii ex ea clyſteris vſum didicerunt, vt ſcribit Plinius & alii.

18. Et onocrotalvm. Ab onos id eſt, aſinus, & crotalum, id eſt, crepitaculum, propter abſonam & rudem vocem. lxx. vertunt pelicanum, vt etiam nos habemus in Pſal. 101. Conueniunt authores Oppianus & alii eſſe voracem, & habere ingluuiem, ſeu ſinum ante pectus dependentem, in quem cibum piſces integros, immo conchas recondat, vt maceratas & apertas reuomat, & pulpam deuoret. Magnitudine eſt inſtar cygni collo & roſtro longiſſimo.

Et porphyrionem. A porphura id eſt, purpura, ſeu colore roſtri & crurum nomē habet, magnitudine eſt gallinæ, cryſtam habens in capite, crura longiora. Solo morſu bibit, iuxta Plinium, omnem cibum aqua tingens, & pede ad roſtrum afferens. Paſſim tamen commendatur eius caſtitas, vſque adeo, vt Tzetzes in Græco epigrammate dicat ita eſſe temperantem, vt ſi ſolum videat meretricem, ſtatim moriatur. Oppianus addit, nunquam palam coniugi miſceri, adulterium hominum ſagaciter deprehendere, & ſua nece illud prodere.

19. Herodionem. Auguſtinus in Pſal. 103. legit fulicam, Lyranus putat eſſe falconem, alii aquilam. Mirum eſt quid ſibi velint, qui dicunt Ariſtotelem & Plinium eius non meminiſſe: Ariſtoteles enim lib. 9. c. 1. tradit eum bellum gerere cum aquila: & tria ponit eius genera. Cuius verba ferè deſcribens Plinius, herodium transfert ardeam quod ſatis conuenit cum Suida, qui paluſtrem eſſe tradit. Vox Hebraica *caſida* miſericordem ſignificat, vnde aliqui putauerunt eſſe ciconiam, quæ à pietate in parentes commendatur.

Et charadrion. Græca vox à charadra, id eſt, vorago, cauerna, qualem facit terræ motus, vel aquarum eluuio, quia in eiuſmodi locis auis illa habitat vt Ariſtoteles l. 9. de animalibus, qui eam deſcribens, Charadrius, inquit, colore & voce paruus eſt, noctu apparet, & diem fugit: vnde meritò inter immundas relata eſt.

Ivxta genvs svvm, id eſt, iuxta totam latitudinem ſuæ ſpeciei, quod de omnibus ſupradictis auibus debet intelligi: multa ſunt enim genera, id eſt, ſpecies v. g. aquilarum, quas Ariſtoteles ſex enumerat, item accipitrum, cornicum, ſeu coruorum.

Vpvpa à ſono vocis ſic dicta eſt. Semper enim inſtar cuculi eandem vocem ingeminat. Auis eſt ſatis communis, nidum ſordibus humanis circumlinit, mures, muſcas & vermes venatur. Iſidorus l. 12. Orig. c. 7. auem ſpurciſſimam vocat, quæ ſemper in ſepulchris & humano ſtercore commoretur. Tropologicas, ſeu morales rationes prohibitionis omnium iſtarum auium, vide deductas apud D. Thom. 1. 2. quæſt. 110. ar. 6. ad 1.

20. Omne de volvcribvs qvod gradítvr svper qvatvor pedes, id eſt, quidquid habet alas, vt videatur eſſe de auium genere; ſed tamen habet quatuor pedes æquales, ita vt non ſaliat, ſed gradiatur ſuper illos, immundum erit; quia

velut monſtrum degenerat in terreſtre animal; ſi autem ſaliat, habet aliquid aërei, ratione cuius inter munda, velut volucre cenſeri poſſit.

22. Vt est brvchvs, &c. Quatuor hic ponuntur locauſtarum ſpecies, inter quas bruchus dictus à brucho, id eſt, rodo, quia ingenti volans multitudine fruges radicitus exedit, vt paret Ioëlis 1. verſ. 4. & Nahum. 3. v. 16. Heſychius teſtatur à Cypris viridem locauſtam vocari bruchum.

Attacvs alio nomine vocatur attelabus, quem Heronymus ita deſcribit in verſum 17. cap. 3. Nahum: Parua locuſta eſt, inter locuſtam & bruchum, & modicis pennis reptans, potius quam volans, ſemperque ſubſiliens; & ob hanc cauſam vbicumque orta fuerit, vſque ad puluerem cuncta conſumit, quia donec creſcant pennæ, abire non poteſt.

Atqve ophiomachvs, quaſi cum ſerpentibus pugnans, quod & lacertis competit, ſed hic eſt locuſtæ ſpecies. Comedebantur iſta locuſtarum genera vt ex Ioanne Baptiſta patet, ſed ferè non niſi apud Orientales & Lybes, vt notat Hieron. lib. 2. contra Iouinianum, idque propter ingentem earum in illis locis multitudinem: ad quas ſi compellas Phrygem & Ponticum, nefas putabit. Alimentum enim iſtud dicitur vitam abbreuiare, pediculos & morbos gignere.

Qvi tetigerit illvd, animal ſcilicet non ruminans ac diuidens vngulam, contaminabitvr. Intellige autem de cadauere animalium non ruminantium. Nam viua tangi poterant, vt æquitando in aſinis & mulis.

27. Qvod ambvlat svper manvs, id eſt, quod loco pedum anteriorum habet, quaſi manus, vt vrſus & ſimia, immvndvm erit.

29. Crocodilvs. Animal eſt lacertæ ſimile, ſed ingenti magnitudine, vtpote ſubinde ſeptemdecim, vel octodecim cubitorum, Ægyptiis & Indiæ orientali ferè proprium, de quo plura Solinus, Plinius, Ariſtoteles, & Scaliger contra Cardanum exercitatione 196.

30. Mygale, ex μῦς, id eſt, mus, & γαλῆ, id eſt, muſtella, quia murem magnitudine, muſtellam ſpecie refert, diciturque mus araneus, abundat in Britannia.

Chameleon. Animal Europæis ignotum, in Aſia & India ſatis frequens, dicitur quaſi terrenus, ſeu humi repens leo. Magnitudine eſt lacertæ, ſuillo roſtro, capite quaſi leonino, aduncis vnguibus, ore ſemper hiante: vnde aliqui putarunt aëre viuere, ſed hoc falſum eſſe, multis experientiis probatum eſt, vt nouiſſimè teſtatur Scaliger exercitatione citatâ: nam linguæ repentino & momentaneo motu muſcas capit. Addit & hoc, colores eius, non propriè mutari ad aliarum rerum præſentiam, vt vulgò dicitur, ſed viridem colorem, qui ei naturalis eſt, fieri vel intenſiorem, vel dilutiorem, atque ita temperari iuxta colores præſentes.

Stellio, à colore nomen habet. Eſt enim tergore pictus lucentibus guttis in modum ſtellarum, vt Iſidorus lib. 12. Orig. cap. 4. de quo Ouidius

Aptusque colori
Nomen habet, variis ſtellatus corpore guttis.

Similis eſt lacertæ, ſed multò minor, vinit rore, & araneis, vt Ariſtoteles, morbo comitiali remedium præbet præſens cute ſua, quam quotannnis exuit: ſed vt hominem ea fraudet, ſtatim deuorat, vnde Iuriſconſultis crimen ſtellionatus, eſt crimen impoſturæ ac doli. Quid per iſta tropologicè vetetur, vide apud ſanctum Iſidorum in Leuit cap. 9. ex Nouatiano qui extat in fine operum Tertulliani.

31. Omnia hæc immvnda svnt, ſcilicet reptilia nominata, & quidem omnia, non ſolum mortua, ſed etiam viua, vt patet ſuprà cap. 5. verſ. 2. alia animalia immunda poterant viua ſine contaminatione tangi. Ratio diuerſitatis eſt, quòd reptilia ferè ſunt venenata & fœdita, quia plerumque in antris latitant.

34. Omnis cibvs, &c. si fvsa fverit svper evm aqva. Non quælibet, ſed quæ tetigerit vas prædictis modis pollutum, vt indicat Chaldæus, & annotat Aug. q. 37. in Leuit. & Theodor. q. 12. nam ſine aqua ci-

bus lixari non poteſt: quod tamen moris erat etiam in ſacrificis pacificis. Sic in ſequenti membro *quod bibitur de vniuerſo vaſe*, intellige, ſimiliter priùs polluto. Res tamen ſiccæ non videntur fuiſſe pollutæ, quia nihil de illis ſtatuitur.

36. FONTES VERO ET CISTERNÆ. Eſt exceptio à priori lege, vt ſcilicet non polluantur etſi res immunda in eos ceciderit. Hæc exceptio neceſſaria fuit, propter aquarum huiuſmodi neceſſitatem & ſæpè penuriam: vnde ſimilis quoque fit de ſeminibus, ſiue creſcentibus adhuc in ſegete, ſiue ſeorſim excuſſis. Niſi fortè antè fuiſſent aquis perfuſa; tunc enim polluebantur, quia immunditia facilius penetrat ſemina madefacta.

39. SI MORTVVM FVERIT ANIMAL QVOD LICET COMEDERE. Intellige ſpontè mortuum, vel à bruto occiſum. Homini enim licebat illud occidere ad comedendum, & conſequenter tangere.

QVI TETIGERIT CADAVER, &c. QVI PORTAVERIT, &c. addunt pleriqne legem hanc non intelligi de tactu vel portatione voluntaria, eò quòd talis ſupplicio plecteretur, ſed de iis tantum qui portarent inaduertenter, aut ignoranter. Verùm contrarium expreſsè præſcribitur de cadaueribus adhuc magis immundis hoc eodem cap. v. 25. aliquando enim neceſſe erat illa tangere, vel portare etiam voluntariè. Itaque videtur intelligi de tactu & portatione, ſine iſta cauſa. Alioqui enim ſi omnino ex propoſito fieret, fuiſſet contemptus legis magis ex ſuperbia, & conſequenter ſupplicio dignus, vt ſtatuitur Numerorum 15. verſ. 30.

41. OMNE QVOD REPTAT. Tres hic ſequuntur leges generales: prima de reptilibus his ipſis verbis. Secunda *quidquid ſuper pectus quadrupes graditur*, quia ſcilicet pedibus ita breuibus nititur, vt ſimul pectore & ventre innitatur terræ, vt nonnulla ſerpentium genera. Tertia in illis verbis, *& multos habet pedes*, eſt enim hæc lex diſtincta hoc ſenſu: Quidquid multos habet pedes, plures ſcilicet quàm quatuor, vt ſunt pleraque vermes, ſiue per humum trahitur, vt lumbrici & reptilia, non comedetis. Totius autem prohibitionis duplicem Deus affert rationem: primam petitam ex ſanctitate Dei, cui nihil conuenit niſi purum & ſanctum. Vnde illam externam puritatem in eis poſtulat, vt manu ducerentur ad intelligendum quanta, puritas à vitiis per varietatem illorum animalium ſignificatis in homine requiratur. Secundam ex beneficentia in ipſos, magno ſcilicet illo beneficio eductionis ex terra Ægypti: quod non alia de cauſa eis præſtitit, niſi vt eſſent populus Deo illi ſanctiſſimo colendo dedicatus.

CAPVT XII.

1. MVLIER SVSCEPTO SEMINE PEPERERIT MASCVLVM. Triplex eſt hic expoſitio. Prima Ianſenii cap. 10. Concordiæ, & quorumdam hebraïzantium qui per ſemen intelligunt non principium prolis, ſed ipſam prolem ſicut frequenter ſumitur in Scripturis, vt in illa celebri prophetia *In ſemine tuo benedicentur*, &c. vt ſenſus ſit, ſi mulier ſuſceperit prolem, vel iuxta Hebraïcum, eodem ſenſu, ſi fecerit ſemen, ſeu prolem eamque peperit, &c. atque ita volunt hanc legem etiam Beatæ Virgini conueniſſe. Altera eſt LXX. & textus noſtri, qui ſemen intelligunt virile quod ſuſcipitur, vt illis verbis exprimatur modus conceptionis ordinarius: cum qua conuenit in re ipſa etiam tertia expoſitio ex textu Hebraïco, qui propriè legit, *Mulier ſi ſeminificauerit*, ſeu *fecerit, ſemen*, intellige illud quod ſolet mulier ad generationem prolis conferre. Et ita verbum iſtud propriè ſumitur Geneſ. 1. verſu 11. itemque 12. ſecundum quas duas expoſitiones maximeque ſecundam quæ ſecum trahit & coniunctam habet tertiam, beata Virgo nullo modo comprehenditur. Et ita intellexerunt ferè antiqui Patres, vt ex profeſſo Origenes Homil. 8. in Leuiticum, Baſilius in verſum 14. cap. 7. Iſaiæ, Chryſoſt. Homil. in occurſum Domini, Cyrillus lib. 2. de fide ad Reginas. Senſus eſt, Mulier ſi communi concipiendi modo per ſuſceptionem ſeminis virilis ac ſui conceperit, &c. Quod autem Abulenſis obiicit hanc purificationis legem non tam

ſtatu

ſtatui propter ſeminis ſuſceptionem quàm propter naturalem ſanguinis & ſordium purgationem, quæ puerperis naturalis eſt & perpetua: hanc autem etiam in Virgine locum habuiſſe, & ita lege fuiſſe comprehenſam; non videtur eſſe verum. Nam quemadmodum conceptus ſine concubitu fuit ita & partus ſine dolore & ſordibus, vt docet Aug. lib. de quinque hæreſibus c. 5.

IMMVNDA ERIT 7. DIEBVS, ita ſcilicet vt lectus, vaſa, & quæcumque tangeret, immunda fierent.

IVXTA DIES SEPARATIONIS MENSTRVÆ, id eſt, iuxta eumdem dierum numerum & immunditię modum, quo mulier menſtruis laborans ſeptem diebus immunda eſt & ſeparari debet à ciuili conſortio, ne omnia coinquinaret, ſicut præſcribitur infrà capite 15. verſ. 19. & ſeqq.

14. IPSA VERO TRIGINTA TRIBVS DIEBVS, diſtinctis ſcilicet ab illis 7. præcedentibus, ita vt ſimul fiant dies quadraginta.

MANEBIT IN SANGVINE PVRIFICATIONIS, quo nempe aſſiduè per illos dies purgatur. Manebit autem in illo ita videlicet, vt tactu rerum ſacrarum, vt notat Auguſtinus quæſt. 39. in Leuit. & à ſanctuario, id eſt, atrio arceatur, etiamſi non ſeparetur ab hominum conuerſatione. Tradit enim Franciſcus Valeſius duplicem puerperis fieri euacuationem, ſeu purgationem, primam ſanguinis copioſè fluentis, vt ſingulis menſibus fieri ſolet: alteram aliorum excrementorum, inquit, cum exiguo ſanguine paulatim fluentium. Vtraque euacuatio breuiter inſinuatur. Nam ratione primæ purgationis ſtatuitur immunditia 7. dierum inſtar menſtruatæ: ratione ſecundæ, immunditia 33. dierum qui ſimul efficiunt 40. Tempus autem hoc duplicatur in partu fœminæ, non quod exactè tanto diutius duret purgatio, ſed quia illud tempus ſaltem non exceditur. Cauſa verò diuerſitatis eſt, vt idem Valeſius tangit, quia fœminæ humidiores & excrementoſiores ſunt quàm maſculi, vnde, inquit, neceſſe eſt earum quoque principia in hortu humidiora, & diuturniorem fore purgationem: ſicut ex hiſce Moyſis verbis in primis conuincitur. Cùm verò expleti fuerint dies purificationis, ſiue

6. PRO FILIO, SIVE PRO FILIA Referenda ſunt hæc verba ad id quod præceſſit *dies purificationis ſuæ*, non ad id quod ſequitur, *deferet agnum*. Significatur enim poſt finitos dies purgationis qui pro partu ſiue filii, ſiue filię præſtituti ſunt agnum eſſe deferendum: non autem quod agnus pro filio, aut filia, deferatur, & offeratur quaſi ad purgationem peccati originalis. Hoc enim iam circumciſione, octauo die purgatum erat. Senſus iſte clarius ex Hebręo colligitur: tametſi D. Aug. qu. 40. magis putet pro prole fuiſſe agnum oblatum ex Euangelio Lucæ 2. vbi dicitur, *vt facerent ſecundum conſuetudinem legis pro eo*, ſcilicet puero Ieſu. Sed ibi reſpicitur non ad hanc oblationem agni, ſed ad oblationem & redemptionem ipſius pueri tamquam primogeniti: quæ lex ab hac diuerſa eſt. Quamuis eodem tempore ſimul vtraque lex impleretur.

DEFERET AGNVM IN HOLOCAVSTVM, ad offerendam ſimul ſe totam & prolem in obſequium Dei, qui incolumitatem ſibi, & ipſam prolem donauerat, ET PVLLVM COLVMBÆ, &c. PRO PECCATO. Peccatum intelligendum videtur, & propriè dictum, ſi quod à prægnante vel pariente admiſſum fuerit, & maximè legale; peccatum autem non prolis, vt iam dixi, ſed matris, ſicut hæc colliguntur, ex v. 7. vbi dicitur quod *ſacerdos orabit pro ea*, ſcilicet muliere, & quod ſic mundabitur per talem hoſtiam.

7. A PROFLVVIO SANGVINIS SVI, id eſt, ab immunditia orta ex illo profluuio, quam duplicem ſuprà indicauimus. Nam ipſum profluuium iam ſanatum erat, antequam agnum deferret.

8. QVOD SI NON INVENERIT MANVS EIVS, id eſt, ſi pauperior fuerit quàm vt emere poſſit agnum in holocauſtum, SVMET DVOS TVRTVRES, &c. ita fecit B. Virgo in teſtimonium paupertatis ſuæ. Meritò autem hanc exceptionem legis facit Deus, quia vt Nazianzenus Orat. 4. nihil apud Deum magnum quod non pauper quoque donare poſſit. Nam etſi in cæte-

ris rebus inter diuitias, & paupertatem interſit: in donando tamen, ille ditior, qui promptior & alacrior.

CAPVT XIII.

1. DIVERSVS COLOR SIVE POSTVLA, AVT QVASI LVGENS QVIDPIAM. Tria hîc ſigna exprimit, mutationem coloris natiui, puſtulam ſeu tumorem aliquem, & lucens quidpiam, id eſt, fulgentes furfures ſeu ſquammas. Dantur autem iſta ſigna non adhuc lepræ, ſed tantùm talia ex quibus aliquis ſuſpicari poſſet, ortam eſſe lepram. Vnde quod dicitur, *id eſt lepra plaga*, ſenſum habet vt videatur eſſe plaga lepræ. Hebraïcè, *in lepram*, id eſt, ſimilitudinem lepræ: & ſic lepra hoc capite paſſim ſumitur pro affectione carnis habente ſimilitudinem lepræ.

ADDVCETVR AD AARON, tamquam præfectum ſanctuarij, vt diſcernat, quis ab eo tamquam immundus arceri debeat, vel vt mundus admitti. Vnde typum geſſit ſacerdotum nouæ legis, quibus, inquit Chryſoſt. lib. 3. de ſacerdotio, non corporis lepram, ſed animæ ſordes, non probare, ſed purgare conceſſum eſt.

3. QVI CVM VIDERIT PILOS IN ALBVM MVTATOS COLOREM. Prima lepræ ſpecies: quæ à medicis iuxta F. Valeſium dicitur lychen, ſeu impetigo, neque tam eſt vera lepra hodierna quàm ſpecies ſcabiei, ſerpit ad alias partes, vnde vocatur etiam lepra volatilis. Oritur ex pituita ſalſa, cui aliquando atra bilis miſcetur, vnde fit vt cutis ex ſalſetudine fiat ſiccior & contractior, adeoque *humilior carne reliquâ*. Hinc cutis fit candida ex pituita, & reddit pilos ſibi ſimiles, id eſt, albos: cùm enim pili naſcantur ex humoribus, non mirum ſi ex corruptis color mutetur, vtrumque ſignum præſcribitur hîc verſu 3. & ſæpè inferiùs.

AD ARBITRIVM EIVS SEPARABITVR, à conſortio hominum tamquam lepra contaminatus. Clariùs hunc ſenſum indicant Hebræa & LXX. qui legunt, *inquinabit eum*, id eſt, inquinatum lepra pronunciabit, quod eſt cauſa ſeparationis eius. Ita ſæpè in his materiis ſumuntur verba mundandi, inquinandi, polluendi, contaminandi, &c. vnde verſum 6. 11. 14. 20. &c.

4. SIN LVCENS CANDOR FVERIT IN CVTE. Proponitur hic caſus lepræ dubius, vbi eſt ſolus candor in cute, nulla autem cutis depreſſio vel pilorum mutatio. Ad dignoſcendum ergo an ſit lepra, RECLVDET EVM SEPTEM DIEBVS. Vtrum in loco ad hoc deſtinato an verò in propria leproſi domo, vt quaſi immundus ſeorſim viueret, ex Scriptura non conſtat. Si ergo color cutis fieret obſcurior, & non creſcerent maculæ.

6. MVNDABIT EVM, id eſt, mundum declarabit, quia eſt ſolum ſcabies; quod ſi poſt declaratam munditiam creſcerent maculæ.

8. IMMVNDITIÆ CONDEMNABITVR, quia recidiua illa ſignum eſt infectionis ſtabilis & radicis vitiatæ. Et hæc poteſt ſtatui ſecunda lepræ ſpecies, vbi eſt ſola macularum repetitio, & maior diffuſio.

10. IPSA CARO QVOQVE VIVA APPARVERIT. Tertia ſpecies, quæ præter cutis pilorumque mutationem, habet *quod caro viua* appareat, id eſt, quod ipſa quoque caro ſub cute vel detracta cute appareat ſimilis cuti & capillis, nempe, albi coloris.

11. LEPRA VETVSTISSIMA IVDICABITVR, tamquam inhærens non tantum cuti & capillis, ſed etiam ipſi carni quę ſimul infecta eſt: ideoque peior eſt præcedentibus. Vocatur iſta ſpecies elephantia, iuxta Valeſium. An autem caro ſit leproſa, iubet Auicenna & Paulus Ægineta explorari punctione acus & confricatione. Si enim, inquiunt, caro puncta non ſanguinem ſed liquorem album emittat, vel confricata non rubeat, lepra eſt inſanabilis, quia ſalſedo humorum ipſam quoque carnem penetrabit & corrupit. Quæ ſanè cum hac lege Leuitici ſatis conueniunt.

12. SI AVTEM EFFLORVERIT DISCVRRENS LEPRA. Multi ponunt hîc quartam ſpeciem lepræ, quam vocant *mundiſſimam*, id eſt, non contagioſam. Sed eos falli patet ex Hebræo, vbi loco illius, *tenebri lepra mundiſſima iudicabit*, textus habet, *mũdabit eum*, id eſt, mundum à lepra pronunciabit. Et hoc vult indicatum noſter textus. Nam vt diximus ſuprà: lepra hîc ſæpę ſumitur

pro vitio de quo dubitari poſſet an ſit lepra. Cauſa verò munditiæ hîc indicatur, *eo quod omnis cutis in candorem verſa ſit.* Hoc eſt enim ſignum eſſe tantùm validam purgationem naturę, quę vndequaque malum expellit, vt fit in magna ſcabie, variolis, &c. nihil enim potius cenſent medici, quàm vt cacochymiæ abundantes erumpant. Quòd ſi verò apparuerit in eo

14. CARO VIVENS, ita ſcilicet vt ſparſim per corpus appareant quaſi maculæ carnis viuæ inter albedinem cutis reliquæ, pollutus lepra iudicabitur. Et hæc eſt quarta ſpecies lepræ.

16. QVOD SI RVRSVM VERSA FVERIT IN ALBOREM, id eſt, ſi illa caro viua facta fuerit ſimilis cuti reliquæ quæ albedine cooperta eſt,

17. MVNDVM ESSE DECERNET, quia erit vni ormis quædam purgatio naturæ, vt initio verſus 12. dictum. Et hactenus de lepra carnis aut cutis integræ.

18. CARO AVTEM ET CVTIS IN QVA VLCVS. Hîc incipit applicare ſigna lepræ ſupra v. 3. deſcriptæ ad cicatrices & vlcera: hoc tamen diſcrimen eſt, quòd cùm color lepræ ſit albedo maculæ, hîc in cicatricibus poſſit eſſe *ſubrufus*, qui ſanguis in parte propter læſionem debiliori, difficilius mutatur.

22. ET SI QVIDEM CREVERIT ADIVDICABIT EVM LEPRÆ, quia ſignum eſt, non eſſe maculam propriam cicatrici (non enim ſerperet) ſed ex alia cauſa maligna oriri. Et idem iudicium de caſu combuſtionis, vt ſequitur. Hæc eſt quinta ſpecies lepræ: quamuis à præcedentibus vix differat, cùm earum ſigna habeat in determinata tantum corporis parte. Origenes tamen diſtinguit.

29. VIR SIVE MVLIER. Eadem lepra hîc extenditur ad barbam & caput cum iiſdem ferè ſignis: hac tamen differentia, quod in alis partibus pili fiant albi, hîc autem flaui. Ratio diſcriminis eſt, vt Valeſius tradit, quòd capiti innaſcantur vlcuſcula quædam quæ achores vocantur, plena liquore mellei coloris, quod ſignum eſt cutem ſimili liquore eſſe imbutam. Hinc pili naſcuntur ſimiles, tenues ſcilicet & flaui propter mixtionem pituitæ cum flaua bile. Vnde hæc poteſt eſſe ſexta ſpecies lepræ.

38. VIR SIVE MVLIER IN CVIVS CVTE CANDOR APPARVERIT, & nihil ſcilicet præterea. Vnde ſtatuitur hî differentia inter talem ſimplicem maculam albam & priores maculas ſuprà deſcriptas quæ erant lepra.

40. VIR DE CVIVS CAPITE CAPILLI FLVVNT, nempe vel toto, vel ſuperiori eius parte CLAVVS EST, & vocatur,

41. ET SI A FRONTE CECIDERINT, ſeu anteriori capitis parte vocatur RECALVASTER, ET MVNDVS EST. Eſt enim naturalis affectio, quæ oritur ex naturali ſiccitate & duritie cutis. Nam ſicut ex arida terra, duriſque lapidibus nullæ naſcuntur herbæ, ita nec ex arida iſta cruſta cutis pili: & ſi qui ſunt, deficiente humore, vt fit in ſenibus, accreſcunt & excidunt. Vnde ex cauſa contraria propter abundantiam humoris, pueri, mulieres, & eunuchi non claueſcunt.

42. & 43. SI IN CALVITIO ALBVS VEL RVFVS COLOR FVERIT EXORTVS, LEPRÆ EVM CONDEMNABIT, quia ſignum eſt cacochymiæ quæ per colorem cutis proditur, vt ex Galeno Valeſius. Significat enim ille color cutis infectionem à ſalſa pituita, ſi color albus eſt, aut à bile, ſi eſt rufus. Et inter lepræ ſpecies ponitur diuerſa à præcedentibus: ad quam indicandam ſolæ maculæ dicuntur ſufficere, etiam ſine ſupradictis reliquis ſignis.

44. QVICVMQVE ERGO MACVLATVS, &c. Præſcribuntur hîc leges conuerſationi leproſorum: earum quędam obſeruandę ſunt leproſo propter ſeipſum, videlicet primo

45. HABEBIT VESTIMENTA DISSVTA, ſecundò CAPVT NVDVM, id eſt, detectum pileo, itemque raſum. Vtriuſque cauſa eſt, vt putridi vapores faciliùs expirent. Quædam propter alios, vt quod habeat os VESTE CONTECTVM, quia nullâ re faciliùs inficere quis poteſt alios quàm ſpiratione, quæ fit per os. Deinde clamet SE CONTAMINATVM AC SORDIDVM. Admoniti enim alii vel non accedent, vel ore ipſius tecto non lędentur. Quædam propter vtroſque vt ſcilicet

46. SOLVS HABITET EXTRA CASTRA. Quia & ipſe liberiori frueretur aëre, quo

faciliꝰ ſanetur, & aliis minus erit infectionis periculum. Eaſdem penè leges præſcribit elephante laborantibus ſeu leproſis Paulus Ægineta, eò quòd, inquit, contagioſa ſit hæc paſſio inſtar peſtis.

Porrò lepra hactenus deſcripta multum differt à lepra huius temporis. Nam illa Iudaica magna ex parte potiùs erat vitium cutis quàm carnis; noſtra potiùs carnis quàm cutis; vnde illa ſæpè ſanabatur, hæc inſanabilis eſſe dicitur. Illa in pleriſque non multum à ſcabie differebat, hæc longiſſimè. Vnde quamuis ab humorum quadam corruptione oriretur, quæ & afflatu communicari poſſet, plus tamen de turpitudine quàm de morbo habuiſſe videtur, nec multum diuerſa fuiſſe à lepra Græcorum de qua Hyppocrates: Lepra, & pruritus, & ſcabies, & impetigines, & vitiligo, & alopecia, à pituita fiunt: ſunt autem turpitudo magis quàm morbus. Auguſt. l. 2. quæſtionum Euangelicarum, quæſt. 40. de lepra Iudæorum loquens: Lepra, inquit, coloris vitium non eſt valetudinis aut integritatis ſenſuum atque membrorum. Cùm igitur Deus manifeſtos adeoque contagioſos morbos vitari non iuſſerit, deformitates autem ſeu turpitudines iuſſerit, vt lepram, gonorrhœam, profluuium menſtruum, ſatis inde colligitur, conſortium iſtorum magis vetari ſignificationis alicuius cauſa, quàm ratione ſui quemadmodum etiam de cibis ſuprà diximus. Per affectionem ergo illam corporis immundam, immunditia affectuum animæ ſignificatur, ſeu vt Theodoretus varia peccatorum genera; vt verò Auguſt. lib. 2. quæſt. Euangelicarum qu. hæreſis. Solet enim hæreſis miſcere falſa veris, ſicut lepra veris falſiſque colorum fucis humanum corpus maculat. Quid verò ſingulæ ſpecies lepræ ſibi velint, vide latè & ex profeſſo diſſerentem Origenes, Homil. 8. in Leuit. & apud S. Iſidor. in Leuit. cap. 11.

47. VESTES LANEA, SIVE LINEA QVÆ LEPRAM HABVERIT. Aliud genus lepræ deſcribitur hîc, quod in veſtibus & pellibus reperiri poteſt: & cap. ſequ. in domibus ac lapidibus. Vocatur hæc lepra analogicè, per ſimilitudinem quandam cum lepra rei animatæ: Nam inanima lepræ veræ non ſunt capacia. Lepra ergo veſtium & domorum, non fuit aliud niſi maculæ quædam ortæ ex veſtium aut lapidum exeſione, ſiue propter putrefactionem, ſiue propter ſalſedinem quandam. Sic enim videmus nitrum exedere lapides. Et quemadmodum lepra hominum erat fœditas quædam ex naturalibus cauſis exorta: ita & hæc lepra rerum inanimatarum naturalis erat, qualitas ſcilicet corroſiua: quam tamen vti hominibus, ita & rebus inanimatis ſæpè per modum plagæ inflixit Deus ad vindictam, idque quia propter hanc legem de lepris, veſtes ac domus deſtrui debebant. Quod notat Theodor. quæſt. 18. in Leuit. vnde ſæpè vocatur plaga lepræ. Non tamen exiſtimandum eſt quòd lepra iſta domibus & veſtibus ex contactu vel afflatu hominum leproſorum, quaſi contagio quædam communicaretur, vt quidam putant. Conſtat enim experientiâ quotidianâ, nullam lepram hominum ſe diffundere in veſtes aut domos, quemadmodum nec peſtem aut alium hominis morbum. Nam quamuis peſtifera qualitas veſtibus aut domibus adhærere poſſit, non tamen eas ita inficit, vt ipſæ laborent ſimili morbo. Videtur tamen ſicut lepra hominum, ita & aliarum rerum lepra fuiſſe aliquanto alterius conditionis, quàm ea quæ nobis nota eſt. Nunc enim non experimur in domibus huiuſmodi maculas, quæ poſtquam lapides corroſiui ablati ſunt, iterum aliæ alio in loco creſcant infra paucos dies. Vnde hoc vel climati Iudaico adſcribendum eſt, vel diuinæ vindictæ. Nam ſingulis regionibus ſinguli morbi peculiares ſunt, vti in hominibus, ita in cæteris rebus. Quæ cauſa forſan fuit, cur tantus fuerit in Europa leproſorum numerus poſt reditum eorum qui profecti fuerant in Palæſtinam, ad bellum ſacrum.

CAPVT XIV.

2. HIC RITVS LEPROSI QVANDO MVNDANDVS EST, non à lepra: nam ab illa debebat eſſe mundatus, ante adhibi-

tum ritum iſtum, vt patet ex verſu 3. ſed ab immunditia legali, vt hominum conuictui poſſet reſtitui. Ritus autem expiationis erat, vt acciperet duos paſſeres.

4. QVIBVS VESCI LICITVM, id eſt, mundos, vt eſt Hebraicè. Paſſer enim inter immunda volatilia non fuit relatus capite vndecimo. Ex reliquis quæ hîc tanguntur, fiebat quaſi aſpergillum. Nam lignum cedrinum erat inſtar ſtipitis ſeu manubrii, cui alter paſſer viuus caudâ & alis à manubrio auerſis & in faſtigio exſtantibus, vnà cum faſciculo hyſſopi, filo coccineo alligabatur, vt ita poſſet tingi in ſanguine alterius paſſeris occiſi, vt notauit D. Th. 1. 2. qu. 102. art. 5. ad 7. vnde cedrus tanquam imputribilis adhibebatur contra lepræ corruptionem, hyſſopus odorifera contra fœtorem, coccus tanquam coloris viui contra faculratem, vt ſignificaretur ab omnibus illis mundari: paſſer autem viuus auolare ſinebatur, quia libertati & conſortio hominum reddebatur leproſus.

5. VNVM EX PASSERIBVS IMMOLARI IVBEBIT, id eſt, occidi. Non enim erat hæc propriè immolatio: fiebat enim extra caſtra, non cauſa ſacrificii quod debebat fieri circa tabernaculum, ſed expiationis. Vnde nec ſacerdos eum occidebat, ſed iubebat occidi.

SVPER AQVAS VIVENTES, id eſt, ſcaturientes ſeu fluentes, non ſtagnantes. Aquæ iſtæ erant in vaſe fictili ſuper quibus occidebatur paſſer, vt ſanguis eius aquis miſceretur eo fine vt faciliùs aſpergi poſſet ſuper leproſum, idque.

7. SEPTIES, ſeptenarius enim eſt typus emundationis perfectæ, à ſeptem vitiis capitalibus per ſeptem dona Spiritus ſancti. Idque VT IVRE PVRGETVR, id eſt, ritu debito iuxta omnes ceremonias cõſtituto. Iubebatur denique radi & lauari tam leproſus quam veſtimenta eius, vt omnes reliquiæ ſordium lepræ penitus amouerentur, ne quod contagionis eſſet periculum: qua de cauſa etiam iubetur, adhuc 7. dies manere extra tabernaculum, hoc eſt, extra propriam domum & familiam. Myſtica horum ratio erat, quia per duos paſſeres ſignificabatur diuinitas & humanitas Chriſti: quorum vnus ſcilicet humanitas immolatur in vaſe fictili ſuper aquas viuentes, quia per paſſionem Chriſti aquæ baptiſmi conſecrantur: alter autem ſcilicet diuinitas, viuus remanebat, quia illa mori non poteſt, vnde & auolabat, quia paſſione adſtringi non potuit. Paſſer autem ſimul viuus cum hyſſopo, ligno cedrino, & cocco, id eſt, fide, ſpe & charitate, iuxta Aug. qu. 33 in Numeros, mittitur in aqua ad aſpergendum, quia in fide Dei & hominis baptizamur. Ita D. Thomas loco citato, apud quem vide reliqua, quorum pleraque deſumpta ſunt ex Theodoreto qu. 19. in Leuit. vide aliquanto aliter apud Origen. Hom. 8.

9. ET DIE SEPTIMO RADET CAPILLOS. Hæc eſt ſecunda raſio & lotio diſtincta à præcedente. Et erat quaſi proxima præparatio ad alteram partem expiationis leproſi quæ fiebat 8. die. Conſiſtebat autem in tribus ſacrificiis: vnum erat pro delicto, alterum pro peccato, tertium holocauſtum, & ideo tres decimæ ſimilę adiungebantur velut mincha ſeu libamentum eorum; vna decima pro ſingulis hoſtiis.

12. ET OBLATIS ANTE DOMINVM OMNIBVS. Certo ſcilicet ritu ea agitando & offerendo Deo, ſine tamen immolatione: nam immolatio poſt iſtam præuiam immolationem ſequebatur, vnde adiungit, oblatis omnibus.

13. IMMOLABIT AGNVM; idque IN LOCO SANCTO, ſcilicet loco ſolito immolationis ante tabernaculum, ad latus altaris aquilonare, vt explicatur Leuit. 1. cuius cauſam dat, quia hoſtia pro delicto etiam.

SANCTA SANCTORVM EST, id eſt, ſanctiſſima non minus quàm hoſtia pro peccato, & vtraque AD SACERDOTEM PERTINET, quia ab eo comedi debet. De quo vide ſimilia verba ſupra cap. 6. v. 25. & 26. Quid vero ſignificet ſanguis poſitus ſuper aurem dexteram & pollices, vide dicta in v. 20. c. 29. Exodi. Oleum verò poſt ſeptem aſperſiones, fundendum erat non ſuper qualibet parte auris & pollicis, ſed

17. SVPER SANGVINEM QVI EFFVSVS EST PRO DELICTO, id eſt, ſuper illum ſangui-

nem quo aures & pollices adhuc tincti. Hoc eſt enim quod v. 28. apertius dicitur, oleum ponendum eſſe *in loco ſanguinis*, nempe adhærentis auri & pollici. Hæc verò effuſio olei erat tacita quædam inuocatio miſericordiæ diuinæ, quæ per oleum ſanctificari ſolet, & aures ad obedientiam, manuſque ad operationem præparare debet. His autem ita expletis.

19. Faciet sacrificivm pro peccato, id eſt, tunc offerret alterum agnum pro peccato; primus enim erat pro delicto: de quorum differentia ſuprà dictum eſt: & denique tertio immolabit holocavstvm, offerendo non ouem anniculam, de qua fit mentio verſu 10. illicitum enim erat offerre fœmellam in holocauſtum, vt patet ex c. 1. ſed alterum ex agnis; ouicula enim ſeu agna pro peccato oblata fuerat: hoc enim licitum fuiſſe patet ex c. 4. v. 27. & ſeqq. Pro pauperibus autem leproſis expiatio fiebat paulò aliter; nam vnus tantum offerebatur agnus, idque pro delicto: loco verò alterius agni & ouiculæ, ſumebantur duo turtures vel pulli columbarum, quorum vnus offerebatur pro peccato, alter in holocauſtum. Vnde quod verſu 31. dicitur vnus offerri *pro delicto*, delictum à noſtro confunditur cum peccato, in Hebræo tamen clarè diſtinguitur.

31. Cvm ingressi fveritis terram Chanaan, &c. Reliquum capitis conſumitur in lepra domorum diſcernenda: quæ non niſi analogicè lepra vocatur, quia maculæ ex qualitate quadam corroſiua natæ ſimilitudinem habent cum lepra humana. Vnde ſimilis quoque expiandi ritus præſcribitur, de quo initio capitis. Fit autem mentio terræ Chanaan quia in deſerto carebant domibus, quæ lepra poſſent infici. Per lepram domus, inquit S. Iſidorus c. 10. in Leuit. denotatur congregatio Hæreticorum, quæ per ſacerdotem purgari iubetur & lapides ex ea extrahi, quia ab aliorum qui integri ſunt, ſocietate ſeparandi ſunt.

Capvt XV.

2. Vir qvi patitvr flvxvm seminis, immvndvs erit. Fluxus intelligitur non per modum paſſionis tranſeuntis, de quo agitur inf. v. 16. & ſeqq. ſed habitualis & permanens, adeoque inuoluntarius. Oritur infirmitas iſta duabus ex cauſis, abundantia humoris genitalis, ſed maximè ex læſione, vel debilitate potentiæ retentiuæ, vt docet Galenus lib. 6. de locis affectis, vnde infeſtat hominem, etiamſi nulla imaginatio, ſiue in ſomnis, ſiue in vigilia concurrat.

5. Si qvis tetigerit lectvm eivs. Generalis enim regula eſt, quod ea quæ in ſe ipſis immunda erant, immunditiam ſuam contactu transfunderent in tangentem: vt leproſus, ſeminifluus, menſtruata, morticinum, reptile, &c. ille autem, qui tetigerat non transfundebat illam vlterius, eo ferè modo, quo apud nos excommunicatus maiore excommunicatione transfundit minorem, in communicantes ſecum, non tamen illi vlterius. Obſeruandus eſt autem loquendi modus paſſim iſto capite vſurpatus, non enim dicit, ne quis tetigerit lectum eius, ſed *ſi quis tetigerit*, quo indicatur, non fuiſſe prohibitum tangere, v. g. leproſum, ſeminifluum, menſtruatam, vel ea quæ ipſi tetigerant: ſed tantum ſi huiuſmodi tetigiſſent, eſſe mundandos ab immunditia: alioqui enim ſine graui peccato non poterant ad ſanctuarium accedere, vt indicatur infrà v. 31. Alia nonnulla non ſolùm afferebant legalem immunditiam, ſed erant etiam prohibita tangi, vt reptilia, vel comedi, vt cibi immundi.

9. Sagma svper qvo sederit, ſagma propriè eſt onus, quod iumentis ſarcinariis imponitur, vnde ſumitur, & pro clitellis ipſis, & ſella ſtratoria, cui inſidet is qui vehitur, vnde LXX. vocant ἐπίσαγμα ὄνου ſtragulum aſini. Chaldæus equitaturam, id eſt, id cui inſidet equitando.

Per eum qui fluxum ſeminis patitur Greg. 23. Moral. c. 9. aliàs 15. intelligit eum, qui eum, qui inordinatè diſpenſat verbum Dei: nam nec alii inde fœcundantur, & ipſe ſe contaminat. De purificatione verò eius Auguſt. libr. de bono coniugali c. 20. ſicut lex, inquit, multa ponit in ſacramentis & vmbris futurorum, quædam in ſemine, quaſi

materialis in formitas, in ſignificatione poſita eſt vnę informis & ineruditæ; à qua informitate, quoniam oportet hominem doctrinæ forma, & eruditione formari, in huius rei ſignum illa purificatio præcepta eſt.

16. Vir de qvo egreditvr, ſiue in legitimo matrimonio, ſiue extra illud, ſiue licitè, ſiue illicitè. Ex quo patet has immunditias non ſtatui propter peccata, ſed tantùm propter fœditates, & immunditias quaſdam naturales, & maximè ad aliquid in minoribus figurandum. Et hinc patet ratio, cur Bethſabee 2. Reg. 11. v. 4. dicatur ſe ſanctificaſſe ab immunditia, quia iuxta v. 8 huius capitis erat immunda, & lauari debebat. Statuitur autem talis purificatio, inquit Theod. quæſt. 20. ad docendam modeſtiam, vt ſcilicet aſſiduitatem congrediendi cohiberet purificandi pigritia & moleſtia.

19. Mvlier qvæ redevnte mense, tempore ſcilicet purgationis, quæ ſtatis temporibus redit: loquitur enim de patiente profluuium illud menſtruum, quod non eſt, aliud quàm ſtata quædam purgatio naturæ ab indigeſtis & frigidis humoribus, de quo vide Plinium, & alios. Hæc ergò

Septem diebvs separabitvr, non quidem extra caſtra, vt polluti in ſomno, vel leproſi, ſed à communi hominum conuerſatione: ſeptem autem dies ſtatuuntur, quia tot diebus, vel certè non pluribus durat, vt Ariſtoteles, etſi alii plures tribuant. Quod verò v. 24. dicitur, ſi quis congreſſus fuerit cum muliere menſtruata, immundus erit ſeptem diebus, intelligendum videtur ſi res occulta fuerit. Nam ſi conſtabat & conuinci coram iudice res poterat, pœna mortis vtrique erat infligenda, vt conſtituitur c. 20. verſ. 18, etiam ſi non deſint recentiores qui locum præſentem intelligunt de ſimplici concubitu, cum menſtruata in eodem lecto, quia Hebræa legunt, *ſi cubando cubuerit* cum ea, ſed verbum iſtud Hebræis honeſtatis cauſa vſurpatur crebertimè pro ipſo coitu, vt noſter tranſtulit.

25. Mvlier qvæ patitvr mvltis diebvs flvxvm sangvinis, nempe non ex fluxu menſtruo, vel puerperio, ſed alia infirmitate, cuiuſmodi fluxum paſſa videtur illa mulier hæmorroiſſa de qua Matth. 9. & Luc. 8. Hæc erat eiuſdem conditionis & immunditiæ ſicut menſtruata, quod verò dicitur v. 30. quod *faciet*, id eſt, offeret pullum columbæ, aut turturem *pro peccato*, non inde putandum eſt, fluxus huiuſmodi, ſiue ſanguinis, ſiue ſeminis eſſe peccata, ſed intelligendum eſt peccatum generaliter cui forſan poſſent eſſe obnoxii, & in cuius pœnam ſæpè infliguntur eiuſmodi infirmitates, vel certè peccatum legalis immunditiæ vnde & ſacerdos, dicitur *rogare pro fluxu immunditiæ* vel *pro fluxu ſeminis*, non vt ab eis liberentur: iam enim ſupponebantur eſſe liberati, vt patet ex verſ. 13. & verſ. 28. ſed vt à legali illa immunditia quæ inde eis adhæſerat, liberarentur.

Capvt XVI.

1. Inſtituitur hoc capite feſtum expiationis celebrandum decimo die menſis ſeptimi quo fiebat generalis quædam expiatio omnium delictorum, tam ſacerdotum quàm totius populi. Inſtitutum eſt autem occaſione irreuerentiæ quàm filii Aaron commiſerant, dum ignem offerent alienum, vt colligi videtur v. 1. ſtatim enim à morte illorum, Deus maiorem reuerentiam tabernaculo ſuo ſancire voluit nempe ſtatim poſt erectionem tabernaculi ipſo die octauo menſis primi anni ſecundi egreſſionis ex Ægypto, quo filii Aaron occiſi ſunt, vel certè die ſequenti. Sed quamuis iſtud verum ſit, non tamen inde ſequitur præcipuam cauſam inſtitutionis fuiſſe pecatum irreuerentiæ filiorum Aaron. Sed potius vera videtur ſententia Hebræorum quam tradit Rabbi Moyſes 3. parte Móre, diem iſtum decimum menſis ſeptimi electum eſſe, & dedicatum expiationi ac pœnitentiæ, quia ille eſt, quo plena peccati idololatriæ remiſſio populo à Moyſe de monte poſt tertiam quadrageſimam deſcendente annuntiata eſt, de quo ſuprà latius diximus: nempe, vt iſta dies eſſet æternum monumentum iſtius beneficii.

2. & 3. Ne omni tempore ingrediatvr sanctvarivm qvod est intra velvm, ſecundum ſcilicet quod, ſeparabat

ſanctuarium à Sancto Sanctorum, hoc eſt ingrediatur vnquam Sanctum Sanctorum,

Nisi hæc ante fecerit, ex quo videri poſſet, quod iſtis præſtitis potuiſſet quocumque anni tempore illud ingredi. Sed quia inter cæteras expiationis huius ceremonias præſcribitur v. 29. vt fiat menſe ſeptimo; & verſu vltimo, vt fiat ſemel in anno, colligitur, non niſi ſemel in anno licuiſſe Pontifici ingredi Sanctum Sanctorum. Et ita tradit Apoſtolus ad Hebr. 9. verſ. 7.

Qvia in nube apparebo svper oracvlvm, ita vt ipſa nubes exhibeat tanquam ſignum viſibile præſentiam meam, ſicut columna nubis, & ignis fecerat in deſerto, vnde eadem iſta nubes impleuit tabernaculum iam erectum Exodi 40. v. 23. itemque templum Salomonis 3. Reg. 8. verſu 10. & 11. quare Salomon ad promiſſionem huius loci reſpiciens addit: *Dominus dixit, vt habitaret in nebula.* Nam nubes illa quæ cœperat Dei præſentiam exhibere iſti populo, ſtatim in egreſſu ex Ægypto permanſit eadem, vel ſimilis cum eis in Sancto Sanctorum, quemadmodum nunc manet Deus in eccleſia per ſignum viſibile Euchariſtiæ. Itaque non rectè videtur colligi, quòd Angelus in corpore humano in hac nube delituerit, & inter alas Cherubim ſederit corporaliter dans reſponſa: nuſquam enim talis apparitionis, vel præſentiæ in templo vllum veſtigium eſt, nam viſio quæ Ezechieli cap. 1. apparuit, imaginaria fuit, ex qua nihil pro corpore Angeli verè ſedentis inter Cherubim concludi poteſt, vox autem humana, quæ in reſponſis reſonabat, etiam aëre ſolo percuſſo formari poteſt, vt patet in voce de cœlo aliquoties lapſa, quæ Chriſto teſtimonium perhibuit. Nubes ergò cuius hîc fit mentio, non videtur eſſe fumus ſolus thymiamatis; vt Caietanus putat, & aliqui recentiores ſequuntur, ſed vera nubes quæ oraculum implebat, & propter obſcuritatem Sancti Sanctorum maximè accedente fumo thymiamatis diſtinctè videri non poterat. Nam hoc de nube affertur, vt ratio cur Pontif. ingrediens timere debeat ne moriatur, *niſi hæc* quæ ſequuntur, *ante fecerit.*

Vitvlvm pro peccato offeret, et arietem in holocavstvm, vtrumque pro ſemetipſo, & pro domo ſua tantum iuxta verſum 6. & 24. offeret autem non immolando, ſed tantùm adducendo, præſentando, & talis oblatio iterum repetitur verſ. 6. nam immolatio fiebat præmiſſa antè ceremoniâ de duobus hircis, vt patet ex v. 11. prius enim indui debebat Pontifex veſtibus ſacris, vt ſequitur, non tamen Pontificalibus, ſed tantummodo ſacerdotalibus, vt ſtatuitur v. 4. quia initium huius feſti erat afflictionis, & pœnitentiæ pro peccatis, tum ſuis, tum totius populi peragendæ, quâ tandem peractâ, & veniâ obtentâ, offerebatur holocauſtum pro vtriſque cum gaudio, ideoque in veſtibus Pontificalibus iuxta præſcriptum verſus 24.

8. Vnam Domino, et alteram capro emissario. Caper iſte vocatur Hebraicè *Azazel* de quo multa multi fabulantur. Nam in primis Marcus, vnde ſecta Marcoſiorum, Valentini ſucceſſor magus peritiſſimus, dæmonem patratorem miraculorum ſuorum habuit Azazelem, nomine, vt eſt apud Irenæum lib. 1. c. 12. in fine: à quo Cabaliſtæ, vt Reuchlinus & alii, itemque magi, tam recentiores, vt Cornelius Agrippa, quàm veteres, vt Iulianus Apoſtata, hoc videntur hauſiſſe: iſte enim putauit hircum iſtum emitti dæmoni cuipiam, qui vocaretur ἀπομπαῖος, ſeu Azipiam, Sed iſti falluntur in eo quod non aduertunt Scripturam non vocare Azazel, ſeu emiſſarium ipſum dæmonem, cui ſeu in cuius honorem emitteretur, & offerretur iſte caper, ſicut omnes iſti putauerunt, ſed ipſummet caprum, vt notat Cyrillus l. 9. in Iulian. & Theod. in Leuit. vnde illam ſententiam fuſè, & ex profeſſo refutat idem Cyrill. Epiſtola 16. quæ eſt ad Acharium, & Theod. ibidem. Alii igitur, vt Hebræi, Rabbi Dauid, Abraham, & Salomon, putant eſſe nomen montis in quem caper ille emittebatur. Vtraque iſta ſententia ſumpſit occaſionem ex textu Hebræo verſ. 10. qui legit, vt mittat eum Laazazel in deſertum; quaſi Azazel eſſet quid diſtinctum ab ipſo capro ſed ſenſus eſt, vt mittat eum pro capro emiſſario id

eſt, tamquam captum emiſſarium in ſolitudinem vt notauit in tranſlatione ſua Pagninus. Verior igitur ſententia eſt, Azazol eſſe nomen compoſitum ex *es*, id eſt, caper ſeu hircus, & *azal* abiit, vt Azazel dicatur ad verbum, caper abiens, quod Hieronymus rectè tranſtulit caper emiſſarius, Græci adhuc aptius ἀποπομπαῖος; nam hoc nomen præterquam quod ſignificat etiam emiſſum, ſeu emiſſarium, peculiariter in illa lingua ſignificat depulſorium, ſeu eum qui habet vim ad depellendum mala, vnde dæmones quidam vocabantur à gentilibus depulſores malorum. Nam hircus iſte tamquam hoſtia depulſoria pœnarum, ſeu tamquam piaculum quoddam, vniuerſa populi peccata, hoc eſt, pœnas eis debitas ab illo in ſe tranſlatas ferebat in ſolitudinem. Et quia Chriſti Domini mortalitas, & immortalitas non poterat commodè eodem hirco ſignificari hinc vterque Chriſti figura fuit; nam ille qui mactabatur, paſſibilem carnis naturam ſignificabat, ille qui dimittebatur, impaſſibilem diuinitatem, ita Theod. & Cyrill. vtroque loco cit. qui notant idem omnino fuiſſe ſignificatum duobus illis paſſeribus, qui in purificatione leproſi adhibebantur; Cyrillus tamen obſeruat contra Iulianum hircum occiſum poſſe ſignificare Chriſtum pro nobis mortuum, vt nos, ſeu genus humanum altero hirco figuratum liberum dimitteretur. Tertullianus libr. contra Iudæos cap. 14. & 3. contra Marcion. cap. 7. putat duobus hircis ſignificari duos Chriſti aduentus: per emiſſarium, primum aduentum quo velut maledictus extra portam Chriſtus expulſus eſt, & peccata noſtra tulit: per eum qui oblatus eſt Deo, & à ſacerdotibus in templo comeſtus, ſecundum aduentum, quo Chriſtus Eccleſiæ in epulum apponendus eſt. Deſumpſiſſe hoc videtur Tertullianus ex Iuſtino, Dialog. contra Tryphonem. Vide aliam figuram apud Orig. Hom. 9. in Leuit. qui duos hircos vult ſignificaſſe Chriſtum & Barabbam: & fusè ſenſum tropologicum ad mores accommodatum.

11. HIS RITE CELEBRATIS, nempe iis quæ ſpectant ad miſſionem duarum ſortium, non autem emiſſionem hirci in ſolitudinem nam illa fiebat poſteà.

OFFERET VITVLVM, eum mactando, & ſimul eodem tempore immolando hircum illum vnum qui Domino ceciderat. Nam quod tandem verſ. 15. poſt aſſumptionem thuribuli, fit mentio hirci immolati & ſanguinis eius illati in Sancta, ordo narrationis inuerſus eſt: alioquin enim Pontifex bis debuiſſet ingredi eodem die in Sanctum Sanctorum, quod iuxta Apoſtolum ad Hebr. 9. erat illicitum. Itaque vitulo ſimul & hirco immolato, vtriuſque ſanguinem ſiue mixtum, ſiue ſeparatum inferebat ſimul in Sancta: aſpergens eum.

14. CONTRA PROPITIATORIVM, id eſt, verſus propitiatorium, non enim tangebat ipſum.

AD ORIENTEM, id eſt, contra faciem eius orientalem, quæ occurebat ſtatim in ingreſſu, & obſerua erat Pontifici tendenti recta verſus occidentem. Pontifex enim eo ſitu corporis aſpergebat verſus propitiatorium, ſicut Iudæi orabant, facie ſcilicet conuerſâ in occidentem. Tametſi aliqui perperam putent. Pontificem ingreſſum in Sanctum Sanctorum, prætergreſſum fuiſſe arcam, & vertendo ſe verſus orientem, aſperſiſſe propitiatorium. Antequam verò intraret in Sanctum Sanctorum, arripiebat thuribulum implens illud igne ſacro qui in altari holocauſtorum iugiter ardebat, & ſimul cum ſanguine ingrediens tabernaculum imponebat prunis thymiama in ipſo altari thymiamatis, & ita vlterius *intrabat in Sancta*, id eſt, in Sanctum Sanctorum.

12. VLTRA VELVM, ſecundum ſcilicet quod erat interiectum inter arcam & altare iam dictum: vt interea impoſitis in ignem aromatibus.

13. VAPOR OPERIAT ORACVLVM, id eſt, fumus thymiamatis intrans per aperturam illius veli, obumbraret propitiatorium ex quo Deus oracula dabat, & ita ſemper penè aquè obſcurum maneret Sanctum Sanctorum & Maieſtas Dei. Hinc etiam iubetur v. 17. vt *nullus hominum ſit in tabernaculo*, ſeu in priore tabernaculi parte, dum Pontifex ingreditur, ne ſcilicet, vel vocem Dei

loquentis audiat, vel curioſitate videndi Sanctum Sanctorum tangatur. Hoc ergo ingreſſu Pontificis facto fiebat illa aſperſio ſanguinis ſupradicta in ipſo Sancto Sanctorum, verſus propitiatorium: ac deinde egreſſus fundebat ſanguinem eundem.

18. SVPER CORNVA ALTARIS PER GYRVM, nempe altaris non holocauſtorum, quod quotidianis ſacrificiis ſatis expiabatur, ſed thymiamatis. Aſpergebat item *ſepties*. Totus autem iſte ritus eò tendebat, vt propitiatorium, Sanctum Sanctorum, altare thymiamatis, totumque tabernaculum expiaretur à peccatis non ſuis, ſed populi Iſraëlitici, in cuius medio collocata erant, & quaſi polluta peccatis eorum: idque oblato ſanguine animalium, pro ſanguine ipſorum peccantium, vnde & orabat pro ſe, pro ſacerdotibus, totoque populo, vt Deus ignoſcendo peccata illa tolleret. Ioſephus libr. 3. Antiq. c. 10. dicit aſperſionem illam ſanguinis eo modo peragi ſolitam fuiſſe, vt ſepties aſpergeret tectum, ſepties pauimentum, ac toties interiora tabernaculi.

Allegoricam ſignificationem huius ingreſſus Pontificis aperit Apoſtolus latè ad Hebr. 9. v 7. & ſeqq. Pontifex enim ſignificabat Chriſtum, tamquam Pontificem futurorum bonorum, qui per proprium ſanguinem, ſanguine vituli, & hirci figuratum, intrauit ſemel in Sancta, hoc eſt in cœlum, æterna redemptione inuentâ.

20. TVNC OFFERAT HIRCVM VIVENTEM, non mactando, ſed adducendo imponebantur ei omnia peccata populi, ſeu Reipublicæ, vt Deus placatus, pœnas quibus communiter Reſpub. erat affligenda, auerteret. Tertullianus libr. 3. contra Marcionem c. 7. & contra Iudæos c. 14. ait coccino, ſeu filo coccineo fuiſſe caprum circumdatum; quo ipſe paſſionem Domini ſignificatam putat. Addunt Rabbini fuiſſe ex monte præcipitatum: ſed hoc videtur Scripturæ repugnare, quæ verſ. 22. dicit quod *dimiſſus fuerit in deſerto*, nempe vt feris deuorandus expoſitus, velut piaculum quoddam lueret pœnas peccatorum populi: quod in typum Domini Saluatoris factum eſſe tradit Hieron. lib. 1. contra Pelagianos.

24. INDVETVRQVE VESTIBVS SVIS, Pontifici ſcilicet propriis, tunicâ hiacinthinâ, balteo, Ephod, & tiara Hactenus enim vſus erat veſtibus communibus ſacerdotum, in illo expiationis luctu: & quia eas exuerat lauandi ſui cauſa (quo ſignificabatur ipſe cum populo iam peccatis ablutus) neceſſariò iterum, vel illæ eadem, vel ſimiles reſumi debebant, & indui ante Pontificias, vt perageretur duplex holocauſtum.

26. ILLE QVI DIMISERIT CAPRVM, LAVABIT VESTIMENTA SVA, ad expiandum ſe ab immunditia legali, quæ contracta fuerat ipſo contactu capri tot peccatis onerati & maledicti quo ſimul monebantur infirmitatis ſacrorum, ſuorum quam Apoſtolus inculcat ad Hebr. 10. vt qui per ipſam expiationis hoſtiam contaminarentur, idem iudicium de lotione eius qui comburebat illas hoſtias pro peccato, verſu 28. Quod autem aſportarentur illæ *foras caſtra*, non explicat Scriptura, an per ſacerdotes fieret, an laïcos veriſimilius eſt fieri ſolitum per ſacerdotes, cùm & cineres per ſacerdotes, efferrentur, vt eſt cap. 6. verſ. 11. Erat enim complementum ſacrificij.

Significationem huius rei tradit Apoſtolus ad Hebr. 13. v. 11. 12. & 13.

29. MENSE 7. DECIMA DIE MENSIS AFFLIGETIS ANIMAS VESTRAS, ieiunio & aliis auſteritatis modis. Teſtatur id Ioſephus 3. Antiq. cap. 10. duraſſeque vſque ad veſperam, nempe à veſpera diei nonæ, vt præſcribitur cap. 23 v. 32. Etiamnum dicuntur ſeruare id Iudæi, non enim erat illigatum Ieroſolymis, vt ſacrificia.

30. IN HAC DIE EXPIATIO ERIT VESTRI, nempe illa quæ toto capite expoſita fuit. Erat itaque tota iſta dies, dies luctus & pœnitentiæ & expiationis, vnde ſignificabat tempus gratiæ Chriſti ingreſſuri per proprium ſanguinem in Sancta.

31. SABBATVM ENIM REQVIETIONIS EST. Hebraïcè *ſabbatum ſabbati*, quod ſignificat, quies quietis, id eſt, ſumma quies, tanta ſcilicet quanta ipſo in ſabbato, quo non licebat, vel cibos coquere, ſicut licebat in aliis feſtis. Miniſter autem totius feſti huius notatur, cùm dicitur,

32. EXPIABIT AVTEM SACERDOS QVI VNCTVS FVERIT, vnctione ſcilicet illa olei quæ ſuper caput effundebatur, vnde indicatur iſta phraſi ſæpius ſolus ſummus Pontifex.

CAPVT XVII.

3. HOMO SI OCCIDERIT BOVEM, &c. De animalibus etiam ad cibũ communem occidentis intelligit hoc Theod. quæſt. 23. in Leuit. & ſic legem iſtam in illum vſque diem à Iudæis ſeruari dicit: quod ſi verum eſt, potiùs dixerim errasse Iudæos illos in intelligentia illius legis, quàm legem ſic eſſe intelligendam. Nec enim fuiſſet poſſibile, omnia animantia in tota Iudæa comedenda, ad tabernaculum duci, & inde occiſa domum reuehi. Rectiùs ergo Auguſt. quæſt. 56. Legem intelligit de ſolis ſacrificiis. Prohibuit enim, inquit, priuata ſacrificia, ne ſibi quiſque quodammodo ſacerdos eſſe audeat, ſed illud afferat vbi per ſacerdotem offerantur Deo. Patet hoc ex v. 5. vbi vocantur *hoſtia* (Hebraïcè *ſacrificia*) *quas occident in agro*, id eſt, quas alioquin occiſuri eſſent paſſim in agris. Ex hac autem lege ſequebatur alia vtilitas, ne ſcilicet facilè defluerent ad ſacrificandum dæmonibus, vt antea ſoliti erant, & notatur verſu 7. Hinc Ieroboam timens ne legis huius neceſſitate populus auelleretur à regno ſuo, pergendo Ieroſolymam, fabricauit vitulos aureos. Quomodo autem non peccauerint contra hanc legem Elias & ſimiles viri ſancti, qui extra templum ſacrificarunt, diſputat Auguſtinus, nec aliter defendi poſſe putat, quàm quia Deus ipſe iuſſit, qui author eſt legis. Hæc eſt ergo ratio cur etiam pii Reges reprehenſi ſunt, quod Excelſa, vbi etiam Deo vero immolabatur extra templũ, non abſtulerint. Hinc qui fecerit iſtud.

4. SANGVINIS REVS ERIT, mortis ſcilicet per iudicem infligendæ.

QVASI SI SANGVINEM FVDERIT, nempe humanum, id eſt, perinde punietur ac ſi eſſet homicida, quia effuderat illegitimo modo illum ſanguinem, quem Deus ſibi loco ſanguinis humani pro peccatis debiti offerri voluit, iuxta verſum 11. Hanc igitur legem exequi voluerunt Iſraëlitæ aduerſus Rubenitas, Ioſue 22. verſ. 19. Quod addit,

5. IMMOLENT EAS HOSTIAS PACIFICAS DOMINO, multi putant, ſpeciem poni pro genere: eò quòd in hoſtiis pacificis quæ maxima ex parte cedebant epulum populi, facilius delinqui poſſet, ſed poteſt optimè intelligi, vt verba ſonant: nam de holocauſto & aliis ſacrificiis idem ſtatuitur v. 8. & 9.

7. ET NEQVAQVAM IMMOLABVNT HOSTIAS SVAS DÆMONIBVS, hoc enim erat natum ſequi ex illa promiſcua vbique locorum immolatione. Porrò dæmones vocantur Hebraïcè hîc & Iſaiæ 13. v. 21. itemque Iſaiæ 34. v. 14. *piloſi*, quo nomine etiam paſſim hircos appellant; videlicet quia dæmones mancipiis ſuis ea ſpecie apparere ſolent, non ſolum nunc in abominandis illis veneficarum ſacris, ſed etiam olim in faunis & ſatyris, vnde nonnulli transferunt *ſatyros*.

CVM QVIBVS FORNICATI SVNT, hactenus ſcilicet in Ægypto, hoc enim optimè inſinuat vox *vltra*. Vocatur autem idololatria paſſim fornicatio & adulterium, quia anima transfert amorem ſuum à vero ſuo ſponſo Deo in idola, vel dæmones.

10. SI COMEDERIT SANGVINEM OBSERVABO FACIEM MEAM, qua periphraſi animus offenſus ſignificatur, qui non facilè ad benignitatem flectitur. Prohibetur enim hîc eſus ſanguinis ſub pœna mortis, non ſolum Iudæis, ſed & aduenis, id eſt, proſelytis ad Iudaiſmum conuerſis. Cauſa eſt, vt populum ſuum ab omni crudelitate & feritate belluina reuocaret. Rationem enim addit:

11. QVIA ANIMA CARNIS IN SANGVINE EST, vt proinde animam ipſam comedere & abſumere videatur qui ſanguinem comedit. Anima verò hîc ſumitur non pro altera parte compoſiti, ſed pro vita illa temporali, quę non diutius durat quàm anima in corpore eſt, ſicut ſumitur Actor. 20. v. 24. *Nec facio animam meam pretioſiorem quàm me.* Hæc dicitur eſſe in ſanguine, quia vt Aug. qu. 57. in Leuit. vita iſta maximè ſanguine continetur in corpore: ita vt eo ſubtracto ſtatim vita pereat. Nam ſanguis maximè calorem naturalem conſeruat, ſpiritus animales & vitales ſuppeditat: quorum vtrum-

que maximè continet & ſeruat vitam, vſque adeò vt v. 14. in textu Hebraïco propter illam cauſam dicatur *anima omnis carnis eſt ſanguis eius*, quod Aug. loco cit. verum eſſe tradit, vel locutione ſynecdochica, quia id quod continetur, nomine eius quod continet vocari ſolet, anima ſcilicet nomine ſanguinis; vel quia ſignificatum nomine ſigni exprimitur, ſanguis enim, inquit, propter vitalem quandam corpulantiam ſignificat animam, ſiue vitam, res ſcilicet viſibilis rem inuiſibilem, vt latiùs declarat lib. 2. contra Aduerſarium legis & Prophetarum c. 6. & ideò anima, ſeu vita dicitur eſſe ſanguis, & contrà.

Et ego dedi illvm, vt ſvper altare in eo expietis. Altera ratio cur ſanguinis eſum prohibuerit: quia nempe ego volui ſanguinem brutorum offerri mihi pro vita tua, cuius amittendæ reus eras propter peccatum, vnde ſi hunc comederis quaſi animam ipſam humanam comediſti, inquit Theod. qu. 23. in Leuit. de quo ſenſu & alibi diximus. Eadem de cauſa obſeruat idem vetari morticina, ſcilicet per ſe mortua, quia ſanguis ab eis non ſeparatur, adde etiam quia per ſe immunda ſunt. Ne quis verò putaret ſolum ſanguinem animalium ſacrificandorum prohiberi, addit:

13. Si venatione atqve avcvpio ceperit feram, vel avem, quibus verbis extendit hoc præceptum etiam ad ſanguinem ferarum & auium quæ venatione capiuntur. Venationem autem intelligit Abulenſis quæ fit lanceis, ſagittis, retibus ſine canibus: canes enim lacerant feram; carnem autem laceratam à beſtiis vetantur comedere Exodi 22. v. vlt. Sed collectio non videtur ſolida, tum quod canes non rarò capiant feram ſine laceratione, quam proinde tunc ſine dubio licuiſſet comedere; tum quod lex illa videatur magis intelligenda de laceratione per feras, quàm per domeſtica animalia.

Capvt XVIII.

5. Cvstodite leges meas, ſiue morales, ſiue ceremoniales cultui meo præſcriptas, atqve ivdicia, id eſt, præcepta iudicialia, cuiuſmodi ſunt iſta de matrimoniis.

Qvæ faciens homo vivet in eis, vitam temporalem intelligit, quæ erat propriè præmium veteris legis: & propter cuius amittendæ timorem faciebant homines legis opera quæ tranſgreſſores legis eadem lege à populo iubebat occidi, vt Auguſt. lib. 4. ad Bonifacium cap. 5. vt ſenſus ſit, non occidetur, ſed vitâ diuturnâ viuet, propter eorum obſeruationem, aut ſi altius, inquit idem, intelligendum eſt, propter vitam æternam ſcriptum eſſe, ideo ſic expreſſum eſt legis imperium, vt infirmitas hominis in ſeipſa deficiens, ad facienda quæ lex imperat, de gratia Dei ex fide quæreret adiutorium, non autem quaſi lex ipſa ad vitam illam conferendam ſufficeret, ſed prior ſenſus eſt verior.

6. Omnis homo ad proximam sangvinis svi non accedet, eam intellige quæ ſequentibus legibus præſcribitur, vt revelet tvrpitvdinem eivs, Hebraïcè *nuditatem eius*, quia honeſta periphraſi indicatur copula coniugalis. Ego Dominvs, amator ſcilicet honeſtatis & verecundiæ.

7. Tvrpitvdinem patris tvi et tvrpitvdinem matris tvæ, &c. Primo membro putari poſſet vetari matrimonium filiæ cum patre, ſed malè. Nam turpitudo patris, eadem planè eſt quæ turpitudo matris, ſcilicet ipſa mater, ita vt poſterius membrum explicet prius. In matre enim, inquit Auguſt. quæſt. 58. ſimul eſt turpitudo patris & matris. Nam verſu 8. quo prohibetur coniunctio cum nouerca, mortuo ſcilicet patre, turpitudo ipſius nouercæ vocatur turpitudo patris; eo quod per matrimonium non ſunt iam duo, ſed vna caro. Vetatur ergo hoc verſu 7. matrimonium filii cum matre ſua, quam legem ſicut & alias quaſdam infrà ſcriptas quidam olim reprehenderunt, eò quòd nuſquam tale quid auditum eſſet. Sed refutat hoc Theodoret. quæſt. 24. eò quòd in hunc vſque diem, inquit, Perſæ non ſororibus ſolùm, ſed etiam matribus ac filiabus nuptiarum lege permiſcentur. Similia

verò in Ægypto & Chanaan fuiſſe vſitata ſatis indicat verſus 3. & 24. & maximè 27.

8. TVRPITVDINEM VXORIS PATRIS, damnatur matrimonium cum nouerca, non ſolum viuente patre, hoc enim eſſet adulterium, ſed etiam eo mortuo, contra quam legem deliquit Corinthius ille de quo 1. ad Corinth. 5.

9. TVRPITVDINEM SORORIS TVÆ EX PATRE, SIVE EX MATRE, id eſt, quæ ſoror tua eſt etiam ex ſolâ patre, licet alio matre; vel è contra ex ſola matre, etſi alio patre. QVÆ DOMI VEL FORIS GENITA EST, id eſt, ſiue illa ſit nata domi ex vtroque parente, ſiue foris in domum adducta ſit, vtpote ſuſcepta ex alio matrimonio. Nec obſtat matrimonium Seth & Cain cum ſororibus, quia hoc neceſſitas excuſauit, vt enim ait Auguſt. libr. 15. de Ciuitate cap. 16. quantò hoc fuit antiquius compellente neceſſitate, tantò poſtea factum eſt damnabilius, religione prohibente.

10. TVRPITVDINEM FILIÆ FILII TVI, &c. Vetatur matrimonium aui cum nepte ex filio, vel filia. QVIA TVRPITVDO TVA EST, quia ſcilicet ex te, mediante filio, vel filia nata eſt, vt proinde vna tecum eſſe cenſeatur nihil dicitur de matrimonio nepotis cum auia, quod eſt in eodem gradu.

13. TVRPITVDINEM FILIÆ VXORIS PATRIS TVI, id eſt, non iunges tibi ſororem tuam natam ex patre quidem, ſed ex alia matre nouerca tua. Hoc prohibitum iam erat verſu 9. ſed vel claritatis, vel inculcandi gratiâ, more Scripturæ, repetitur, vt notat Auguſt. quæſt. 59.

12. & 13. TVRPITVDINEM SORORIS PATRIS, id eſt, amitæ, & SORORIS MATRIS, id eſt, materteræ, NON DISCOOPERIES, vetatur ergo matrimonium nepotis cum amita aut matertera, non tamen neptis cum patruo, aut auunculo, vt putauit Abulen. tale fuit matrimonium Saræ cum Abraham, & Melchæ cum Nachor: etſi ſint in eodem gradu: quia magis dedecet, nepotem tanquam maritum dominari amitæ, aut materteræ, quibus reuerentiam debet, quàm patruum nepti. Et hactenus quidem de gradibus conſanguinitatis, quæ deriuantur ex communicatione ſanguinis ab eadem ſtirpe, nunc ſequuntur gradus affinitatis quæ oritur ex copula carnali.

14. TVRPITVDINEM PATRVI TVI NON REVELABIS, turpitudo patrui vocatur hic non ipſe patruus quaſi vetaretur matrimonium neptis cum patruo, ſed vxor eius. Simile quid habes verſu 8. hinc mox exponit clariùs quod dixerat. NEC ACCEDES AD VXOREM EIVS, defuncto ſcilicet patruo. Et rationem addit petitam ex affinitate. Non prohibetur tamen hic matrimonium cum marito amitæ, vel materteræ, quod eſt in eodem gradu, ſic mox verſ. 15. vetatur matrimonium cum nuru, id eſt vxore filii, non tamen matrimonium cum genero, id eſt, marito filiæ.

16. TVRPITVDINEM VXORIS FRATRIS TVI, nempe defuncti: intellige, inquit Auguſt. quæſt. 61. ſi defunctus frater poſteros dereliquit, vel etiam ſi à fratre viuo per repudium receſſiſſet, ſi enim carebat frater liberis, cogebatur alter frater ex lege Deuter. 25. verſu 5. vxorem eius ducere, quod proinde erat quædam diſpenſatio in hac lege. Non vetatur tamen hic matrimonium cum marito ſororis, id eſt, vnius viri cum duabus ſororibus ſucceſſiuè, immo ſatis indicatur verſu 18. hoc licere, & tamen eſt in eodem gradu. Porrò ex vi huius legis Leuitici voluit Henricus VIII. Angliæ Rex repudiare vxorem ſuam Catharinam, eò quòd fuiſſet nupta fratri eius, ſed præterquàm quod frater careret liberis, immo eam non cognouiſſet, lex iſta iudicialis eſt, nec aliter Chriſtianos obligat, niſi quatenus iure poſitiuo renouata eſt, in quam proinde cadit diſpenſatio.

17. TVRPITVDINEM VXORIS TVÆ ET FILIÆ EIVS, vel ſimul per polygamiam, vel etiam ſucceſſiuè vnâ mortuâ. Et mox extenditur hoc vlteriùs etiam ad ſecundum gradum, id eſt, ad neptem vxoris natam ex eius filio, aut filia, nihil tamen diſponitur hic an poſſit mulier ſucceſſiuè nubere patri & filio, vel nepoti eius: ſed hoc intelligendum relinquitur ex parte, ex verſu 15. ET TALIS COITVS INCESTVS EST, vtpote cum affine: eſt enim inceſtus

concubitus cum ſanguinea, vel affine.

18. Sororem vxoris tvæ in pellicatvm non accipies, ita vt ea viuente, quaſi pellicem accipias ſororem vxoris tuæ, quod autem addit *ea virtute*, ſatis indicat ſe id permittere mortuâ vxore, ſecus quàm de duobus fratribus, reſpectu eiuſdem vxoris ſtatuerat v.16. cùm tamen eadem planè ſit propinquitas, quod autem Iacob etiam viuenti ſorori ſuperduxit aliam, ideo licitum fuit, quia nondum hâc lege prohibitum. Quid autem ſentiendum ſit de omnibus gradibus hic prohibitis, an ſint contra ius naturæ, diſputant Doctores in materia de Matrimonio. Breuiter dicendum videtur, non omnes eſſe prohibitos iure naturæ: quod inde maximè manifeſtum eſt, quia in quibuſdā caſibus licuerunt, vt patet ex matrimonio cum vxore fratris, ſine liberis defuncti: nam carere liberis non mutat propinquitatem; item ex matrimonio cum ſorore vxoris, quod eſt in eodem gradu cum præcedente; ex matrimonio Iacob, cum duabus ſororibus; ex matrimonio patrui cum nepte, vt Abrahæ & Nachor cum Sara & Melcha, quod eſt in eodem gradu, quo matrimonium nepotis cum matertera, & amita, quod hic vetatur v. 12. & 13. Itaque videtur iure naturæ irritum eſſe matrimonium in ſolo primo gradu lineæ rectæ, itemque tranſuerſæ: quamuis non deſint multi, qui probabiliter putent, ne quidem in primo gradu lineę tranſuerſæ, id eſt, inter fratrem & ſororem eſſe irritum iure naturæ, quia aliquando licuit, vt patet in filiis Adami. De primo gradu lineæ rectę res videtur manifeſta, idcirco enim Adam primam legem matrimonii ſic protulit: *Relinquet homo patrem & matrem*, &c. vt indicaret non poſſe inter parentem, & filios illam coniunctionem intercedere. Et ſanè cum proles ſit pars parentis, naturæ videtur repugnare vt accipiat plenam poteſtatem, & ius in corpus parentis, vnde omnes gentes benè inſtitutæ talia connubia deteſtatę ſunt. Quare naturalis quidem reuerentia & verecundia inclinant, vt homines auerſentur matrimonia omnia hic prohibita, cui æquum eſt vt pareatur, niſi grauior ratio boni communis contrarium poſtulans indecentiam illam tegat: non tamen ſic inclinat, vt ſi contrarium fieret, eſſet irritum. Et iſta violatio naturalis verecundię & honeſtatis ſatis eſt, vt gentes propter eiuſmodi matrimonia hic punitę dicantur, quamuis id quod v. 27. & ſeqq. de execrationibus, & abominationibus, propter quas expulſi ſunt Chananęi, maximè de enormibus illis flagitiis, quę recenſentur v. 20. vſque ad 24. intelligendum videatur.

Capvt XIX.

2. Sancti estote, id eſt, mundi & puri non ſolum ab omni peccato: ſed etiam carnis immunditiis quas prohibeo, quia per illas ſignificantur morum labes, idque Qvia ego sanctvs svm, vt ita tanquam amici poſſitis mihi coaptari: finis enim omnis diuinæ legis eſt homines perfectos facere, & conſequenter amicos ſuos; amici autem eſſe non poſſunt ſine ſimilitudine, quia ſimilitudo eſt cauſa amoris, inquit D. Th. 1. 2. q. 99. a. 2. Itaque varias hoc capite leges partim ex decalogo repetit, partim alias addit. Ex decalogo, vt patrem & matrem *timeant*, id eſt reuereantur: vt non faciant *deos conflatiles*, id eſt, fuſiles ſub quibus per ſynecdochen omne genus factitiorum deorum comprehenditur, ſiue ſint conflatiles ac fuſiles, ſiue pictiles, ſiue ſculptiles, ſiue alio quocumque modo facti,

9. Non tondebis vsqve ad solvm svperficiem terræ. Quaſi cadendo ipſam terram, vt nuda pateat. Pręcipit hoc, non propter; miſericordiam in terram, ſed in pauperes: quo enim altius demetitur ſeges, eo plures ſpicę remanent, illę ſcilicet, quę minores ſunt, vel deiectę ſolo ferè incubare ſolent, vnde exponit, & ampliat id quod dixerat: *nec remanentes ſpicas colliges*, ſiue ſcilicet adhuc ſolo hæreant, ſiue etiam ſparſim demeſſæ iaceant à meſſoribus derelictæ: ſimile quid ſtatuit de racemis poſt racemationem remanentibus.

11. Non facietis fvrtvm, quod committitur, non quandocumque alienum occultè tollitur, ſed quando alieno occultè ablato proximus lęditur; vt definit Auguſt-

quæſt. 68. in Leuit. gladius enim volenti occidere, ſine furto tollitur. Simili modo calumniam quam vetat ne faciamus proximo, dicit, non eſſe, niſi quando falſi criminis obiectione proximus læditur: qua occaſione oſtendit diſſimilem eſſe rationem de illo præcepto,

NON MENTIEMINI: cùm enim falſum ab ſciente dicitur, proculdubio mendacium eſt, ſiue illo quiſquam, ſiue nemo lędatur.

12. NEC POLLVES NOMEN DEI TVI, eo tamquam polluto, ſiue non ſancto, nec veraci abutendo ad periurium & proximi lęſionem.

13. NON MORABITVR OPVS MERCENARII APVD TE VSQVE MANE, differendo operis ſolutionem in alterum diem. Quamdiu enim non ſoluitur id quod operi eius debes, tamdiu detines ipſum opus: vnde non malè opus pro operis mercede, metonymicè ſumi poteſt.

14. NON MALEDICES SVRDO. Irrogándo ei iniurias, quia non poteſt eas refellere, quod ſingularis inhumanitatis eſt, ſicu & *cæco ponere offendiculum*, vt impingat. Eſt enim miſeris addere miſeriam, qui potiùs iuuari deberent. Vtrumque D. Gregor. 3. parte Paſtoralis, admonit. 36. à corpore ad animum transfert, vt maledicere ſurdo, ſit abſenti & non audienti derogare: coram cœco verò offendiculum ponere ei, qui lumen diſcretionis non habet, ſcandali occaſionem præbere.

17. NON ODERIS FRATREM IN CORDE TVO. Diſſimulando exterius offenſam & occultum interim rancorem aduerſus eum ſeruando. Ex quo patet, aduerſus pleroſque Iudæos, Ioſephum, Kimhi & alios, etiam internos animi motus lege veteri fuiſſe vetitos.

SED PVBLICE ARGVE EVM; oſtendendo te offenſum & petendo ſatisfactionem, inquiunt aliqui: ſed rectiùs Aug. quæſt. 70. in Leuit. ſentit præceptam eſſe correptionem peccati eius, non vt tibi conſulas ſed fratri, vt ſcilicet non tantum non oderis eum ſed etiam diligas, perducendo eum, ad delicti ſui agnitionem. Hoc eſt enim quod additur; NE HABEAS SVPER ILLO PECCATVM, negligendo peccatum eius & ſine correptione tranſmittendo. Eodem modo exponit Tertull. 4. contra Marcionem c. 35. vnde aptè ſubiungit,

18. NON QVÆRAS VLTIONEM, id eſt, nequidem etiam redarguendo fratrem tuum vindicare te velis, ſed potius illi conſulere quem arguis, inquit Auguſt. multò minùs apertioribus lędendi modis hoc faciendum. Non ergo prohibet ne iuſta petatur vindicta per legem talionis in Exodo ſtabilitam, ſed ne fiat animo ſe vindicandi.

DILIGES AMICVM TVVM. Hinc è contrario intulerunt Iudæi deuteroſin ſuam: odio habebis inimicum tuum, quam Chriſtus Matthæi 5. corrigit, declarando etiam inimicos eſſe diligendos. Nam & illi ſub amicis, prout illa vox hîc ſumitur comprehenſi ſunt: loco enim amici, Græcè *proximus*, Hebraicè *rea*, quod quidem amicum ſignificat, ſed ita ſumitur ſæpiſſimè, vt ſignificet quemlibet coniunctum alteri, quocumque vinculo, etiamſi ſint res inanimatę vt videre licet Gen. 15. v. 10. in Hebraico, & Gen. 11. v. 3. vbi transfertur *proximus*. Et ita legem hanc interpretatur Chriſtus. Diliges ergo quemlibet amicum ſeu proximum: in quo tangitur fundamentum diligendi nempe affinitas fundata in naturali coniunctione quantum ad animam rationalem & imaginem Dei, & conſequenter præcipuè propter ſummi boni capacitatem. Modus autem dilectionis additur,

SICVT TEIPSVM, id eſt, ſimiliter atque te diligis, etſi non æqualiter. Similitudo autem iſta dilectionis attenditur: Primò in fine propter quem diligendus eſt, ſcilicet propter Deum; hinc Auguſt. lib. 10. de Ciuit. c. 4. cùm mandatur de proximo diligendo, ſicut ſeipſum, quid aliud mandatur, niſi vt ei quantum poteſt, commendet diligendum Deum, dilectio enim ſui non propter Deum, non eſt vera dilectio. Tunc enim veriſſimè & propriiſſimè ſe ipſum homo diligit, cùm Deum diligit, immo hoc ipſo, quo Deum diligit: hoc ipſum enim eſt ſe referre ad ſummum bonum, & conſequenter ſibi velle ſummum, & verum bonum: vnde idem Auguſtinus lib. de moribus

Eccleſiæ cap. 26. ſolus ſe nouit diligere, qui Deum diligit. Siquidem ille ſe ſatis diligit, qui ſedulò agit, vt ſummo & verò perfruatur bono, quod ſi nihil eſt aliud, quàm Deus, quis cunctari poteſt, quin ſeſe amet, qui amator eſt Dei? Et iſta cauſa eſt, cur nullum præceptum ſit, vt homo diligat ſe, quia in dilectione Dei perfectiſſimè inuoluitur. Secundò attenditur iſta ſimilitudo in rebus quas proximo velle debemus ſeu in officiis, quæ ei debemus præſtare, faciendo ei ſcilicet bona non mala, ſiue corporis, ſiue animæ: omnia enim officia ſocietatis humanæ ex illo ſolo præcepto naſcuntur, & vt ibidem Auguſt. ad duo reuocantur, nempe vt in nullo lædamus proximum, ſecundum illud Apoſtolicum, Dilectio proximi malum non operatur; & vt eum cùm poſſumus, adiuuemus. Ex his patet non eſſe neceſſe addere vt proximus non diligatur propter propriam noſtram vtilitatem aut delectationem. Nam & hoc includitur in eo quod debeat ipſum diligere propter Deum, ſicut & ſeipſum. Optimè igitur Auguſtinus. loco de Moribus Eccl. cit. Quod ergo agis tecum, id agendum cum proximo eſt, id eſt, vt ipſe etiam perfecto amore diligat Deum. Non enim eum diligis tamquam teipſum, ſi non ad id bonum, ad quod ipſe tendis, adducere ſatagis. Hæc ille.

Porro hæc omnia intellegenda ſunt de amore illo veræ charitatis per quam Deus non refertur ad hominem, ſed homo ad Deum, ſicut creaturam decet, & naturalis ordo poſtulat.

19. IVMENTVM TVVM NON FACIES COIRE CVM ALTERIVS GENERIS ANIMANTIBVS, v. g. equum cum aſina, ex quo congreſſu, muli naſcuntur. Sed vnde ergo iuxta Scripturæ fidem 2. Reg. 13. v. 39. & c. 18. v. 9. & alibi paſſim, tot muli & mulæ in Iudæa? ſolo enim caſu hoc eſſe factum non videtur veriſimilem. Multi præceptum hoc ad mores referunt, quaſi prohiberetur curioſitas, ſed rectiùs accipitur, vt verba ſonant; nam mulorum abundantia in Iudæa potuit ex emptione contigiſſe; ſicut & nunc fit multis locis. Duabus autem de cauſis hoc Deus præcipit: Primam tangit Maimonides 3. parte More cap. 49. ne dignitas humana ad opus huiuſmodi inuerecundum deprimeretur: animal enim cum animali diuerſæ ſpeciei vix commiſcebitur, niſi, inquit ille, manibus ſuperponatur, vnde dicit à ſapientibus Hebræorum eadem de cauſa præceptum eſſe, ne intueantur iumenta, & volucres congredientes, ſed aſpectum auertant. Altera tangitur à Theod. qu. 27. ne ab irrationabilibus ad ratione præditos tranſeat illegitima permixtio. Itaque lege iſtâ ſancit Deus verecundiam, ac docet caſtitatem, itemque in omnibus rebus ſectandum eſſe naturę ordinem, atque ſimplicitatem. Propter quam cauſam præcipit vlterius ad res inanimatas progrediendo.

AGRVM TVVM NON SERES DIVERSO SEMINE, itemque, VESTE QVÆ EX DVOBVS TEXTA EST, NON INDVERIS, puta ex lana & lino, vt explicatur Deuteron. 22. verſu 11. Quamuis huius poſtremi illa eadem forſan ratio fuit, propter quam prohibitum fuit Exod. 30. ne vnguentum illud ſacrum & thymiama, cuius vſus erat in tabernaculo, fieret ad vſus profanos: nimirum quia illa textura ex lana & lino veſtibus ſacris erat propria, ſicut ſenſit Ioſephus.

Symbolicè ſignificatur his legibus mores biformes & varios eſſe vitandos.

20. QVÆ SIT ANCILLA ETIAM NVBILIS; Hebraicè, *deſponſata* id eſt, non ſolum deſponſabilis, vt vult a Lapide ſed actu deſponſata & promiſſa viro. Quod inde patet quia Scriptura ſtatim indicat vtrumque mori debuiſſe: ſi ancilla fuiſſet libera vel redempta, nempe iuxta legem Deut. 22. v. 23. & 24. ſimplex autem fornicatio, ne quidem inter duos liberos puniebatur morte vel vapulatione, vt clarè patet Exod. 22. verſ. 16. & 17. multò ergo minus inter liberum & ancillam. Ergo intelligenda eſt hæc lex de ancilla deſponſata, ſed quia erat conditionis ſeruilis, mitigatur pœna mortis vtriuſque in vapulationem: quam neruo bouino fieri ſolitam indicare videtur vox Hebraica *biccoret*.

23. AVFERETIS PRÆPVTIA EORVM, Hebraicè clarius, *auferetis præputia*, *fructum eorum*

eorum: tribus annis erit præputiatus, (ſcilicet fructus) *non comedetur*, hoc eſt, tribus annis primis abiicietis fructum arborum velut præputiatum ſiue immundum. Quamdiu enim pueri non erant circumciſi, immundi cenſebantur. Ratio naturalis huius præcepti eſt duplex: Prima quia fructus primorum annorum valdè aquoſi & inconcocti ſunt. Altera quia arbores fiunt robuſtiores & feraciores, ſi flores primi, & conſequenter in floribus fructus decerpantur: qua de cauſa in hodiernum vſque diem ruſtici decerpunt primos flores arborum. Et ſic fortaſſis hæc lex intelligenda eſt, vt primi fructus abiiciantur, abiectis floribus.

24. QVARTO ANNO OMNIS FRVCTVS SANCTIFICABITVR DOMINO. Offerendo eum tamquam primitias Deo in victum miniſtrorum eius. Moraliter ſignificari vult D. Gregor. lib. 8. Moral. cap. 29. aliàs 35. nouæ vitæ ſeu virtutis prima opera quia imperfecta ſunt, non debere animo placere, neque nos eorum laude paſci debere, ne dum accepta laus, inquit, ſuauiter carpitur, fructus operis intempeſtiuè comedatur. Allegoriam vide apud D. Thom. 1. 2. quæſt. 106. art. 6. ad 5.

26. NON COMEDETIS CVM SANGVINE, nempe carnes, in quibus ſanguis continetur, vt fit in ſuffocatis animalibus, vel quibus ſanguis adhibetur vt condimentum. Vnde differt à lege de non comedendo ſanguine, ſcilicet etiam ab animalibus ſeparato & ſolo.

NON AVGVRABIMINI, auium garritum obſeruando. Nam augurium dicitur quaſi auigarium. Synecdochicè tamen per hoc vetatur omnis ſuperſtitioſa prædictio, quia vaniſſima: neque enim illa ſigna quæ obſeruant, niſi pro cuiuſque obſeruationibus valent. Quod manifeſtiſſimè, inquit Aug. lib. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 24. oſtendit ritus augurum, qui & antequam obſeruent & poſteaquam obſeruata ſigna tenuerint, id agunt, ne videant volatus, aut audiant voces auium: quia nulla iſta ſigna ſunt, niſi conſenſus obſeruantis accedat. Vnde, vt idem ait 4. de Ciuit. cap. 30. Cicero augur ridebat auguria, & reprehendebat homines corui & corniculæ vocibus vitæ conſilia moderantes.

NEC OBSERVABITIS SOMNIA. Quia vt Eccleſiaſticus c. 34. v. 7. multos errare fecerunt ſomnia, & exciderunt ſperantes in illis. Agitur autem de diuinatione ex ſomniis non naturali, vt quando proueniunt ex certa conſtitutione humorum vel curarum præcedentium & naturaliter ſignificant vel cauſas ſuas, vel effectus illis cohærentes, ſed de ſuperſtitioſa, id eſt, ad illa prædicenda, ad quæ ſignificanda ſomnia non habent connexionem. Vnde idem ibid. Eccleſiaſticus, Niſi ab altiſſimo fuerit emiſſa viſitatio, ne dederis in illis cor tuum. An autem à Deo an à diabolo viſitatio illa emiſſa fuerit, diſcernunt ſancti quodam intimo ſapore, inquit D. Greg. Dialog. cap. 40. in fine. Vnde S. Monica teſte Aug. l. 6. Confeſſ. c. 13. dicebat ſe diſcernere neſcio quo ſapore, quem verbis explicare non poterat, quid intereſſet inter reuelantem Deum & animam ſuam ſomniantem: fruſtra igitur aliæ certiores regulæ quæruntur.

27. NEQVE IN ROTVNDVM ATTONDEBITIS COMAM. Duplex prohibitionis iſtius ratio. Prima vt in ritibus ſuis diſſimilis eſſet populus Dei gentilibus. Nam & in Ægypto vnde exierant, illa capillorum tonſio, imò & raſio ſacerdotibus Iſidis erat vſitata, vt notiſſimum eſt ex ſecularibus ſcriptoribus, & Ambroſio Epiſtola ad Sabinum, initio: & in Palæſtina quò venturi erant, ab Ægyptiis eandem traxerant, vt teſtatur Lucianus in Dea Syria de Biblijs Adonidem plangentibus. Paſſim verò tonſuram illam comæ in vicinis gentibus fuiſſe ſolemnem clarè patet ex Hier. 49. v. 32. & ex c. 9. v. 26. Altera ratio eſt, quia vt Theod. q. 28. moris erat etiam apud Græcos capillos puerorum promiſſos præcidere, & dæmonibus dedicare. Idem tradit Lucianus in propinqua Iudæis Hierapoli fuiſſe ſolitum. Deus igitur vt ſuos quàm remotiſſimè ab impiis & profanis illis ritibus abſtraheret, oppoſita præcepit, vt in multis aliis, ita & in capillorum & barbæ figura. Nam & Nazareatus, id eſt, intonſio, à Deo idcirco videtur probata.

Nec radetis barbam, nouacula: nam barbę tonſio non videtur fuiſſe vetita. Cauſę eædem ſunt. Accedit quòd barba ſit naturalis viri dignitas, magis ornamento quàm munimento data. Quod Aug. l. 22. de Ciuit. c. 24. probat ex faciebus fœminarum, quas alioquin, inquit, infirmiores viris, muniri tutiùs conueniret. Virilem ergo iſtum ornatum non vult Deus ſiue ſuperſtitione ſiue effeminatione tolli populo ſuo. Quod hæc trahant Hæretici contra tonſuras & raſuras Monachorum, imperitè faciunt, vt ſolent. Præceptum enim iſtud ceremoniale eſt, & res ipſa in ſe planè indifferens, ita vt pro varietate circumſtantiarum adhiberi vel negligi poſſit, vt patuit in leproſis omni ex parte raſis Leuit. 14. v. 3. & ex Samſone ac Nazaræis non raſis.

28. Et svper mortvo non incidetis carnem vestram. Quibus verbis præcepit ne exhibeant ſigna contriſtationis de dormientibus, ſicut & cæteri qui ſpem non habent, vt Apoſtol. 1. ad Theſſ. ad pertinebat enim iſta inciſio ad impotentem lugendi dolorem: & quibuſdam gentibus erat vſitata, vt notat Aug. qu. 71. in Leuit. & Theodoret. qu. 28. vnde 4. Æneidos de Anna mortem Didonis lugente, vnguibus ora fœdans & pectora pugnis. Hinc Seruius ex Varrone dicit: mulieres in exequiis, & luctu ſolitas ora lacerare, vt ſanguine oſtenſo inferis ſatisfacerent.

Neqve figvras avt stigmata facietis vobis, ſiue eàdem illa luctus causâ, ſiue ſuperſtitionis, vt faciebant ſacerdotes Baal 3. Reg. 18. v. 28. ſiue amoris, ſiue ornatus gratia, vt apud barbaros nonnullos vſitatum fuit.

30. Sabbata mea cvstodite, ſub quibus omnia feſta comprehenduntur, quia ab operibus ſeruilibus erat ſabbatizandum, ſeu quieſcendum,

Et sanctvarivm mevm metvite, non irrumpendo præſcriptos terminos, & ab immunditia, cauendo, quando accedendum eſt.

31. Non declinetis ad magos, Hebraïcè *pythones*, ſeu quibus dæmon ex ventre loquitur. Vnde Græcis & Latinis vocantur ventriloqui.

Nec ab ariolis aliqvid sciscitemini. Arioli ſunt, vt Iſid. l. 8. Orig. c. 9. qui circa aras nefarias preces & ſacrificia offerunt, & ex iis diuinant, ſicut Balaam ſeptem aras diſponebat. Hebraïcè vocantur nomine generaliori, ſcientes, ſiue ſcioli, vt Arias tranſtulit; vnde generaliter arioli comprehendunt hîc quoſlibet illicitis modis diuinantes.

32. Coram cano capite consvrge, honorandi cauſa, ſub quo omnis externus honor intelligitur. Vnde explicans addit, et honora personam senis. Eò quòd ſenectus, vt D. Thom. ſit ſignum virtutis, etſi quandoque virtus deficiat: eſt & ſignum ſapientiæ & prudentiæ ex ætate conquiſitæ: vnde magiſtrorum reuerentia ipſis debetur. Et quia ætatis iſtius infirmitas, apud nonnullos facilè in contemptum abit hinc addit,

Et time Dominvm, qui non ſolum diuina ſua authoritate hoc iubet, ſed parem tibi cùm ſenueris, ſiue reuerentiam, ſiue contemptum à iunioribus redditurus eſt, vt notat Heſychius.

35. Nolite facere iniqvvm in ivdicio, id eſt, in cauſis pet ſententiam definiendis.

In regvla, in pondere, in mensvra. Inter quæ iſta differentia eſt, quod regula metiatur corpora ſecundùm longitudinem, vt vlna, virga, paſſus, cubitus; pondus ſecundùm grauitatem, vt drachma, vncia, ſiclus, libra, &c. menſura ſecundùm capacitatem, vt hin, epha, batus, modius, ſextarius. Hinc pondus & menſuram ſtatim explicans,

36. Statera ivsta sit, ita ſcilicet, vt vna ala ſtateræ, vel funis vnde lances pendent, non ſit longior altero, in quo magnæ fraudes contingunt,

Et æqva sint pondera. Hebraïcè *lapides*, quibus olim & etiam nunc appenduntur merces.

Ivstvs modivs æqvvsqve sextarivs. Pro quo textus originalis legit, *epha, iuſtitia* id eſt, iuſtum, & *hin iuſtitiæ*, ſed quia iſtis menſuris Latini carerent, ſuppoſuit interpres eodem ſenſu menſuras vſitatas.

CAPVT XX.

2. HOMO DE FILIIS ISRAEL, ET DE ADVENIS. Qui ſcilicet tamquam proſelytus ſuſcepta circumciſione Iſraëlitis acceſſerit. Talis enim debitor erat vniuerſæ legis faciendæ.

SI QVIS DEDERIT DE SEMINE SVO IDOLO MOLOCH. LXX. verterunt *principem*, vnde quidam apud Theod. quæſt. 25. putant vetari, ne dent pueros ſuos alienigenis principibus, vt ſint illorum ſerui, vel armigeri, ne ſcilicet participes fiant impietatis eorum. Sed Hebraïcè eſt Molech, quod perinde idem eſt, ac ſi diceres Melech, id eſt, Rex: & alibi vocatur Melchin, quaſi Rex eorum, vnde LXX. cenſendi ſunt vocem *princeps* vſurpaſſe, vt propriam non appellatiuam, alibi enim vertunt Melchum: Moloch autem, ſeu Melchum fuit idolum Ammonitarum, vt teſtatur Scriptura 3. Reg. 11. ſæpiùs, verſ. ſcilicet 5. 7. 33. ita vocatum propter inſignem cultorum reuerentiam. Cuius indicium eſt quod proprios filios ei conſecrarent parentes per ignem, vt indicatur 4. Reg. 23. v. 10. Conſecrationis iſtius modus traditur talis, vt pater filium traderet ſacerdotibus, qui extructis duobus magnis rogis puerum inter eos nudis pedibus incedentem tranſire faciebant; vnde fiebat vt quidam morerentur, quidam manerent ſuperſtites. Putabant autem ſi pater vnum ex filiis traduceret, reliquos fore ſaluos, & patrem in omnibus felicem. Indicat Scriptura ritum iſtum dum narrat 4. Reg. 16. v. 3. & c. 21. v. 6. ibid. item 2. Paralip. 33. v. 6. Achaz, & Manaſſen tranſire feciſſe, & traduxiſſe filios per ignem, vnde etiam ſuprà Leuit. 18. verſ. 21. & 4. Reg. 23. verſ. 10. vetantur Iudæi traducere, ſeu tranſire facere filios per ignem idolo Moloch. Ieremiæ verò cap. 32. verſ. 35. dicuntur initiari filios Moloch. Initiatio autem non eſt occiſio. Præter iſtum tamen conſecrandi ritum videtur fuiſſe & alius, quo pueros in honorem Moloch occiderent. Nam 2. Paralip. 28. v. 3. Achaz dicitur luſtraſſe, Hebraïcè combuſſiſſe filios ſuos igni, ſimiliter 4. Reg. 17. v. 31. hi qui erant de Sepharuaim comburebant filios ſuos igni Adramelech, & Anamelech, quæ nomina à Moloch etiam deriuata ſunt, & Pſalm. 105. verſ. 37. dicitur quòd immolauerunt filios ſuos, & filias ſuas dæmoniis, ſicut & Deuter. 12. quod combuſſerint eos. Nam vt ex Hebræis tradit Lyranus ad caput 18. Leuit. Moloch erat idolum æneum, inſtar hominis interius concauum, in qua concauitate fiebat ignis, quouſque idolum eſſet ignitum, mox ponebatur puer in manibus idoli, ſacerdotibus interea tympanum pulſantibus, ne vox pueri morientis exaudiri poſſet, & parentes ad miſericordiam commouere. Ab iſto ſonitu tympani, quòd Hebraïcè *toph* dicitur, locus propè Ieruſalem vocatus eſt Tophet, in gehennom, id eſt, in valle filiorum Ennom; vt videre licet 4. Reg. 23. verſ. 10. & alibi. Simili impietate Saturno immolatos fuiſſe infantes deplorat Lactantius lib. 1. diuinarum inſtit. cap. 21. qui ex libris hiſtoriarum Peſſennii Feſti refert ducentos nobilium filios à Carthaginenſibus Saturno immolatos fuiſſe, vt eum placarent cùm à Siculorum Rege Agathocle eſſent victi, vnde ſuſpicantur nonnulli Moloch fuiſſe Saturnum, dictum quaſi Moloch aſtrum regium.

3. SVCCIDAMQVE EVM, aliis nempe occultis prouidentiæ meæ caſibus eum è vita tollendo, ſi iudices neglexerint. EO QVOD CONTAMINAVERIT SANCTVARIVM MEVM ET POLLVERIT NOMEN MEVM, tractando ſcilicet nomen, & Sanctuarium meum, tamquam eſſent polluta, ſeu contaminata, & cultu .. ligna, dum me & Sanctuario meo relicto ad abominandum illud idolum ſe conuertit.

10. MORTE MORIANTVR, ET MOECHVS, ET ADVLTERA, quo genere mortis clarè non dicitur, neque hîc, neque Deuter. 22. verſ. 22. cap. 8. tamen Ioannis verſ. 5. dicunt Iudæi: In lege mandauit Moyſes nobis huiuſmodi lapidare. Ex quo colligitur valdè probabiliter pœnam lapidationis, quæ initio capitis huius verſu 2. ponitur dantibus ſemen ſuum Moloch, & ſimiliter in fine, verſu 27. ad omnes alios caſus in medio poſitos eſſe extendendam, niſi Scri-

ptura eſſe excipiat. Vnde etiam loco Deut. cit. pœna mœchiæ verbotenus manet indeterminata, ſed tamen quia in caſu & antecedente, & ſequente ponitur lapidatio, intellexerunt Iudæi eam quoque ad mœchos eſſe referendam Sic ergo pœna illa lapidationis initio capitis huius, & fine expreſſa referri debet ad omnes caſus, vſque ad verſ. 14. cui ſoli pœna ignis decernitur, fortaſſe quia ad illum inceſtum cum matre & filia Iudæi proniores erant. Intelligi autem debet ille caſus de matre & filia conſentientibus, ſi enim altera, quæ priùs ducta fuerat repugnaſſet, non erat ratio cur pœnâ mortis plecteretur.

15. Pecvs qvoqve occidite. Non quòd rea ſint pecora, vel legis capacia, ſed quia tali ſcelere contaminata, indignam refricant facti memoriam, vt Aug. q. 74. in Leuit. Lex iſta etiam hodie in vſu eſt.

18 In flvxv menstrvo interficientvr ambo. Partim propter indecentiam, partim propter noxam prolis. Neutra tamen videtur multis eſſe tanta, vt ſolo iure naturæ ſpectato, tam grauis ei pœna debeatur. Sed quia Deus ſummam etiam corporis munditiem in iſto populo requirebat, quo aliud ad ſpiritum, vel nouam legem pertinens ſignificatum voluit, meritò poſitiua lege ſub pœna tam graui hoc prohibuit; ſicut & eſum ſanguinis & adipis ſuprà c. 7. v. 25. & 27. Intelligendum eſt autem de caſu, quo vel publicè conſtabat, vel ad Iudices res deducta erat. Nam pro caſibus occultis decernitur ſuprà cap. 15. v. 24. immunditia 7. dierum, poſt quos ab ea purificandus erat.

19. Portabvnt ambo iniqvitatem svam, id eſt, pœnam iniquitatis ſuæ, ſæpè enim peccatum Hebræis pro pœna eius vſurpatur, ſicut & hoſtia pro peccato. Hæc autem pœna, ex iis que ſuprà dicta ſunt, intelligenda eſt non arbitraria, ſed pœna mortis, eaque lapidationis: longè enim deterior videtur congreſſus cum matertera, vel amita, quàm cum menſtruata. Hinc in ſequenti caſu de non cognoſcenda vxore patrui, vel auunculi ſui, nempe defuncti, vbi ſimiliter dicitur, *Portabunt ambo peccatum ſuum*, explicationis cauſa additur.

20. Absqve liberis morientvr, id eſt, occidentur a Iudice ſtatim, etiam antequam ex illis liberi nati fuerint: vel ſi ille officium neglexerit, ego efficiam, vt inceſtuoſi illi ſteriles maneant. Hæc enim ſolet & nunc, & olim tempore ſancti Gregorii eſſe pœna inceſtus, vt ipſe teſtatur reſponſione ad quæſtionem ſextam Auguſtini Anglorum Epiſcopi. Sanctus tamen Aug. quæſt. 76. in Leuit. putat conſtitui, vt quicumque ex eis nati fuerint, non deputentur filii, hoc eſt, nullo parentibus iure ſuccedant.

22. Cvstodite leges meas atqve ivdicia. Scilicet ſuprà poſita, quæ Origenes Hom. 11. in Leuit. putat hîc vocari iudicia, quatenus præceptis ſingulis ſua adſcribitur pœna, & ita quod iuſtum eſt recipere iudicatur ille qui peccat. Idcircò autem eadem præcepta paulò antè cap. 18. fine pœnis promulgata fuerant, vt obſeruat idem Orig. quia primò benignitate prouocamur à Deo vt filii, quod ſi vt filii obedientes eſſe nolumus, contemptores plectimur vt ſerui.

26. Eritis mihi sancti qvia sanctvs svm ego. Hoc infert poſt præmiſſam ſeparationem Iudæorum à cæteris populis, & ab omni immunditia ciborum. Ex quo colligitur ſanctitatem importare propriè munditiam, & oriri ex ſeparatione ab his quæ inquinant, mens autem inquinatur ex eo quod rebus Deo inferioribus amore coniungitur, ſicut quælibet res ex immixtione deterioris ſordeſcit, vt argentum mixtione plumbi, non contrà. Sic ergò ſanctitatem iubendo, iubet vt ab omni contagione amoris terum inferiorum ſeparentur. Vnde & Græcè, ἅγιος dictũ vult Origenes ibidem, quaſi ἀγῆ, id eſt, ſine terra, vel extra terram, quia ſcilicet ſoli Deo dedicatur, hac enim de cauſa latè docet, vaſa, veſtes, adeoque ſanctos dici, quia à profanis terreniſque vſibus ſeparati, ſoli Deo conſecrati ſunt.

Capvt XXI.

1. Loqvere ad sacerdotes filios Aaron. Lex enim quæ ſtatim ſequitur non tangit ſummum Pontificem, ſed alia verſu 10. & ſeqq.

Non contaminetvr sacerdos, con-

taminatione legali, IN MORTIBVS CIVIVM, nempe, vel tactu cadaueris, vel funeris curatione, vel ingreſſu in domum defuncti, iuxta ea quæ dicuntur Numerorum 19. v. 14. & ſeqq. Intelligitur autem lex iſta generaliſſimè reſpectu quorumcumque defunctorum, ſiue Principis, cuiuſcumque de populo: ſolis exceptis, qui v. 2. & 3. excipiuntur, ſcilicet patre, matre, filio, filia, fratre, & ſorore virgine, ita vt non liceret ſacerdotibus lugere in morte vxorum, vel ſororum nuptarum, multò minùs nepotum, & ſimilium. Quando verò luctus eis permittitur, vetantur tamen certi ritus gentilibus proprii, vt *non radant caput neo barbam*, nec in ciſuras faciant, quæ Baruch 6 v. 30. reprehenduntur in ſacerdotibus idolorum, & iam ſuperius in c. 19. generaliter interdicta fuerat. Hîc verò repetuntur in caſu funeris, ne fortè ad dolorem oſtendendum illa animi impotentia licita putaretur. Itaque

6. SANCTI ERVNT DVO SVO. Separati ſcilicet ab omni immunditia, & ritibus lugendi indecoris ac turpibus, NEC POLLVENT NOMEN EIVS; polluendo dignitatem ſacerdotalem; miniſtrorum enim contaminatio, vilitas & infamatio redundant in Deum, qua de cauſa vetantur eis etiam v. 7. infamia minuſque digna matrimonia. IN CENSVM ENIM DOMINI, &c. hæc eſt ratio legis, quia ſcilicet tractant de diuina miniſteria, vnde decet eos non ſolum ab omni impuritate huiuſmodi eſſe remotiſſimos, ſed etiam fidei firmitate de reſurrectione, & animi fortitudine ad ferendas charorum iacturas eſſe exemplar cæteris.

9. FILIA SACERDOTIS, cuiuſlibet, etiam non ſummi, SI DEPREHENSA FVERIT IN STVPRO, Fertur & iſta lex ne dignitas ſacerdotalis per filias vileſcat. Pœna enim grauiſſima ſtatuitur hîc ſimplici eius fornicationi, cùm in aliis flagitium iſtud nulla pœna corporali plecteretur, vt colligitur Exod. 22. v. 16. & 17. & Deut. 22. v. 29. exceptis duobus caſibus, niſi ſcilicet iam eſſent deſponſatæ, vel in domo patris eſſent fornicatæ, & ſponſis ſuis ſe pro virginibus venditaſſent, vtrumque patet Deut. 22 v. 21. & 23.

10. PONTIFEX, nempe ſummus, qui deſcribitur hîc tribus notis, quarum ſola prima ei propria eſt, ſcilicet quòd ſuper caput eius *fuſum eſt vnctionis oleum*. Reliquis enim in aure vel pollicibus oleum fundebatur. CAPVT SVVM NON DISCOOPERIET, nudando illud in luctu cydari ſua ſeu ornamento Pontificali, vt transferunt LXX.

11. AD OMNEM MORTVVM, id eſt, ad nullum ingredietur, ita ſcilicet, vt nec mortem patris, nec matris, poſſit plangere, nec funus comitari, ne contaminaretur.

12. NEC EGREDIETVR DE SANCTIS, non quaſi ſemper deberet manere in ſanctuario ſed quod non deberet propter vllius mortem egredi ſi contingeret dum eſſet in tabernaculo, neque aliquid circa defunctos facere, quo contractâ legali immunditiâ excluderetur ab eo: ne ſcilicet anima Dei ſacrificiis vacans & tota in illius myſteriis occupata aliquo impediretur affectu, inquit Hier. Epiſt. 25. vbi notat Chriſti diſcipulis qui oleum vnctionis, vnde Chriſtiani dicti ſunt, acceperunt, idem præcipi in Euangelio, vt nec mortuo patri exhibeant ſepulturam. Meritò autem dubitatur, cur vetetur Pontifex, contaminari ſuper patre, cùm non poſſet eſſe Pontifex, niſi patre priùs defuncto, cùm lex eos patribus iuberet ſuccedere? Reſpondet Aug. q. 83. ſtatim à morte patris conſecrari ſolitum, nempe cadauere nondum ſepulto. Sed adde quidquid ſit de illa conſecratione, multos caſus contingere potuiſſe quibus filius fieret Pontifex non pater etiam viuens, vt propter deformitatem, vel impotentiam patris, item propter tranſlationem ſacerdototii ex vna familia in aliam, vt contigit in Iuda Machabæo.

13. VIRGINEM DVCET VXOREM. Statuit hoc ad ſeruandam dignitatem ſummi ſacerdotii; nam dedecebat, vt vel ſordidam, hoc eſt, pollutam & meretricem, vel ab alio corruptam duceret, vel ſtirpem ſacerdotalem ad vulgum gentis ſuæ, id eſt, ad plebeiorum matrimonia deprimeret. Vnde iubetur virginem eamque nobilem ducere; eò quòd nobilium educatio ſit magis ingenua, & mores corruptarum etiam viduarum per virorum conſuetudinem plerumque corrumpuntur, & minus ductiles

ſunt quàm mores virginum ad omnem pietatem & honeſtatem familiæ Pontificali congruentem. Putant aliqui non potuiſſe duci vxorem, niſi de genere ſacerdotali, eò quòd iubetur accipere *puellam de populo ſuo*, ſed intellige de populo Iſraelitico. Nam 2. Paralip. 22. v. 11. clarè dicitur Ioſabeth filiam regis Ioram fuiſſe vxorem Ioiadæ Pontificis. Allegoricum ſenſum eorum quæ iſto capite dicuntur de Pontifice, quatenus Chriſtum ſignificabat, vide ex profeſſo tractatum apud Orig. Homil. 12. in Leuit. & apud Cyrill. toto l. 12. in Leuit. quæ verbo tenus deſumpta ſunt ex Orig. Senſum moralem vide latè apud Hieronym. Epiſtola 128. ad Fabiolam paulò poſt initium.

17. HOMO QVI HABVERIT MACVLAM, id eſt, deformitatem, ſcilicet corporis, NON OFFERET PANES propoſitionis, vt fiebat per ſingula ſabbata à minoribus ſacerdotibus: per hoc autem vnum & minoris momenti miniſterium indicat multò minus ei licuiſſe miniſteria cætera oblationis thymiamatis & ſacrificiorum. Maculæ igitur iſtæ erant quædam corporis irregularitates quæ arcebant à ſacerdotio. Per illas autem affectiones corporis non ſponte ſuſceptas, prohibet eas quæ procedunt à voluntate, vt Theod. quæſt. 30. vbi ſingulas moraliter & breuiter explicat, & accuratiùs D. Gregor. 1. parte Paſtoralis curæ cap. 11.

CAPVT XXII.

2. VT CAVEANT AB HIS QVÆ CONSECRATA SVNT. Hebraïcè, vt ſeparentur, ſcilicet nõn contingendo, vel comedendo ea quæ mihi oblata ſunt, ſi fuerint immundi. Hoc enim indicat id quod ſequitur: ET NON CONTAMINENT, ſcilicet per immunditiam aliquam in qua conſtituti ſunt, NOMEN SANCTIFICATORVM MIHI, ſeu ea quæ mihi ſanctificata & dedicata ſunt. Prohibet hoc autem ſub pœna mortis à ſe infligendæ. Caſus autem immunditiæ recenſentur multi: inter quos eſt,

4. SI QVIS TETIGERIT IMMVNDVM SVPER MORTVO, id eſt, ſi tetigerit non ſolùm cadauer; ſed etiam illum qui immundus eſt, eò quòd mortuum tetigerit, vel ſepeliuerit, vel funus curauerit. Indicat enim talis hominis immunditiam aliis fuiſſe communicatam. Etſi non deſint qui hoc negent. Item alia immunditia eſt in fine verſ. 4. *Ex quo egreditur ſemen*, &c. vnde conſtat omnes ſacerdotes veteris legis ab vxoribus abſtinuiſſe tempore miniſterii ſui, vt obſeruat Auguſt. qu. 85. nam illa immunditia non tollebatur, etiamſi loti eſſent aquâ, niſi poſt ſolis occaſum, vt eſt verſ. 7. Item immundus erat, qui tangeret

5. QVODLIBET IMMVNDVM CVIVS TACTVS EST SORDIDVS, id eſt, quod contactu ſuo tangentem macularet. Talis erat leproſus, menſtruatas, ſeminifluus. Non enim ſolum in ſe immundi erant, ſed etiam alios & alia quæ eos tangerent, reddebant immunda.

8. MORTICINVM NON COMEDENT. Nam eius comeſtio, imò contactus immundum reddebat. Eſt autem morticinum, vt ait Hieron. in verſ. 14. cap. 4. Ezech. id quod abſque effuſione ſanguinis amittit vitam, & in quo moritur anima, ſeu ſanguis qui loco animæ eſt: vnde hoc eſt idem quod ſuffocatum quod Apoſtoli prohibuerunt. Rationem autem tantæ munditiæ tangit, quia

9. EGO DOMINVS QVI SANCTIFICO EOS, id eſt, ego qui tamquam Dominus eorum ſanctiſſimus & mundiſſimus ſum, volo & iubeo eos eſſe ſanctos.

Abſolutis autem caſibus immunditiæ, pergit v. 10. ad eos qui veſci poterant ſanctificatis, & qui non. In quo generalis regula erat, omnes illos veſci potuiſſe, qui erant ſtabiliter de familia ſacerdotali etiam ſi non eſſent de ſtirpe eius. Contrà verò veſci iis non poterant, ſi non erant ſtabiliter de eius familia, etiam ſi eſſent de ſtirpe eius. Hinc igitur primò *alienigena* non poterat ex iis comedere. Alienigena autem hîc vocatur, qui eſt ex alio genere quàm ſacerdotis, etiamſi eſſet Iudæus vel Leuita, alibi tamen ſæpiſſimè alienigena ſumitur pro homine alterius generis quàm Iudaïcę. Sed quia contingere poterat, vt alienigena fieret ſtabiliter de familia ſacerdotis, hinc ſtatim v. 11. fit exceptio, qua permittitur vt ſeruus,

11. QVEM SACERDOS EMERIT, ſcilicet tamquam mancipium perpetuum: itemque VERNACVLVS DOMVS EIVS, id eſt, qui ex mancipio in domo eius natus fuerit, poſſit veſci ſanctificatis. Tales autem ſerui & vernaculi neceſſariò erant alienigenæ, id eſt, ex alia etiam gente quàm Iudaica, vt præſcribitur c. 25. v. 40. & 45. Hinc ſecundò excluditur ab eſu ſanctificatorum.

10. INQVILINVS SACERDOTIS, id eſt, qui cum ſacerdote velut hoſpes aut peregrinus habitat, nec eſt pars familiæ eius, ET MERCENARIVS, qui ſcilicet operam ſuam locat, & poteſt à familia decedere quando libet. Hinc tertiò *filia ſacerdotis* poterat veſci ſanctificatis, quamdiu erat pars familiæ, innupta ſcilicet, vel etiam poſt mortem mariti vel per repudium reuerſa ſine liberis ſiue quòd illis careret, ſiue quòd apud patrem manerent: ſin autem erat nupta, pars ſcilicet familiæ mariti facta, non poterat. Hinc quartò vxor ſacerdotis ex quacumque tribu eſſet, veſcebatur ſanctificatis.

14. QVI COMEDERIT, cùm ſcilicet ei non liceat comedere, DE SANCTIFICATIS PER IGNORANTIAM, nam ſi per cōtemptum comediſſet, pœna mortis ei infligebatur, vt eſt Numer. 15. v. 3. Ignorantiam autem intellige ſiue facti, ſiue iuris. Pœna verò ignorantiæ erat, vt adderet QVINTAM PARTEM CVM EO QVOD COMEDIT, id eſt, vt redderet id quod comediſſet, Partem ſcilicet integram quam læſiſſet, v. g. armum vel pectuſculum, & præterea quintam eius partem eamque dabit SACERDOTI IN SANCTVARIVM, ita ſcilicet vt illa pars cedat ſacerdoti, ſi res ad ſacerdotem pertineret, vel in vſum ſanctuarii, ſi res comeſta pertineret ad Deum. v. g. ſi eſſet adeps vel renes, vel ſimile quid quod Deo adolebatur. Per hanc tamen quaſi mulctam non ſoluebatur ab alia lege qua præſcribitur pro peccato eſſe offerendum arietem, vt patet c. 5. v. 15.

18. HOMO DE DOMO ISRAEL ET DE ADVENIS, id eſt, ſiue fuerit Iſraelitia ſiue proſelytus nationi Iudaicæ per circumciſionem inſertus. Reperitur hîc lex de holocauſto: nempe hoſtiam eius neceſſariò debere eſſe *maſculam*, quod holocauſto erat peculiare: *& immaculatam*, quod ſtatim extenditur etiam ad hoſtiam pacificam, & de hoſtia pro peccato etiam intelligi debet. Maculæ verò iſtæ ſunt, vt ſit animal fuerit cæcum, ſi fractum, id eſt, ſi membrum aliquod habuerit fractum *ſi cicatricem habens*, Hebraicè, *barouch*: quod penè ab omnibus interpretibus ita exponitur, vt conciſionem vel ſectionem quandam inuoluat. Itaque noſter textus ſic intelligi debere videtur, vt cicatrix ſit adhuc quaſi hians & non plenè obducta, atque ita inciſuram præ ſe ferat *ſi papulas*, Hebræi ferè exponunt verrucas: videntur autem intelligi generaliter, cutis eleuationes ſiue per modum papularum, ſiue verrucarum, quæ in animalibus apparere ſolent, *aut impetiginem*, eſt ſcabies ſicca non ſine magno pruritu, Græci vocant Lichenem. Moralem horum vitiorum explicationem & quomodo propter ea à ſacris homines reiiciantur à Deo, vide apud Cyrill. lib. 15. de adorat. initio.

25. DE MANV ALIENIGENÆ NON OFFERETIS PANES, ſiue fuerint panes propoſitionis, qui à ſolis ſacerdotibus fieri debebant, vt indicatur cap. 24. verſ. 5. ſiue ſacrificia ex ſimila.

ET QVIDQVID ALIVD DARE VOLVERIT, nempe vt offeratur & adoleatur immediatè Deo, v. g. victimæ, thus, libamenta vini & olei, &c. Non vetantur hîc tamen de manu alienigenæ accipere pecunias quibus emant hoſtias & neceſſaria ad ſacrificium, ſic enim Seleucus Aſiæ Rex præſtabat de reditibus ſuis omnes ſumptus ad miniſterium ſacrificiorum pertinentes, vt eſt 2. Machab. 3. verſ. 3. Et ita intelligi debet decretum Cyri regis Perſarum, de quo ſit mentio 1. Eſdræ 6. verſ. 9. Alienigena vero hic intelligitur gentilis qui ſcilicet non tantum gente, ſed & religione manet gentilis: nec mirum hoc ei prohiberi: poterat enim ille aliter Deum verum colere, cùm religio Iudaica non eſſet religio totius vniuerſalis Eccleſiæ, ſed iſtius gentis tantum. Ratio legis huius erat:

QVIA CORRVPTA ET MACVLATA SVNT OMNIA, tum ratione idololatriæ, qua animus totius penè gentilitatis contaminatus

erat, tum quia ipſi tamquam incircumciſi cenſebantur Iudæis immundi, & ideo non ſolum ipſi, ſed omnia dona ipſorum Deo adolenda cenſebantur conſequenter immunda, ſimili ferè modo non baptizati excluduntur à ſacris & ſacramentis Chriſtianorum.

27. SEPTEM DIEBVS ERVNT SVB VBERE MATRIS, tum propter nimiam teneritudinem fœtus ante octauum diem, tum propter teneritudinem amoris matris erga fœtus recenter editos. Itaque vtroque titulo humanitatem docet. Addit Clemens Alexandr. l. 2. Stromatum c. 8. & aliam humanitatis conſiderationem, quia ſtatim à partu animalium lac redundat, vnde qui à diſpenſatione lactis fœtum auellit, naturam, inquit, afficit contumeliâ. Simili modo notat propter humanitatem edocendam vetitum eſſe coqui hœdum in lacte matris: ne alligetur os boui trituranti, & id quod hîc ſequitur: *Ne bos aut ouis immolentur vna die cum fœtibus ſuis*, quia hoc ſpirat neſcio quam crudelitatem; Ita, addit Clemens, vel vſque ad bruta extendit benignitatem, vt cùm eam in iis quæ ſunt diuerſi generis. Vnde Tertull. l. 2. contra Marcionem ſimiles humaniſſimas leges congerens, rationem eandem tangit: quò facilius in pecudibus præmeditata humanitas in hominum refrigeria erudiretur.

CAPVT XXIII.

2. HÆ SVNT FERIÆ DOMINI, id eſt, dies quibus feriandum eſt, ſeu dies feſti, QVAS VOCABITIS SANCTAS, id eſt, quæ erunt & habebuntur à vobis ſanctæ, ſeu cultui meo dedicatæ, ita enim paſſim *vocari* Hebræis ſumitur pro *eſſe*, vt patet ad Rom. 9. v. 25. & 26. & Iſaię 9. v. 6. Enumerantur hîc feſta ſeptem quæ Deus per ſe inſtituit, Sabbatum, Paſcha, Pentecoſte, feſtum Tubarum, Propitiationis, Tabernaculorum, Collectæ. Primus igitur dies feſtus eſt *ſeptimus* dies cuiuſque ſeptimanę, idque.

3. QVIA SABBATI REQVIES EST, Hebr. *quia ſabbatum ſabbati*, id eſt, ſabbatum quietis, ſeu ceſſatio quietis, vtrumque enim nomen ſignificat ceſſationem ſeu quietem Hebræis, vnde eadem phraſis Exod. 35. v. 2. transfertur *ſabbatum & requies Domini*, id eſt, ſumma requies illo die eſſe debet, non ſolum ab operibus ſeruilibus quod omnibus feſtis erat commune, ſed

OMNE OPVS NON FACIETIS IN EO, id eſt, nullum, vſque adeo vt quamuis opera abſolutæ neceſſitatis omittere non cogerentur, à nonnullis tamen, quæ præueniri poterant, ſabbato magis quam aliis feſtis abſtinendum erat: nempe non poterant eo die cibum coquere vel ignem accendere; vnde dies ſextus erat paraſceue ſeu præparationis ad ſabbatum, Marci 15. verſ. 42. in quo parabantur victui neceſſaria, ſeptimus ergo dies SABBATVM DOMINI EST, id eſt, requies cultui Domini dedicata, idque IN CVNCTIS HABITATIONIBVS VESTRIS, quo tacitè ſignificat, ceſſationem illam non eſſe præſcriptam templo, vnde Chriſtus Matth. 12. v. 5. *Sacerdotes in templo ſabbatum violant*, faciendo ſcilicet eadem opera quæ extra templum non licebant, vt mactare, excoriare, lauare, coquere victimas, ignem accendere: *& ſine crimine ſunt.*

5. MENSE PRIMO. Hoc eſt ſecundum feſtum *Phaſe* ſcilicet ſeu Paſcha, non hebdomadarium, ſed anniuerſarium celebrandum menſe primo Niſan, qui reſpondet aliquando totus Aprili, aliquando partim Martio, partim Aprili.

QVARTA DECIMA DIE MENSIS AD VESPERVM. Hebraïcè, *inter duas veſperas*, id eſt, inter declinationem Solis & eius occaſum, vt latiùs Exod. 12. verſ. 6. dictum eſt. Tunc enim Sole iam ad occaſum declinante occidebatur ſeu immolabatur agnus, aſſabatur autem & comedebatur poſt occaſum Solis nocte iam incipiente. Ex quo patet tempus immolationis pertinuiſſe ad Lunam ſeu diem 14. quem claudebat.

6. ET QVINTA DECIMA DIE MENSIS HVIVS SOLEMNITATIS AZYMORVM. Azymorum enim vſus incipiebat non cum immolatione agni Paſchalis, quæ fiebat, vt diximus in veſpera diei 14. ſed cum eſu agni. Edebatur autem poſt occaſum Solis initio noctis, quod tempus proinde pertinebat ad diem 15. iuxta regulam præſcriptam in-

ſtà

fcā v. 32. quia iubentur Iudæi feſta celebrare à veſpera in veſperam. Durabat hoc feſtum ſeptem dies, quibus omnibus azyma quidem comedebantur, non tamen erant omnes propriè feſti, ſed ſolus primus & vltimus, vnde de primo dicitur.

7. & 8. DIES PRIMVS ERIT VOBIS CELEBERRIMVS SANCTVSQVE: de vltimo verò SEPTIMVS ERIT CELEBRIOR ET SANCTIOR, nempe quam illi quinque qui præceſſerunt, quamquam in Hebraïco nullus eſt comparatiuus vel ſuperlatiuus, ſed ſimpliciter de vtroque dicitur, dies primus & dies ſeptimus erit vobis *conuocatio ſanctitatis*, id eſt, feſtum ſanctum quo populus conuocari ſolet, vnde eadem omninò Hebraica verba Exod. 12. v. 16. clarè transferuntur: *Dies prima erit ſancta atque ſolemnis, & dies ſeptima eadem feſtiuitate venerabilis*. Et hinc de illis duobus ſolis dicitur, OMNE OPVS SERVILE NON FACIETIS IN EO. Ex quo colligitur in cæteris quinque diebus operari licuiſſe.

Hactenus tamen reliqui erant feſti, quia extra tabernaculum vel templum azyma erant comedenda: in templo verò varia erant offerenda ſacrificia quæ præſcribuntur Numerorum 28. verſ. 19. & ſeqq. & hîc breuiter tanguntur, OFFERETIS SACRIFICIVM IN IGNE DOMINO SEPTEM DIEBVS, id eſt, quòd igne conſumitur, ad differentiam agni Paſchalis, qui igne tantum aſſabatur, non conſumebatur. Idcirco autem quædam feſta pluribus diebus celebrabantur, vt Azymorum & Tabernaculorum, quia inſtituta erant in memoriam rerum pluribus diebus geſtarum, cætera vno die, quia in memoriam rei vno die geſtæ.

10. CVM INGRESSI FVERITIS TERRAM. Ex quo colligitur has & ſimiles leges non obligaſſe eos in deſerto, idque fortè magis defectu rerum neceſſariarum ad obſeruationem legum, quàm ex natura rei. Nam alioqui ſabbatum obſeruatum fuiſſe conſtat.

FERETIS MANIPVLOS SPICARVM, Hebraicè vocatur manipulus primitiarum, ſeu, initij meſſis, erat enim omnium primum, quod ex meſſe decerpebatur & offerebatur Deo, & quidem manipulus hordei, vt Ioſephus l. 3. Antiq. cap. 10. Ritus offerendi deſcriptus eſt, & explicatus ſuprà cap. 2. v. 14. & 15. Debebat autem offerri & *ſanctificari*, id eſt, conſecrari Deo.

11. ALTERO DIE SABBATI. Hebraicè, à craſtino, ſeu poſtridie ceſſationis, nempe illius primæ diei azymorum, in qua præſcripta erat ceſſatio ab opere ſeruili. Sabbatum enim non ſumitur hîc propriè pro illo ſeptimo die, ſed appellatiuè. Offerebatur ergò manipulus Deo decima ſexta die menſis primi: & quidem ita neceſſariò, vt ante illum diem non liceret eis ex meſſe noua comedere quidquam, neque *panem*, neque *polentam*, id eſt, far, ſeu hordeum toſtum, vt eſt Hebraicè, neque *pultes*, id eſt, grana præ teneritudine & mollitie, quaſi in pultem redacta, per quæ tria ab omni modo comedendi antè illam oblationem arcentur: & eâ factâ licebat publicas, & priuatas meſſes facere, inquit Ioſephus l. Antiq. c. 10.

15. NVMERABITIS ERGO AB ALTERO DIE SABBATI, iam dicto ſcilicet 16. die menſis primi. Traditur hic regula inueſtigandi, & collocandi feſtum tertium Hebdomadarum ſcilicet, vt vocatur Deut. 16. v. 10. ſeu Pentecoſtes. Numerandæ ſunt enim ab illa die incluſiuè ſeptem hebdomadæ, quæ efficiunt 49. dies.

16. VSQVE AD ALTERAM DIEM EXPLETIONIS HEBDOMADÆ SEPTIMÆ, id eſt, vſque ad ſequentem diem poſt expletam hebdomadam ſeptimam; ille enim erat quinquageſimus dies, ſeu feſtum Pentecoſtes. Ex quo computandi modo neceſſarium eſt, vt illud feſtum ſemper incideret in eundem hebdomadæ diem, quo ille alter dies ſabbati, ſeu ſecundus azymorum, à quo incipit ille computus, itemque vt ſemper incidat in diem ſextum menſis tertii. Nam primus menſis eſt cauus; ex quo proinde ſuperſunt 14. dies à 2. azymorum incluſiuè; in ſecundo menſe tanquam pleno ſunt dies 30. & in tertio dies ſex, qui ſimul efficiunt 50. de quo vide dicta Exod. 19. v. 1. Sed hinc exurgit difficultas; quia primum feſtum Pentecoſtes, quod poſt Paſſionem Domini celebratum fuit, incidit in diem Dominicum, quia illo die Spiritus ſanctus

effuſus eſt, 50. ſcilicet die à Dominica Paſchatis præcedente, & tamen ſecunda dies azymorum illo anno inciderat in diem ſabbati, quia Chriſtus primâ azymorum, hoc eſt, feria ſexta paſſus eſt, vnde videtur non eſſe computandum ab altera die ſabbati, ſeu aymorum incluſiuè, ſed potiùs excluſiuè, vt vult Ribera. Alii vt Bellarminus lib. de cultu Sanctorum cap. 13. putant eo anno oblationem ſpicarum non eſſe factam ſecundo die azymorum, eò quòd eſſet ſabbatum, quo metere non licebat: alii volunt primum diem azymorum tranſlatum fuiſſe in ſabbatum, ne duo feſta concurrerent, & ita diem Dominicum fuiſſe ſecundum azymorum. Sed vtrumque ſine fundamento videtur dici, ſolùm ad euadendam difficultatem. Nam ſi licebat religionis cauſa in templo violare ſabbatum, vt Chriſtus dicit, & eſſe ſine crimine, cur non in agro? Tranſlatio autem iſta feſtorum caret exemplo in Scripturis, & iuxta eam deberet Chriſtus dici præueniſſe vno die commune & legitimum tempus comedendi Paſcha, & paſſus eſſe ante primum diem azymorum ipsâ ſcilicet veſperâ quâ Iudæi debebant comedere agnum Paſchalem. Itaque rectiùs videtur reſponderi, quod feſtum Pentecoſtes Iudaicæ inciderit eo anno more ſolito in diem ſabbati, ſicut & ſecunda azymorum: & illo die non deſcendiſſe Spiritum ſanctum, ſed die Dominicâ ſequente, quæ erat feſtum Pentecoſtes Chriſtianæ, vtpote dies quinquageſima non à paſſione Domini, nec à die ſecunda azymorum, ſed à die Dominicâ Reſurrectionis, qua verus ille manipulus ſpicarum Chriſtus Dominus tanquam primitiç dormientium & nouarum frugum oblatus eſt. Et ita in hodiernum vſque diem Pentecoſte noſtra ſemper eſt dies 50. à Dominica reſurrectioni; & iſtam Pentecoſten Chriſtianam non autem Iudaïcam deſignauit S. Lucas Actorum 2. verſu 1. loquitur enim de Pentecoſte iam inter Chriſtianos maximéque Gentiles, inter quos cum Paulo verſabitur, vſitatâ.

16. ET SIC OFFERETIS SACRIFICIVM NOVVM Hebraicè, *mincha nouum*, quale autem ſit mox additur, ſcilicet, *Panes primitiarum duos ſimilæ fermentatæ*, idque *omnibus habitaculis veſtris*, quæ verba incertum relinquunt, vtrum duo iſti panes offerri deberent ex omnibus habitaculis collectiuè, ita vt non niſi duo pro tota communitate Iudæorum offerrentur, an verò duo ex omnibus diſtributivè, id eſt, ex ſingulis duo. Poſtremum ſequuntur plerique recentiores: ſed Ioſephus l. 3. Antiq. cap. 10. dum dicit panes illos cum duobus agnis in cœnam ſacerdotibus apponi ſolitos, & eadem die abſumendos fuiſſe, ſatis indicat, collectiuè intelligendum, neque tam immenſum numerum panum, vno die offerri conſueuiſſe. Adde reliqua omnia quæ ſequuntur de ſacrificiis eo die offerendis intelligi non à ſingulis offerri debuiſſe, ſed à tota communitate, ergo & panes. Erat enim publica quædam recognitio in gratiarum actionem de datis frugibus. Panes autem illi non tam ſacrificabantur, quia erant fermentati, quàm integri offerebantur in vſum ſacerdotum. Præcipua ratio inſtitutionis feſti huius fuit, vt grato animo recolerent ſibi datam diuinitùs legem; eodem enim die celebrabatur quo lex data eſt, vt Hieron. Epiſt. 127. ad Fabiolam, manſione 12. Vnde præfigurabat feſtum Pentecoſtes Chriſtianæ, quâ lex noua Spiritu ſancto deſcendente promulgata eſt, poſtquam regiones albæ ad meſſem Deo meti cœperunt, & ex eis duo panes Gentium & Iudæorum offerri, martyres velut hoſtiæ cædi, hœdi, agni, arietes; id eſt, peccatores, innocentes, Principes Eccleſię.

18. OFFERETISQVE CVM PANIBVS SEPTEM AGNOS, in holocauſtum ſcilicet. Hi agni ſicut & aliæ victimæ hîc præſcriptæ offerebantur nudè velut appendix oblationis primitiarum meſſi, vnde Numerorum 28. v. 27. & ſeqq. aliç hoſtiæ præſcribuntur numero differentes, quæ proinde diſtinctæ à præſentibus intelligi debent, & offerendæ propter ipſam feſtiuitatem, vnde Ioſephus loco cit. vtraſque hoſtias coniungens enumerat præter duos illos agnos in hoſtiam pacificam hœdos duos, vitulos tres, agnos quatuordecim, qui ſcilicet offerendi erant in holocauſtum.

Cvm libamentis svis. Hebraïcè, & libamina eorum & mincham eorum, ſub quibus comprehenditur oblatio farinacea, vnà cum oleo, vino, ſale.

19. Facietis et hircvlvm, id eſt, offeretis, ſeu ſacrificabitis; phraſi apud Hebræos, imò apud Latinos ſæpiùs vſitata. Eodem modo dicitur, *Facies duos agnos hoſtias pacificorum.*

20. Cvmqve elevaverit eos sacerdos, nempe ritu illo renupha, de quo in Exodo diximus, per quem non quidem ſacrificabantur, ſed tamen offerebantur & conſecrabantur Deo; vnde iſte ritus offerendi tribuitur hîc etiam panibus primitiarum, qui tamen tanquam fermentati non poterant ſacrificari Deo Leuit. 2. verſu 11. & 12.

Cedent in vsvm eivs., exceptis tamen illis quæ adolebantur Deo ex omni hoſtia pacifica. Illud tamen in iſtis agnis peculiare fuit, quod illi tanquam hoſtiæ pacificæ ſolis ſacerdotibus offerentibus cederent, cùm in aliis pars deberet cedere laïcis offerentibus. Ratio eſt, quòd hos nulli in particulari offerrent, ſed ſacerdotes ex publico.

24. Mense septimo, prima die mensis. Quartum feſtum Tubarum dictum à tubis eo die clangentibus, cuius cauſa à multis poni ſolet iuxta Iudæos, quod eſſet memoriale liberati Iſaac ab immolatione, & ſubſtituti arietis: ideoque cornibus arietinis clangi ſolitum. Theodoretus quæſt. 32. putat inſtitutum eſſe ad recolendam memoriam tubarum clangentium in monte Sina, cùm lex ferebatur. Rabbi Moyſes 3. parte More c. 45. valde probabiliter tradit hoc ita fieri iuſſum, quod eſſet ille dies principium anni ſcilicet ciuilis, vt alibi diximus: vt tubis clangentibus homines quaſi è ſomno excitarentur ad nouum annum, & fieret ſimul præparatio ad diem ieiunii, ſeu expiationis paulò poſt ſecuturum. Vocatur autem hoc loco dies iſte *ſabbatum*, Hebraïcè requies, ſeu dies in quo ab operibus ſeruilibus quieſcendũ eſt, vt mox explicatur.

27. Decimo die mensis septimi dies expiationvm erit. Quintum feſtum eſt dies ieiunii, ſeu expiationis, ſiue propitiationis qui erat deſtinatus expiandis non ſolum generaliter totius populi peccatis; ſed etiam tabernaculo & Sancto Sanctorum. Ritus eius latè deſcriptus eſt ſuprà toto cap. 16. vnde vt intelligerent quanti momenti res ageretur, præſcribitur afflictio, id eſt, pœnitentia, & ieiunium ſub pœna mortis, & vocatur ſabbatum requietionis, quod ſuprà v. 3. eâdem Hebraicâ phraſi dictum eſt, *ſabbati requies*, id eſt, ſumma requies, tanta ſcilicet quanta in ſabbatto, ita vt nec cibos liceret coquere. Incipiebat autem hæc afflictio.

32. Die nono mensis, ſcilicet ſtatim ab occaſu Solis; vnde fertur hîc generalis lex, a vespera vsqve in vesperam celebrabitis sabbata vestra, id eſt, ab occaſu Solis, ſeu initio noctis vſque ad occaſum Solis celebrabitis feſta veſtra; quæ ſabbata dicuntur, quod omnia participarent aliquid de ſummo illo feſto ſabbati, ſeu de quiete eius. Eccleſia obſeruat aliquid ſimile in templis, inchoando feſta à veſpera, ſed ante occaſum Solis; extra templa à media nocte vſque ad mediam noctem.

34. A qvintodecimo die mensis septimi ervnt feriæ Tabernacvlorvm. Sextum feſtum Tabernaculorum, Græcè Scenopegia, vt vocatur Ioannis 7. verſu 2. & 1. Machab. 10. verſu 21. In cuius vocis etymo tametſi mediæ ætatis ſcriptores, Hugo, Radulphus, S. Thomas, Lyranus, Abulenſis hallucinati ſunt, dum alii putant ſignificare vmbroſam, ſeu vmbraculi comeſtionem, alii communem comeſtionem, attentis tamen tam conſonantibus quàm vocalibus res eſt apertiſſima: deriuatur enim à σκηνὴ id eſt, tabernaculum, & πήγνυμι, id eſt figo, ſeu pango, quaſi dicas, tabernaculorum fixio, vnde ſimili formâ deducuntur, bibliopegus, naupegus. Cauſa feſti primaria fuit, vt recordarentur commemorationis in tabernaculis, in deſerto per 40. annos, & vt ſic illam protectionem & tranſlationem in loca culta grato animo recolerent. Indicantur hęc verſu 43. Electus eſt autem menſis ſeptimus, tum quia maximè idoneus eſt, vt habitetur in tabernaculis, quia nec æſtus, nec frigus nimiùm vrit, vt notat Rabbi Moyſes loco ſuprà citato, tum vt ſimul Deo

gratias agerent de collectis frugibus, vt inſinuatur hîc verſu 39. & Exod. 33. v. 16. ideirco enim magna pars illius menſis, quo maximè vacare poterant poſt collectas fruges, feſtis dedicatus fuit. Quod tempus & à gentibus obſeruatum eſſe, & ſacrificiis conuentibuſque dedicatũ notat Ariſtoteles 8. Ethic. c. 9.

36. DIES OCTAVVS ERIT CELEBERRIMVS. Hebraicè nec de primo, nec de octauo die vllus eſt ſuperlatiuus, ſed eodem modo habetur, vt notauimus ſuprà ad verſum 7. & 8. ſo'ù n enim ſignificatur vtrumque diem eſſe ita ſanctum, vt à ſeruilibus abſtinendum eſſet.

EST ENIM COETVS ATQVE COLLECTAE, ſeptimum feſtum cœtus, ſeu collectæ, non pecuniæ, ſed populi, hoc enim ſignificat vox Hebraïca, & apertè indicat Chaldæus, & LXX. qui exodium vocant, id eſt, vt explicat Theod. q. 32. finem ſeu exitum feſtorum. Dies enim ille octauus, etſi propriè non pertineret ad feſtum Tabernaculorum, quia ſolùm per ſeptem dies durabat, vt eſt verſu 34. erat tamen appendix eius. Nam illo die relictis tabernaculis in vrbem confluebant, repræſentantes quod ex commoratione deſerti, tandem in Palæſtinam, velut ſedem ſtabilem ſalui veniſſent; & inde gratiis actis Deo, redibat quiſq; in domum ſuam. Hinc vocatur ille dies nouiſſimus magnus feſtiuitatis Ioan. 7. v. 37. à magno populi in vrbem ex tabernaculis confluxu.

37. HAE SVNT FERIAE, ſeptem ſcilicet iam enumeratæ, & ab ipſo Deo inſtitutæ, quibus addunt nonnulli feſtum octauum Neomeniæ, ſeu Nouilunii Kalendis cuiuſque menſis. Sed reuera addi non debet. Nam etſi certa ſacrificia in iis offerrentur, vt præſcribitur Numerorum 28. v. 11. & tubis non arietinis, ſed argenteis in eis clangerent, vt eſt Numerorum 10. tamen in eis non ceſſabatur ab operibus ſeruilibus, vnde nec hodie in iis Iudæi ceſſant. Poſtea adiecta ſunt quatuor feſta ab hominibus. Primum *ſortium*, in memoriam liberationis per Eſther factæ 14. die menſis Adar, qui eſt 12. ſeu vltimus, Eſther 9. verſ. 19. Secundum *encæniorum*, id eſt; dedicationis altaris, ſeu purgationis templi factæ per Iudam Machabæum vigeſimaquinta die menſis noni, qui dicitur Caſleu 1. Machab. 4. verſ. 52. & 59. quod honorauit Chriſtus Ioannis 10. v. 22. Tertium *recepti* diuinitùs ignis ſacri 2. Machab. 1. verſ. 18. Quartum in memoriam cæſi Nichanoris pridie feſti ſortium ſcilicet 3. die menſis duodecimi Adar, 2. Machab vlt. verſ. 37. & 1. Machab. 7. verſ. penult. In his ergo ſeptem feriis à Deo inſtitutis offerri debebant varia ſacrificia ex lege præſcripta.

38. EXCEPTIS SABBATIS DOMINI, id eſt, præter ſacrificia ſtata pro ſabbatis, ſi fortè in ea inciderent, ſcilicet duos agnos, qui vltra alios duos iugis ſacrificii in ſabbatis offerebantur, vt habetur Numerorum 28. verſ. 3. & 9. item exceptis DONIS, ET VOTIS VESTRIS, id eſt, iis quæ vel ex liberali deuotione, vel ex voto offerre volueritis.

40. SVMETISQVE VOBIS DIE PRIMO, non ſolo, vt putauit Abulenſis, ſed ab eo incipiendo & continuando per totos 7. dies ſequentes, vt indicatur v. 41. FRVCTVS ARBORIS PVLCHERRIMAE, non vt ex iis fiant tabernacula, vt videntur quidam putare, ſed vt geſtentur manibus, vt expreſsè Ioſeph. 3. Antiq. c. 10. qui feſti illius celebrationem ſæpius vidit, & Rabbi Moyſes 3. parte More c. 34. vbi ipſe ſicut & Chaldæus dicit hanc arborem fuiſſe Citrum, cum quibus Ioſephus loco cit. conuenit, quando malorum Perſicorum meminit: Nam mala citria vocantur & Perſica, quia ex Perſide in Italiam tranſlata. Intellige autem fructus ex ramis ſuis dependentes; neque Ioſephus contrarium dicit, ſi Græca conſulas.

SPATVLASQVE, ſeu ramos, vt LXX. & Hebræa, PALMARVM ET RAMOS LIGNI DENSARVM FRONDIVM, conueniunt Hieronym. in verſ. 16. cap. 14. Zachariæ, Ioſephus, & Rabbi Moyſes ſignificari myrtum, denique SALICES DE TORRENTE, quia torrentibus gaudent. Vtebantur his ramis, quia facilè per ſeptem dies virent & virore pulchri manent, & in Paleſtina facilè haberi poterant, denique quia quædam arbores ex illis odoratæ ſunt vt cytrus & myrthus, quædam inſignes fructus ferunt, vt

cytrus & palma. Nam horum ramorum geſtatione recordabantur & gratitudine debita recolebant ſe ex terra deſerta, aquis, arboribus & fructibus deſtituta in terram optimorum fructuum, frondium & aquarum eſſe tranſlatos. Quid per illas arbores allegoricè ſignificaretur tractat Hieron. in cap. 14. Zachariæ citato itemque Radulphus & Heſychius. Quid verò per ſingula iſta feſta ſignificetur proſequitur S. Cyrill. toto lib. 17. de adoratione.

CAPVT XXIV.

PRæter oblationem ſacrificiorum in altari, ſiue holocauſtum, ſiue thymiamatis de quibus abundè, tum hoc libro, tum in Exodo dictum fuit, erant alia duo ſacerdotum officia. Primum accenſio lucernarum quotidiana quæ *iugiter*, id eſt, ſingulis noctibus ardebant in Sanctuario, *ponebat autem eas Aaron* tanquam ſacerdos: nam à quolibet ſacerdote miniſtrante accendi poterant veſpere, manè verò extingui debebant, vt latiùs diximus ſub finem c. 27. Exodi. Alterum officium eſt propoſitio panum nouorū ſingulis ſabbatis, de quibus hoc cap.

5. COQVES EX EA DVODECIM PANES, non per te, ſed per ſacerdotes, vel etiam Leuitas. Nam iſtud officium præparandi panes, videtur, vel prima inſtitutione, vel certè poſtea ſub Dauide ceſſante geſtatione tabernaculi tranſlatum fuiſſe ad Leuitas, vt indicari videtur 1. Paralip. 9. verſu 32. tametſi per ſacerdotes coram Domino offerrentur. Hi duodecim panes erant duodecim tribuum quæ per hoc proteſtabantur, ſe à Deo iugiter ali.

QVI SINGVLI HABEBVNT DVAS DECIMAS, id eſt, duas decimas partes Ephi, ſeu vnam quintam eius partem; decima autem pars Ephi eſt gomor: & conſequenter quiſque tantus erat, quantum duo viri validi vno circiter die comedere poſſent, continebat enim circiter octo libras maiores farinæ, ſiue decem libras minores, & ſex vncias, iuxta ea quæ diximus de gomor in verſ. 36. cap. 16. Exodi.

6. QVORVM SENOS ALTRINSECVS STATVES, id eſt, alteros contra alteros, ita ſcilicet, vt quemadmodum clariùs dicunt Hebræa & LXX. ſint duo ordines panum, quorum quiſque ſex contineat, inſtar ſcilicet duarum turrium; menſa enim illa *puriſſima*, id eſt, aurea erat valde exigua, ita vt non poſſent ſinguli ſeorſum poni. Panes autem iſtos acetabulis aureis impoſitos fuiſſe & supernè tectos diximus in Exod. c. 25. v. 29.

7. ET PONES SVPER EOS THVS, quod cùm ſoli Deo offerri ſoleat, ſignificabat & panes Deo offerri per ignem quo thus comburebatur, hoc enim indicat, id quod ſequitur; VT SIT PANIS IN MONVMENTVM OBLATIONIS DOMINI, id eſt, vt thus ſit monumentum, ſeu ſignum quod panis Deo oblatus ſit: quem ſenſum maximè videntur Hebræa poſtulare. Per ſingula autem ſabbata mutabantur, ne muceſcerent, vel nimium ſicci fierent, & comedi non poſſent.

8. SVSCEPTI, per ſacerdotem, A FILIIS ISRAEL, qui farinam eorum offerebant, FOEDERE SEMPITERNO, quia ſignum fœderis erant & commemoratio eius: vnde non obſtante ſchiſmate Ieroboam, imò abductione cæterarum tribuum in perpetuam captiuitatem, manſit iſte ritus offerendi 12. panes: de quibus breuiter & conformiter ad ea quæ diximus: ſic Ioſephus lib. 3. Antiq. c. 10. qui rem vidit. Coquuntur bini panes pridie ſabbati, & ſabbato manè proponuntur in ſacra menſa duobus ordinibus ſeni ex aduerſo ſe reſpicientes, atque ita cum duabus lancibus thure plenis permanent vſque ad proximè ſequens ſabbatum. Tum demum alii pro illis recentes ſupponuntur, & hi priores ſacerdotibus in cibum dantur; thus autem igne adoletur, quo ad holocautomata vti ſolent, & pro eo quoque aliud cum panibus proponitur. Hæc ille. Cui addit Vilalpando libr. 4. de templo cap. 57. etiam vinum addi ſolitum, idque probari ex menſa in arcu triumphali Titi quę Romę ſculpta eſt, quod vel eodem die quo offerebatur, vel in ſabbato quando mutabantur libabatur Deo. Salem etiam adiunctum fuiſſe indicant LXX. hic verſ. 7.

9. ERVNTQVE AARON ET FILIORVM EIVS, nempe maſculorum in ordine vicis ſuæ per ſeptimanam miniſtrantium, VT

COMEDANT EOS IN LOCO SANCTO, ſcilicet in atrio, quod ſignum erat magnæ ſanctitatis, & idcircò vocatur SANCTVM SANCTORVM, id eſt, ſanctiſſimi DE SACRIFICIIS DOMINI, ſeu de oblationibus ignitis, vt eſt Hebraïcè, quia ratione thuris adiuncti, per ignem adolebantur Deo; vel ſacrificium ſimpliciter pro oblationibus ponitur. Ex his patet cur Chriſtus dixerit Matth. 12. v. 5. ſolis ſacerdotibus licuiſſe comedere panes illos.

Allegoricè panes iſti ſignificant panem illum, qui de cœlo deſcendit, Euchariſticum, vt iudicat Cyrill. Catecheſi myſtagogica 4. & Orig. Hom. 13. in Leuit. qui tamen prolixè oſtendit, etiam ſignificare verbum Dei, quo mens alitur, & fusè applicat ſingula.

10. ECCE EGRESSVS FILIVS MVLIERIS ISRAELITIDIS. Egreſſio non ſignificat hîc exitum è domo vel caſtris, ſed venire & accingere ſe ad aggrediendum aliquid, vt patet multis Scripturæ locis, Exod. 2. verſ. 1. Deut. 11. verſ. 13. & alibi.

11. CVMQVE BLASPHEMASSET NOMEN, nempe illud ſanctum Dei, quod Hebraïcè hîc exprimitur antonomaſticè *illud nomen*. Blaſphemiæ iſtius pœna ſtatuitur, vt

14. PONANT OMNES QVI AVDIERVNT, tamquam teſtes blaſphemiæ, MANVS SVAS SVPER CAPVT EIVS. Qua ceremonia ſignificabant primò ſe affirmare, quòd res ita verè contigiſſet, & caput iſtud eſſet reum, & morti obnoxium; ſecundò, quia peccata impunita redundant in Rempublicam diſſimulantem ſe illud à ſe amouere in ipſum, qui commiſiſſet crimen, quaſi tacitè rogantes Deum, vt illum puniendo pœnam à ſe & à Republica auerterent. Vnde Salomon cùm occideret Ioab precatur, vt ſanguis innocens ab eo fuſus reuertatur in caput Ioab, & amoueatur à ſe, & à domo ſua. 3. Reg. 2. verſ. 31. 32. & 33. Hinc ex iſta lege videtur ritus fuiſſe ſolemnis teſtantium aduersùs reos, etiam in aliis criminibus, vt patet in adulterio Danielis 13. v. 34. Rectè autem ſtatuitur pœna mortis in blaſphemum, quia cùm creatorem interficere non poſſit, ferit eum linguâ, inquit Theodoret. in fine quæſt. 33. in Leuit. eâdem igitur pœnâ plectitur, vt homicida v. 17. Nam quod v. 22. dicitur, qui percuſſerit hominem, punietur, genus pœnæ pro ſpecie ponitur; nam Hebraïcè eſt, *morietur*.

CAPVT XXV.

2. QVANDO INGRESSI FVERITIS TERRAM. Ergo ante terram ſibi ad colendam traditam, non incipiebant numerari anni: ſed tantùm à primo die diſtributionis & poſſeſſionis & culturæ.

SABBATIZES SABBATVM DOMINI. Hebræa & LXX. legunt in tertia perſona, ſabbatizabit, ſeu requieſcet terra ſabbatum Domino, id eſt, ſineris, vt etiam terra requieſcat ſabbatum ſuum ſeptimum, ſcilicet annum, non in fomentum ſegnitiei, ſed in honorem & cultum Domini, vnde mox vocatur, *ſabbatum requietionis Domini*, Nam vt Aug. quæſt. 91. in Leuit. ipſa vacatio terræ quam Deus poſtulabat, erat velut merces habitationis aut redemptio ab illo, cuius erat, hoc eſt, ab eius creatore Deo, nempe inſtar homagii Domino ſuo repenſi.

3. SEX ANNIS SERES AGRVM ET PVTABIS VINEAM, per hæc duo omne agriculturæ genus indicatur, & anno ſeptimo vetatur. Neque enim ſi putanda non erat vinea, aranda erat, aut adminiculis ſuſpendenda, vel oliuetum, aut quilibet alterius generis ager colendus erat, vt notat Aug. quæſt. 89. ſed illo anno ſeptimo, ſicut nec agrum colere, ita nec metere ſponte nata poterant, neque colligere.

5. VVAS PRIMITIARVM, id eſt, ex quibus Deo primitias ſeparare, & offerre ſolebant, QVASI VINDEMIAM, nempe in ſuos tantùm vſus recondendam, ſed debebant omnia relinqui communia, tum ſuis, tum aliorum neceſſitatibus. Cauſas vide dictas Exod. 23. v. 11. Porrò prærogatiuas huius anni ſeptimi ſupplet Scriptura alibi. Nam Exod. 21 v. 2. iubentur dimitti omnes ſerui Hebræi. & Deuter. 15. v. 2. omnia omnino debita Hebræorum præcipiuntur expungi, denique c. 31. v. 10. iubetur, vt eodem anno in ſolemnitate Tabernaculorum menſe ſeptimo toti populo confluenti prælegatur lex.

8. Nvmerabis tibi qvoqve septem hebdomadas annorvm, incipiendo computum illum à primo anno, quo vobis diſtributa, & poſſeſſa eſt terra Chanaan, qui ſine dubio erat profanus, quia terra tunc coli incipiebat, non ſabbaticus: nam ille erat ſeptimus poſtea ſecututus, vt enim præceſſit, ſex integros annos ante primum ſabbaticum terra coli debebat; ſicut poſt ſex dies laboris ſeptimus dies eſt ſabbatum. Itaque ſeptem hebdomadæ annorum præciſè conficiunt annos quadraginta nouem,

9. Et clanges bvccina, non argenteâ, cuiuſmodi fieri iubentur. Num.10. quarum in Neomenii, & aliis feſtis erat vſus, ſed buccina, ſeu turba cornea, vt transfertur Pſal. 97. v.6 Hebraicè *ſophar*. Huius in Iubilæo erat vſus, vnde Ioſue 6. v. 4. contra Iericho iubentur ſum buccinæ, quarum vſus eſt in Iubilæo, qua de re Hieronym. in v.8.c.5. Oſeæ, ſophar buccina paſtoralis eſt & cornu recuruo efficitur.

Mense septimo, decima die mensis, propitiationis tempore, id eſt, in die decimo menſis ſeptimi, qui erat generalis expiationis dies, intellige autem menſem ſeptimum eiuſdem anni 49. de quo præceſſit: nam ab illo menſe incipiabat annus ciuilis & ſabbaticus, & Iubilæus, eò quod ex illo regulari deberet ſementis illius anni, quæ tunc incipit, & meſſis anni ſequentis, quæ inde dependet. Vnde ſequitur,

10. Et sanctificabis, ſeu conſecrabis Deo, annvm qvinqvagesimvm, qui ab illo menſe ſeptimo, ſeu in autumno incipit, & durat vſque ad menſem ſeptimum, ſeu autumnum anni ſequentis. Ex quibus manifeſtum videtur, impoſſibile eſſe, vt annus Iubilæus fuerit ille idem 49. hoc eſt, ſeptimus ſabbaticus: ille enim nulla ratione, vel computu poteſt eſſe 50. ſicut vocatur, tum hic, tum iterum v.11. ſed tantùm poteſt eſſe 49. Nam quod Scaliger de emendatione temporum, & alii nonnulli reſpondent vocari quinquageſimum, quia computatur à Iubilæo præcedente incluſiuè, nullo pacto locum habere poteſt in primo Iubilæo de quo hîc maximè tractatur. Nam tunc nullus Iubilæus præceſſit, qui poſſit incluſiuè computari. Et conſequenter non poteſt etiam locum habere in ſequentibus; quia primo conformes ſunt. Itaque eodem modo computabatur annus Iubilæus, tamquam quinquageſimus annus poſt ſeptem hebdomadas annorum, ſicut Pentecoſtes, ſeu dies quinquageſimus poſt ſeptem hebdomadas dierum, vnus enim dies adiiciebatur, ſicut & hîc vnus annus, vt fieret quinquageſimus, tamquam Pentecoſte annorum. Et ita poſt Scripturam computant veteres, Hieron. Epiſtola 127. ad Fabiolam, Euſebius in Chronico, & alij. Sequitur ex his pari certitudine, neceſſarium fuiſſe, vt primo & ſeptimo quoque Iubilæo duo anni ſibi conſequentes eſſent ſacri, ſeu otioſi, nempe annus 49. tamquam ſabbaticus ſeptimus, & quinquageſimus ſequens, tamquam Iubilæus. In ſecundo autem Iubilæo diſtabat annus Iubilęus à ſabbatico, vno anno interiecto, in tertio duobus interiectis, & ſic deinceps vſque ad ſeptimum, vbi iterum ſe immediatè conſequuntur: Nam Iubilæus ſemper computabatur à præcedente Iubilæo excluſiuè, ſiue ille eſſet ſimul annus ſabbaticus, ſiue non: vnde neceſſe erat, vt ſinguli Iubilæi vnum annum adiicerent ad ſeptem ſabbaticos, ſiue ad annos 49. Quod verò aliqui afferunt tamquam incommodum magnum, quòd aliquando duo anni otii, ſic ſe mutuò conſequerentur, non debet videri mirum attentâ illâ promiſſione Dei, v. 21. vbi promittuntur fructus trium annorum.

10. Et vocabis remissionem, id eſt, promulgari curabis remiſſionem generalem, primò ſeruorum omnium qui genere eſſent Hebræi, ita indicatur v. 40. proinde etiam illorum qui anno ſeptimo exire noluerant, de quibus Exod. 21. verſ. 6. deinde terrarum venditarum, quæ redibant ad priſtinos dominos, vt infrà; denique etiam debitorum. Quod etſi non exprimatur competere Iubilæo, ſed tantum anno ſeptimo, quia tamen etiam in Iubilæo generalis erat remiſſio, videtur etiam illorum relaxatio eſſe facta.

Ipse est enim Ivbilævs, Hebraicè *Iobel ipſe erit vobis*. Iobel autem quid ſignificet,

magna contentio eſt: Pleique volunt ſignificare arietem vt Buxtorſius, Chaldæus, & Akiba, & multi Hebræi, quod ex Arabica lingua confirmant. Alii ipſum cornu arietinum, vt Pagninus & alii, & inde Iubilæum annum vocari, quod cornu arietino promulgaretur. Alii deducunt à *Iabal* quod in hiphil format *houbal*, & ſignificat adducere ſeu producere. Vnde Iobel volunt ſignificare productionem ſonitus ſeu clangoris, hoc eſt, iubilum. Nam latinum iubilare inde videtur eſſe deductum. Ita Valentinus Schindlerus. Quæ ſententia valdè veriſimilis eſt. Sic enim Exod. 19. verſu 13. dicitur Hebraicè, Cùm protractus fuerit Iobel, id eſt, clangor buccinæ. Et ita dictus eſſet vlteriùs Iubilæus, eò quòd Iabilus ſeu clangor buccinarum perſtrepebat per omnes ciuitates adducens remiſſionem & libertatem: quam etymologiam quòd ſcilicet adduceret libertatem & remiſſionem, nonnulli genuinam eſſe volunt, eò quòd Ioſephus libro 3. Antiquitatum cap. 10. dicat Iobal ſignificare libertatem: & Hieron. in nominibus Hebræis in Geneſ. Iobel interpretatur dimittentem.

Revertetvr homo ad possessionem svam, immobilem ſcilicet; illa enim ad primum dominum reuertebatur, etiamſi ſexcenties fuiſſet vendita, & conſequenter reuertebatur homo ad familiam ſuam, cui bona certa fuerant in prima diuiſione aſſignata. Ex quo ſequitur venditorem talium bonorum tametſi transferret dominium, habuiſſe tamen magis ſpeciem, & effectus locationis cuiuſdam quàm venditionis; vnde etiam pretium erat maius vel minus pro rata annorum reſtantiū vſque ad Iubilæum, vt eſt v. 14. & ſeqq. Cauſa talis inſtitutionis erat, ne tribus & familiæ confunderentur; ne vnus pecunioſior omnia emendo ad familiam ſuam traheret; ne nimis affligeretur ille quem paupertas ad vendendum poſſeſſiones ſuas adigeret, dum ſpes eſſet recuperandi pro nihilo. Hoc indicatur eodem verſ. 14. & 17. dum dicitur, *Nolite affligere contribules veſtros*, ſcilicet volendo eos contra legem meam ad venditionis perpetuitatem digere. Denique cauſa erat, vt ſic affectum Iudæorum à terra auelleret. Hac enim poſſeſſionum reuerſione perpetuò admonebantur, terram non eſſe ſuam, ſed Dei: ſe autem eſſe aduenas & colonos eius, vt habetur infrà v. 23. quaſi diceret, inquit Theodoret, qu. 35. Ego terram vobis donaui, itaque tamquam dominus eius hanc legem vobis condo.

24. Cvncta regio possessionis vestræ svb redemptionis conditione vendetvr. Hæc eſt alia lex à præcedente, qua tribuitur ius redemptionis extra annum quinquageſimum, quam nos nunc vulgò vocamus approximationem. Hoc autem ius redemptionis ſeu approximationis extenditur hîc non ſolùm ad propinquos ſanguine, ſed etiam ad ipſum venditorem, ita vt non ſolùm ſtatim aut intra annum, vt nunc fieri ſolet, ſed quocumque tempore ante Iubilæum poſſet redimere poſſeſſionem ſuam redditi pretio, & quidem minori quam acceperat, detrahendo ſcilicet pro rata annorum quibus emptor poſſeſſione venditâ vſus fuerat, quemadmodum ferè ſolet fieri in locatione & conductione. Patent hæc verſ. vigeſimo ſeptimo.

29. Qvi vendiderit domvm, &c. hoc v. & ſeqq. moderatur legem redemptionis domorum, ita vt domus vrbanæ, ſeu in vrbibus ſitæ non poſſent redimi niſi intra annum; quo euoluto ſine redemptione ne quidem in Iubilęo redibant ad poſſeſſorem: ratio erat, quia per domus non fiebat tribuum vel familiarum diſtinctio; illæ enim facilè caſu aliquo deſtruūtur & nouę fiunt. Villæ verò in agris quorum pars erant. Similiter ædes Leuitarum vrbane, adeoque ipſæ vrbes eorum, vt addit Hebræus, ſemper poterant redimi, quia illæ domus

33. Levitis pro possessionibvs svnt. id eſt quia ſunt iis loco fundorum ſeu agrorum quibus carent. *Suburbana* autem non poterant vllo modo vendi, quia ſine illis eorum pecora non poterant ali.

44. Servvs et ancilla svnt vobis de nationibvs. Intellige ſeruos abſolutè ſeu perpetuos, idque etiamſi eſſent circumciſi. Nam ſerui omnes, debebant circumcidi

cumcidi

circumcidi ex lege Geneſ. 17. ſerui ergò Iudæi erant potius mercenarii vſque ad annum ſeptimum, vel ſi illo non exirent propter amorem vxoris aut liberorum, vt eſt Exod. 21. vſque ad Iubilæum. Et hoc eſt quod hîc dicitur v. 42. *non veneant conditione ſeruorum*, ita ſcilicet vt opprimantur per potentiam, & in perpetuam ſeruitutem rapiantur. Ex quo colligitur proſelytos, id eſt, ex aliis nationibus ad Iudaïſmum conuerſos non fuiſſe participes priuilegiorum anni ſabbatici, vel Iubilæi.

47. SI INVALVERIT APVD VOS MANVS ADVENÆ. Hæc lex tangit Iudæos qui ſe venderent in ſeruos proſelytis diuitibus in Iudæa habitantibus. De quibus ſtatuit, Primò vt non ſolùm à ſeipſis, ſed etiam à propinquis poſſent redimi quolibet tempore, quemadmodum præſcribitur de agris verſ. 25. & 26. Secundò quod in reddendo pretio redemptionis ſeruus debeat detrahere tantum quantum reſpondet laboribus annorum quibus ſeruiuit, eo modo ac ſi fuiſſet mercenarius. Tertiò ſi non ſe redimeret, liber exibat in Iubilæo. Quod quidam intelligunt tantum Iubilæo, & non in anno ſeptimo, eo quod anni ſeptimi nulla hîc fiat mentio. Sed parum hoc vrget, nam ſcriptura non vult hîc tangere priuilegia anni ſeptimi, ſed tantum Iubilæi. Vnde etiam de ſeruo qui ſe vendidit domino Iudæo, dicitur verſu 40. quod vſque ad annu Iubilæum operabitur, cùm tamen conſtet etiam anno ſeptimo exire potuiſſe. Itaque videtur veriſimile, talem ſeruum proſelyti gauiſum fuiſſe communi iure ſeruorum Hebræorum, vt poſſet etiam exire anno ſeptimo, quemadmodum generaliter ſtatuitur Exod. 21. quod ſi nollet tunc exire amore forſitan vxoris aut liberorum, exire tantum anno Iubilæo. Cùm enim proſelytus tantum eſſet inſertus Iudaïſmo & legibus eius, ratio eſſe poterat cur ipſe non frueretur omnibus priuilegiis anni ſeptimi vel Iubilæi, vt ſupra diximus, ſed non videtur eſſe ratio, cur ipſe maiori iure gauderet in ſeruos Hebræos quàm naturales Iudæi.

Allegoricè Cyrillus in fine lib. 17 de ado- Pentateuch. ratione, ſabbatum, inquit, poſt ſex dies laboris ſignificat requiem à curis terrenis atque diſtractionibus quæ per Chriſti legem allata eſt: Iubilæus verò extremum tempus vniuerſalis remiſſionis in fine mundi, cùm vnuſquiſque ad ſuam poſſeſſionem id eſt, ad paradiſum cœleſtem & conuenientem ſibi ſortem pro meritis cuiuſque tributam reuertetur. Fit mentio buccinæ, quæ hæc bona nuntiat, quia mortuorum reſurrectio per tubæ ſignificationem & vocem Angeli futura eſt.

CAPVT XXVI.

1. NEC TITVLOS ERIGETIS. Titulus dicitur quaſi titulus iuxta Feſtum, quia rei alicuius memoratu dignæ memoriam tuetur. Vnde hic ſignificat quidquid idolo vel diis falſis inſcribitur. Vnde Hebręus clariùs vocat ſtatuam & LXX. lapidem aut columnam in memoriam alicuius rei ſtatutam.

NEC INSIGNEM LAPIDEM, id eſt, lapidem picturis inſignitum ſeu pictum cælatumque ſignis idolicis vel in modum idoli.

3. DABO VOBIS PLVVIAS TEMPORIBVS SVIS. Numerantur hic 28 benedictiones obſeruatoribus legis dandæ: infrà verò multò plures maledictiones infligendæ contemptoribus. Prima eſt hæc de danda pluuia temporibus ſuis. Quod per magnum beneficium eſt maximè in regionibus calidioribus. Tractat omnes iſtas benedictiones accurate, iuxta ſenſum myſticum Orig. Hom. vlt. in Leuit. eadem habentur apud Cyrillum lib. 16. in Leuit.

5. APPREHENDET MESSIVM TRITVRA VINDEMIAM, id eſt, meſſium tritura durabit vſque ad vindemiam præ frugum abundantia. Nam in calidis regionibus fruges non excutiuntur flagellis, ſed teruntur inſtrumentis quibuſdam, ita vt tota palea comminuatur.

ET VINDEMIA OCCVPABIT SEMENTEM, durando ſcilicet præ copia, vſque ad tempus ſementis.

10. COMEDETIS VETVSTISSIMA VETERVM, id eſt, comedetis vetera diutiſſimè ſeruata propter affluentiam quam nouo po-

tuiſtis conſumere. Quin etiam tanta copia erit, vt eam abiicere cogamini propter affluxum fructuum nouorum.

16. VISITABO VOS IN ARDORE, Hebraïcè, *chaddachat*, quod ſignificat genuinè ægritudinem præ nimia caliditate exurentem. Vnde alij vertunt ignem oſſium, alij carbunculum; alij ignem ſacrum, nonnulli ardentem febrim, quæ à feruore ſic dicitur. LXX. *Ictherum*, id eſt, morbum regium qui oritur vel ex diffuſione bilis flauæ & calidiſſimæ per totum corpus, vel ex intemperie ſicca & calida. Vnde omnes conueniunt, quòd ſignificet morbum qui exurit hominem, ideoque QVI CONFICIAT OCVLOS VESTROS, quia exurens calor multum infeſtat oculos: ET CONSVMAT ANIMAS, id eſt, vitas veſtras.

19. DABOQVE VOBIS CÆLVM DESVPER SICVT FERRVM. Non quòd elementorum natura mutetur, ſed quòd per æs & ferrum pœnarum magnitudo monſtretur, inquit Ambroſ. tract. in Symbolum: quod explicat lariùs Epiſtola ad Romulum. Cœlum enim eſt ferreum, cùm imbres ita negat vt in rigorem quaſi ferri ſolidatum putetur. Eſt verò *terra anea*, cùm prouentus abnuit & iacta ſibi ſe nina, inquit, tamquam hoſtili duritiâ genitali excludit aluo, quæ gremio ſolet blandæ matris fouere.

23. SI AMBVLAVERITIS EX ADVERSO MIHI. Nolendo mihi obedire, ſed faciendo potius contraria,

24. EGO QVOQVE CONTRA VOS ADVERSVS INCEDAM, id eſt, ero vobis aduerſarius ſeu contrarius. Origenes ex LXX. legit, *ſi ambulaueritis obliqui*, per peccata ſcilicet à iuſtitia mea deuiantes, ego quoque *obliquus incedam*, quia tamquam Sol iuſtitiæ à quo deflectitis, radios obliquos mittam, quibus non tam illuminemini quam obduremini. Vtriuſque facilitatem, inquit, obtinet Sol illuminandi & obdurandi pro diuerſitate materiæ. Ita Homilia 2. in Canticum.

ET PERCVTIAM VOS SEPTIES, id eſt, multiplicibus plagis, quia ſeptenarius perfectionis index eſt. Hæc autem gradatio inferendi 7. plagas, id eſt, multò plures prioribus, repetitur hoc capite quater, v. ſcil. 18. 21. 24. & 28.

26. POSTQVAM CONFREGERO BACVLVM PANIS VESTRI, id eſt, hoſtibus trademini poſt ablatum ſuſtentaculum panis, ſeu firmamentum panis, vt eſt Pſal. 104. quod ſimili Hebraïca phraſi vocatur Iaiæ 3. robur ſeu fulcimentum panis. Hoc eſt ergo, poſtquam afflicti & exeſi fueritis inediâ & fame.

ITA VT DECEM MVLIERES, &c. Quo ſignificatur, tantam penuriam frumenti & farinæ futuram, iuxta Theodor. quæſt. 36. vt vnus clibanus ſufficiat ad coquendum panes pro decem familiis. ET REDDANT EOS AD PONDVS, id eſt, & diſtribuant eos poſtea liberis ſuis propter paucitatem, non quantum fames poſtulat, ſed ad pondus: hoc enim indicat id quod ſequitur, *& comedetis & non ſaturabimini*.

30. DESTRVAM EXCELSA VESTRA, id eſt, templa idolorum in editis locis, more gentilium, à vobis ædificata,

ET SIMVLACHRA CONFRINGAM. Hebraïcè eſt *hammenim* ab *hama* Sol: ſignificat enim ſimulachra Soli colendo dedicata, & vti tradunt, in ſimilitudinem orbis ſolaris facta. Hanc idololatriam apud Iudæos viguiſſe patet ex 4. Reg. 23. verſ. 11. vbi Ioſias abſtulit equos à Regibus Iuda Soli datos, & currus Solis combuſſit igni. Deſcribit iſtam idololatriam Rabbi Benjamin in Itinerario ſuo, frequentes aras & magnas extra vrbem Soli fuiſſe dedicatas, & in ſingulis aris ſimulachra ad ſimilitudinem orbis ſolaris magicis artibus conſtructa. Sole, inquit, oriente, orbes illi incendi videntur, magnoque ſtrepitu ſonant. Habent autem ſinguli ſingulas acerras in manibus tam fœminæ quàm viri, omneſque pariter Soli thura adolent. Hæc ille. Aliqui intelligunt ſimulachra Iouis Hammonij, quẽ Macrobius in Saturnalibus Solem occidentem fuiſſe in Lybia exiſtimatũ tradit, & cornibus arietinis fictum, quibus maximè id animal valet, ſicut Sol radiis.

34. TVNC PLACEBVNT TERRÆ SABBATA SVA, id eſt, tunc terra fruetur cum gaudio quiete ſuâ; quam ei dandam ſeptimo anno lege meâ præſcripſeram, neque de nimia cultura conqueretur bobus inde expulſis. Eſt tranſlatio à rebus animatis ad inanimatas.

35. ET REQVIESCET. Hebraïcè eſt perpetua metaphora ſabbatizandi attributa terræ, EO QVOD NON REQVIEVERIT IN SABBATIS VESTRIS, id eſt, in pœnam etiam iſtius peccati, quòd non permiſiſtis eam ſabbatum agere in ſabbatis ſiue dierum ſiue annorum à me præfixis. Vnde notat Theod. q. 37. Iudæos pulſos fuiſſe ſua terra per annos 70. in captiuitate Babylonica, & Septuaginta eſſe ſeptimam partem 390. annorum (legendum 490.) qui fluxerunt à regno Saülis vſque ad captiuitatem, vt proinde ſeptuaginta illi anni fuerint quaſi ſabbatum terræ datum in compenſationem profanationis præcedentis.

36. TERREBIT EOS SONITVS FOLII VOLANTIS. Locutio hyperbolica, quia ſcilicet, vt Auguſtin. quæſt. 94. in Leuit. nimius in eis timor erit, vt & leuiſſima quæque formident. Illa enim ſolet eſſe pœna ſceleratæ conſcientiæ, quam in Iudæis etiam hodie experimur.

39. TABESCENT IN INIQVITATIBVS SVIS, id eſt, contabeſcent ſeu phtiſi ac tabe conſumentur in terra hoſtili, idque IN INIQVITATIBVS SVIS, ſeu propter iniquitates ſuas & parentum ſuorum, quos imitati ſunt. Quibus pœnis eos affligam.

41. DONEC ERVBESCAT INCIRCVMCISA MENS EORVM, id eſt, donec animus eorum immundus & vitioſus tandem aliquando de peccatis ſuis erubeſcat & ea pœnitendo fateatur. Circumciſio enim ad animum tranſlata purgatio eſt vitiorum & munditiam ſignificat, incircumciſio immunditiam: vnde cor & aures incircumciſæ, Actorum 7. verſ. 51. dicuntur.

44. ET TAMEN CVM ESSENT, &c. Prophetia & promiſſio eſt de futuro per verba præteriti temporis ad indicandam rei futuræ certitudinem. Vnde etiam pleræque pœnæ hìc intentatæ eodem modo reipſa Iudæis inflictæ ſunt & infliguntur, ſicuti hìc expreſſæ ſunt. Vt patet de comedendis carnibus filiorum 4. Reg. 6. v. 29. & ex Ioſepho de obſidione Hieroſolymitana: quod etiam de multis reliquis oſtendi poteſt. Ad hanc autem periodum mirificè lætantur in Synagogis Iudæi, pingendam que dicunt primam eius vocem *veaph.* aureis characteribus, vocantes eam auream ſimiam cò quòd Germanicè *aef* ſignificet ſimiam, pollicentur enim ſibi certam liberationem ex hodierna captiuitate, vt tradit Valentinus Schindlerus.

CAPVT XXVII.

2. HOMO QVI VOTVM FECERIT, ſiue per ſeipſum, ſiue per parentes ſuos. Nam vota per alios facta hìc etiam comprehendi patet ex verſ. 6. pueri enim vnius menſis per ſe vouere non poſſunt.

ET SPOPONDERIT DEO ANIMAM SVAM, id eſt, vitam ſuam Deo per votum dedicauerit impendendam in vſus tabernaculi. Nam quamuis miniſteria immediata circa tabernaculum & altare, ſolis Sacerdotibus & Leuitis incumberent & licerent, multa tamen inferiora ab aliis fieri poterant in miniſterium Leuitarum, vt ferre ligna & aquas, verrere atria, & ſimilia; ad quæ Gabaonitæ ſeu Natinæi fuerunt à Ioſue deſtinati, Ioſue 9. verſ. vlt. & à Dauide 1. Eſdræ 8. verſ. 20.

SVB ÆSTIMATIONE DABIT PRETIVM, hìc infrà taxatum: quam redemptionem duabus de cauſis ſanxit Deus. Primò vt per eam ſuppeteret vberior ſuſtentatio ſacerdotibus. Nam ad illos hoc pretium ſpectaſſe, patet Num. 18. v. 14. & hìc infrà v. 21. Deinde ne tabernaculum nimia multitudine vouentium & victu eorum grauaretur. Denique quia videbat Deus Gabaonitas ingenti numero poſtea ad illa ſeruilia & quaſi mancipiorum miniſteria eſſe dedicandos. Vnde ſi qui ſe deuouerent Deo ad alia opera pietatis, vt fiebat à Nazaræis, illa vota non poterant redimi. Pretium autem taxatur hic per *ſiclos ſanctuarij*, quia iuſtiſſimi ponderis erant, idque diuerſum pro viris, & fœminis, & pueris, quia ad labores pluris valet vir quam fœmina, aut puer.

9. ANIMAL AVTEM QVOD IMMOLARI POTEST, &c. SANCTVM ERIT, id eſt, firmiter conſecratum erit Deo, ita vt nullo pacto vel redimi, vel mutari poſſit, ſed debeat immolari. Mutatio enim iſta facilè fraudes peperiſſet. Omnia autem reliqua

ſiue viuentia, ſiue inanimata, excepto tali animali, redimi poterant.

13. ADDET SVPRA ÆSTIMATIONEM QVINTAM PARTEM. Statuit hoc duabus de cauſis: primò ne homines, eſſent faciles ad redimenda vota ſua; habet enim ſpeciem quamdam pœnitentiæ: alioquin enim pecuniam ipſam potuiſſet vouere. Deinde, vt iſta quinta pars eſſet compenſatio quædam pro eo quod vouens poſſet ante omnes alios rem ſuam taxato pretio redimere.

16. IVXTA MENSVRAM SEMENTIS ÆSTIMABITVR PRETIVM, & conſequenter iuxta quantitatem agri: quò enim eſt ager maior, eò plus vel minùs ſeminis impendi debet, vt ſeratur.

SI TRIGINTA MODIIS HORDEI SERITVR TERRA, QVINQVAGINTA SICLIS VENVNDETVR ARGENTI, nempe quotannis, ita vt illi quinquaginta ſicli eſſent quaſi pretium elocationis in ſingulos annos. Et hinc eſt quod ſtatim iubetur pretium augeri, vel minui, pro rata diſtantiæ Iubilæi, ita ſcilicet, vt ſi Iubilæum diſtaret adhuc ſexennio, darentur trecenti ſicli, id eſt, ſexies quinquaginta pro tali agro.

17. SI STATIM AB ANNO INCIPIENTIS IVBILÆI, &c. QVANTO VALERE POTEST, TANTO ÆSTIMABITVR, id eſt, omnes quinquaginta anni integri computari debent, nullo detracto, ita vt pro agro pendente quotannis quinquaginta ſiclos, ſolui deberent bis mille quingenti ſicli. Caſum hunc vnum de agro triginta modiorum exprimit Scriptura, vt iuxta eum omnes cæteri agri æſtimarentur, vt v. g. pro agro ſeminato quindecim modiis darentur quotannis ſicli viginti quinque, pro agro ſexaginta modiorum ſicli centum, & ſic de reliquis. Quod ſi autem vouens agrum ſuum non vellet eum redimere, ſed alteri venderetur, non poterat eum amplius redimere poſtea.

21. QVIA CVM IVBILÆI VENERIT DIES, SANCTIFICATVS ERIT DOMINO, id eſt, conſecratus & confirmatus erit Domino per votum, ita ſcilicet, vt ne quidem in Iubilæo redeat ager ad primum dominum, ſed ad Deum, cuius nomine fuerat venditus, quia POSSESSIO CONSECRATA AD IVS PERTINET SACERDOTVM. Verùm quia Numer. 18. v. 20. præſcribitur, vt nihil poſſideant ſacerdotes *in terra*, id eſt, nihil agrorum, hinc ſingulis Iubilæis videtur talis ager vendi debuiſſe aliis.

22. SI AGER EMPTVS EST, ET NON DE POSSESSIONE MAIORVM, ſenſus eſt, ſi ager non fuerit ex bonis vouentis hæreditariis, ſed ex acquiſitis lege communi, ſcilicet vſque ad Iubilæum, talis ager, quia non poteſt tranſire ſtabiliter in ius ipſius Dei, eò quòd non ſit ſtabiliter ipſius vouentis, ſed neceſſariò redire debet in Iubilæo *ad priorem dominum*, qui eum primò omnium vendidit, conſequenter ſtatuo, vt talis ager redimatur ab ipſo vouente, pro rata annorum reſtantium vſque ad Iubilæum. Non iubetur autem hîc addere quintam partem pretii, quia in hoc caſu non erat liberum vouenti eum redimere, vt in caſibus præcedentibus, ſed ad hoc cogebatur per hanc ipſam legem, idque vt ita maneret ager eiuſdem conditionis, cuius ante votum fuerat.

25. OMNIS ÆSTIMATIO, ſiclorum ſcilicet, qui ratione voti ſolui debebunt: SICLO SANCTVARII PONDERABITVR, vt pote cuius pondus eſt iuſtiſſimum & ſtabile, ad quem reliqui omnes velut regulam ſuam poſſint examinari. Simili enim modo, & nunc in pleriſque Rebuſpublicis ſeruatur in domo publicâ menſura ſtabilis & norma omnium aliarum menſurarum communitatis, ſicuti olim fiebat in Capitolio, iuxta verſum.

Amphora fit, cuius vim ne violare liceret,
Sacrauere Ioui Tarpeio in monte Quirites.

27. PRIMOGENITA NEMO SANCTIFICARE POTERIT, conſecrando illa per votum Deo. Ratio eſt, quia iam ſunt Dei hoc ipſo, quod primogenita ſunt, nec amplius ſubſunt liberæ diſpoſitioni hominis, idque SIVE BOS SIVE OVIS FVERIT. Hebraïcè *che*, ſub quo & capra comprehenditur, & conſequenter loquitur de animalibus mundis ad ſacrificia; quorum primogenita, nec voueri, nec redimi poterant, ſed debebant immolari Deo, vt ſtatuitur Numer. 18. verſ. 17.

26. QVOD SI IMMVNDVM EST ANIMAL, nempe primogenitum, & conſequenter ratione immunditiæ immolari non po-

teſt; REDIMET QVI OBTVLIT, intelligunt aliqui de animali immundo per accidens, id eſt, quod ratione ſpeciei quidem eſſet mundum, vt bos, ouis capra; ſed quod haberet maculam propter quam immolari non poſſet vt ſi eſſet cæcum mutilatum, &c. ſed malè. Talia enim animalia non ſunt, nec vocantur immunda, ſed maculata, ſed habentia maculam: quæ multum differunt.

28. OMNE QVOD DOMINO CONSECRATVR. Hebraïcè eſt *col cherem*, id eſt, omne anathema, ſeu omne votum quo res ita perfectè conſecratur Deo, vt deſtrui atque interimi naturaliter, aut ciuiliter debet. Nam hoc verſ. 28. & 29. tractatur de alia ſpecie voti quàm in præcedentibus, vbi ſimpliciter vocabatur *Neder*, id eſt, votum quod promittebat redemptionem illam quæ hîc vetatur voto *Cherem*, quaſi voto exciſionis & interemptionis. Quidquid ergo tali voto, conſecrabatur Deo, hoc neque vendi, neque redimi poterat, ſed ſtabiliter erat Dei, ſeu ſacerdotum, vt ſtatuitur Num. 18. verſ. 14. de *Cherem*. Quod ſi eſſet animal, etiam homo debebat mori, naturaliter quando hoc votum vſurpabatur aduerſus hoſtes Iſraël, vt fecerunt Iſraëlitæ Numer. 21. v. 2. 3. & 4. & Ioſue 6. verſ. 17. & ſeqq. vel ciuiliter, vt ciuiliter, vt cùm Samuel fuit conſecratus Deo in perpetuum. Cæteræ res inanimatæ, vel etiam prorſus deſtruebantur vel ſaltem ita cedebant Deo, vt non poſſent reuerti ad vſum ſæcularem, vt patet de auro & argento, & vaſis æneis Ioſue 6. verſ. 19. & cap. 7. verſ. 1.

32. OMNIVM DECIMARVM, OVIS, ET BOVIS, ET CAPRÆ. Non excluduntur decimæ aliorum animalium per expreſſionem iſtorum trium, ſed potius illa tria exprimuntur, ne excluſa putarentur, eò quòd ex illis ſolis tot ſacrificia quotidie offerentur, quæ magna ex parte in pacificis & hoſtiis pro peccato cedebant in vſum ſacerdotum.

QVIDQVID DECIMVM VENERIT, ſcilicet naſcendo, vel potiùs tranſeundo ſub virga paſtoris, dum egreditur armentum, aut grex ad paſcua: ſic enim videtur decimatio illa fieri ſolita, vt indicat Lyranus.

FINIS.

PRÆFATIO IN LIBRVM NVMERI, SIVE NVMERORVM.

QVARTVM *librum Pentateuchi vocarunt Hebræi more ſolito ab eius initio* vaiedabber, *id eſt, Et locutus eſt. Græci & eos ſecuti Latini* ἀριθμοὺς, *id eſt, numeros, quia numerantur hîc Iſraelitæ, & Leuitæ, & 42. manſiones, maximéque quia à numeratione totius populi incipit. Sic enim & primus liber Geneſis vocatus eſt à rerum productione quæ primo capite pertexitur, etiamſi alia multa complectatur.*

Argumentum præcipuum totius libri eſt, hiſtoricè deſcribere peregrinationem Iſraëlitarum per deſertum à monte Sinai, vſque ad Iordanem. Nam illo ſcopo recenſentur Iſraelitæ & Leuitæ vt per modum caſtrorum & Reipublicæ mobilis per de-

ſertum tenderent. Vnde Hebræi ſolent etiam vocare librum iſtum, librum in deſerto. Inſeruntur tamen hic paſſim multæ leges tam ceremoniales quàm iudiciales ad ea ſupplenda quæ in Leuitico & Exodo minùs plenè deducta fuerant. Quamuis nonnulla etiam ſemel alibi dicta repetantur.

Incipit autem à 1. die menſis ſecundi anni ſecundi egreſſionis ex Ægypto, vt patet initio capitis primi, vno ſcilicet menſe poſt erectum tabernaculum, quo circiter tempore finita videtur fuiſſe dictatio libri Leuitici, & pertingit vſque ad diem primum menſis vndecimi anni quadrageſimi peregrinationis, à quo incipit liber ſequens Deuteronomij. Itaque complectitur hiſtoriam 38. annorum & nouem menſium.

CAPVT I.

LOCVTVSQVE EST DOMINVS IN DESERTO SINAI. Nam in illo hęſerunt à die tertio menſis tertii anni primi egreſſionis vſque ad diem vigeſimum menſis ſecundi anni ſecundi, vt patet Numerorum 10. v. 11. Locutus eſt autem ei Deus non iam in monte, nec ad oſtiū tabernaculi, ſicuti Exod. 33. v. 10. ſed

IN TABERNACVLO FOEDERIS, ſcilicet in Sancto Sanctorum, de Propitiatorio, vt narratur Numerorum 7. verſ. vlt. idque ad conciliandam authoritatem & reuerentiam tabernaculo.

2. TOLLITE SVMMAM, &c. Hæc eſt ſecunda numeratio populi, quæ circiter ſex menſibus ſecuta eſt primam, de qua Exod. 38. v. 25. ſed illa fiebat ad cenſum accipiendum in conſtructionem tabernaculi, hæc ad diſponenda caſtra: in illa ſolius numeri eſt habita ratio, hîc per domos & familias, imò ſinguli per nomina recenſiti ſunt. Sed quomodo æqualis in vtraque fuit numerus, cùm propter vitulum adoratum occiſi eſſent vnâ diei vinginti tria millia Exod. 32. v. 28? Reſpondet à Lapide & alii quòd intereà alii ad viginti annos adoleſcendo pertigerint. Sed non aduertunt numerationem primam contigiſſe aliquot menſibus poſt cæſa iſta vinginti tria millia. Cæſa enim ſunt ſtatim à primo deſcenſu Moyſis ex monte. Vt patet Exod. 32. v. 28. poſtquam ſcilicet 40. dies ibi fuiſſet, id eſt, 17. die menſis quarti quo conſignatur ab Hebræis in Kalendario confractio tabularum legis. Numeratio autem iſta facta eſt poſt veniam impetratam, cùm iam ſtruendum eſſet tabernaculum, quod contigit menſe ſeptimo; vnde tota difficultas euaneſcit. Secuta eſt etiam poſtea tertia numeratio ad diſtribuēdam eis terram Chanaam, de qua Num. 26.

3. A VIGESIMO ANNO ET SVPRA. Illa enim ætas incipit eſſe bellis apta: durat autē ad annum vſque ſexageſimum plerumque, & quamuis ſæpè diutiùs, veriſimile tamen eſt, ad illum vſque annum numerationem proceſſiſſe. Itaque pueri fœminæ, decrepiti, ſerui Ægyptii numero excluduntur. Tropologicam eius rei rationem, ſicut & temporis, quo numeratio facta eſt, ſcilicet poſt legē datam ſtructumque tabernaculum proſequitur fusè Origen. tota Hom. 1. in Num.

4. ERVNTQVE VOBISCVM PRINCIPES TRIBVVM. Hi ſunt qui recta linea primogenitorum deſcenderat ex Patriarchis. Quod ſi qui alii filii ex iiſdem Patriarchis deſcendetant per lineam ſecundo, aut tertio, aut vlteriùs genitorum, vel parentela erant pręcipui, hi poterant eſſe capita cognationis ſeu familiarum, vel domorum, non tamen principes tribuum. Adiunguntur Moyſi partim, vt iuuarent eum in hac numeratione, partim vt in negotiis conſilio adeſſent, partim vt exequerentur ſi quid à Deo mandaretur. Vnde v. 16. vbi legimus, *Hi nobiliſſimi Principes.* Hebraicè dicuntur *vocati congregationis.* Quod poteſt intelligi, vel quòd eſſent famoſi, atque nominati, vel etiam quòd ad concilium conuocarentur.

5. DE RVBEN. Enumerat hic Moyſes filios Iacob, ordine non natiuitatis, neque dignitatis neque caſtramentationis, neque profectionis per deſertum, vt cap. 2. fit, ſed, thori, vt fit etiam Exod 1. ſed hoc diſcrimen, eſt, quòd hîc confuſio fit in filiis

ancillarum: Nephthali enim qui numeratur vltimus, præponi deberet ante Aſer & Gad. Vtpote filius Balæ tertię vxoris Iacob, nam Zelpha erat quarta.

20. Per generationes ac familias, ac domos. Generatio iuxta vim Hebraicam, non eſt hic propriè idem quod cognatio, vel familia, vel domus; ſed eſt ipſa propagatio, ſeu productio hominum: ſic enim plerumque hoc nomen ſumitur. Familia verò eſt idem quod cognatio, hoc eſt, complexus multarum particularium domorum quæ ſe ſanguine contingunt, domus verò eſt quæcumque particularis familia. Senſus itaque eſt, de filiis Ruben fuiſſe quadraginta ſex millia quingentos prout filum generationis, ſeu propagationis ſequendo per familias, ad domos, immò per capita recenſiti fuerunt.

49. Tribvm Levi noli nvmerare. Hac vice ſcilicet quæ fiebat ad bellandum & incipiendo tantùm à vigeſimo anno. Nam quamuis bellum eis etiam liceret, vt patet infrà ex bello à Phinees geſto, c.31. & ex Machabæis qui erant Leuitæ, ad eam tamen militiam eos dedicatos eſſe noluit, ſed ad aliam ſacratiorem, nempe ad cuſtodiendum & curandum tabernaculum. Vnde iubentur etiam non caſtra ſua metari cum aliis tribubus, ſed ſeorſim per *gyrum tabernaculi*, vnà ſcilicet cum atrio tamquam cuſtodes eius.

51. Qvisqvis externorvm accesserit, qui ſcilicet non fuerit de tribu Leui, vt cum eis in gyro tabernaculi caſtra figat, Occidetvr, Iudice, vel meipſo vindicante. Quo docemur quàm periculoſum ſit rebus Eccleſiaſticis ſe ingerere, non obtentâ legitimâ vocatione à Deo. Myſticum ſenſum huius numerationis ac diſtributionis in duodecim claſſes & alia eò ſpectantia vide apud Orig. Homil.1. in Numeros.

Capvt II.

2. Singvli per tvrmas, signa, atqve vexilla castra metabvntvr. Hebraica exprimunt hæc paulò diſtinctiùs, Singuli iuxta vexillum ſuũ in ſignis domus Patrum ſuorum caſtra metabuntur, id eſt, figent caſtra non promiſcuè vbi ſors tulerit, ſed ſinguli ſub ſignis domvs Patrvm, id eſt, tribuum ſuarum; quæ tribus redigentur etiam in ordine iuxta vexillum generale, ſub quo militant. Significatur ergo ſingulas familias, vel certè ſingulas tribus habuiſſe ſignum ſuum, quod omnes de illa tribu ſequerentur, ſiue in proficiſcendo, ſiue in caſtra metando, ſiue confligendo: & præterea quia ternæ tribus coniungebantur in vna caſtra, fuiſſe vnum vexillum, quaſi aquilam Imperatoriam, quod præferebatur tribui principali, & à duabus reliquis ſibi coniunctis obſeruabatur. Tradunt enim expoſitores Hebræi antiquiores, vt tradit Lyranus & alii, quatuor illas tribus principales; Iudæ, Ruben, Ephraim, & Dan, habuiſſe ſua quamque inſignia, parentum ſcilicet ſtemmata in vexillis depicta. Tribus ergo Iuda, inquiunt, habuit pro inſigni Leonem, vtpote cui Iacob Iudam comparauerat Gen.49.v.9. idque in vexillo viridi, eò quòd nomen eius in Rationali Pontificis, ſmaragdo eſſet in ſculptum. Tribus Ruben præferebat hominem, ſeu humanum caput, quia Ruben familiæ caput fuerat, in vexillo rubro, quia nomen eius ſardio inſcriptum in Rationali geſtabatur. Tribus Ephraim geſtabat bouem, aut caput vituli, quia per viſionem boum, Ioſeph erat euectus ad principatum, vnde & pulchritudo Ioſeph vocatur pulchritudo primogeniti tauri Deut. 33.v. 17. vexillum erat aureum, quia chryſolito nomen eius inſculptum erat. Tribus Dan ferebat in vexillo aquilam, quæ vnguibus arreptum geſtaret ſerpentem, quia Iacob colubro, & ceraſti comparauerat filium Dan. Colorem vexilli ponunt ex albo & rubro mixtum, quia talis eſt color iaſpidis, cui inſcriptus fuerat. Sed neq; color eius talis eſt, neque Dan inſculptus erat iaſpidi, ſed carbunculo, qui ardentis coloris eſt, vt hęc ſatis intelligi poſſunt ex dictis in c.28. Exodi.

3. Ad orientem Ivdas. Ex deſcriptione huius capitis intelligitur caſtra Iſraëlitarum fuiſſe quadrata, quia tres tribus ſe collocabant ad orientem, tres ad occidentem, tres ad meridiem, tres ad aquilonem.

In quarum omnium meditullio ſtabat tabernaculum. quod ſimiliter quatuor habebat latera, vt ſuprà explicatum eſt. In gyro verò tabernaculi prope ipſum erant alia caſtra minora ſimiliter quadrata totius tribus Leui tanquam miniſtrorum & cuſtodum eius. Nam ad orientem caſtra metabatur Moyſes & Aaron, cum totà familia ſua, ad occidentem tota familia, & cognatio filiorum Gerſon, ad meridiem cognatio Caath, ad aquilonem cognatio Merari, vt patet ex c. 31. Cùm verò eſſet proficiſcendum, ſoluebatur iſte ordo quadratus, & in longum expanſi procedebant, ita vt caſtra, ſeu acies Iudæ præcederent cæteros omnes, quem duæ tribus ei ſubiunctæ ſequebantur. Deinde ſecundo loco caſtra Ruben cum ſuis: tertio caſtra Ephraim: quarto denique caſtra Dan cum coniunctis ei duabus tribubus, prout hæc apertè colliguntur infrà ex verſ. 9. 16. 24. & 31.

7. Levabitvr avtem tabernacvlvm, hoc eſt, diſſoluetur, vt portari poſſit à Leuitis. Hinc colligitur non ſolum in caſtra metando, ſed etiam in proficiſcendo tabernaculum, & Leuitas ſemper manſiſſe in medio Iſraëlitarum, vt ab illis tanquam ſacrorum miniſtri deffenderentur, non tamen eo modo proficiſcebantur in medio, ſicuti caſtra fixerant, ſed singvli per loca, et ordines svos, ita ſcilicet, vt filii Gerſon & Merari, qui geſtabant omnia illa, quæ ad fabricam tabernaculi, & atrii ſpectabant, ſtatim ſequerentur poſt primam aciem trium tribuum, hoc eſt, poſt aciem Iudæ cum ſuis, idque vt maturè poſſent tabernaculum erigere, & locum inſtrumentis tabernaculi, & vaſis ſequentibus præparare. Poſt ſecundam verò aciem, & ante tertiam, hoc eſt, inter tribum Gad præcedentem, & Ephraïm ſequentem incederent Moyſes & Aaron, vnà cum filiis Caath geſtantes vaſa ſanctuarii, menſam, candelabrum, altaria, &c. prout hæc indicantur cap. 10. verſ. 17. & 21.

Allegoricè caſtra iſta ſignificant Eccleſiam Chriſti. Eſt enim terribilis, vt caſtrorum acies ordinata: in quorum medio eſt arca teſtamenti (quemadmodum etiam alii qui eam geſtatam fuiſſe volunt) nempe Chriſtus Dominus circumdatus 12. Patriarchis, id eſt, Apoſtolis, item quatuor inſignibus leone, homine, boue, aquila, quia quatuor Euangeliſtis per illa hieroglyphica ſignificatis. Anagogicè caſtra iſta ſignificant Eccleſiam electorum in cælo, eamque in quadro poſitam, vt explicatur Apocal. 21. v. 10. vſque ad finem. Tradit hunc ſenſum Origenes Tract. 30. in Matth. & latiùs Hom. 1. in Numeros.

Capvt III.

1. **Hæ svnt generationes Aaron et Moysis**, id eſt, hi ſunt geniti ab Aaron & Moyſe, ſeu hi poſteri eorum ſunt: ponitur enim actio pro effectu eius; vel etiam hęc eſt eorum genealogia. Recenſentur autem Aaronis generationes, ſeu filij nominatim; Moyſis verò tantùm in genere, quatenus verſu 27. & 28. comprehenditur ipſe cum familia ſua ſub Amramitis. Amram enim erat pater Aaronis & Moyſis. Ratio diuerſitatis eſt, quòd Aaronis familia fuerit electa ad ſacerdotium, Moyſis verò poſteri, tanquam ignobiles inter Leuita computati ſint, tamquam miniſtri ſacerdotum; qua de cauſa etiam, & quia Aaron primogenitus fuit, pręponitur Moyſi, vide 1. Paralip. 23. verſ. 13. 14 & ſeqq.

3. Qvorvm repletæ manvs, hæc eſt periphraſis conſecrationis illorum ad ſacerdotium, vnde explicationis cauſa addidit interpres noſter, et consecratæ: quaſi diceret, hoc eſt, conſecratæ manus. Implebantur enim manus eorum hoſtiis, qua eleuabant coram Deo, vt deſcribitur Leuit. 8. v. 27. ſicut nunc implentur inſtrumentis conſecrationis ſacerdotalis. Nam vt hoc indicaret Scriptura, addidit eodem c. 8. verſ. 28. Hebraïcè, *impletiones iſta ſunt*, quod noſter tranſtulit, *eò quòd conſecrationis eſſet oblatio*, hinc implere manum, frequentiſſimè ponitur Hebræis pro conſecrare in ſacerdotem. Quod ergo aliqui pùtant hanc phraſim de ſacerdotibus idolorum vſurpatam ſignificare ſimoniacam dationem pecuniæ quaſi impletionem manuum, non videtur Scripturis ſatis conſentaneum.

6. APPLICA TRIBVM LEVI, id eſt, accedere fac eum ad Aaronem, vt mox explicatur. Hæc ergo ſeparatio eorum à vulgo eſt eorum vocatio ad miniſterium, ET EXCVBENT. Hebraïcè eſt, *cuſtodiant cuſtodias eius*, quod Aug. q. 4. in Num. intelligat de vigiliis nocturnis, quas & ipſi circa tabernaculum iubebantur agere.

7. ET OBSERVENT QVIDQVID AD CVLTVM PERTINET MVLTITVDINIS, non quo populus colitur ſeu honoratur, ſed quo multitudo colit Deum, id eſt, obſeruent & cuſtodiant omnia inſtrumenta cultus diuini, arcam, menſam, altaria, omniaque vaſa, &c. caſtra metando coram tabernaculo circumcirca atrium.

9. DABISQVE DONO LEVITAS AARON, non ſolum tamquam miniſtros ſacerdotum futuros in inferioribus miniſteriis, ſed propriè dabis dono: quia omnia primogenita in quorum locum ſucceſſerunt Leuitæ, pertinebant propriè ad Pontificem tamquam ſtipendium eius, vt patet Numerorum 18. v. 15.

10. QVIBVS TRADITI SVNT, Hebraïcè, dati ſunt, id eſt, animo gratuito dati, ſeu mox dandi ſunt nullo pretio pro talibus miniſtris ex parte Aaronis interueniente. A FILIIS ISRAEL, redimentibus ſuos primogenitos per iſtius partis oblationem totius populi, vt indicatur mox v. 12. & 45.

13. MEVM EST ENIM OMNE PRIMOGENITVM, non titulo creationis aut conſeruationis, de quo hic non agitur, ſed titulo liberationis eorum ab Angelo percutiente primogenita in Ægypto: nam ea de cauſa SANCTIFICAVI MIHI, id eſt, mihi ſanctificari, & ſeparari volo quidquid primum naſcitur, vt de illis in vſum tabernaculi mei diſponam, ſiue vt ſeruiat mihi, ſi homo eſt, ſiue vt ſacrificetur mihi, ſiue vt redimatur. Itaque iſto fortaſſis titulo Deus omnia primogenita ſacerdotio ſuo dedicaſſet, niſi aliud interueniſſet. Sed quia tribus Leui tanto zelo idololatriam vituli vlta fuit, vt neque parentum, neque filiorum habuerit rationem, vt indicatur Deut. 33. & ita Deo conſecrauiſſet manus ſuas, hinc in remunerationem illius pietatis, tradidit eis ſacerdotium ademptum Ruben & primogenitis.

15. NVMERA FILIOS LEVI AB VNO MENSE ET SVPRA, filii Iſraël c. 2. numerati ſunt à 20. anno & ſuprà, quia legebantur ad militiam: Leuitæ c. 4. numerantur à 30. anno ad 50. quia ad ſeruiendum in rebus ſacris, quibus ætatis maturitas neceſſaria eſt: hîc verò ab vno menſe, & ſuprà, quia tota tribus erat in locum primogenitorum ſurroganda, vt Deo in perpetuum ſeruire poſſet.

25. & 26. ET HABEBVNT EXCVBIAS IN TABERNACVLO FŒDERIS, IPSVM TABERNACVLVM, &c. Hebraicè multò clariùs, dicitur, *Et cuſtodia filiorum Gerſon erit ipſum tabernaculum*, id eſt, filii Gerſon cuſtodient, ſeu habebunt ſub cuſtodia ſua ipſum tabernaculum, id eſt, illas decem cortinas pretioſas, quæ immediatè tegebant omnes tabulas: cuſtodia enim tabularum non pertinebat ad filios Gerſon, ſed Merari: ET OPERIMENTVM EIVS, ſub quo noſter comprehendit tria illa diſtincta operimenta illis cortinis ſuperimpoſita ſcilicet vndecim ſaga ex pilis caprarum, tectum ex pellibus arietum rubricatis, ac denique tertium ex pellibus ianthinis. Hebraicè verò iſta diſtinguuntur hîc eodem modo, quo notauimus ad verſ. 11. c. 35. Exod. & ibidem ad verſum 18. cap. 40. TENTORIVM QVOQVE QVOD TRAHITVR, ſcilicet ante fores tabernaculi inſtar oſtii eius, à quo diſtinguitur aliud ſimile ſuſpenſum in introitu atrii, tanquam oſtium atrii.

ET QVIDQVID, ſcilicet velorum, AD RITVM ALTARIS PERTINET, ET OMNIA VTENSILIA EIVS, nam vela atrii maximè erant oppanſa propter tabernaculum, & altare holocauſtorum, hæc autem ſuppletio de velis neceſſariò facienda eſt, quia altare & vtenſilia eius non pertinebant ad cuſtodiam filiorum Gerſon, ſed Caath. Nam filii Caath tanquam digniſſimi propter Moyſen & Aaron ex illo deſcenderant, cuſtodiebant præſtantiſſima, ſcilicet arca, menſam, vtrumque altare, labrum, & cæterum ad eorum ritus ſpectantem ſuppellectilem. Filii Gerſon dignitate proximi cuſtodiebant quidquid velorum erat, tam circa tabernaculum quàm atrium, excepto ſolo velo

oppanſo ante Sanctum Sanctorum, quod cuſtodiebatur à filiis Caath, vt eſt v. 31. eò quòd illi arca inuolueretur, quando portanda erat, vt eſt c 4. v. 5. Meraritæ viliſſimi cuſtodiebant, quaſi muros tabernaculi ſcilicet aſſeres, & columnas omnes atrii. Idem ordo ſeruabatur in caſtrametatione. Digniſſimus enim locus erat oriens, qui cedebat Moyſi & Aaroni; proximus, meridies filiis Caath; inde occidens Gerſonitis; denique vltimus ſeptentrio Meraritis.

32. Princeps principvm Levitarvm Eleazar, hic ergo etiam viuente Aarone ſummo Pontifice, erat princeps non ſolùm aliorum ſacerdotum, ſi qui ex ſe & Ithamar eſſent nati, ſed omnium etiam principum cæterorum Leuitarum, qui ſuis familiis inter filios Gerſon, & Merari præerant. Hoc ſenſu vocantur aliquando Principes ſacerdotum, etiamſi non ſint ſummi Pontifices.

37. Et paxilli cvm fvnibvs, funes iſti qui pertinent ad curam filiorum Merari, differentes ſunt à funibus tabernaculi, de quibus v. 26. vbi funes vocantur, quibus ſuſpendebantur vela in ſuis paxillis: hoc loco verò funes ſunt quibus ipſæ columnæ atrij firmabantur, & ita ad ipſas columnas pertinebant, ſicut illi funes ad vela atrii.

39. Omnes Levitæ fvervnt viginti dvo millia. Leuitæ omnes erant viginti duo millia trecenti, vt patet, ſi ſummas filiorum Gerſon, Caath & Merari in vnam contrahas. Cur ergo hîc omittuntur trecenti? Et cur infrà verſu 43. & 46. dicuntur primogenita filiorum Iſraël, ſuperaſſe Leuitas ducentis ſeptuaginta tribus, cùm potiùs ſuperarentur à Leuitis numero 27. Vera cauſa eſt, quod hîc exprimantur ſoli Leuitæ, qui Deo in locum primogenitorum erant dandi. Trecenti ergo illi Leuitæ, qui omittuntur, erant primogeniti, adeoque iure iam erant Dei, nec poterant ei dari à filiis Iſraël, tanquam pretium redemptionis primogenitorum ſuorum. Itaque hæc viginti duo millia Leuitarum, ex quibus nullus erat primogenitus, aſſumuntur à Deo pro viginti duobus millibus primogenitorum reliquorum Iſraëlitarum, qui iure liberationis iam erant Dei, & ſimiliter omnia pecora Leuitarum aſſumuntur pro omnibus primogenitis pecoribus totius Iſraëlis per modum redemptionis. Porrò quia numerus primogenitorum excedebat in 273. hinc præcipit Deus Moyſi, vt illi primogeniti reliqui redimantur alio modo, ſcilicet non offerendo pro eis Leuitas, qui non erant plures, ſed vt accipiat *in pretio*, id eſt, in pretium, ſeu in redemptionem eorum pecuniam ſcilicet *quinque ſiclos per ſingula capita*, qui efficiebant ſummam mille trecentorum ſexaginta quinque ſiclorum. An autem ſorte deciſum fuerit, qui primogeniti eſſent pecunia redimendi, vt putat Abulenſis & alii, an verò illa ſumma à toto populo Iſraëlitico communi nomine eſſet danda, ſine diſcretione inter primogenitos, Scriptura non exprimit. Poſterius videtur mihi veriſimilius. Sic enim communi nomine totius Iſraëlis, tota tribus Leui fuit data in redemptionem primogenitorum, ergo & pecunia, quæ ſupplenda erat.

Capvt IV.

2. Tolle svmmam filiorvm Caath. Caath erat medius natu filiorum Leui; ſed ſicut Aaron ex tota illa cognatione ad ſacerdotium aſſumptus fuerat, relictis cæteris, ita tota illa cognatio filiorum Caath hic præfertur cæteris, etſi Gerſon eſſet primogenitus. Præferuntur autem Caathitæ, quia ad ſanctiora eliguntur miniſteria, ſcilicet ad ferendam ipſam arcam, & cętera quæ in tabernaculo erant ſanctiſſima; vnde nihil ferebant, niſi humeris ſuis, alii verò in plauſtris: nihil niſi velis inuolutum, alii nuda. Hinc etiam tam ſeriò de Caathitis præſcribitur v. 18. *Nolite perdere populum meum Caath*, & Eleazar primogenitus Aaronis illis præficitur.

3. A trigesimo anno, et svpra, nam ab hoc ætatis anno incipiebant per ſe ferre onera illa grauia, quę hic perſcribuntur, etſi citius poſſent ſub ſeruire aliis, hinc eadem ætas ad docendum apud Iudęos præſcripta fuit, & à Chriſto & Ioanne Baptiſta obſeruata. Terminus verò præfigitur annus quinquageſimus. Itaque ſolùm per 20. annos miniſtrabant. Qua in

re Deus voluit benignitatem ſuam erga miniſtros militiæ ſuæ oſtendere. Nam ad militiam ſæculi duplo plures anni præſcribebantur, ſcilicet à vigeſimo vſque ad ſexageſimum.

4. & 5. HIC EST CVLTVS FILIORVM CAATH. Cultus, tum hic & v. 28. tum cap. præcedenti ſumitur ſæpius pro opere, vt LXX. tranſtulerunt, ſeu pro officio, vt noſter transfert v. 24. ac miniſterio Hebr. ſeruitio, cui dedicabantur; hoc enim quiſque quodammodo excolebat, cui dedicatus erat.

TABERNACVLVM, ET SANCTVM SANCTORVM INGREDIENTVR AARON ET FILII EIVS. Ex hoc loco & verſu 19. colligit Abulenſis & alii recentiores, minoribus ſacerdotibus ingredi licuiſſe Sanctum Sanctorum in depoſitione tabernaculi, & conſequenter hoc idem licuiſſe ſummo Pontifici pluſquam ſemel in anno, proinde legem quæ habetur Leuit. 16. & Hebr. 9. v. 7. intelligendam eſſe cùm tabernaculum eſſet fixum & adminiſtrandum in eo. Sed rectiùs fortaſſe dici poteſt, numquam omninò hoc licuiſſe. Sanctum enim Sanctorum nullum eſt, niſi ſit velo ſeparatum à reliquo ſanctuario. Nemo enim dixerit Meraritas & Gerſonitas ingreſſos eſſe Sanctum Sanctorum quando deponebant vel erigebant totum tabernaculum & vela eius, etiamſi ingrederentur in locum illius, qui aptabatur vt eſſet Sanctum Sanctorum. Iam verò hic verſu 5. primum omnium præſcribitur, vt

DEPONANT VELVM, quod ſcilicet ſeparat Sanctum à Sancto Sanctorum, & propriè faciebat Sanctum Sanctorum; hoc autem fieri poterat & debebat non intrando in locum illum ſanctiſſimum, ſed manendo in ſanctuario: quo velo ablato totum erat vnum tabernaculum & licebat ingredi omnibus ſacerdotibus, ſicut & paulò pòſt Leuitis filiis Caath, ad efferendam arcam & poſtea ad inferendam. Porrò omnium onera hîc accuratè deſcribuntur, ſolum obſeruandum quod v. 6. dicit de arca loquens.

6. INDVCENT VECTES, non in ipſam arcam, quia in ea ſemper erant vectes, vt ſtatuitur Exod. 28. ſed in humeros portantium, Hebraïcè eſt enim ſimpliciter, *ponent vectes*. Idem præſcribitur v. 10. de candelabro, & verſu 12. de aliis vaſis in quibus nulli erant vectes. Intelligendum eſt enim candelabrum & alia vaſa in ſarcinas compoſita, loculis quibuſdam impoſita fuiſſe, quibus apponerentur vectes, vt portari poſſent, de menſa propoſitionis dicitur,

7. PANES SEMPER IN EA ERVNT, intellige cùm ad quietem terræ promiſſionis peruenerint. In deſerto enim ſicut non fiebant ſacrificia in feſtis aut ſabbatis, vt ſatis clarè dicitur Actor. 7. v. 42. & Amos 5. v. 25. etiam ſi eſſent præſcripta, ita nec offerebantur panes, quod erat genus quoddam oblationis aut ſacrificii neque thus aut vinum quod adiungi ſolebat, illa enim omnia deerant in deſerto, vt conqueruntur Num. 21. v. 5. Nam multis annis manſerunt in locis prorſus inhabitatis ab omnibus gẽtibus ſeparati.

CAPVT V.

2. EIICIANT DE CASTRIS OMNEM LEPROSVM. Lyranus eſt Rabbi Salomone diſtinguit hîc tria caſtra, nempe primum tabernaculum cum atrio, quæ ipſi vocant caſtra Deitatis, quod ibi Deus habitaret. Secunda caſtra Leuitarum circa tabernaculum, & ac denique caſtra Iſraëlitarum omnium. Volunt igitur leproſos tamquam naturaliter contagioſos ſeu infectiuos aliorum eiectos fuiſſe extra omnia caſtra: ſeminifluos extrà duo prima; pollutos verò ſuper mortuo, id eſt, immundos legaliter ex contactu cadaueris humani vel animalis per ſe mortui, extra prima tantùm. Sed diſtinctio iſta non videtur fundata, caſtra enim abſolutè poſita nunquam intelliguntur ſolum tabernaculum. Itaque omnes iſti ex omnibus caſtris eiici iubentur à Deo vt commendaret eis munditiam dignam Deo & domeſticis eius, vt indicatur v. 3. vnde etiam Deut. 23. v. 10. iubetur caſtris egredi omnis pollutus nocturno ſomnio. Obſeruata fuerunt iſta ceremonialia etiam in deſerto, vt patet ex v. 4. & ex iniectione Mariæ ſororis Moyſis infrà cap. 12. verſu vlt. ſabbatum etiam obſeruatum fuit: alia multa non fuerunt, vt circumciſio, ſacrificia & ſimilia quæ defectu materiæ, vel propter

alia incommoda difficulter ſeruari poterāt.

6. CVM FECERINT EX OMNIBVS PECCATIS QVÆ SOLENT HOMINIBVS ACCIDERE. Agitur non de omnibus omninò peccatis, ſed de illis ſolis, quibus iuſtitia pecuniaria violatur, vt notat Aug. quæſtion. 9. & patet ex v. 7. de quibus per antonomaſiam dicitur, quod *ſolent hominibus accidere*, quia valde frequentia ſunt.

7. CONFITEBVNTVR PECCATVM SVVM, non ſolùm in genere, ſed in particulari; ſic enim neceſſe erat ad hoc, vt poſſet reddi IPSVM CAPVT, id eſt, ipſa ſors, ſeu ipſa quantitas rei ablatæ, & æſtimari poſſet *quinta pars*, quæ ſuperaddi debebat. Intelligitur autem lex iſta de iniuſtitiis *per negligentiam* commiſſis; nam de commiſſis de induſtria præſcribuntur aliæ leges, Exod. 22. in initio, vt obſeruat Aug. q. 10.

8 SIN AVTEM NON FVERIT QVI RECIPIAT, ſiue læſus, ſiue propinquus eius vt ex Hebraïco expreſſerunt LXX. & annotauit Aug. q. cit. DABVNT DOMINO, non in ſacrificiū: fuiſſet enim indecens, ſed vt ſit *ſacerdotis* in ſuſtentationem ſcilicet eius. Ex quo liber fieri debere reſtitutionem, etſi non inueniatur ille qui læſus fuerit, vel hæredes eius, ſiue in piam cauſam conuertendo, ſiue Eccleſiam, vt hîc iubetur, ſiue pauperes.

EXCEPTO ARIETE QVI OFFERTVR PRO EXPIATIONE, quaſi dicat, & ille inſuper erit ſacerdotis, quia hoſtia pro peccato comedebatur à ſacerdotibus, vnde adiungit vlterius, quænam alia iura competerent ſacerdotibus, ſcilicet *primitiæ omnes*: nam illæ omnibus ſacerdotibus in communi cedebant.

10. ET QVIDQVID OFFERTVR A SINGVLIS, ſimplici ſcilicet oblatione extra ſacrificium: idque non quomodolibet, ſed ſi TRADITVR MANIBVS SACERDOTIS, eo animo ſcil. vt ſit ipſius ſacerdotis, cui traditur. nam ſi offerretur in gazophylacium ſanctuarii, vel in vſus tabernaculi, clarū eſt non fuiſſe ſacerdotis.

12. VIR CVIVS VXOR ERRAVERIT, declinando ſcilicet ad alterum virum. Præſcribitur hîc diuinitùs modus explorandi adulterium, & adiicitur iſti ritui ſtatum, ac ſtabile miraculum declarandi veritatem. Quem ritum ſi ipſe Deus non ita inſtituiſſet, modus indagandi fuiſſet illicitus, & aperta Dei tentatio: ſicut illi modi explorandi, vel veneficas, vel alia occulta crimina per ferrum candens, carbones in veſte portatos, immerſionem in aquam, tranſitum per ignem, & ſimiles vitio tentationis Dei non carent, & cùm careant eius promiſſione de manifeſtanda veritate, ſæpiſſimè poſſunt in errorem, & iniuſtitiam impingere.

15. OFFERET DECIMAM PARTEM SATI FARINÆ HORDEACEÆ. Satum ponitur hic pro Ephi, ſeu Epha, vt habetur Hebraïcè, vnde decima pars ſati, ſeu Epha eſt menſura gomor, de qua Exodi 16. dictum eſt. Porrò in hoc ſacrificio, quia non offerebatur pro peccato auferendo, ſed deprehendendo, omnia ſpirant vilitatem, hinc non ſumitur ſimila, quæ puriſſima eſt, ſed ſimplex farina, non triticea, ſed hordeacea: hordeum enim iumentorum cibus eſt.

NON FVNDET SVPER EAM OLEVM, quia ſignum eſt miſericordiæ, qua caret zelotypia: NEC IMPONET THVS, quia eſt ſymbolum bonæ famæ, qua caret iſta mulier, vtpote de adulterio ſuſpecta, vt inſinuat Theodor. quæſt. 10. in Num.

16. OFFERET IGITVR EAM SACERDOS, id eſt, adducet coram Domino, ſeu in præſentia templi aut tabernaculi. Ioſephus l. 3. Antiq. c. 10. dicit adductam fuiſſe ad portā, nempe atrii, quæ obuerſa eſt ad templum.

17. ASSVMETQVE AQVAM SANCTAM, vſibus ſcilicet ſacris deſtinatam in illo latere, ſeu labro æneo, quod ſtabat inter tabernaculum & altare. Aquæ iſtæ vocantur ſtatim *amariſſimæ*: partim propter amariſſimas execrationes, quæ ſuper eas proferebantur, partim propter effectum quem, ſi rea eſſet, cauſabant, ET PAVXILLVM TERRÆ, ſeu pulueris, vt Ioſephus ad deſignandam vilitatem adulteræ inſtar luti, idque DE PAVIMENTO TABERNACVLI, atrii ſcilicet, quod ſpectabat ad tabernaculum, & ad cuius portam mulier erat adducta. Sacerdos autem

18. DISCOOPERIET CAPVT eius, docens per hoc, omnia nuda eſſe & aperta in conſpectu Dei & nihil eorum quæ gerimus, ipſum latere, vt ait Theodoretus ibidem qui notat hæc omnia tanta ſolemnitate fie-

ri, vt mulier terreretur, & ſi peccaſſet, terrore peccatum fateretur & pœniteret, quamuis & alia diſcooperti capitis cauſa eſſe queat, nempe quia velum mulieris eſt ſignum verecundiæ & ſubiectionis ſub viro, quarum vtramque violauerat.

ET PONET SVPER MANVS ILLIVS, ſuſpectæ mulieris, OBLATIONEM RECORDATIONIS, clarius explicat hoc textus Hebræus v. 15. vbi vocatur *ſacrificium recordationis*, recordari faciens peccatum, quod noſter dixit, inueſtigans adulterium.

IN QVIBVS CVM EXECRATIONE MALEDICTA CONGESSIT. Maledicta illa videntur fuiſſe imprecationes illorum effectuum qui ſtatim hic adiunguntur à verſu 20. vſque ad 23. bis enim pronuntiabantur, ſemel ſuper aquas, & iterum ſuper ipſam mulierem, mutatis tantum perſonis.

21. DET TE DOMINVS IN MALEDICTIONEM, id eſt, efficiat vt ſis maledicta, ſeu vt omnes tibi maledicant, EXEMPLVMQVE CVNCTORVM, quo ſcilicet vtantur quando magnam miſeriam alteri imprecari volent, v. g. fias tam miſerabilis quam iſta adultera, vt Auguſt. quæſt. 11. in Numer. vel in exemplum, vt ſcilicet maledictio & miſeria tua eam conſecuta omnes terreat.

22. ET RESPONDEBIT MVLIER, AMEN, id eſt, ſit verum, ita fiat, vt enim terror eſſet maior, & facilius crimen pœnitendo fateretur, iubetur ipſamet maledictioni conſentire & punitioni, vt notat Theod. qua de cauſa etiam ſacrificium manibus ſuis impoſitum tenebat, dum illa pronunciarentur. Mox verò eadem maledicta ad maiorem terrorem ſcribebantur in libello, & Scriptura adhuc madida iiſdem aquis mulieri propinādis abluebatur, vt eo pacto maledicta quodammodo aquis ab ea hauriendis miſcerentur.

24. QVAS CVM EXHAVSERIT, deſunt hæc verba in Hebræo, & neceſſariò ſic exponenda ſunt, vt ſint futuri temporis, quaſi dicat, quas cùm hauſtura fuerit mulier; patet hoc ex fine v. 26. vbi clarè indicatur, prius partem ſacrificii farinacei fuiſſe Deo crematam, reliquo cedente in vſum ſacerdotis, & poſtea aquas fuiſſe propinatas mulieri, quas cùm biberit, ſi erat rea,

27. INFLATO VENTRE COMPVTRESCET FŒMVR, videlicet continuò vel paulò pòſt, non autem poſt aliquot menſes, vt quidam malè tribuunt Ioſepho. Tendebat enim eò iſta probatio, vt vero zelotypo fieret ſatis, ne ſcilicet ex perſeuerante illa ſuſpicione vxorem interficeret. Quod ſi eſſet, vel fuerit innocens,

28. ERIT INNOXIA, id eſt, impunita ab iſtis aquis, ET FACIET LIBEROS, conceſſa illi fœcunditate in compenſationem ſuſpicionis & infamiæ quam ſuſtinuerat, vnde Ioſephus dicit, decimo menſe, ab illa ſcilicet probatione, prolem maſculam ei promitti, quod non debet mirum videri. Nam omnes iſti effectus aquarum in muliere, non erant eis naturales, ſed à Deo vindicem agente occulti adulterii miraculosè producebantur.

CAPVT VI.

2. CVM FECERINT VOTVM VT SANCTIFICENTVR. Hebraicè, Cùm fecerint votum Nazaræi, vt ſeparent ſe Domino. Nazaræus enim ita dictus eſt quaſi ſeparatus, & nazar ſignificat generaliter ſeparare ſe, ſiue à certis rebus ſiue à perſonis. Et quia iſta ſeparatio fiebat religionis cauſâ, noſter optimè tranſtulit ſeparationem illam per ſanctificationem, quia ſeparabant ſe à communi hominum conuerſatione, cibo & potu, vt vel ſanctiùs viuerent, vel meditationi diuinæ legis incumberent, vnde idem verbum verſu 5. 6. 8. indifferenter vertit nunc ſeparationem, nunc conſecrationem. Iſti proinde dicti ſunt *netzirim*, id eſt, Nazaræi quaſi ſeparati Deo, ſicut poſtea eadem de cauſa dicti ſunt alii quidam *Perotzim*, id eſt Phariſæi quaſi ſeparati, eò quòd eſſent, vt ait Rabbi Beniamin in Itinerario, ſeparati à conſortio huius mundi ad lauandum Deum, vel vt Epiphanius dicit hæreſi 16. quod propter aſcititiam ſuperſtitioſamque diſciplinam à reliquis ſeparati. Huiuſmodi ergo Nazaræi erant duplices, alii perpetui vt Sampſon, Samuel, de quibus hic non agitur: alii ad certum tempus, quod vouendo ſibi præſtituerant vt Paulus & alii Iudæi Act. 21. de quibus hoc loco ſermo eſt. Separatio verò, ſeu conſecra-

tio nazaræorum conſiſtebat in ſequentibus.

3. A VINO ET OMNI QVOD INEBRIARE POTEST, ABSTINEBVNT, LXX. & Hebræa vno verbo à vino & ſicera ſeparabuntur. Sicera autem ſeu *ſcechar* ſignificat omnem potum inebriantem, ita vt etiam ipſum vinum comprehendat, vt patet Numer. 28. v. 7. vbi Deo libatur, quando tamen vino coniungitur, tunc ſignificat potum factitium à vino diſtictum ſiue ex frumento, ſiue ex pomorum ſucco, ſiue cùm faui decoquuntur in dulcem & barbaram potionem, aut palmarum fructus exprimuntur in liquorem, coctiſque fructibus aqua pinguior coloratur, vt Hier. in Epiſt. ad Nepotianum. Neque tantùm vinum & ſicera eis interdicitur, ſed etiam ACETVM EX VINO ET EX QVALIBET ALIA POTIONE, nempe ex ſicera ſuprà deſcripta, ET QVIDQVID DE VVA EXPRIMERETVR, hoc ponitur tamquam diſtinctum, à vino, vnde Hebraicè eſt, omne madefactum ſeu madefactionem, id eſt, macerationem vuarum vt non bibent. Solent enim aquam vuis expreſſis ſuperinfundere, vt inaliquid odoris, coloris & ſaporis trahant, quam pauperiores bibant.

4. AB VVA PASSA VSQVE AD ACINVM NON COMEDENT, id eſt, nihil proſſus ex vuis, nec extimas, nec intimas partes: quod Pagninus tranſtulit *ab acinis vſque ad corticem* Chaldeus, *à granulis vſque ad folliculos*. Omnia iſta tam ſcrupulosè prohibentur, non quod ex illis periculum eſſet inebriationis, ſed ne ab accinis ad vuas, ab vuis ad vinum paulatim tranſirent: atque ſignificaret etiam minimas malorum occaſiones & vmbras eis qui perfecti eſſe volũt, eſſe vitãdas.

5. NOVACVLA NON TRANSIBIT PER CAPVT EIVS, ſub nouacula & forfex, & ſub raſura etiam tonſio comprehenditur.

6. SVPER MORTVVM NON EGREDIENTVR, id eſt, in locum vbi cadauer fuerit, quodcumque tandem etiam patris & matris, vt ſequitur. Nam eadem lex præſcribitur hîc Nazaræis tamquam ad perfectionem adſpirantibus quæ ſummo ſacerdoti Leuit. 21. v. 10. vt notauit Rabbi Moyſes tertiâ parte More cap. 49. Modi verò quibus contaminarentur ex mortuo, recenſentur Numerorum 19. à verſu 11. vſque ad 17. qui omnes hic prohibentur, idque,

7. QVIA CONSECRATIO DEI SVPER CAPVT EIVS EST. Hebraicè loco conſecrationis eſt *nezer*, id eſt, ſeparatio, ſcilicet illa à vulgari conuerſatione; vnde dicti ſunt Nazaræi ſeu ſeparati, hæc dicitur eſſe *ſuper caput eius*, quia ſignum illius eſt in capite eius, ſcilicet illa promiſſa cæſaries ſeu capillitium: quæ hac de cauſa etiam nomine *nezer* ſignificari ſolet, vt patet Hierem. 7. verſ. 29. quaſi dicat, quia Deo ſeparatus, & conſecratus, & ſanctus eſt, & illius ſignum gerit comam illam promiſſam, hinc nolo vt contaminetur ſuper mortuis, ſubindicans eos qui tales ſunt, debere temporalia illa mala lugere; ſed eis gaudendum eſſe in ſolo Deo, vnde additur verſu octauo, *Omnibus diebus ſeparationis ſuæ*, id eſt, nazaræatus ſui, *ſanctus erit Domino*. Et quia coma illa tamquam ſignum iſtius ſeparationis ac ſanctitatis detonderi debebat, ſtatim atque ſuper mortuo legaliter pollueretur, hinc eadem phraſi dicitur, quòd *polluetur caput conſecrationis eius*, id eſt, polluetur legaliter conſecratio ſeu nazaræatus capitis, hoc eſt, ſignum illius, videlicet coma illa capitis, & ideo ſtatim abradenda eſt velut polluta, quia, vt infrà dicitur, verſ. 11. *Peccauit ſuper mortuo*, non vero peccato, ſed ficto, cui immunditia legalis erat adiuncta. Nam coma iſta velut ſacrum ſignum ita erat Deo conſecrata, vt idcirco finito nazaræatu deberet in Dei honorem igne concremari, ne ſcilicet poſtea profanaretur.

11. SANCTIFICABITQVE CAPVT EIVS IN DIE ILLO, id eſt, per iſtas luſtrationes rationis & oblationis tutturum ruſum conſecrabitur de nouo caput Nazaræi quod pollutum fuerat,

12. ET CONSECRABIT DOMINO DIES SEPARATIONIS, id eſt, dies nazaræatus quem nouit, ita ſcilicet, vt ab illo die ruſum incipiant de nouo computari, quia primi erant per pollutionem facti irriti

13. ISTA EST LEX CONSECRATIONIS, qua de nouo conſecratur ad inchoandum ſuum nazaræatum. Noſter enim textus videtur iſta verba ad conſecrationem illam nouam

quæ dicta eſt, referre. Hebræus magis ad ſequentia. Legit enim, *& hæc eſt lex Nazaræi*, & iuxta hunc ſenſum conſecratio ita accipi debet, vt ſit idem quod nazaræatus. Eadem enim verba eodem modo transfert noſter verſu 21. vbi repetitur, Hæc eſt lex Nazaræi.

21. CVM VOVERIT OBLATIONEM SVAM DOMINO, id eſt, cùm vouerit iſta ſacrificia Deo offerenda; TEMPORE CONSECRATIONIS SVÆ, illo ipſo ſcilicet die quo ſe conſecrauit Deo, hoc ipſo quòd nazaræatum voueret & conſequenter omnia hîc præſcripta. EXCEPTIS HIS QVÆ INVENERIT MANVS EIVS. Quaſi dicat, præter quæ poterit tamen alia offerre ſacrificia ex ſpontanea deuotione. Porrò ſicut Leuitæ figura fuerunt miniſtrorum Eccleſiæ noui teſtamenti, ita Nazaræi religioſorum noſtrorum & continentium, vt S. Gregor. 32. Moral. cap. 17. aliàs 13. & ex eo ſanctus Iſidorus in lib. Numer. Nazianzenus Orat. 32. in fine. Vnde Origenes Hom. 24. in Num. vocat hoc Nazaræorum votum quo ſeipſos offerunt Deo, omnium votorum maximum, & hoc dicit myſticè ab eis impleri qui legem Nazaræorum ſpiritaliter, ſeu moraliter intellectam implent. Moralem iſtum ſenſum proſequitur fusè & accuratè ſingula expendendo Cyrillus l. 16. de adoratione poſt medium, vſque ad finem libri, quem vide S. Ambroſ. lib. 10. in Lucam per Nazaræos Chriſtum ſignificatum tradit, & Hieronym. in cap. 2. Matthæi. Nazaræus enim idem eſt quod ſeparatus à ſæculo Deoque conſecratus & ſanctus. Sanctum autem Dominum omnis Scriptura commemorat.

24. BENEDICAT TIBI DOMINVS, id eſt, benefaciat; dicere enim Dei eſt facere. Vnde benedictio etiam ſignificat Hebræis ipſum munus ac donum tamquam diuinæ benedictionis effectus, ac teſtimonium, Geneſ. 33. v. 21. & 1. Reg. 25. v. 27. Itaque his verbis apprecatur eis quidquid à Deo benedicente fit, hoc eſt, omnium bonorum copiam. Addit autem, ET CVSTODIAT TE, quia non eſt ſatis eam conferre, niſi iugiter à Deo cuſtodiatur.

25. OSTENDAT DOMINVS FACIEM SVAM TIBI, eam ſcilicet benignam exhibendo. Eſt enim hæc periphraſis fauoris, ſicut auerſio faciei ſpectat ad indignationem. Vnde Hebraïcè eſt, *lucere faciat Dominus faciem ſuam*, qualis eſſe ſolet hominis placati & benigni facies. Et hoc idem Hebraïco more ſequenti hemiſtichio repetitur, dicendo: ET MISEREATVR TVI. Cùm verò facies Dei non ſit alia quàm Deus ipſe qui eſt æterna veritas, per hoc quod petit, vt facies Dei luceat homini, petit vt Deus benignus veritate ſua velut luce dirigat actus hominis. Quod eadem planè phraſi Hebraïcâ dicitur Pſalm. 66. v. 1. *Illuminet vultum ſuum ſuper nos*, & mox explicatur, *vt cognoſcamus in terra viam tuam.*

26. CONVERTAT DOMINVS VVLTVM SVVM. Eadem fauoris oſtenſio petitur conuerſione vultus; hoc enim explicat etiam ſequens hemiſtichium, ET DET TIBI PACEM, quia eſt complementum, & finis, & tamquam quietatio omnium deſideriorum, vt fusè & doctiſſimè oſtendit Aug. l. 19. de Ciuit c. 11. & tribus ſeqq. Ter autem repetitur nomen Dei tetragrammaton ad indicandũ trinitatem perſonarum benedicentium cum ſacerdote, vt notauit Rupertus & alii ante eum. Vnde ne quis putaret irritam fore ſacerdotis inuocationem, addit promiſſionẽ:

27. ET EGO BENEDICAM EIS. Ex quo colligit Procopius, etiam ſacerdotis mali benedictionem, qualis fuit Balaam, apud fideles, affectu non carituram.

CAPVT VII.

1. FACTVM EST AVTEM IN DIE QVA COMPLEVIT MOYSES TABERNACVLVM. Intellige non primo die erectionis & conſecrationis tabernaculi, qui fuit dies primus menſis primi anni ſecundi egreſſionis, vt patet Exod. 40. ſed die ſeptimo, vel octauo. Contigit enim hæc oblatio ducum in conſecratione altaris, vt patet tum hîc, tum verſu 84. durauit autem conſecratio altaris per ſeptem dies Exod. 39. v. 37. vnde iſtud, *cùm compleuit Moyſes*, referendum videtur non ſolum ad erectionem tabernaculi, ſed ad omnia quæ ſequuntur, ſcilicet vnctionem & ſanctificationem tam taber-

naculi quàm altaris completam. Nam alioquin ante illos ſeptem dies finitos, magna iſta multitudo hoſtiarum à ſolo Moyſe offerri debuiſſet. Quod videtur inconueniens: quamuis non deſint, qui hoc aſſerant: ſecundùm quorum ſententiam, oblatio iſta Ducum incœpiſſet prima die dedicationis altaris Moyſe immolante, filiis Aaron inſtar Leuitarum ſubſeruientibus vſque ad octauum diem, quo ſacrificia per cæteros quinque dies ipſi filii Aaron obtuliſſent. Eſt tamen hîc ordo inuerſus hiſtoriæ. Nam contigit iſta oblatio initio menſis primi, quo diximus erectum & conſecratum fuiſſe tabernaculum, & tamen ſuprà narratus fuit cenſus populi, qui contigit menſe ſecundo anni ſecundi, vt dicitur c. 1. v. 1. Idem iudicium de iis quæ narrantur infrà c. 8. & 9. v. 3. Obtulerunt autem hæc

2. PRINCIPES ISRAEL, qui ſcilicet toti tribui ſuæ præerant, PREFECTIQVE EORVM, QVI NVMERATI FVERANT, non iſtâ numeratione quæ c. 1. deſcribitur, ſed anteriore, de qua in Exodo. Porrò ex illis ſex plauſtris oblatis data ſunt quatuor filiis Merari, quia onera illorum erant grauiſſima, tota ſcilicet moles tabularum & columnarum atrii. Nam auri talenta erant 29. argenti 100. æris 2070. & aliquot ſicli quæ conficiunt vltra ducenta & ſeptuaginta quatuor millia librarum minorum, præter onus tabularum & vectium tabernaculi. Et aſſignando cuique plauſtro ter mille libras, requiſita fuerunt vltra nonaginta plauſtra, vel certè reliquum humeris ſuis ferre debuerunt, vt Caathitæ. Sed quia Meraritę non fuerunt niſi ter mille ducenti, etiamſi tribuantur ſingulis 50. libræ ferendæ, non potuiſſent ferre dimidium oneris quod iis incumbebat. Vnde neceſſe fuit, vt, vel iumentis, vel aliis plauſtris vterentur. Filiis autē Caath non dedit plauſtra.

9. QVIA IN SANCTVARIO SERVIVNT, id eſt, quia miniſterium eorum eſt circa res quæ in ipſo Sancto, & Sancto Sanctorum ſunt ſacratiſſimæ, vt arcam, menſam, &c. quæ propterea propriis eorum humeris ferri debent, non plauſtris. Vnde Hebraïcè eſt, quia *miniſterium ſanctitatis*, id eſt, ſanctiſſimum *ſuper ipſos eſt*.

13. OBTVLIT NAASSON ACETABVLVM ARGENTEVM. Pagninus & alii communiter transferunt ſcutellam, & ſatis aptè. Nam ex pondere eius conſtat fuiſſe vas magnum, & ex eius vſu fuiſſe concauum, acetabulum autem propriè eſt vaſculum valdè exiguum.

14. MORTARIOLVM, non ad tundendum pilo, ſed ad capiendum incenſum. Hebraïcè eſt, *caph*, quod eſt paruum vaſculum concauum, vt eſſe ſolent acerræ. Iſtæ oblationes & munera prolixè duodecies repetũtur more Hebraïco & ferè orientalibus vſitato.

CAPVT VIII.

2. CVM POSVERIS SEPTEM LVCERNAS, accendendo eas ſingulis veſperis. Vnde Hebraicè eſt, *cùm accenderis lucernas*. Non enim agitur de prima poſitione, quam fecerat Moyſes erigendo tabernaculum, vt eſt Exod. vltimo, ſed de qualibet quotidiana accenſione. Poterant enim lucernæ à candelabro ſeparari, vt faciliùs purgari & concinnari poſſent.

CANDELABRVM IN AVSTRALI PARTE ERIGATVR. Ab hoc loco vſque ad finem v. 2. nihil habent aliud Hebræa, niſi hoc: *è regione candelabri lucebunt ſeptem lucernæ*, id eſt, ita concinnabis eas, vt candelabro toto poſito in parte auſtrali tabernaculi, omnes lucernæ lumen ſuum iaculentur verſus partem ei oppoſitam, id eſt, non verſus occidentem, vbi eſt altare thymiamatis & arca, nec verſus orientem, vbi eſt introitus, ſed verſus aquilonem, vbi ſtat menſa propoſitionis. Hoc eſt ergo quod noſter paraphraſticè adiecit textui, claritatis causâ. Fiebat hoc partim ita collocando candelabrum, vt omnes lucernæ eandem partem reſpicerent, partim ellychnia obuertendo aquiloni.

6. TOLLE LEVITAS. Hæc videntur facta eodem tempore quo numerati ſunt, & Deo dedicati pro primogenitis, de quo c. 3. Porrò conſecrationis eorum ponuntur hîc octo ritus. Primus eſt:

7. ASPERGANTVR AQVA LVSTRATIONIS. Hebraïcè *aqua peccati*, quia ſcilicet purificabantur ab omni legali immunditia, veram peccatorum purificationem ſignificante. Quod aqua iſta fuerit mixta cineribus

vaccæ ruſæ accuratè traditur infrà cap. 19. v. 17. quæ omnibus purificationibus adhibebatur. Secundus ritus eſt:

Radant omnes pilos carnis svæ. Quo ſignificatur eum qui obſequiis diuinis aſſumitur, à cunctis carnis cogitationibus mundum apparere debere, vt latiùs tradit Greg. 5 Moralium c. 24. aliàs 23. & ex eodem Iſid. c. 6. in Num. Raduntur autem non euelluntur, inquit idem Gregor. quia magno quidem ſtudio ſuperfluæ cogitationes amputandæ ſunt, ſed tamen amputari funditus nequaquam poſſunt. Semper enim caro ſuperflua generat, ferro ſollicitudinis reſcindenda. Tertius ritus eſt:

Cumque laverint vestimenta sva, ad ſignificandam ſimiliter interiorem animæ puritatem miniſtris Dei neceſſariam. Vnde toti populo ſimilis lotio præſcripta fuit, cùm lex eſſet accipienda. Quartus eſt:

8. Tollent bovem, ſcilicet in holocauſtum, offerendum non ab ipſis, ſed ab ipſo Moyſe. Bovem avtem alterum pro peccato, ad ſignificandum eos non tantum à peccatis puros eſſe debere, ſed etiam totos in holocauſtum offerri Deo. Quintus eſt:

9. Applicabis eos coram tabernacvlo, convocata omni mvltitvdine, quo docemur ordinationes miniſtrorum, ſub populi aſſiſtentis conſcientia fieri debere, vt plebe præſente, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, vt Cyprian. Epiſt. 68. Magis enim honorat & reueretur populus miniſtros quorum vitam ſuo teſtimonio inculpatam probauit. Sextus eſt:

10. Ponent filii Israel manvs svas svper eos. Non in ſignum ordinationis eorum; illius enim poteſtas non eſt apud populum, neque nunc, neque olim fuit, ſed ad ſignificandum quòd eos manumitterent à ſe, & in Dei ius ac miniſtros transferrent, omniumque peccata illis ferenda imponerent. Hæc enim ſignificabantur impoſitione manuum in caput hoſtiæ. Septimus eſt:

11. Offeret Aaron Levitas. Hebraïcè *eleuabit*, ſcilicet illo ritu eleuationis & agitationis ad quatuor mundi plagas quæ hoſtiis adhibebatur, vt alibi diximus. Significauit hoc interpres noſter v. 21. vbi idem verbum transfert, *eleuauitque eos Aaron*. Ex vtroque loco conſtat, illam eleuationem factam eſſe ab Aarone ſummo Pontifice, tametſi immolatio bouis pro peccato fieret à Moyſe, vt colligitur ex v. 8. Porrò hac eleuatione ſignificabatur, eos totius orbis Domino offerri à populo, in mvnvs, vt ſcilicet loco totius populi Deo ſeruirent. Quod autem aliqui ex huius eleuationis difficultate concludunt, paucos Leuitas tunc ab Aarone conſecratos fuiſſe, reliquos poſtea in terra Chanaan; debili nititur fundamento, nec enim facilior erat ille ritus in Chanaan quàm in deſerto, vbi tamen multitudo miniſtrorum ad ferenda onera tabernaculi maximè erat neceſſaria. Imò videtur Scripturæ repugnare, quæ hîc v. 20. & ſeqq. dicit ea circa Leuitas impleta. Vnde nec illud veriſimile, quod addunt, reliquos Leuitas qui nondum attigerant annum trigeſimum poſtea in deſerto, ſine vlla conſecratione ſucceſſiſſe in miniſterium. Conſecratio enim erat omnino neceſſaria, vt patet 2. Paral. 29. v. 34. Octauus ritus eſt:

12. Levitæ ponent manvs svas svper capita bovm. Cuius ritus alibi eſt data ratio. His perfectis:

15. Postea ingredientvr tabernacvlvm vt serviant mihi. Tabernaculum ſumitur pro toto apparatu, vt comprehendit etiam atrium. Leuitæ enim non ingrediebantur tabernaculum propriè dictum, niſi quando erat deponendum, vel erigendum. Vnde Hebræa legunt clariùs, *ingredientur, vt ſeruiant tabernaculo*. Ætas autem ad inchoandum miniſterium notatur v. 24. *à viginti quinque annis*. Intellige non ad ferenda onera per ſe; nam iſti officio præſtituta fuit ſuprà cap. 4. v. 3. ætas 30. annorum; ſed ad ſubſeruiendum ſenioribus in officiis minoribus, vt tangitur verſu vltimo de iis qui ætatem quinquagenariam prætergreſſi ſunt. Tandem verò cùm grauia iſta onera portandi tabernaculum ceſſaſſent, & multa minora officia ianitorum, cantorumque, &c. ſucceſſiſſent, extenſa fuit ætas illa ad annum vigeſimum, vt patet 1. Paralip. 23. v. 27.

Tropologicam rationem iſtius ætatis 25. annorum dat D. Greg. 23. Moral. c.6. aliàs 12. annus enim vigeſimus quintus tempus eſt iuuentutis, quouſque bella carnis ſæuiunt. Quinquageſimus verò Iubilæi, & quietis edomito bello vitiorum. Vnde indicatur, inquit, eos qui adhuc impugnantium vitiorum certamina per conſenſum delectationis tolerant, *vaſorum tabernaculi*, id eſt, animarum curam ſuſcipere non debere.

Capvt IX.

2. Faciant filii Israel Phase in tempore svo, ſcilicet menſe primo. Dicta ergo ſunt iſta ante omnia quæ narrata ſunt cap. 1. & ſeqq. vſque ad 7. Nam vt dicitur cap. 1, verſu 2. contigerunt illa menſe ſecundo anni ſecundi, vt etiam ſuprà notatum eſt. Iubentur ergo facere Phaſe, id eſt, celebrare ſolemnitatem paſchalem, idque vt ſcirent feſtum iſtud non fuiſſe tranſitoriam ceremoniam qua tantùm liberati fuiſſent ab Angelo percutiente primogenita, ſed legalem ritum quotannis repetendum, tum hìc, tum in terra Chanaan. Sed quia per accidens propter peccatum populi contigit, vt 40. annis hærerent in deſerto, ſemper incerti de profectione, vel manſione, hinc nonnullis videtur nulla feſta poſtea in deſerto fuiſſe celebrata; maximè quia propheta Amos cap. 5. teſtis eſt ſacrificia non fuiſſe oblata in deſerto, ſine quibus feſta celebrari non poterant.

3. Ivxta omnes ceremonias et ivstificationes eivs. Ita vocantur omnia iſta ſtatuta de celebratione Phaſe, quia humanarum actionum iuſtitia, ſeu rectitudo in eo conſiſtit, vt diuinæ regulæ conformentur. Sed quomodo ceremonia de azymis obſeruari potuit, cùm farina iam à multis menſibus carerent? Dicendum obſeruatos fuiſſe ritus qui obſeruari poterant: vel certè manna tamquam azymo vſos, quia carebant fermento.

10. Homo qvi fverit immvndvs svper anima, id eſt, ex contactu, vel communicatione non animæ, ſed corporis carentis animâ, ſeu cadaueris. Cuiuſmodi phraſi Pſalm. 108. dicitur caro immutata propter oleum, id eſt, propter defectum olei. Eadem videtur ratio de cæteris immunditiis, nempe quæ multorum dierum egebant expiatione, vt lepræ gonorrhϾ, fluxus ſanguinis, & ſimilium.

Sive in via procvl. Quia hoc ſacrificium agni Paſchalis non poterat offerri, niſi in loco quem elegiſſet Dominus, vt habitaret ibi, vbi ſcilicet eſſet tabernaculum aut templum, vt patet Deuteron. 16. v. 2. vnde nunc ceſſauit offerri, ſicut & reliqua ſacrificia. Talibus ergo immundis & peregrinantibus conceditur menſis ſecundus ad celebrandum paſcha, ſicut & Chriſtianis propter ſimiles cauſas conceditur, vt poſt paſcha communicent, hoc tamen diſcrimine, quòd Iudæis non daretur, niſi menſis ſecundus: de tertio enim nulla mentio, vnde ad illum tanquam remotiorem à vero tempore egreſſionis ex Ægypto, extendi non debet; Chriſtianis autem non ceſſat obligatio, etiamſi tranſierit menſis ſecundus, imò tertius & quartus & vlteriores, Aug tamen q. 10. ſub diſiunctione indeciſum relinquit vtrùm Iudæi poſſent tertio menſe celebrare, an verò lege eſſent pro illo anno liberati.

14. Peregrinvs qvoqve, et advena si fverint apvd vos. Non intelligitur hìc quomodolibet peregrinus in terra Iudææ, ſed tantùm, qui ſic eſt peregrinus, vt vel Iudæus ſit, vel Iudaïſmo initiatus: cæteri enim peregrinantes neque debebant, neque poterant agnum comedere, iuxta legem Exod. 12. v. 45. Additur autem, *ſi fuerint apud vos*, id eſt, in terra Iudææ, quia extra Iudæam conſtituti, etſi fortaſſis tenerentur quotannis hac de cauſa Ieroſolymam confluere, lõgè faciliùs tamen excuſari poterãt.

15. Igitvr die qva erectvm est tabernacvlvm, opervit illvd nvbes. Tranſit hìc ex abrupto Moyſes ad columnam nubis & ignis, quia accingit ſe ex hoc loco ad deſcribendum diſceſſum caſtrorum ex monte Sinaï, qui contigit nube præeunte. Qualis autem fuerit iſta nubes, & quid præſtaret Iſraelitis, quid myſticè ſignificaret, vide dicta in fine cap. 13. Exodi.

18. Ad imperivm Domini proficiſ-

CEBANTVR, non voce Domini, ſed motu, vel ſtatu nubis indicari ſolitum, hîc enim motus, vel quies nubis erat reale quoddam imperium, vt mouerent, vel figerent caſtra, vnde Auguſt. dicit q. 11. imperium Domini vocari ipſum ſignum quod fiebat in nube, quamuis, vt idem notat, poſſet etiam imperium Domini dici id quod præceperat Moyſi generaliter de ſequenda nube: columnâ enim diſcedente, mouebant caſtra, quieſcente ſubſiſtebant ad reficiendum quotidie corpus hominum & animalium, tum cibo, tum ſomno vtriſque prorſus neceſſario. Sed iſta quotidiana, vel nocturna quies non vocatur manſio, vel ſtatio, vel tentoriorum fixio, ſed ſolùm ſi diutiùs manerent in eodem loco. Nam ex c. 10. v. 33. patet eos ex Sinaï per tres dies eſſe profectos, antequam caſtra figerent in ſepulchris concupiſcentiæ; cùm tamē interea ſæpiùs quieſcere neceſſe fuerit. Huiuſmodi ergo manſiones ad figenda caſtra non fuerunt niſi 42. ſciebatur autem figenda caſtra ex eo quod nubes poſt quotidie neceſſariam quietem, ſiue prandii, ſiue cœnæ, ſiue noctis, adhuc quieſceret: hoc enim ſignum erat diutius eſſe hærendum: vt autem hoc ſcirent, ſicut in fine dicitur, *erant in excubiis Domini*, id eſt, excubabant aduigilando ad motum nubis, vt ſcirent au eſſet proficiſcendum, an manendum. Quo tropologicè ſignificatur, iis qui ex hac peregrinatione in cœlum tendunt, obſeruandum eſſe imperium Domini, diuinaſque inſpirationes iuxta exemplum Samuëlis, Loquere Domine, quia audit ſeruus tuus 1. Reg. 3. & Dauidis, Audiam quid loquatur in me minus Deus Pſal. 84.

CAPVT X.

2. FAC TIBI DVAS TVBAS ARGENTEAS DVCTILES, id eſt, argento malleis percuſſo. Differunt hæ tubæ ab aliis, quarum vſus erat in iubilæo, tum nomine, tum materià. Nam illæ vocantur Hebraïcè *ſcophar*, & Latinè ferè *buccina*, vt patet Ioſue 6. hæ verò huius capitis vocantur *chaſoſſeroth*, id eſt, tubæ. Illæ erant ex cornu, hæ ex argento: Forma earum deſcribitur à Ioſepho lib. 3. Antiq. c. 11. Canna erat tibia paulò craſſior longitudine paulò minus cubitali, cuius os tantum patebat quantum ad inflandum ſufficeret, deſinebatque in extremitatem campanulæ ſimilem, quemadmodum tuba Aſoſra (lege chatſoſſera) vocatur hoc genus apud Hebræos. Hæc ille:

QVIBVS CONVOCARE POSSIS MVLTITVDINEM. Scilicet ſiue populi, ſiue ducum. Hîc eſt primus vſus tubarum, qui in Hebraïco & LXX. clarè diſtinguitur à ſequenti. Nam additur copula (&) hoc modo: & quando mouenda ſunt caſtra. Adduntur verſu 9 & 10. alii vſus, nempe ad clangendum in bello, itemque *in epulis*, ſcilicet ſacris præuio ſacrificio pacifico exhibendis, & *in feſtis*, id eſt, ſolemnitatibus à Deo inſtitutis, & *in Kalendis*, id eſt, primâ die menſis: quæ quamuis non eſſet feſtum in populo, vt ſuprà dictum eſt, tamen certa ſacrificia offerri debebant.

3. CVMQVE INCREPVERIS TVBIS, vtrâque ſcilicet ſimul, CONGREGABITVR AD TE OMNIS TERRA, nempe totius populi.

4. SI SEMEL CLANGVERIS, VENIENT AD TE PRINCIPES. Pro *ſemel* Hebraicè eſt *ſi in vna*, ſcilicet tubâ clanxeris: & ita acceperunt LXX. Diſtinguitur enim hic modus à præcedenti, numero tubarum, non inflationum; & ſic accipiendum eſt illud (*ſemel*) ſicut enim duplex eſt clangor duarum tubarum, & quaſi bis inflantur, ita ſemel tantum, ſi vna clangatur. Et ſic interpretati ſunt Theod. q. 15. & Cyrill. in collectaneis. Porrò modus iſte clangendi, ſiue vna tuba, ſiue duabus tubis, habet peculiare verbum hîc apud Hebrços *tacban*, quod ſignificat clangere fixo quodam, & æquabili, & vniformi ſono. Alter autem modus ad mouenda caſtra, de quo v. 5. itemque ad ineundum prælium verſ. 9. vocatur *theroa*, quod ſignificat ſonum fractum & concilum, noſter vocat conciſum vlulatum: & aptè vulgò transfertur taratantara. Vnde in prædictis verſibus eſt verbum *heria* taratantarizare, ſeu conciſè vlulare.

9. ET ERIT RECORDATIO VESTRI CORAM DOMINO, id eſt, Deus veſtri recordabitur, ad ſonum illum tubarum auxilia-

dovobis, eò quòd in illum finem tubas inſtituerit, & clangi præceperit: ſicut tempore Noë arcum ad recordandum pacti ſui inſtituit. Huiuſmodi autem ſigna magis ſeruiunt, vt homo per ea excitatus fidat promiſſis Dei adeoque tacitè inuocet Deum per ſignum ab ipſo inſtitutum, quàm vt Deus recordetur. Nam recordatio ei tribuitur ratione effectus tantum, quia adiuuare incipit, ſicut ſolent illi qui alienæ neceſſitatis benignè recordantur.

Allegoricè Origenes tract. 30. in Matth. tubas illas vult ſignificare tubam nouiſſimam, qua tota congregatio generis humani ad iudicium conuocabitur. Apud Cyrill. l. 5. de adorat. verſ. finem & loco iam citato ex collectaneis, tubæ ſunt prædicatio Euangelica; duæ ſunt, quia partim eſt dogmatica, fidem annuncians, partim moralis actiones vitę inſtruens: argenteæ, quòd prædicatio ſit ſonora, pura & irreprehenſibilis. Cætera vide latius apud illum.

Hactenus à cap. ſcilicet 19. Exodi narrauit Moyſes ea quæ geſta ſunt in monte Sinaï, & nunc demum inde abire incipiunt.

11. Anno secvndo, poſt egreſſionem ſcilicet ex Ægypto, mense secvndo vigesima die mensis, elevata est nvbes, indicans eſſe mouenda caſtra ex monte Sinaï. Venerunt autem eo tertio die menſis tertii anno primo, ergo hæſerunt in eo annum integrum præter tredecim dies. Itaque tota reſpublica Iudaïca, tam ciuilis quàm Eccleſiaſtica in illa ſtatione formata fuit. Quidquid enim narratur ab initio capitis 19. Exodi vſque in finem libri totoque Leuitico, vſque in hunc locum Num. in monte Sinaï peractum eſt, vt notat Hieronym. Epiſt. de 42. manſionibus, manſione 12.

12. Et recvbvit nvbes in solitvdine Pharan. Incipit hęc ſolitudo ſtatim à monte Sinaï, & pertingit vſque ad Aſiongaber, vbi fuit manſio 32. Nam Cades quæ eſt 33. eſt in deſerto Sin. ita Hieron. loco citato in manſione 15. Eſt autem ſolitudo Pharan teſte Adrichomio, & aliis qui luſtrauerunt, tota arida, ſterilis & ſquallida, inhabitabilis hominibus, villis domibus, & caſis carens, vbi nec homines videntur, nec beſtiæ, nec aues: imò nec arbores, nec germen aliquod, niſi paucis locis, ſed non niſi rupes, & montes ſaxoſi, altiſſimi, aſperrimi, vndique prærupti, & præcipites, mixti coloris rubei & nigri, ſolis ardoribus exuſti: quo ſplendente videntur ſaxa reſplendentia, quaſi eſſent oleo inuncta, quæ ipſo viſu horroris ſpeciem, & mortis imaginem præ ſe ferunt. Arenas ſteriles, vbi vapor Solis accendit feruore exurente veſtigia, intolerabilis exiſtit æſtus. Luctandum inſuper cum tenaciſſimo ſabulo, quod præaltum & veſtigio cedens, ægrè moliuntur pedes. In hoc deſerto vagati ſunt filii Iſrael triginta octo annis.

13. Moveruntqve castra primi filii Ivda. Ex hac narratione patet acie non quadrata, ſicut caſtra metari fuerant, ſed longâ proficiſci ſolitos filios Iſraël, ita vt omnes tribus ſe mutuò ſequerentur, pręcedebat omnes tribus Iuda cum ſuis, claudebat agmen tribus Dan cum ſuis, quia erant illæ duæ tribus omnium numeroſiſſimæ & fortiſſimæ, vt patet c. 1. v. 27. & 39.

17. Dipositvmqve est tabernacvlvm. Scilicet eo ordine, quo hîc narratur. Nam poſt tribum Zabulon, quæ in proficiſcendo erat tertia, adeoque cum tribu Iuda & Iſſachar conſtituebat primam aciem, ſequebantur immediatè *filii Gerſon & Merari* portantes depoſitum tabernaculum, non in humeris, ſed plauſtris ſuis. Poſt ſecundam verò aciem, cuius ductor erat Ruben, ſequente tribu Simeon & Gad.

21. Profecti svnt Caathitæ portantes sanctvarivm. Non ipſum tabernaculum, ſed vaſa ſanctiſſima, tam Sancti, quàm Sancti Sanctorum. Itaque Caathitæ cum vaſis Sanctuarii erant prorſus in medio quatuor acierum, vbi conſequenter & Moyſes cum Aarone videntur locum ſuum habuiſſe: niſi forſan arcam ſequerentur. Nam illa etiamſi à Caathitis portaretur, præcedebat vniuerſum exercitum, vt patet verſ. 33. vna cum columna nubis ſibi deſuper incumbente, & prouidebat, ſeu ſeligebat idoneum caſtrorum locum, vbi ſcilicet commoditas eſſet aquandi, paſcendi, &c. Caathitas ſeque-

batur tertia acies conſtans ex tribubus Ephraim, Manaſſé & Beniamin, id eſt, ex ſolis filiis Rachel, vnde dictum volunt quidam à Dauide: *Qui ſedes ſuper Cherubim*, id eſt, ſuper arcam, manifeſtare coram Ephraim, Benjamin & Manaſſé tamquam propinquiſſimis Sancto Sanctorum in caſtrametando, & vaſis Sanctuarii in proficiſcendo.

TAMDIV TABERNACVLVM, id eſt, vaſa iſta tabernaculi, PORTABATVR, à Caathitis, DONEC VENIRENT, ipſi ſcilicet Chaathitæ, AD ERECTIONIS LOCVM, vbi filii Gerſon & Merari tabernaculum, veluti domum Dei iam erexerant, clariùs patet iſte ſenſus ex Hebræo, qui ſic legit: *Et erexerunt tabernaculum*, Gerſonitæ videlicet & Meraritæ, *donec venirent ipſi*. Caathitæ ferentes vaſa, qui in Sanctuarium iam erectum inferrent.

29. DIXITQVE MOYSES HOBAB FILIO RAGVEL MADIANITÆ. Nonnulli putant iſtum Hobab eſſe illum ipſum ſocerum Moyſis, qui dicitur Exodi. 2. Raguel, & Exodi 18 Iethro. Occaſionem huius opinionis dederunt LXX. qui tranſtulerunt, *Hobab filio Raguel* (ſcilicet ſenioris) *ſocero* Moyſis, vbi noſter vertit, *cognato ſuo*, hoc eſt, affini, vt illud nomen ſubinde ſumitur. Hanc ſententiam plerique Hebræi maximè Rabbi Salomon ſequuntur vnà cum Lyrano, Abulenſi & Marcero. Nam etiam Iudic. 4. v. 11. idem ille Hobab vocatur Hebraicè *Cothen*, ſocer Moyſi vbi nos legimus *cognatus*, id eſt, affinis Sententia illa probabilis eſt, veriſimilius tamen videtur eſſe filium ſoceri Moyſis, qui dicitur Raguel & Iethro locis Exodi citatis. Nam hîc expreſsè dicitur eſſe filium Raguelis, & ex nullo loco conſtat patrem ipſius Iethro vocatum fuiſſe Raguelem, vt ipſi volunt. Cui accedit quod ex Exodi 18. verſ. vlt. conſtat Iethro ſocerum Moyſis reuerſum eſſe in terram ſuam, vnde nullo modo veriſimile eſt, tam citò rediiſſe. Nam quod Lyranus dicit Iethro conuerſum eſſe ad Iudaïſmum, & reuerſum in terram ſuam, vt de domo ſua diſponeret, & ita rediens cum filiis Iſraël proficiſceretur, videtur ſine fundamento dici; nec enim quidquam de iſta conuerſione, & reditu ex Scripturis conſtat. Adde quod dimiſſio illa de qua Exodi 18. videtur amplius indicare, quàm abitum vt mox rediret. Poſteri iſtius Hobab vocati ſunt Cinæi, vt patet Iudic. 4. verſ. 11. habitaueruntque primò in ciuitate palmarum, id eſt, Iericho, ac deinde in tribu Iuda, Iudic. 1. verſ. 16. Aliqui verò ex eis nempe Háber Cinæus cum ſuis diſceſſerunt poſtea in tribum Nephtali, vt patet ex loco Iudic. 4. citato.

VENI NOBISCVM VT BENE FACIAMVS TIBI: bonis non tantùm temporalibus, ſed maximè ſpiritualibus: ſpectabat enim in primis Moyſes, vt affinem ſuum, & poſteros à periculo idololatriæ liberaret, quia elatis hominibus plerumque melius vtilia perſuadentur, ſi profectum eorum nobis magis quàm ipſis profuturum dicamus, hinc nolenti ſecum proficiſci, reſpondit Moyſes: *Tu enim noſti quibus locis caſtra ponere debeamus* Neque enim Moyſes de caſtris per eum ponendis erat ſollicitus, quem exteriùs columna præcedebat, & interiùs Dei locutio inſtruebat: ſed vt ait Gregorius III. parte Paſtoralis curæ ad monit. 18. in fine, Vir prouidus elato auditori colloquens, ſolatium petiuit, vt daret; ducem eum requirebat in via, vt dux ei fieri ad vitam poſſet, nempe vt voci ad meliora ſuadenti eò magis fieret deuotus quò putaretur neceſſarius.

33. PROFECTI SVNT ERGO VIAM TRIVM DIERVM. Non quaſi interea numquam quieſcerent, ſed quòd tribus diebus non erigeretur tabernaculum. neque conſequenter caſtra figerentur: quod enim nubes dicitur ſuper eos fuiſſe per diem cùm incederent, ſatis inſinuatur, non inceſſiſſe ſaltem tunc.

ARCAQVE FŒDERIS DOMINI PRÆCEDEBAT EOS, vna ſcilicet cum columna nubis, tamquam dux itineris, PROVIDENS CASTRORVM LOCVM, idoneum ſcilicet caſtris figendis, idque tum ſitu loci, tum aquandi paſcendique commoditate.

Ex hoc loco patet, ſicut & ex Ioſue 3. arcā Domini præceſſiſſe vniuerſa caſtra; quod idcirco conſequenter ſatis veriſimile eſt in cæteris etiam itineribus fuiſſe obſeruatum.

CAPVT XI.

1. ORTVM EST MVRMVR QVASI DOLENTIVM PRO LABORE, nempe itineris trium dierum. Nam per annum circiter deſides hæſerant circa montem Sinaï, adeoque ſegnitiei aſſueti laborem quamuis exiguum non ferebant. Deus enim viribus omnium etiam paruulorum, & animalium iter attemperabat, vnde quia labor iſte non tam cauſa quàm prætextus murmuris fuit, Scriptura dicit, *quaſi*, quod magis referendum eſt ad illud (*pro labore*) quam ad (*dolentium*,) verè enim dolebant, ſed non verè pro labore, ſed præ deſiderio ciborum Ægyptiacorum.

ET ACCENSVS IN EOS IGNIS DOMINI, inſtar fulminis ſcilicet diuinitùs excuſſi, quamuis aliqui ignem Domini dictum velint, ignem maximum, per quem ſcilicet inflicta fuit illa plaga magna nimis, de qua verſ. 33. ita enim dicuntur & Cedri, & montes Dei.

ET DEVORAVIT EXTREMAM PARTEM CASTRORVM. Et quia extrema duo ſunt, hinc aliqui intelligunt Principes, eò quòd non compeſcerent vulgum; alii veriſimilius viliſſimos, vt patet ex ratione quæ datur v. 4. Nam vulgus in extremam caſtrorum partem reiectum fuiſſe veriſimile eſt. Ab inſtrumento igitur, & modo plagæ dictus eſt locus *incenſio*; à cauſa verò *ſepulchra concupiſcentiæ*, vnus enim, & idem videtur eſſe locus eademque pœna, quæ hìc deſcribitur, & quæ in fine capitis, vt indicat Hieronymus Epiſt. 127 ad Fabiolam, manſione 13. quamuis Theodoretus quæſt. 18. putet eſſe murmura & plagas diuerſas. Fauet ei textus LXX. & Hebraïcus, qui verſum quartum incipiunt ſine particula cauſali, hoc modo: *Et vulgus promiſcuum*. Sed noſter ſagaciùs rem perpendens indicauit illud, *&*, more Hebræis non inuſitato eſſe transferendum cauſaliter *vulgus quippe* vt dando rationem & modum murmuris, latiùs exponeret id quod breuiter ſuprà preſtrinxerat. Intelligit autē vulgus Ægyptiorum & aliarum nationum quod Iſraelitis mixtum aſcenderat cum eis.

4. FLAGRAVIT DESIDERIO, id eſt, ardentiſſimè deſiderauit, ſcilicet carnes & cibos illos, quos exprimunt v. 4. ſeqq. nam quamuis inter ſe haberent peccora, vt patet ex Numerorum 20. v. 4. & ex peccoribus filiorum Ruben & Gad Numerorum 32. illa tamen non erant omnium, & ad ſobolem ſeruabantur, nec tantæ multitudini ſufficere vllo modo poterant, vt patet hìc verſ. 22. Itaque non deſperando ſed deſiderando dicunt, QVIS DABIT NOBIS, id eſt vtinam darentur nobis carnes, &c. eſt enim modus optandi Hebræis vſitatiſſimus, vt videre licet 2. Regum 15. verſ. 4. Hieremiæ 9. v. 1. & alibi.

6. ANIMA NOSTRA ARIDA EST, id eſt, nos quaſi ex ſucci & languidi ſumus, ex comeſtione continua ſicci & eiuſdem cibi. Nam guloſi ciborum variationem maximè appetunt, vt non ſolùm neceſſitas, ſed & tactus, & oculi, & imaginatio impleatur: quæ enim ſequuntur de colore & ſapore manna, dicta ſunt ad c. 16. Exod. v. 14.

10. SED ET MOYSI INTOLERANDA RES VISA, quòd habentes cibum tam delicatum de cœlo diuinitùs ſibi datum, tam importunè, iam terræ ſibi promiſſæ proximi, cibos Ægyptiacos murmurando & flendo poſtularent. Hęc tanta rei abſurditas turbauit Moyſen, & adegit ad quandam quaſi puſillanimitatem, vt peteret interfici potius à Deo quàm diutius præeſſe. Hinc etiam dicit:

14. NON POSSVM SOLVS SVSTINERE OMNEM HVNC POPVLVM, quia quamuis haberet adiutorium 70. ſenum, de quibus Exod. 24. itemque præfectorum illorum quos ex conſilio Iethro ſoceri ſui inſtituerat, ipſe tamen omnibus præerat, & illos ipſos portare debebat: & in difficultatibus quibus inferiorum induſtria nihil conferre poteſt, qualis erat hæc, tota moles negotii & anguſtiæ in Moyſen deuoluebatur. Denique præfecti illi quos inſtituerat, ſolum minora eaque temporalia iudicabant, omnia verò maiora, itemque ad religionem ſpectantia ad Moyſen referebantur. Hinc Deus etiam in illis ei ſubſidium dedit adiiciendo.

16. SEPTVAGINTA VIROS DE SENIBVS ISRAEL non ætate ſolâ, ſimul & maximè morum maturitate ac prudentia: ad hoc enim iudicandum addit: QVOS TV NOSTI QVOD SENES POPVLI SVNT ET MAGISTRI, id eſt, apti vt ſint magiſtri & populum doceant. Nam ętatem corporis & canitię omnes alii etiam populus diiudicare poterant, non ita ætatem, quam Moyſes hîc dicitur noſcere & diſcernere. Cani enim ſunt ſenſus hominis, &c. ita ponderat Orig. Hom. 3. in Gen. & Greg. 19. Moral. c. 11. aliàs 13.

17. ET AVFERAM DE SPIRITV TVO, non illo qui dicitur anima rationalis, ſed Spiritu ſancto: qui dicitur eſſe Moyſis; quia Moyſe, ſicut alibi de Ioanne dicitur: In Spiritu & virtute Heliæ, vt ſcilicet Spiritus etiam per illum operaretur, qualia per Heliam operatus fuerat, inquit Auguſt. qu. 18. in Numeros. Dicitur autem *auferre de illo Spiritu*, quia vt idem ait, ex eodem Spiritu gratiæ illi quoque erant habituri adiutorium, ex quo habebat & Moyſes, vt ſcilicet & iſti haberent quantùm Deus vellet, & non tamen ideo Moyſes minùs haberet. Quod declarat Theodoretus latiùs qu. 18. ſimilitudine lucernæ de qua accendendo aliam, lumen accipitur, & ſacerdotis baptizantis infinitos homines & Epiſcopi ordinantis. Non enim minuitur eorum gratia & poteſtas, etſi inde ad alios tranſeat, intelligenda eſt enim acceptio aut tranſitus non formalis quaſi eadem gratia vel diuideretur, vel detraheretur; ſed effectiuus. Si ergo accipit Deus de Spiritu Moyſis, id eſt, fecit vt Spiritus Sanctus qui erat in Moyſe, ſimilia dona ſenibus illis infunderet, vt ſcilicet valerent prudentiâ in regendo, eruditione in cauſis diiudicandis, peritiâ in diſcernendis rebus religionis, denique ſpiritu laudandi Deum & occulta prædicendi. Manſit illud ſupremum concilium 71. virorum (Moyſes enim omnibus præerat) quaſi Ariopagus quidam apud Iudæos vſque ad mortem Chriſti, quod vocarunt Sanedrin, voce Græca *συνέδριον* in Syriam adoptatâ: etiamſi Rabbi Iudas velit tantum fuiſſe 70. In eo iudicabantur cauſæ ſupremæ Reipublicæ totius ſtatum ſpectantes vt de integra tribu, de Pſeudoprophetis, de ſummo ſacerdote ſub ilo ſtatuunt Thalmudiſtæ duas curias minores, vnam 23. Iudicum, in qua cauſæ capitales agitabantur; alteram trium virorum, quæ decicebat cauſas minores, vt pecuniarias, iniuriarum, &c. De Sanedrin 70. virorum mentionem facit nonnullis in locis Ioſephus.

18. SANCTIFICAMINI, id eſt, præparamini ſignificatione Hebræis vſitata, idque maximè, ceſſando, à murmure & ſpe in Deum potius coniecta, idque quia Deus exaudiuit vos: cras enim comedetis carnes.

20. DONEC EXEAT PER NARES VESTRAS, eructando ſcilicet & vomendo per os & nares præ ſatietate, vt ita vertatur in nauſeam, hoc enim eſt peculiare inordinatis & impotentibus deſideriis, vt ſi impotenter expleantur, ſæpè res expetitæ vertantur in nauſeam & horrorem.

21. ET TV DICIS: DABO EIS, &c. eſſe motus dubitationis ac diffidentiæ putant aliqui, ſed rectè oſtendit Auguſt. quæſt. 19. eadem verba diuerſo animo poſſe proferri. Cùm ergo Deus qui non de verbis, ſed cordibus iudicat, non exprobrauerit Moyſi, ſicut fecit quando petra erat percutienda, rectius dicitur, eſſe verba admirantis & quærentis modum rei tam exoticæ, ad quam præſtandam ingens multitudo boum non ſufficeret, vnde Deus reſpondendo.

23. NVMQVID MANVS DOMINI INVALIDA EST modum quidem non explicat, ſed tamen omnipotentiæ ſuæ conſideratione tollit admirationem, ſicut & B. Virgini dicendo, Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum.

25. PROPHETARVNT, prædicendo quædam futura, vt Theodor. quæſt. 20. talium enim cognitio ad gubernationem populi vtiliſſima eſt: alii per prophetiam intelligunt laudes Dei diuino enthuſiaſmo profuſas quibus myſteria loquebantur, cuiuſmodi fuit modus prophetandi Saül & Apoſtolorum.

NEC VLTRA CESSAVERVNT, quandocumque opus eſſet ad fungendum ſuo munere, ſignificatur enim Spiritum non tranſitoria quadam operatione tantummodò tetigiſſe

corda eorum, ſed permanenter adſtitiſſe ad directionem populi.

28. Iosve electvs e' plvribvs, id eſt, miniſteriorū omnium Moyſis fideliſſimus & primarius, ait: Prohibe eos, eo quòd propheta rent de morte Moyſis & futura ſucceſſione Ioſue, inquit Rabbi Salomon, ſed rectiùs prohiberi vult ex præpoſtera quadam æmulatione, quia videbatur eſſe diminutio authoritatis Domini ſui Moyſis, eò quòd prophetarent abſente Moyſe, & ita vt putabat nihil eo conferente ad donum illis collatum, vel etiam inuito. Patet hoc ex reſponſo Moyſis: *Quid æmularis pro me?*

Ventvs avtem egrediens a Domino, diuina prouidentia excitatus in hunc finem, arreptans trans mare, ſcilicet rubrum quod traiecerant, cotvrnices detvlit, in iſtud deſertum in quo vagabantur. Ventum iſtum fuiſſe Africum tradit Pſaltes Pſalm. 77. v. 26. flat autem Africus inter occidentem & Auſtrum qui eſt ipſiſſimus ſitus maris rubri verſus montem Sinaï. Aliqui exponunt Boream eò quòd Plinius dicat flante Aquilone coturnices volare ſolitas, ſed proprietas Hebraïcæ, Græcæ & Latinæ linguæ prorſus repugnat, ventus ergò ille adductus eſt, non quaſi eſſet volatui coturnicum naturalis, ſed ad arripiendum eas præter naturam.

Volabantqve dvobvs cvbitis altitvdine svper terram, nunquam enim hoc genus auium à terra multum eleuari ſolet, peculiariter autem eo ſitu volabant, vt poſſent ſine vllo labore capi, corpus nec eleuãdo nec deprimendo. Itaq; congregauerunt,

32. Qvi parvm decem coros, corus autem continet decem Ephi ſeu batos, vt habetur Ezechielis 45. v. 11. & triginta modios. Ex quo ſequitur decem coros fuiſſe centum Ephi ſeu trecentos modios qui ſi multiplicentur in vniuerſum exercitum Iſraëlitarum etiam mulierum & paruulorum, immenſa erit coturnicum copia, ad quam deſignandam Pſalmiſta dixit, Pluit ſuper eos ſicut puluerem carnes, & ſicut arenam maris volatilia pennata.

33. Et ecce fvror Domini concitatvs est, id eſt, executioni ita mãdata poſt menſem elapſum, poſteaquam ſcilicet eos iam exaudiſſet & ſatiaſſet. Nam diu antè ira concitata fuerat. Ex quo colligas cum Auguſtino: non eſſe magnum quod quis exaudiatur à Deo, quoſdam enim exaudit iratus, alios non exaudit placatus, de quo lib. 5. contra Iulian. cap. 4.

Capvt XII.

1. Locvtaqve est Maria et Aaron contra Moysen, id eſt, detraxerunt ei, vt explicatur v. 8. propter vxorem eivs Æthiopissam. Ioſephus & Hebræi communiter tradunt illam fuiſſe filiam Regis Æthioporum, quam adepta contra patrem eius victoria duxit vxorem. Apollinarius finxit, vt teſtis eſt Theodoret. quæſt. 22. hanc Æthiopiſſam ductam eſſe poſt Sephoram, ſed rectius idem Theodoretus & Auguſt. quæſt. 20. volunt eſſe Sephoram filiam Iethro quæ vocetur Æthiopiſſa eò quòd Madian in Scripturis, Abacuc 3. & alibi comprehendatur ſub Æthiopia, non illa occidentali, quę eſt in Africa, ſed orientali quæ in Arabia, & complectitur ſub ſe Madian, Saba, & adiacentes regiones. Cauſam murmuris dant aliam alii Hebræi, quòd vxorem duxiſſet alienigenam, quod Theodoretus ſequitur, alii quòd eam dimiſiſſet, alii apud Lyranum, quod vxor Moyſis & Maria rixatæ fuerint, vt mulieres ſolent dum altera alteri præferri geſtit, & cauſa ad Aaronem & Moyſen delata in ipſum Moyſen eruperint, & illi æquari voluerint, quod etiam ſibi ſubinde eſſet locutus Deus, vnde Cyrill. duplicem querelam aduerſus Moyſen notat, vnam quòd contra morem, vxorem duxiſſet Æthiopiſſam: alteram quòd maiorem ſibi vendicaret poteſtatem quàm par eſſet.

3. Erat enim Moyses vir mitissimvs, hoc adfertur vt ratio, cur Deus ſtatim, id eſt, nulla mora interpoſita defenſionem Moyſis ſuſceperit; eò quòd ſcilicet ipſe non defenderet ſe, ſed manſuetè obtrectationes toleraret. Itaque ait:

4. Egredimini vos tantvm tres, nolebat enim Deus fatuitatem Aaronis ſummi Pontificis in hoc facto coram populo oſtendere,

dere, vt ſcandalum vitaretur; qua decauſa non eſt etiam percuſſus lepra, ne pœna publica, maximè cui talis immunditia adiuncta, ſacerdotii authoritatem imminueret, vnde etiam num publica pœnitentia non ſolet imponi ſacerdotibus. Illis ergò tribus egreſſis,

5. Vocans Aaron et Mariam, ſeorſum ſcilicet à Moyſe. Nam increpando cõmendare volebat Moyſen; laudatio verò alicuius congruentiùs fit eo abſente quàm præſente. Commendatio Moyſis in eo ſita eſt, quòd longè aliter Deus cum illo loqueretur quàm cum aliis Prophetis. Illis enim, inquit,

6. In visione apparebo, ſcilicet imaginaria: hic autem modus duplex eſt. Primus per ſpeciem rerum propriam, obiiciendo ſcilicet imaginationi imagines ipſarum rerum, eo modo atque oculis obſeruantur res quas videmus, talis fuit modus exhibitus ad Cornelium Actorum 10. v. 3. Alter fit per ſpeciem alienam, ſcilicet allegoricam, talis fuit viſio Ierem. 15. & Ezechiel. 1. & ferè omnes in Apocalypſi. Primus modus vocatur hic v. 8. *per figuras* ſcilicet proprias rerum, ſecundus vocatur ibidem *per ænigmata* quibus obſcure velut per ſymbola allegorica res repræſentantur.

7. Vel per somnivm loqvar ad illvm. Hic eſt tertius modus propheticæ apparitionis, ſcilicet per ſomnium. Ille autem fit ſimiliter vt præcedentes, vel ſpecies rerum proprias, ſicut viſiones Ioſephi matri B. V. Matth. 1. & 2. vel per ænigmata, vt viſiones Ioſephi Gen. 37. & Pharaonis Gen. 41. & Nabuchod. Dan. 2. quamquam duo poſtrema exempla in eo deficiant, quod explicatio figurarum non fuerit coniuncta. Moyſi autem Deus aliter loquebatur, *os ad os*, ſcilicet. Quartus eſt iſte modus quo Deus loquitur, non per figuras iam dictas vel ænigmata ſiue in ſomno, ſiue in vigilia, nec etiam per locutiones quaſuis internas, ſed voce & apparitione corporali præſens præſenti. Qui modus quidquid ſit de protectione, teſtis eſt maximę familiaritatis Dei cum homine, quam Deus hic peculiariter commendat, vnde Exod. 33. v. 11. dicitur quòd ſic ſolet loqui homo ad amicum ſuum. Idcirco enim ſic ei Deus loquebatur, quia in omni domo, id eſt, tota ſynagoga adeoque Eccleſia Dei fideliſſimus erat. Hinc Eccl. 45. v. 6. coniungens fidem hanc cum manſuetudine de qua v. 3. *In fide, inquit, & lenitate ſanctum fecit illum* Fides enim exitat zelũ honoris Dei, lenitas autem temperat executionem zeli aduerſus violatores honoris Dei; illa enim Deum hæc proximum reſpicit.

10. Nvbes qvoqve recessit, non diſparendo, vel præcedendo caſtra, ſed quemadmodum ante v. 5. nubes deſcenderat de tabernaculo ad oſtium eius, ita peracta reprehenſione, receſſit iterum ab oſtio ſuper tabernaculum.

Allegoricè Moyſes ſignificat legem ſpiritualem ſeu verbum Dei hoc eſt Chriſtum qui Æthiopiſſam, hoc eſt, Eccleſiam gentium duxit vxorem: vnde murmurat Maria, id eſt, Synagoga & Aaron ſeu ſacerdotium carnale videntes ablatum à ſe regnum datum genti facienti fructus, ſed Deus nuptias Æthiopiſſæ confirmat, & Mariam ſeu Synagogam leproſam factam quia cæcitate & peccatis, & carnali cultu fœdam à tabernaculo abiicit, ſed vbi ſeptimana mundi reuoluta fuerit, in fine reuocabitur ad caſtra Eccleſiæ, ita Origenes fuſiſſimè Homil. 7. in Numer. itemque breuiter Homil 1. & 2. latiori in Canticum tangit & Ambroſius de 42. manſionibus 14.

CAPVT XIII.

1. Fixis tentoriis in deserto Pharan, iam ante fixerant bis tentoria in deſerto Pharan, ſcilicet in ſepulchris concupiſcentiæ & in Haſeroth quę fuit 14. manſio, ſignificatur ergò eos in eodem deſerto perrexiſſe figere tentoria. Nam ex Haſeroth venerunt manſione decima quinta in Rethma, vt patet Num. 33. v. 18. Eſt autem Rethma plane in extremitate ſolitudinis vicina Idumææ & proxima ad ingrediendam terram Chanaan, niſi populus murmuraſſet.

Ibiqve locvtvs est Dominvs. Deuteron 1. verſu 19. & ſeqq. patet hoc factum eſſe in Cadesbarne, vnde colligitur manſionem illam fuiſſe binominem, vel vnum locum alteri vicinum, Locutus eſt autem

Dominus de mittendis exploratoribus, quia populus ſic petierat, vt ſcirent qua via & ad quas ciuitates aſcendere deberent, vt ibidem liquet. Miſſi ſunt autem *ex principibus*, non primis, qui toti tribui præerant, & expreſſi ſunt ſuprà c.1. & 7. ſed ex aliis minoribus, omnia enim nomina ſunt diuerſa.

17. VOCAVITQVE OSEE FILIVM NVN IOSVE, præfixâ tantum vnâ litterâ *iod* nam Oſee ſcribitur per quatuor litteras, Ioſue per quinque. Septuaginta verterunt Auſe, quod à multis veteribus vſurpatum fuit, ſed rectiùs vocatur Oſee vel potiùs Ioſee, vtrumque nomen Ioſue & Oſee ſalutem ſeu Saluatorem ſignificat: ſed hoc diſcrimine quòd primum ſignificet nudè Saluatorem; ſeu verbaliter, ſalua; alterum verò Domini Saluatorem ſeu ſalutem, vt annotauit Hieron. in v.1.c.1. Oſee, itemque in c.1 Aggæi, nam Iod eſt prima littera nominis diuini tetragrammaton, vt ſignificaretur Ioſue à Deo datum eſſe vt ſaluaret populum introducendo eum in Terram promiſſam.

Allegoricè autem præcipuè ſignificatum fuit Ieſum verum Saluatorem mundi & gratiam eius non Moyſen aut legem allaturum populo ſuo ſalutem & introducturum in terram verè melle & lacte manantem, vt ab omnibus ferè antiquis paſſim animaduerſum & notatum eſt, Iuſtino Dialog. contra Tryphon. Tertullian. libro contra Iudæos c. 9. Aug. Homil. 27. c. 1. & 16. de Ciuitate c. 41. & alibi, Hier. l. 1. contra Iouinianum, Origen. Homil. 1. in Ioſue, & aliis. Nam Ioſue & Ieſus idem plane nomen eſt, vnde 2xx. hîc, Ioſephus 3. Antiq c. 13. & Philo Ioſue vocant Ieſum, fuit enim figura veri Ieſu non factis tantum ſed toto nomine, vnde & mutatio illa facta eſt, cum de exploranda terra promiſſionis ageretur (nam antè per prolepſim ita vocatus eſt) quia vt Theod. qu. 25. quemadmodum exploratores præ ſe ferebant habitum & vocem gentium quas explorabant, ita Deus Verbum humanam naturam induens illius habitu & lingua vſus eſt, vt ſalutem eius procuraret.

21. ERAT AVTEM TEMPVS QVANDO IAM PRÆCOQVÆ VVÆ VESCI POSSVNT. Hebraïcè, tempus primitiarum ſeu primarum vuarum. Septuaginta, erant dies veris præcurſores vuarum, ver autem durat vſque ad finem Iunii, vnde menſe Iunio videtur hæc exploratio facta, tempore ſcilicet omnium aptiſſimo ad videndam terræ pulchritudinem & vbertatem. Explorauerunt autem terram,

22. A DESERTO SIN, quæ eſt ad Auſtrum, VSQVE ROHOB, quę eſt terminus terræ ſanctæ ad Aquilonem, vnde Syria Rohob dicta eſt.

INTRANTIBVS EMATH, id eſt, qua intratur in Emath, vrbem illam potentiſſimam. Eſt enim Emath vrbs celebris quæ toti quoque regioni nomen dedit. Fuit ædificata ab Emath filio Chanaan, vnde populus Amathæus Gen. 10. & poſtea dicta Epiphania, quamuis Antiochia dicatur Emath. Itaque à deſerto Sin vſque Rohob, idem eſt quod alibi dicitur, à Dan vſque Berſabee, hoc eſt, ab vno extremo vſque ad alterum, vel à fluuio Ægypti vſque ad Libanum. Nam Rohob, Dan, Emath, Libanus termini ſunt ab Aquilone: Berſabee verò, deſertum Sin, riuus Ægypti, Cades termini meridionales Iudææ.

23. ASCENDERVNTQVE AD MERIDIEM, ſcilicet terræ Chanaan, idque redeundo ab Emath ad Hebron. hoc enim indicat id quod ſequitur, *pergentes vſque*, &c redeundo enim ab Emath & Hebron itur verſus torrentem illum, non eundo. Nam HEBRON SEPTEM ANNIS CONDITA EST ANTE TANIM. Hæc eſt ratio cur viderint ibi *filios*, id eſt, poſteros *Enac* gigantes, quia ſcilicet Hebron eſt vrbs antiquiſſima & antiquior Tanim vbi Moyſes portenta illa patrauerat, & ſimiles ibi gigantes viderant.

ABSCINDERVNT PALMITEM CVM VVA SVA. Hebraïcè, palmitem & botrum vuarum vnum, ne quis putaret palmitem vuis eſſe plenum & ita ceſſaret admiratio quod à duobus viris fuiſſet portatus in vecte, quos quidem Ambroſ. Serm. 1. de martyrio D. Cypriani putat fuiſſe Caleb & Ioſue. Significat hic botrus in vecte, Chriſtum in cruce pendentem: duo viri populum Iudaïcum & Chriſtianum. Præcedit Iudæus, ſequitur Chriſtianus. Salutem hic ante conſpectum gerit, ille poſt dorſum, hic obſequium præfert, ille contemptum. Ita Serm. 100. de

tempore apud Aug. latiùs, & apud Ambr. Serm. citat. quos alii poſtea ſecuti ſunt.

27 VENERVNT IN DESERTVM PHARAN QVOD EST CADES. Cades fuit 33. manſio, vt patet Numerorum 33. v. 36. in qua mortua fuit Maria, idque anno 40. exitus ex Ægypto, vnde aliqui putant iſtam Cades eandem eſſe quæ & hic nominatur: omneſque manſiones illas intermedias breui tempore fuiſſe decurſas, atque ibi hæſiſſe per 38. annos. Sed longè veriſimilius eſt iſtas Cades eſſe diuerſas, & hanc huius loci propriè vocari Cadesbarne, ſicut vocatur Deut. 1. & 2. & 9. & per apocopen Cades. Eſſe autem diuerſam ab alia Cades ex eo patet, quod Cades huius loci, ſeu Cadesbarne ſit in deſerto Pharan, Cades verò alia in deſerto Sin. Ex Cadesbarne profecti ſunt per integros 38. annos vagantes per deſertum, vt indicatur Deut. 2. v. 1. & 14. cùm tamen ex Cades rectà venerint in montem Hor, vbi anno quadrageſimo mortuus eſt Aaron Num. 20. Denique ex loco qui hîc Cades dicitur, digreſſi, tandem c. 20. v. 1. dicuntur veniſſe in Cades, ergo non eſt eadem vel certè bis venerunt ad eundem locum, ita ſentit Hieron. Epiſt. 127. ad Fabiolam.

29. SED CVLTORES HABET FORTISSIMOS, & maximæ multitudinis, vt additur Deut. 1. ET VRBES GRANDES, ATQVE MVRATAS, additur hîc Hebraicè *valde*, Deut. verò 1. v. 28. *ad cælum vſque murata*. His enim hyperbolis territum fuit cor populi, vt ibid. indicatur.

AMALEC HABITAT IN MERIDIE, non in ipſa Chananæa, ſed in vicino, ita vt tranſiri deberent. Amaleticas autem iam fortiſſimos experti fuerant anno præterito.

CHANANÆVS MORATVR IVXTA MARE, mortuum ſcilicet; nam ibi ſunt & fluenta Iordanis, de quo mentio eſt, influit enim in mare mortuum.

31. INTER HÆC CALEB COMPESCENS MVRMVR POPVLI. Ioſue non defuiſſe quoque officio ſuo patet c. 14. v. 6. & eius remuneratione. Maximè tamen commendatur Caleb ibid. v. 24. quia cæteris animoſior.

TERRA DEVORAT HABITATORES SVOS, cæris intemperie, locorum ſterilitate quæ ex montium aſperitate naſcitur, & conſequenter culturæ agrorum magnitudine. Nam falſa hîc narrari patet ex eo quod, & hic, & cap. 14. v. 36. dicuntur detraxiſſe terræ quòd eſſent mala, itemque ex aggeratione ſtaturę, & ex pœna ipſorum.

CAPVT XIV.

3. NONNE MELIVS EST REVERTI IN ÆGYPTVM? hinc patet ſtoliditas iſtius populi: reuerti enim humanis viribus erat prorſus impoſſibile. Nam & manna ab illo irato Deo exſpectari debebat: deerat potus, vt experti fuerant: mare obſiſtebat redeuntibus: gentes bellicoſæ tranſeundæ ſi circuirent: Ægyptii erant animo amariſſimo & infenſiſſimo propter tot clades, vnde Moyſes & Aaron videntes conſilii abſurditatem, & populi ingratitudinem,

5. CECIDERVNT PRONI IN TERRAM, ad rogandum Deum ne ſæuiret ira eius in ſtolidiſſimos iſtos murmuratores; ita fecit & Moyſes in rebellione Core cap. 16. v. 4. Ioſue verò & Caleb

6. SCIDERVNT VESTIMENTA SVA, in ſignum magnæ triſtitiæ, ſicut fecit Iob, irruentibus in ſe tot cladibus.

8. SI PROPITIVS FVERIT DOMINVS, propitium eſſe ſatis conſtabat ex continuatione tot beneficiorum, mannæ, aquarum, ex ipſo denique ducatu columnæ verſus terram illam, vnde illud, *ſi*, non eſt dubitantis, ſed afferentis modum intrandi. Indicat enim & tacitè hortatur, Dei fauore eſſe nitendum, vnde addunt,

9. NOLITE REBELLES ESSE CONTRA DOMINVM, non ſolum quia rebellando Moyſi rebellabant Deo, ſed & quia directè repellabant contra promiſſa & iuſſa Dei volentis, vt pergerent in Chananæam.

RECESSIT AB EIS OMNE PRÆSIDIVM, quia iam obſeruauerant in Chananæis contigiſſe, id quod narrat Raab Ioſue 2. auditâ ſiccatione maris rubri elanguiſſe cor eorum præ timore. Et maximè quia ſciebant Deum deſtinaſſe & promiſiſſe excidium eorum, vnde meritò dicunt;

SICVT PANEM ITA EOS POSSVMVS DEVORARE, magnâ ſcil. cum facilitate & voluptate,

13. Et ait Moyses: Vt audiant Ægyptii, ſermo eclypticus, ſeu defectiuus eſt, quaſi dicat: videlicet vt ſi eos occideris audiant hoc Ægyptii, &c. quibus verbis indidicat ſecuturum, ſed modo magis pathetico exprimit, quàm ſi apertè dixiſſet.

17. Magnificetvr ergo fortitvdo Domini, id eſt, magna declaretur & appareat, & cognoſcatur: eſt enim oppoſitum eius, quod præmiſerat, dicturos ſcilicet Ægyptios, *Non poterat introducere populum*. Sed quia declaratio hæc diuinæ fortitudinis fieri non poterat, niſi antè patientiâ ſuâ Deus, & miſericordiâ ſuperaret populi ingratitudinem & ei ignoſceret, hinc addit: Sicvt ivrasti, id eſt, ſtabiliter affirmaſti ac teſtatus es dicens.

18. Dominvs patiens, &c. quaſi diceret: Itaque patienter & miſericorditer ignoſce delicto populi, vt patefacias fortitudinem tuam, non hoc ipſo quòd patiens ſis, vt vult Abulenſis, ſed quia hoc fieri non poteſt, niſi antè patiens fueris & miſericors delicto populi.

Nvllvmqve innoxivm derelinqvens id eſt, impunitum, vt diximus Exodi 34. vbi eadem ponuntur. Vrget hanc iuſtitiæ diuinę commendationem, non quaſi deſideraret eam erga populum oſtendi, ſed vt magis appareret Dei miſericordia in ignoſcendo peccato populi: quaſi diceret, quamuis ſis iuſtiſſimus, *dimitte tamen peccatū populi.*

21. Vivo ego, iuramentum Dei eſt, vt homines magis confirmentur, ſimile illi quo homines iurare ſolent: viuit Deus, id eſt, per vitam Dei, ſeu per Deum iuro.

Et implebitvr gloria Domini vniversa terra, id eſt, quod vniuerſis gentibus, tam vicinis quàm diſſitis, tam præſentibus quàm poſteris innoteſcet glorioſa mea fortitudo in introducendo populo iſto in terram promiſſam, ſiccando Iordanē, &c. reſpondet enim ad verba Moyſis v. 16. & 17.

22. Veruntamen omnes qvi viderunt maiestatem meam et signa. Et exegeticum eſt, quaſi diceret, maieſtatem, id eſt, ſigna & portenta indicia maieſtatis meæ.

Et tentavervnt me iam per decem vices, id eſt, ſæpiſſimè, numero certo poſito pro incerto, quamquam Lyranus eas vices & tentationes piſtinctè enumeret, duas ponendo ante egreſſum ex Ægypto. Alii Rabbini veriſimilius eas inchoant ab egreſſu, vt prima ſit ad mare rubrum Exodi 14. v. 11. ſecunda propter aquas in Mara Exodi 15. v. 24. tertia propter cibi defectum in Sin Exodi 16. v. 3 quarta & quinta quando manna ſeruarunt in craſtinum, & quæſierunt in ſabbato contra mandata Dei. ibidem v. 20. & 27. ſexta in Raphidim propter ſitim Exod. 17. v. 2. ſeptima in conflatione vituli Exodi 32. octaua in murmure contra laborem itineris Numer. 11. nona in contemptu mannæ & petitione carnium, ibidem decima in præſenti loco propter exploratores.

25. Qvoniam Amalecites et Chananævs habitant in vallibvs non Paleſtinæ, ſed montium iſtorum vicinorum Amalecitæ enim videntur ſe extendiſſe ab Ægypto vſque ad Idumæam, cui iam propinqui erant, & Chananęi nonnulli etiam extra Paleſtinam habitaſſe, de quibus fit mentio infrà c. 21. Ergo quia Amalecitæ & Chananæi hoſtes potentes quos metuitis, habitant in vicinis vallibus, ideo cras mouere caſtra & reuertimini, ſicut deſideraſtis, verſus mare rubrum & ægyptum Ego enim deducam vos eò, & vt poſtulaſtis faciam vt memoriamini omnes in hac ſolitudine Deus enim hîc & in ſeqq. vtitur acerbâ ironiâ qua ſe ſignificat implere velle omnia quæ petierant alludendo ad eorum verba initio capitis poſita, ſed longè alio ſenſu.

29. Omnes qvi nvmerati estis a viginti annis, et svpra: ergo omnes illi murmurauerunt Leuitæ autem non ſunt numerati à viginti annis, ſed vel ab vno menſe & ſuprà, vt cap. 3. vel ab anno 30. & ſuprà, vt c. 4. Itaque illi non comprehenduntur hac ſententia, & conſtat ex eis Eleazarum ingreſſum eſſe terram, vt patet Ioſue 14. v. 1. & alibi, cùm tamen conſecratus iam eſſet ſacerdos tempore murmuris. Nullæ quoque fœminæ, aut pueri comprehenduntur, vnde potuerunt terram ingredi, niſi murmurauerint, nam omnes omnino murmuratores cuiuſcumque ætatis, aut ſexus, aut tribus, periiſſe patet ex v. 33.

30. SVPER QVAM LEVAVI MANVM MEAM, id eſt, quam iuraui me vobis habitandam traditurum. Eleuatio quippe manus eſt naturale ſignum iuramenti, vti olim ita & nunc, tanquam inuocatio Dei quem in cælo habitare concipiunt.

33. FILII VESTRI PORTAVERVNT FORNICATIONEM VESTRAM, id eſt, declinationem à Deo, etſi ipſi in eo non peccaſſent. Plectuntur enim hac pœna, tanquam pars parentum, vt ſic ipſi in liberis plecterentur: ſed ita tamen, vt per miſericordiam Dei pœna iſta fieret filiis antidotum aduerſus murmura, & eruditio ad ferendos militiæ futuræ labores & terrores. Nam quia parentes fuerant quaſi mancipia in Ægypto, hinc erant homines puſillanimes ac timidi.

34. ANNVS PRO DIE COMPVTABITVR, vt ſcilicet tot annos in vindictam à terra videnda ſeparentur filii veſtri; quot dies vos impendiſtis ad eam videndam. Itaque QVADRAGINTA ANNIS RECIPIETIS INIQVITATES VESTRAS, ſeu pœnam iniquitatis veſtræ in filiis: hi anni ſi computentur iuxta decurſum menſium non fuerunt niſi 38. pleni & aliquot menſes, quia luſtratio illa terrę contigit, vt diximus menſe circiter Iulio anni ſecundi ab egreſſu, introitu autem in terram, Chanaan anno quadrageſimo primo decimo die menſis primi, vt patet Ioſue 4. v.19. & ex c.5.v. 6. collatis cum Exod. 7. v. 7. & Num.33. verſ. 38 & Deut.vlt. v.7. ſed iuxta computum anni ciuilis qui incipiebat menſe ſeptimo, vt alibi diximus, erant 38. anni pleni, & duo fracti ſcilicet primus & vltimus, ſimul efficiunt quadraginta, partem pro toto ponendo, ſicut Chriſtus dicitur tres dies fuiſſe in corde terræ. Nam cùm murmur contigerit poſt reditum exploratorum, id eſt, circa menſem Iulium, ſiue ſub finem anni ciuilis, non teſtabant niſi vnus, vel alter menſis ex illo anno; rurſum cùm ingreſſi ſint terram anno 41. ab egreſſu, decimo die menſis Niſan, vt patet ex c 4.& 5. Ioſue, ſupererant poſt trigeſimum octauum annum plenum ſex menſes præcedentis anni ciuilis, ſcilicet à menſe ſeptimo, vſque ad primum quo ingreſſi ſunt, quamquam Scriptura numerum rotundum ſoleat exprimere etiamſi fortè aliquid ſuperſit, aut deſit.

36. IGITVR OMNES VIRI, &c. PERCVSSI SVNT IN CONSPECTV DOMINI, plagâ ſcilicet à Deo ſubitò immiſsâ. Philo peſtem fuiſſe dicit, alii ignem, Rabbi Salomon linguam contabuiſſe veneno. Interim Orig. Hom.8. myſterium præfiguratum notat in hac hiſtoria, parentum enim reiectio & filiorum introductio in terram promiſſam ſignificabat priorem populum Iudaïcum repellendum à Deo, & gentilem aſſumendum.

CAPVT XV.

1. LOCVTVSQVE EST DOMINVS AD MOYSEN, quo tempore leges iſtæ huius capitis latæ fuerint, non certò conſtat, ſed quia Moyſes cap. 20. tranſilit ad manſionem in Cades quæ fuit 31. videntur ea quæ ad iſtud caput vſque narrantur, adhuc ſpectare ad annum ſecundum egreſſionis ex Ægypto, maximè quia purificatio per vitulæ rufæ cineres de qua c.19. quotidie neceſſaria & in vſu fuiſſe videatur.

2. CVM INGRESSI FVERITIS TERRAM quia vt alibi etiam monuimus, leges iſtæ de ſacrificiis, non ſeruabantur in deſerto.

3. ET FECERITIS OBLATIONEM IN HOLOCAVSTVM AVT VICTIMAM, nempe pacificam, idque ſiue ſponte, ſiue ex voto. Itaque libamina hic præſcripta pertinent ſolùm ad holocauſtum, & ad victimam pacificam, neque ſunt extendenda ad hoſtias pro peccato, niſi aliud alicubi expreſsè ſtatuatur in aliquo caſu, vt fit Leuit. 14. v. 21. de hoſtia pro peccato in mundatione leproſi. Offeret ergo

4. QVICVMQVE IMMOLAVERIT VICTIMAM, SACRIFICIVM SIMILÆ, id eſt, nulla victoria holocauſti, vel pacifica offerri poterit, ſine ſacrificio ſimilæ ſeu mincha: ſed hac menſura, vt vna *decima pars Ephi* offeratur *per agnos ſingulos*, iſta enim verba v.5. poſita coniungenda ſunt cum v. 4. & non cum 6. ne alioquin libamen agnorum confundatur cum libamine arietum, & ita clarè patet ex Heb texto, & ex LXX. nam ex Num. 28. manifeſtum eſt hanc ſemper fuiſſe proportionem ſimilæ, vt agno (ſub quo & hæ-

di comprehenduntur, vt patet v. 11.) adhiberetur vna decima ſimilæ arieti duæ decimæ, boui ſeu vitulo tres, quid ſit autem decima pars Ephi, ſeu gomor dictum eſt alibi.

CONSPERSÆ, ſeu ſubactæ oleo, quod menſuram habebat QVARTAM PARTEM HIN. Quantum continuerit Hin, valdè incertum eſt, ſicut de omnibus penè menſuris Hebraici, vnde & authores valdè diſſident. Probabile eſt id quod vult Alcazar continuiſſe duodecim ſextarios Hebraicos, quorum vnus continebat 13. vncias cum vnâ tertiâ parte, id eſt, continuiſſe 160. vncias ſeu tredecim libras minores duodecim vnciarum & quatuor vncias. Itaque quarta pars Hin erant tres ſextarii Hebræi, id eſt, 40. vnciæ, quæ efficiunt tres libras, quatuor vncias. Perpetuum autem erat, vt quantum olei adhiberetur farinæ ſubigendæ, tantumdem & vini offerebatur: ordo autem offerendi erat, vt pugillus farinæ oleo ſubactæ imponeretur carnibus hoſtiæ in altari poſitis, cui denique parum vini ſuperfundebatur, vt indicatur Numerorum 28. verſ. 14. reliquum tam farinæ quàm vini cederet ſacerdoti offerenti.

19. SEPARABITIS PRIMITIAS DE CIBIS VESTRIS, nempe illis, qui præceſſerunt, ſcilicet de panibus, qui mox v. 21. vocantur etiam pulmenta.

20. SICVT DE AREIS PRIMITIAS SEPARATIS, id eſt, ſicuti datis primitias de granis quando teruntur in area, ita quoque

21. DE PVLMENTIS DABITIS, id eſt, de paſta, ſeu farina conſperſa, ex qua pinſitur panis. Hæc enim quia inſtar pultis, qua olim loco panis veſcebantur, humida & mollis eſt, vocatur hîc pulmentum. Hebraicè multò clariùs hæc dicuntur, legitur enim *primitias paſtarum ſeu conſperſionum veſtrarum placentam offeretis.* Itaque iubentur ex ſingulis paſtis, quando panis pinſendus erat, tortulam vnam offerre Deo in ſacerdotibus; nam legem iſtam iſto ſenſu à Iudæis obſeruatam fuiſſe teſtis eſt Philo lib. de ſacerdotum honoribus, & Ioſephus 4. Antiq. c. 4. Statuit hoc Deus, vt dum aſſueſcerent, inquit Philo, ſemper alimenti partem Deo decidere, nuſquam in eius obliuionem deuenirent, dicuntur & hodie Iudaicæ mulieres hoc obſeruare, & eam comburere, quia non habent certos ſacerdotes, quibus eam offerant.

22. & 24. QVOD SI PER IGNORANTIAM, &c. OFFERET VITVLVM. Videtur hęc lex repugnare alteri legi Leuit. 4. v. 14. vbi iubetur, vt ſi tota multitudo ignoranter peccauerit, offerat vitulum pro peccato, hîc autem v. 24. iubetur hircum pro peccato offerre. Sed reſpondetur ſuppleri hîc legem Leuitici. Non enim abrogatur vel mutatur lex illa, ſed additur noua, vt ſcilicet præter illum vitulum pro peccato cuius etiam ſanguis inferebatur in Sancta, & comburebatur extra caſtra, addatur etiam hircus pro peccato, nihil addendo de eius ſanguine inferendo, vel combuſtione extra caſtra: ita conciliat Abulenſis: vel certè iuxta Caiet. dicendum erit: ibi agi de peccatis contra ius naturale & diuinum commiſſis, hîc de illis, quæ contra ius poſitiuum ſunt, quę ſcilicet Deus ad Moyſen, vt hic dicitur locutus eſt, iudicialia ſcilicet, & ceremonialia. Itaque peccante multitudine offerebatur vnus vitulus in holocauſtum, itemque hircus, & alius vitulus vterque pro peccato, & præterea SACRIFICIVM EIVS AC LIBA. Sacrificium intelligitur farinaceum. Hebr. mincha, quod holocauſto debebat addi: liba verò ſunt libamina olei & vini. Præter hæc ſacerdos rogabat pro venia, &

25. NIHILOMINVS OFFERENTES INCENSVM, id eſt, quamuis ſacerdos pro venia peccati iſtius roget, non debet tamen negligi incenſum, id eſt, victima iam dicta, quę Deo incendatur, vel certè per incenſum intelligit vitulum illum pro peccato multitudinis offerendum iuxta legem Leuit. 4. iam citatam, qui incenſum vocetur, quia totus extra caſtra incenſus comburebatur.

30. ANIMA QVÆ PER SVPERBIAM ALIQVID COMMISERIT. Superbia hîc intelligitur audacia eorum, qui dedita operâ peccant ſcientes, vt explicat Baſilius, procemio in librum Ethicorum, ita ſcilicet vt teſtes conuincerent, non ſolùm factum, ſed & ſcientiam eius, vt ſi de eo fuiſſet monitus. Diſtinguitur enim hic peccatum ſuperbiæ,

contra peccatum ignorantiæ, de quo ſuperius: vnde ſtatim videtur exemplum eius poni de homine colligente *ligna in ſabbato.* Lex enim illa erat toti populo promulgata, & vt ſatis hinc colligitur in viridi obſeruantia etiã in deſerto, ſaltem quantùm ad vacationem ab operibus ſeruilibus, etſi ſacrificia ſabbatis præ ſcripta ibi non obſeruarentur.

35. NESCIENTES QVID EI FACERE DEBERENT, quia vt Hebræa legunt, non erat declaratum ſcilicet, quo genere mortis plecti deberet; nam Exod. 31. v. 14 tantùm mors decernitur generaliter violanti ſabbatum, item fortaſſe neſciebant, an pro opere tam exiguo, & forſan paupertati aliquo modo neceſſario, mors deberetur, pro quo tamen lapidatus fuit.

38. FACIANT SIBI FIMBRIAS, id eſt, fila quædam libera, ac dependentia: cuiuſmodi videmus in telis noſtris, PER ANGVLOS PALLIORVM, id eſt, in extremitatibus veſtium, PONENTES IN EIS VITTAS HYACINTHINAS, ita ſcilicet, vt ſuper illas fimbrias ponatur vitta quædam coloris hyacinthini per modum parui limbi. Finis iſtius ceremoniæ minus principalis erat, vt populus Deo dedicatus diſtingueretur etiam veſte à gentilibus, quemadmodum videmus hodie in religioſis noſtris: ſed primarius erat, vt per hoc.

39. RECORDARENTVR MANDATORVM DEI. Erat enim ſignum excitatiuum perpetuò oculis obiectum, & quidem coloris hyacinthini, id eſt, cærulei, ſeu cœleſtis, vt ita memores eſſent legiſlatoris Dei, qui cœlum implet, inquit Theod. q. 32.

NEC SEQVANTVR COGITATIONES SVAS, vt ſcilicet ſic per Dei memoriam repreſſi non indulgeant oculis per quos intrat concupiſcentia, vel cogitationibus per quas alitur: & ita per eas non deffectant à præceptis Dei. Hinc Chriſtum Dominum ſimiles fimbrias more gentis ſuæ geſtaſſe colligitur ex Lucæ 8 v. 44. vbi hæmorrhoiſſa tactu fimbriæ eius ſanatur. Phariſæi autem ad oſtentationem, vt populo religioſiores viderentur, *magnificabant fimbrias*, vt eſt Matth. 23. v. 5. id eſt, magnas ſeu largas eas faciebant, & Hieron. teſte in illum locum acutiſſimas ſpinas in eis ligabant, vt videlicet ambulantes, & ſedentes interdum pungerentur, & ita viuaciùs excitaretur memoria mandatorum Dei.

CAPVT XVI.

1. ECCE AVTEM CORE FILIVS ISAAR, & quidem primogenitus. Iſaar autem erat patruus Moyſis, vt patet Exod. 6. v. 18. & 20. vnde Moyſes, Aaron & Core erant fratrueles, ſeu filii duorũ fratrum. DATHAN ATQVE ABIRON, vterque erat de filiis Ruben primogeniti Iacob, vt patet clariùs Numer. 26. v. 7. 8. & 9. vnde patet omnes iſtos habuiſſe aliquem prætextum vindicandi ſacerdotii, ideo autem videntur ſimul conſpiraſſe, quia omnes iſti circa eandem plagam, id eſt ad meridiem caſtrametabantur.

2. QVI PER NOMINA VOCABANTVR, id eſt, non generatim, vt ſolet populus, ſed ſpeciatim expreſſo nomine: hoc enim additur, vt ſignificetur fuiſſe viros celebres: nam Hebraïcè vocantur hîc *viri nominis*, id eſt, nominati & celebres, qui dixerunt:

3. SVFFICIAT VOBIS, ſcilicet id quod hactenus egiſtis, quod ſcilicet vos præ cæteris extuleritis. Hebraïcè eſt enim: *multum eſt vobis*, id eſt multum aſſumitis vobis, eſt enim eadem prorſus phraſis, quæ infra v. 7. vbi legimus: *multum erigimini filii Leui.*

QVIA OMNIS MVLTITVDO SANCTORVM EST, id eſt, ſancta, ſiue omnes ſancti ſunt; Deoque per fœdus, fidem, religionemque dedicati. ET IN IPSIS EST DOMINVS, habitans tamquam rex in medio eorum, vnde non eſt quod præ cęteris aliquid vobis arrogetis, quod cùm audiſſet Moyſes,

4. CECIDIT PRONVS IN FACIEM, deprecaturus Deum, vt diſſiparet conſpirationem illam; vnde reuelatione acceptâ reſpondet conſpiratoribus:

5. MANE SANCTOS APPLICABIT SIBI, id eſt, eos quos ad ſacerdotium ſibi delegit ſigno miraculoſo ſeparabit à cæteris, & ad ſe pertinere declarabit: ſic enim & v. 7. ſanctus vocatur ille, qui ad ſacerdotium electus eſt

11. QVID EST ENIM AARON VT MVRMVRETIS CONTRA EVM? quia non ipſe ſe intruſit in ſacerdotium, ſed à Deo vocatus eſt, vnde GLOBVS, id eſt, congregatio & con-

ſpiratio tua non eſt tam aduerſus Aaron, quàm contra Deum ipſum, ſed etiam aduerſus ipſum Moyſen inceperunt inſurgere, nam illis verbis:

13. NISI ET DOMINATVS FVERIS NOSTRI, taxant ambitionem Moyſis, quod ſe pro duce populi gereret, nimirum tamquam filii Ruben primogeniti videntur etiam principatum Moyſis affectaſſe.

14. REVERA INDVXISTI NOS IN TERRAM. Amariſſimus ſarcaſmus eſt, & ironia: ſignificat enim nihil minus eſſe factum. AN ET OCVLOS NOSTROS VIS ERVERE? vt ſcilicet non videamus impoſturas tuas? vel potius, num tandem etiam ea quæ habemus chariſſima, oculos & vitam vis per tyrannidem tuam auferre, dum nos vocas ad te? Moyſes enim ad obiectam tyrannidem reſpicit, c m reſpondet ſe *nec aſellum quidem accepiſſe à quoquam*, tantum ab eſt, vt oculos cuiquam vellet eruere.

17. DVCENTA QVINQVAGINTA THVRIBVLA; tot enim erant proceres affectantes ſacerdotium præter Core, Dathan & Abiron, vt patet ex v. 1. & 2. & 35. thuribula autem non victimæ aſſumi iubentur ad explorandum, quia modus erat expeditiſſimus minimeque ſumptuoſus: vnde credibile eſt etiam illa iam antè cu n meditarentur ſacerdotii inuaſionem, fuiſſe præparata.

18. QVOD CVM FECISSENT, ſcilicet hi ducenti quinquaginta proceres, nam tres illi ſupradicti non fuerunt inter illos, neque cum illis à Deo igne percuſſi ſunt, ſed in tabernaculis ſuis perierunt. Nam ex contumacia noluerunt quidam coram Moyſe comparere.

19. ET COARCERVASSENT ADVERSVS EOS OMNEM MVLTITVDINEM, vel vt fauerent parti ſuæ tradendo eos in participationem ſeditionis, vel vt ſpectarent probationem, & iuſtitiam cauſæ ſuæ, vnde quia vel eo vſque populus eis auſcultaſſet, vt ex curioſitate ad nouum ſpectaculum videndum, & ea tenus approbandum concurreret, voluit eum Deus cum ſeditioſis diſperdere.

28 IN HOC SCIETIS QVOD DOMINVS MISERIT ME, &c. Nempe ad ducendum populum, ad creandum Aaronem Pontificem, & filios eius ſacerdotes, & cætera quæ reprehenditis. Præbet hîc illuſtre exemplum Moyſes, quantumuis mitiſſimus in priuatis iniuriis perferendis, vt prælati dignitatem ſuam aduerſus quoſlibet generosè tueantur. Nam iniuriæ dignitati factę cedunt in contemptum ipſius religionis ac Dei authoris eius.

30. DEVORAVIT EOS TERRA CVM TABERNACVLIS, ſub quibus noſter comprehendit etiam familiam, ſeu vxorem, & alios ad eos pertinentes, quos expreſsè addit Hebræus: illi enim videntur dominis ſuis in ſcelere conſenſiſſe, vt ferè fieri ſolet, filii tamen Core non fuerunt cum parente abſorpti, idque Deo illos per miraculum conſeruante, vt expreſsè dicitur c. 26. v. 11. hinc videntur à ſcelere patris fuiſſe alieni, vnde & familia eorum ibid. inter Leuitas recenſetur.

33. DESCENDERVNTQVE VIVI IN INFERNVM. Ne enim beneficium de mortis compendio conſequi viderentur, dum non eſſent digni viuere, iis nec mori conceſſum eſt, tartareo carcere ſubito clauſi, antè ſunt ſepulti quàm mortui, vt ait Optatus Mileuitanus l. 1. contra Parmenianum. Per infernum autem intellige non ſepulchrum vt vult Abulenſis, & nonnulli hæretici, ſed locum animæ ſubterraneum, vt Hieron. in v. 9. c. 4 ad Epheſ. & ſatis indicat Aug. hîc q. 29. ſub quo loco & propriè victus infernus, & locus purgatorii, & limbus ſiue puerorum, ſiue patrum comprehenditur. Hebræus enim legit, *deſcenderunt ipſi & omnes, qui ad ipſos pertinebant.* Vnde indicatur non ſolum ipſos duces, ſed & totam familiam; immò & ipſos paruulos abſorptos fuiſſe, quos idcirco viuos in damnatorum infernum cum parentibus deſcendiſſe non non eſt veriſimile. Viui autem eò deſcendiſſe dicuntur, quia viui abſorpti eò pergere cœperunt, etſi in via mortui fuerint, vt indicatur v. 29. Et quamuis in infernum viui perueniſſent, ibidem mori potuiſſent iuxta legem toti humano generi latam.

35. SED IGNIS EGRESSVS A DOMINO, id eſt, diuinitus à Deo inſtar fulminis excuſſus. Nam non erupiſſe ex altari holocauſtorum, vnde hauriri ſolebat ignis, patet ex eo quod hîc

hîc dicitur, quod OFFEREBANT INCENSVM, id eſt, iam thymiamata igni impoſuerant. Nam qui hoc expônunt per actum inchoatum, id eſt, offerre volebant, refutantur ex v. 37. vbi indicatur ignis iam fuiſſe in thuribulis, & magis ex v. 38. & 39. vbi dicitur in eis iam oblatum fuiſſe incenſum, non tamen videntur in ipſum ſanctuarium penetraſſe, & coram Deo obtuliſſe.

37. PRÆCIPE ELEAZARO, non Aaroni, quia non ſolùm ſacerdotium ipſum, quod erat in Aaron, ſed etiam futuræ ſucceſſionis ſacerdotalis progeniem commendare volebat, vt Aug. q. 30. obſeruat, & eſt conforme verſ. 40. VT TOLLAT THVRIBVLA QVÆ IACENT IN INCENDIO, id eſt inter carbones in loco incendii. QVONIAM SANCTIFICATA SVNT. Primò quidem, per hoc ipſum quod oblatum ſit in eis incenſum Domino, vt paulò poſt dicitur, etiamſi ab impiis, vt videlicet in eis plus valeret nomen Domini, cui oblatum fuerat, quàm peſſimum meritum eorum, qui obtulerant. Deinde ſanctificata ſunt etiam.

38. IN MORTIBVS PECCATORVM, id eſt. per pœnam eorum, qua factum erat, vt tamquam inſtrumenta Deo dedicata ſeruirent ad exemplum cæteris, quo timerent. Vtrumque ſanctificationis modum tangit Aug loco cit. De his thuribulis in laminas productis, vide latè differentem ſenſu myſtico Orig. Hom. 9. in Numeros, & apud Aug. Serm. 98. de tempore.

Senſu allegorico Irenæus l. 4. c. 43. tradit per Core, Dathan, & Abiron ſignificari hæreticos, aptiùs dixeris ſchiſmaticos noui Teſtamenti. Nec enim nouam doctrinam, ſed ſchiſma rebelles iſti inducere conati ſunt, dum ſacerdotium ſibi vindicando & populum à verò ſacerdotio auellendo in partes ſciderunt, vt obſeruauit Optatus iam citatus, & Cyprianus Epiſt. 73. & lib. de vnitate Eccleſiæ.

45. CVMQVE IACERENT IN TERRA. Deprecantes pro perſequente ſe populo, dixit Moyſes:

46. TOLLE THVRIBVLVM, &c. Iuſſit hoc inſpiratus à Deo, vtpote à quo iam intellexiſſet plagam quæ extra tabernaculum ſæuiebat. Nam incenſum non licebat offerri niſi in altari thymiamatis in ipſo tabernaculo: multoque minus ſtando inter mortuos, ex quibus oriebatur contaminatio, iuxta legem Num. 6. v. 9. Gerebat autem Aaron figuram veri Pontificis Chriſti, thuribulum autem carnis aſſumptæ: cum qua ſtetit inter mortuos & viuentes, id eſt, Iudæos credentes & incredulos, ſiſtens interitum, vt Origenes Homilia vlt. in Ioſue. Plures allegoricos ſenſus, vide in Serm. illo 38. de tempore apud Auguſtinum.

CAPVT XVII.

2. ACCIPE VIRGAS SINGVLAS PER COGNATIONES SVAS. Hebraïcè, per domum patris. Domus autem patris eſt cuiuſque patris tribus tamquam domus ab illo patre propagata. Itaque cognatio hîc pro tribu ſumitur. Non enim tot ſunt aſſumptæ virgæ quot cognationes erant, ſed quot tribus, id eſt, duodecim, præter tribum Leui. Hoc magis indicatur cùm addit, A CVNCTIS PRINCIPIBVS TRIBVVM, qui ſcilicet tot tribui præerant, vt ſuprà c. 1. & 7 Ad illos enim tamquam primogenitos in tota tribu maximè vider poterat ſpectare ſacerdotiũ.

ET VNIVSCVIVSQVE NOMEN SVPERSCRIBES VIRGÆ Vniuſcuiuſq; nõ refert tribum, ſed principes: Hebræus enim legit, vnuſquiſq; ſcribet nomen ſuum. Adde adhuc incertum futurum fuiſſe, cui cõpeteret ſacerdotium, ſi nomen tribus tantum inſcriptum fuiſſet virgæ: virgæ itaque erãt magnæ inſtar ſcipionum aut baculi paſtoralis aut ſceptri, quibus facilè nomen inſcribi poterat.

3. NOMEN AVTEM AARON ERIT IN TRIBV LEVI, referens illam totam tribum tamquam primogenitus, non quidem totius tribus, ſed cognationis Caath, ex quo deſcendebat. Nam poſteri Gerſon erant primogeniti totius tribus. Virgas omnes fuiſſe ex amygdalo tradunt Hebræi & Cyrillus in Catena. Et videtur colligi ex virga Aaron v. 8. Non tamen erat virga illa Moyſis miraculorum patratrix; quia illa non abſtuliſſet ſuſpiciones omnes contra Moyſen & Aaron, propter peculiares eius prærogatiuas præ cæteris virgis.

4. PONESQVE CORAM TESTIMONIO, id eſt, coram arca, in qua ſunt tabulæ legis quæ teſtimonium vocari ſolent diuinæ voluntatis. VBI LOQVAR AD TE, id eſt vbi ſoleo loqui. Ex quo videtur colligi virgas omnes in ipſo Sancto Sanctorum fuiſſe collocatas.

6. FVERVNTQVE VIRGÆ DVODECIM, diuiſâ tribu Ioſeph in duas, ſcilicet in tribum Ephraïm & Manaſſe. ABSQVE VIRGA AARON, quæ erat decima tertia. Hoc noſter adiecit vt ſignificaret virgam illam non fuiſſe inter duodecim computatam: Hebræus enim tantum legit, Virga Aaron in medio virgarum, quod verum eſſe poteſt, etiamſi fuiſſet vna ex duodecim.

8. ET TVRGENTIBVS GEMMIS ſiue baccis. Nam antequam foliola florum aperiantur, turgent baccæ. Poſtea folia dilatantur, id eſt, aperiuntur, & iis decidentibus formatur fructus: Significatur hic ergo, omnia iſta ordine contigiſſe, vt primò erumperent germina, deinde caliculi ſeu baccæ turgentes, hinc baccis in flores dilatatis ſecutum eſſe fructum perfectum & maturum, id eſt, nucis amygdalorum. Quæ omnia cùm in vno & eodem fructu ſimul videri non poſſent (fructu enim nato nullum reſtat floris indicium aut baccæ aut germinis) veriſimile eſt eius indicia extitiſſe & in eadem virga omnia ſimul apparuiſſe in diuerſis partibus: quod aptiſſimè poteſt ſignificari in textu Hebræo qui legit, Ecce floruerat virga & protulerat gemmam, & fecerat florere florem, & reddiderat amygdala. Numquam hanc virgam aut fructus eius fuiſſe ſiccatos cenſet Abulenſis, vt ſcilicet eſſet perpetuum iſtius miraculi memoriale, & continuatio, ſicut & manna, quod in arca ſeruabatur. Quod videtur ſpectaſſe, & Ambr. l. 10. Epiſt. 82. quando per hoc ſignificari dicit, quòd numquam ſacerdotalis marceſcat gratia, & in ſumma humilitate habeat in ſuo munere commiſſæ ſibi poteſtatis florem. Per virgam enim ſignificabatur poteſtas regendi, cuius vigilantia indicatur per hoc quod eſſet ex amygdalo; prima enim poſt hyemem, quaſi euigilando floret, vnde amygdalus Hebraïcè, quaſi euigilans dicta eſt. Flores conuerſationis ſacerdotalis ſuauitatem, & bonum odorem: fructus eius corticem habet amariſſimum, teſtam duriſſimam, nucleum dulciſſimum, quia vt Greg. Nyſſen. l. de vita Moyſis, aſpera, & continens debet eſſe exteriùs ſacerdotis vita, intùs autem in occulto ſuaue quoddam edulium continere.

Allegoricè virga ſine humore florem, & fructum proferens ſignificat Virginem Mariam, quæ ſola diuinâ virtute protulit Chriſtum, ita Cyrill. catecheſi 12. & Iſid. cap. 15. in lib. Num. vel potiùs, virga Pontificis Aaronis eſt crux Chriſti veri Pontificis, quæ ſuauiſſimè floruit, & fructus populum credentium protulit, ita Orig. Hom. 9. in Numer. quem vide fusè proſequentem, quod fructus etiam ſit doctrina Chriſti, & Prophetarum, quæ primo aſpectu amara eſt, deinde teſtâ munitur, denique ſumentem paſcit ac nutrit.

Anagogicè idem Iſid. ibid. virga Aaron quæ poſt ſiccitatem floruit, caro Chriſti eſt, quæ poſt mortem reſurrexit. Ipſe eſt virga, ipſe flos, ipſe fructus, vt in virga regnantis, potentia, in flore pulchritudo, in fructu ſuauitas demonſtretur.

12. ECCE OMNES PERIVIMVS. Exaggerando, & remedium quærendo hoc dicunt, non murmurando: reſpiciunt enim ad cladem illam duplicem capitis præcedentis, & quod propter ſingula murmura, quæ carnalibus hominibus parui momenti videntur ita occiderentur.

13. QVICVMQVE ACCEDIT AD TABERNACVLVM, MORITVR. Et hoc exaggerando dicũt, quia reſpiciunt ad mortem Nadab & Abiu, & pœnam Core cum ſuis, vnde quaſi perplexi de modo agendi cum Deo rogant: *Num vſque ad internecionem delẽdi ſumus?* Reſpondetur autem eis capite ſequenti.

CAPVT XVIII.

1. TV ET FILII, &c. PORTABITIS INIQVITATEM SANCTVARII. Quaſi diceret: ſi aliqui ſe ingerant per negligentiam, aut diſſimulationem, aut timorem veſtrum in ceremonias, ac ſacerdotium, vos eritis, qui pœnas dabitis iniquitatis in ſanctuarium commiſſæ, quia vobis iam

authoritate mea, & miraculo confirmatis in ſacerdotio incumbit onus inſtruendi, & arcendi eos, ne quis indebitè accedat.

Et svstinebitis peccata sacerdotii, ſiue malè adminiſtrati, ſiue non ſatis animosè defenſi.

2. Et sceptrvm patris tvi, id eſt, totã tribum, ſignum ſumendo pro re ſignificata, ſceptris enim principes tribuum vtebantur. Svme tecvm, ad miniſteria inferiora in quibus tibi, & filiis tuis ſacerdotibus ſubſeruiant, cuſtodiendo.

3. Cvncta opera, ſeu miniſteria tabernaculi, ne quis *alienigena*, id eſt, non de tribu Leui, ſe ingerat, itemq; accuratè obſeruãdo *caeremonias* ſingulis præſcriptas; ad hoc ergo iubet, *vt excubet* id eſt, diligentiſſimè aduigilent, ne non ſolùm ipſi moriantur, ſed

5. Ne oriatvr indignatio svper filios Israel, quia cùm ſacerdotes contemptu ſacrorum peccant, & inſtar ſalis infatuantur, eorum peccata in totam Rempublicam redundant.

8. Ecce dedi tibi cvstodiam primitiarvm, id eſt, impoſui tibi onus iſtud, vt cuſtodiri cures, & iubeas omnes oblationes meas; ſic enim habent Hebr. Primitiæ ergo tum hoc loco, tum alibi ſæpè ſumuntur generaliter pro orationibus, quia prima & præſtantiſſima Deo offerri debent, vt eſt v. 29. vnde explicationis loco additur.

Omnia qvæ sancificantvr, quaſi diceret: dedi tibi primitias, id eſt, omnia quæ hoc ipſo quòd mihi offeruntur, ſanctificantur. Idque legitima sempiterna, id eſt, tibi tuiſque ex perpetuo ſtatuto debita. Cùm ergo generatim hoc præmiſiſſet, mox diſtinctè explicat diuitias Sacerdotum & Leuitarum.

9. Omnis oblatio et sacrificivm. (&) eſt exegeticum, quaſi diceret, omne quod offertur per modum ſacrificii ſcilicet farinacei, ſeu minchæ, vt Hebræus legit. Item per modum ſacrificij pro peccato, vel delicto: ita ſcilicet vt cedat in Sancta Sanctorvm, id eſt, ita vt totum Domino dedicetur, & ideo ſanctiſſimum ſit, tvvm erit et filiorvm, id eſt, tibi & ſacerdotibus, non autem cæteris Leuitis cedet. Cedere ergo in Sancta Sanctorum, non eſt idem quod inferri in Sancta Sanctorum, ſed cedere totum Deo, ſiue ſecundùm ſe, vt fiebat in holocauſto, ſiue ſecundùm ſacerdotes eius qui id comedere debebant. Vnde non competit hoc hoſtiis pacificis vt pote quæ etiam à Laïcis comedi poterant. Hinc additur de hoſtia pro peccato, & delicto, quòd

10. In sanctvario, id eſt, atrio comedi debeat, idque à ſolis maribus. Traditur ergo hîc prima regula, ſeu lex, iuxta quam omnis oblatio farinacea, præter pugillum qui inde Deo offerebatur in altari iuxta legem Leuit. 2. rurſum omnis hoſtia pro peccato, itemque omnis pro delicto, (præter adipem & renes quæ Deo adolebantur) cedunt ſacerdotibus. Excipienda tamen eſt hoſtia pro peccato, cuius ſãguis inferebatur in ſancta; nam illa tota cremabatur extra caſtra. Quia verò non ſolum farina, ſed & oleum & vinum offerebatur in mincha, facilè colligi poteſt ex dictis ſuprà in cap. 15. quantum ex his donis conficeretur.

11. Primitias qvas voverint et obtvlerint, &c. Hæc eſt ſecunda lex de hoſtiis pacificis quas ſcilicet vouerint, vel etiam ſponte obtulerint filii Iſraël ad immolandum: de illis enim non de quibuſlibet oblationibus aut primitiis agi patet ex eo quod ſequitur:

Qvi mvndvs est in domo tva, vescetvr ex eis: nam ex propriè dictis primitiis ac decimis poterant & alieni & immundi comedere. Vnde de his ſequitur lex infrà v. 13. & 14. itaque *primitiæ* etiam hîc ſumuntur impropriè pro oblationibus, vt eſt in Hebræo & quidem immolandis in altari, quæ non poſſunt aliæ eſſe quam hoſtiæ pacificæ ex quibus armus dexter & pectuſculum cedebant ſacerdotibus.

12. Omnem medvllam olei, &c. Tertia lex de primitiis propriè dictis. Itaque omnem medullam ſeu pinguedinem, id eſt, quidquid pinguiſſimum & præſtantiſſimum eſt in oleo, vino & frumento, quod ſcilicet per modum primitiarum offerri debet, tibi dedi. Nec ſolum primitiæ iſtarum trium ſpecierum, ſed etiam

13. Vniversa frvgvm initia, id eſt, primitiæ omnium omnino fructuũm ex terra naſcentium, nempe etiam arborum cedent in vsvs tvos. Agitur hîc de primitiis quæ menſe 7. de collecta tota meſſe Deo offerebantur: quantum autem offerri deberet per modum primitiarum præſcribitur Ezech. 45. verſ. 13. iubetur enim de coro frumenti capi ſexta pars Ephi, id eſt, ſexageſima pars ipſius cori, vt ibid. exponit S. Hier. nam decem Ephi conficiunt vnum corum: Ergo ſexta pars Ephi eſt 60. pars cori. quamquam iuxta traditionem Hebræorum liberum eſſet vnicuique offerre intra partem quadrageſimam & ſexageſimam, vt proinde propheta ibi præſcribat minimam partem, propter auaritiam ſcilicet ſacerdotum, ne plus exigerent, vt ibidem notat Hieron. præter has præcipuas primitias erant etiam aliæ quatuor minoris momenti, quæ etiam hîc nomine primitiarum comprehendi poſſunt; primæ erant primitiæ manipuli ſpicarum qui offerebatur 2. die azymorum Leuitici 23. v. 10. 2. primitiæ panum duorum, de quibus diximus ibidem v. 17. 3. fructus 1. de arboribus aut vitibus recenter plantatis ſumpti, quos intelligunt hoc verſu 13. LXX. iuxta expoſitionem S. Auguſt. q. 32. quia vocantur ab eis protogenemata, id eſt, quæ 1. naſcuntur & de illis Deo dandis diſponitur Leuit. 19. v. 24. denique 4. primitiæ ſunt vnius exigui panis de qualibet paſta, vt explicuimus Num. 15. v. 21. itaque iuxta omnes illas primitias 1. initia offerebantur Deo in gratiarum actionem.

14. Omne qvod ex voto reddiderint, non ad immolandum, ſic enim fuiſſet hoſtia pacifica & pars ceſſiſſet laicis offerentibus, ſed nudè ad offerendum Deo. Tvvm erit. Hæc eſt 4 lex oblatis ex voto: 5. verò

15. Qvidqvid primvm ervmpit e vvlva, id eſt, omnia primogenita tam hominum quam brutorum, tvi ivris ervnt. Excipiuntur tamen primogenita Leuitarum & iumentorum ad ipſos pertinentium; quia iam illa erant Dei.

Omne animal qvod immvndvm est, redimi facies. Hoc intelligunt aliqui de animalibus immundis per accidens, vt v. g. de oue clauda, cœca, &c. non de immundis ſecundum ſpeciem, vt equo, mulo, &c. eo quod ſolius aſini primogenita ex talibus immundis Deo offerrentur. Sed hîc videtur ſine fundamento dici, tum quia animal immundum abſolutè ſolet vocari in Scripturis, id quod immũdum eſt ad eſum, tum quia ex v. 17. patet ſpeciem ſpeciei opponi, nempe immundũ immundæ, tum denique quia ratio legis generalis eſt percuſſio ſcilicet omnium omnino primogenitorum in Ægypto. Et ita generaliter intellexit legem Ioſeph. 4. Antiq. c. 4. & Philo lib. de ſacerdotum honoribus, initio. Vide quæ diximus Exod. 13.

16. Cvivs redemptio, nempe hominis, erit post vnvm mensem. Nam brutorum oblatio fieri poterat poſt 7. diem, vt indicatur Exod 22. verſ. 30. quod autem dicit poſt vnum menſem indicatur non debuiſſe fieri ante, etſi paululum differri poſſet. Et hinc eſt quod exſpectari potuerit tempus purificationis ipſius matris; quemadmodum in Chriſto Domino factum videmus Lucæ 2.

18. Carnes in vsvm tvvm cedent, totæ ſcilicet ſolis adipibus & ſanguine excepto, ſicut ex hoſtia pacifica armus dexter & pectuſculum ſacerdoribus cedebant: per quod ſignificatur quemuis mundum etiam filiam, ac domeſticos ex eis comedere potuiſſe, ſicut ex armo & pectuſculo hoſtiæ pacificæ comedere poterant. Porrò Ioſephus & Philo locis citatis expreſsè tradunt ex omni pecore etiam domi mactato offerri debuiſſe ſacerdotibus armum dextrum & pectuſculum, quod non videtur alia lege vllibi fuiſſe præſcriptum, niſi quæ hîc traditur de armo & pectuſculo. Horum omnium donationem vocat.

19. Pactvm salis, id eſt, ſtabile & æternum ſub conditione ſcilicet, vt Aaron cum ſacerdotibus Deo miniſtraret in tabernaculo, vide Leuit. 2. v. 13.

20. In terra eorvm nihil possidebitis, nempe tamquam partem hæreditatis quæ vobis in diuiſione Palæſtinæ cedat ad excolendum. Vrbes tamen eis datæ ſunt ad habitãdum, & ſuburbana ad alenda pecora.

Non videtur tamen hac lege prohibitū quin poſſent vendere & emere domos aliáſque terras maximè quæ cultu à non indigerent, vt paſcua,&c. nam emptio erat inter Iudæos quaſi quædam locatio vſque ad annum Iubilæum. Et ſic Ieremias ſacerdos emit agrum patruelis ſui Ierem. 32.v.9. & Barnabas Leuites vendidit agrum ſuum Act. 4. v. vlt.

Quia EGO PARS ET HÆREDITAS TVA, id eſt, id quod ratione mei & miniſterii mei tibi obueniet, hoc cedet tibi loco hæreditatis inter filios Iſraël. Quid autem hoc, ſit explicatur Deuter. 18.v.1. & Ioſue 1..v.14. vbi dicitur; *tribus Leui non dedit poſſeſſionem ſed ſacrificia & victimæ Domini Dei Iſrael ipſa eſt eius hæreditas. ſicut locutus eſt illi*, nempe hoc Numerorum loco: fecit autem hoc Deus, vt cura lucrandi victûs expediti ſe totos ad tabernaculi miniſterium & rerum diuinarum curam poſſent conuertere, iuxta illud Ambroſ. lib de fuga ſæculi cap. 2. Cui Deus portio eſt, nihil debet curare niſi Deum. Quod enim ad alia officia confertur, hoc religionis cultui, atque huic noſtro officio decerpitur: quomodo autem Deus portio & hæreditas Clericorum noui teſtamenti fit, vide latiùs apud Hieron. Epiſt. 2. quæ eſt ad Nepotianum.

21. FILIIS AVTEM LEVI DEDI OMNES DECIMAS. Diſtinguuntur hîc filii Leui à ſacerdotibus, iiſque ſolis non ſacerdotibus, vt quidam putarunt, dantur omnes decimæ pro ſtipendio miniſterii: ſed quia ſacerdotes poſtmodum ferè decima, vel aliquanto minor pars Leuitarum fuerunt, hinc inf. v. 26. iubentur decimarum illarum decimas dare ſacerdotibus. Si igitur conſideremus Leuitas vix quadrageſimam partem populi Iudaici fuiſſe, quibus tamen decima pars omnium fructuum præter habitationem liberam & paſcua iumentis & pecudibus aſſignantur, idque ſine vllis impenſis arandi, aut metendi, aut colendi hortos, manifeſtum erit Leuitas fuiſſe longè ditiores cæteris tribubus: Quod ſi verò iura ſacerdotum ſpectentur quæ ſimul recenſet Philo l. de ſacerdotum honoribus, conſtabit non ſolùm eos æquiparari honore & maieſtate regibus vt Philo loquitur, ſed etiam diuitiis cum quolibet opulentiſſimo aliarum tribuum certare potuiſſe. Vt enim nihil decatur de cæteris omnibus hîc præſcriptis, cum gens iſta eſſet populoſiſſima & alendis pecoribus valdè dedita, ſola primogenita hominum & iumentorum immenſum conferebant cenſum. Nam etſi ponamus primogenita maſcula conſtituere 30. imò 40. partem tam in hominibus quam animalibus (nam multò maiorem conſtituere colligitur ex Numerorum 3. vbi numerantur) ſacerdotes non conſtituent bis milleſimam virorum partem totius populi: nam inter ſexcenta millia, non erant niſi tres: cum tamen omnis ille prouentus primogenitorum quotannis naſcentium ad ipſos pertineret. Hinc Numer. 3. inueniuntur primogenita viginti duo millia ducenta ſeptuaginta tria, pro quorum vnoquoque erant dandi (niſi per Leuitas fuiſſent redempti) 5. *ſicli*, vt ibidem diſponitur, qui multiplicati per primogenita conficiunt ſummam centum vndecim millium trecentorum, & ſexaginta quinque ſiclorum. Adde his primitias quæ conſtituebant, vt minimum, ſexageſimam partem omnium fructuum totius populi. Adde holocauſtorum vix inueniri potuiſſe numerum; vt ait Philo loco citato, quorum tamen omnium pelles ad ſacerdotes pertinebant, vt Scripturarum valde imperiti ſint, qui putant ſacerdotes, ac Leuitas fuiſſe pauperes.

26. CVM ACCEPERITIS DECIMAS, PRIMITIAS EARVM OFFERTE DOMINO. Iterum primitiæ ſummuntur hîc generaliter pro oblatione, vt legit textus Hebraicus, tam hoc v. quam tribus ſeqq. 27. 28. & 30. Itaque ſenſus eſt, vos Leuitæ ex decimis à toto populo acceptis facite aliam oblationem Deo, dando videlicet decimam partem iſtius decimæ veſtræ. VT REPVTETVR VOBIS IN OBLATIONEM PRIMITIVORVM, id eſt, vt ita æquales ſitis reliquo populo reſpectu ſacerdotum, & cenſeamini decimas dediſſe, perinde ac ſi ex propriis agris de frugibus & vinis veſtris eas dediſſetis.

28. ET DATE AARON SACERDOTI, non ſoli quaſi ſummus Pontifex debuiſſet accipere *decimam decimæ*, id eſt, centeſimam partē omnium frugum & animalium totius Iudææ

ſed date illi vnà cum cęteris ſacerdotibus, ſicut hoc exponunt Philo li. de ſacerdotum honoribus in fine, & Ioſeph. l. 4. c. 4. qui conſuetudinis Iudaicæ erant peritiſſimi & paraxeos oculati teſtes. Iubet autem Deus loco decimarum optima quæque dari, quia non tam dantur hominibus quàm Deo in miniſtris, cui tamquam datori omnium meritò optima quæque reddi debent.

32. NE POLLVATIS OBLATIONES FILIORVM ISRAEL, ſeligendo inde partem peſſimam quam detis ordini ſacerdotali, cùm tamen filii Iſraël optimam ſelegerint pro vobis *vt eſſet pretium pro miniſterio*, Hebraicè, merces miniſterii, ſcilicet laborioſiſſimi in portando tabernaculo, & ſtipendium ſuſtentationis. Iubet autem hoc tam ſeuerè, vt addat interminationem extremi ſupplicii, NE MORIAMINI.

Myſticè de primitiis offerendis vide Origenem fusè Hom. 11. in Numeros.

CAPVT XIX.

2. ISTA EST RELIGIO, ſeu ceremonia religioſa, VICTIMÆ expiatricis omnium immunditiarum legalium, quæ ſcilicet ei adhiberi debet.

VT ADDVCAT AD TE VACCAM RVFAM cuius colore ſignificetur peccatorem eſſe mortis reum: nam color ſanguineus peccati ſymbolum eſt, vt patet Iſaiæ 1. v. 18. Porrò quia dicit, *adducant ad te*, manifeſtum eſt hanc vaccam non tantùm in Chanaan, ſed etiam in deſerto fuiſſe combuſtam, vt cineres eius expiandis immunditiis, tum aliorum tum maximè ſacerdotum & Leuitarum ſeruirent, quia ſub pœna mortis non poterant in immunditiis ſua peragere miniſteria. Eleazarus tamen iubetur eam *immolare*, non Aaron, ne ſummus Pontifex per eam fieret immundus, iuxta v. 7. idque *extra caſtra*, vt in hoc figurã Chriſti gereret, qui hominum peccata expiaturus extra portam paſſus eſt, vt Apoſt. ad Hebr. 13. notat. Hier. Epiſt. 27. tradit, hanc vaccæ immolationem quotannis in monte Oliueti, vbi Chriſtus aſcendit, poſtea fieri ſolitam: erat enim extra Hieruſalem & propè templum, nam ille qui immolabat eam, debebat de ſanguine eius,

4. ASPERGERE CONTRA FORES TABERNACVLI, id eſt, verſus fores, ſiue manendo in ipſo loco immolationis, ſiue ſanguinem deferendo prope tabernaculum, aut templum, vbi Dei Maieſtas repræſentabatur, vt ei per hanc ſanguinis oblationem quaſi pro peccatis ſatisfieret.

5. COMBVRETQVE EAM, non per ſe, ſed per hominem ad hoc deſignatum, vt patet ex verſu 8.

6. LIGNVM QVOQVE CEDRINVM, &c. MITTET IN FLAMMAM, ſiue comburendi cauſâ, vt cineres eorum cum cineribus vaccæ mixti immundos expiarent; ſiue tantum per flammam traducendo, purgandi ergò, vt ex eis fieret aſpergillum, quemadmodum alii probabilius putant, ad aſpergendam aquam: nam hyſſopus ligno cedrino per filum coccineum videtur fuiſſe alligata, vt inſinuari videtur v. 18. Nam cineres illi colligebantur, vt eſſent

9. IN CVSTODIAM, id eſt, vt cuſtodirentur per totum annum, & IN AQVAM ASPERSIONIS, quia *aquis viuis*, vt eſt, v. 17. id eſt, fontanis, vel fluuii miſcebantur, & ita fiebat aſperſio ad tollendam immunditiam, non quidem quamlibet, ſed tantum quæ contracta eſſet ex contactu mortui, vt præſcribitur hoc capite. Nam aliæ immũditiæ multæ tollebantur ſolâ lotione veſtium, vel corporis, ſiue alia aſperſione huius aquę, vt manifeſtum eſt ex multis caſibus Leuit. 15. imò ex illis ipſis immunditiis quæ ex contactu ipſius vaccæ & cinerum eius contrahebantur hoc ipſo capite v. 7. 8. 10. 21. & 22. in quibus præſcribitur, vt mactans vaccam, comburens, portans cineres, aſpergens aquas, imò ipſe aſperſus & luſtratus iſtis aquis adhuc aliâ nouâ lotione tamquam immundus mundaretur, vt clarè patet v. 19. Itaque cinis iſte erat quidem expiatorius, ſed tamen quia erant reliquiæ cadaueris vaccæ, ſimul iniquinabant aliâ immunditiâ, quæ ſolâ lotione ad veſperam tollebatur: vt ſic Iudæi intelligerent infirmitatem huiuſmodi lotionum legalium.

12. ASPERGETVR EX HAC AQVA DIE TERTIO ET SEPTIMO. Septimus enim dies tamquam dierum omnium finis, poſt quem in-

cipit de nouo dierum reuolutio, eſt perfectionis ſymbolum. Vnde luſtratio fiebat in eius medio & fine, vt cenſeretur eſſe perfecta: qui autem non fuerit ſic luſtratus,

13. POLLVET TABERNACVLVM, ſi ad illud acceſſerit pollutus, quia quantum in ſe eſt, tractat illud contemptim, vt rem profanam, ideoque.

PERIBIT EX ISRAEL, ſiue à iudicibus interficiendus, ſi res conſtet, ſiue me ipſo contemptorem illum occultis prouidētiæ meæ modis perſequente. Itaq; hæc luſtratio erat neceſſaria in ordine ad Sanctuarium, ne illud pollueretur, vnde quia nunc carent ſanctuario, templo & ſacerdotibus, vbi & à quibus vacca debebat immolari, luſtrationes iſtas Iudæi non ſeruant amplius.

15. VAS QVOD NON HABVERIT OPERCVLVM, &c. IMMVNDVM ERIT, & conſequenter quidquid aquæ, vel liquoris in eo continebatur. Ex quo videtur rectè colligi, ſi eſſet coopertum, liquorem contentum non fuiſſe inquinatum. Et conſequenter non fuiſſe inquinata vinum, oleum, &c. vaſis clauſis comprehenſa, vnde Iudæi etiamnum cùm aliquis moritur in domo, omnem aquam tanquam immundam dicuntur effundere.

16. SI QVIS IN AGRO TETIGERIT CADAVER: ex hac lege manauit maxima illa immunditia cadauerum apud Iudæos, propter quam ſepulcra extra vrbem collocabant, vnde Ioſias, vt excelſa idolorum & lucos inquinaret, repleuit ea oſſibus mortuorum & eorundem oſſium combuſtione altare polluit 4. Reg. 23. v. 14. & 16. Durabat autem, vt hìc dicitur, hæc immunditia *ſeptem diebus*, non quaſi tunc per ſe expiaret, vt putat Abulenſis; nam v. 13. dicitur, quod ſi non eſſet aſperſus, maneret ſpurcitia eius ſuper eum: ſed quia non poterat citius tolli.

22. QVIDQVID TETIGERIT IMMVNDVS, ſcilicet iſtâ cadaueris tacti immunditiâ quæ ſuprà dicta eſt, IMMVNDVM FACIET: ET ANIMA QVÆ HORVM QVIDQVAM TETIGERIT, non vitulam, cineres aut aquas, nam de illis iam paulò antè dixerat: ſed HORVM quæ ſcilicet iſte immundus tetigerit. Itaque immundus ex cadauere non ſolùm communicabat ſuam immunditiam rei quam tetigiſſet, ſed illa res iterum eam communicabat alteri tangenti ſe, eo modo quo præſcribitur Leuit. 15. de ſeminifluo & menſtruata: ita poſtulant Hebræa, ſed hæc ſecunda immunditia erat alterius rationis, non enim indigebat expiatione aquarum iſtarum, nec durabat ſeptem dies, ſed tantum *vſque ad veſperum*.

Allegoricè, vacca ſignificat carnem Chriſti; rufa, paſſionem; ætas integra, virilem eius ætatem; immaculata, immunitatem à peccato; expers iugi, libertatem: mactatur ab Eleazaro, quia Chriſtus à ſacerdotibus paſſus eſt; idque extra portam, vnde omnes Iudæi immundi ſunt, flamma vorans queſurſum aſcendit, figurat reſurrectionem & aſcenſionem eius; lignum cedrinum, crucem: hyſſopus in aqua vim purgandi per baptiſmum: coccus ſanguinem Chriſti, vel charitatem, vide cætera totius capitis accuratè & fusè applicata apud S. Auguſt. qu. 33. in Num. & apud S. Iſidorum Hiſpalenſem cap. 16. in libr. Num. & ex S. Gregorio apud Paterium, & breuiùs apud Theod. quæſt. 36.

CAPVT XX.

1. VENERVNTQVE IN DESERTVM SIN. Hactenus Moyſes narrauit ea quæ contigerunt primo, & parte ſecundi anni poſt egreſſionem ex Ægypto, vſque ad murmur illud ab exploratoribus concitatum, quod contigit in manſione 15. vt dictum eſt c. 13. nam quæ ab illo capite huc vſque narrata ſunt, iiſdem duobus primis annis videntur contigiſſe, nunc ſubito tranſilit ab illa decimaquinta manſione, ad 33. intermiſſis 17. intermediis & ſimul geſtis 38. annorum quibus vagati ſunt in deſerto. Fecit hoc, vel quia nihil memorabile illis annis geſtum fuerit, vel quia ſcribere tantùm voluerit rectum iter in Chananæam: nam ab illa 15. manſione vſque ad 32. quæ eſt in Aziongaber, ſemper potius retroceſſerunt per varios anfractus itinerum, quam progreſſi ſunt, ab iſto verò loco rectà iterum tendunt in Palæſtinam. Venerunt itaque IN DESERTVM SIN: aliud eſt hoc deſertum ab eo in quod venerunt manſione octauâ, vbi

manna pluit Exod. 16. verſu 1. quia illud ſcribitur per *Samech*, nec extenditur vltra montem Sinaï: hoc verò per *tſade*, vti diſtinguit ea Hieron. manſione 8. & 33. Vnde Cades de qua hîc mentio fit, etiam valdè diuerſa eſt à Cadesbarne, vt ſuprà monuimus c. 13. v. 27.

MENSE PRIMO, anni ſcil. 40. egreſſionis ex Ægypto: quæ eſt communis Chronologorum ſententia, & in primis Ioſephi 4. Antiq. c. 4. & ſatis colligitur ex eo quod infrà v. 22. dicuntur ex hac manſione veniſſe in Hor, vbi Aaron mortuus eſt anno 40. egreſſionis, menſe 5. vt dicitur Num. 33. v. 38. id eſt, quinque menſibus poſt aduentum.

ET MANSIT POPVLVS IN CADES. Cades dicitur ſancta, ſed per antiphraſim, inquit Hier. manſione 33. quia minimè ſancta, eò quod Moyſes & Aaron ibi offenderunt Dominum: Eſt autem locus prope Petram ciuitatem Arabiæ, vt notat idem in locis Hebraïcis.

MORTVAQVE EST IBI MARIA, ſoror Moyſis, ergo quinque menſibus, vel paulò minus ante Aaron. Erat vtroque ſenior, vt colligitur ex Exod. 2. vnde facilè centum triginta annorum fuit quando defuncta eſt.

6. CLAMAVERVNTQVE AD DOMINVM. Deſunt hæc in Heb. & LXX. vſque ad verba, *& apparuit*, vnde vel exciderunt, vel noſter paraphraſticè ſuppleuit, quia non alia de cauſa in faciem ceciderunt, niſi vt iſta orarent, ſcilicet vt Deus aperiret THESAVRVM SVVM, id eſt, aquas quas velut in theſauro ſub terra reconditas tenet, & per fontes veluti viuas ſcaturire & exilire facit quando vult.

9. TVLIT VIRGAM QVÆ ERAT, ſeu eſſe ſolebat, IN CONSPECTV Domini, ſcilicet in tabernaculo. An fuerit virga Moyſis, an Aaronis, incertum relinquitur: ſed quia virga Aaron non erat niſi ad conſignationem ſacerdotii, & floribus fructibuſque onuſta non erat idonea ad percutiendum, veriſimilius eſt intelligi virgam Moyſis quæ tot miraculorum operatrix fuerat, vnde & Exodi 17. v. 6. eâdem virgâ alia petra in Raphidim percuſſa fuit ſtatim poſt egreſſum.

10. AVDITE INCREDVLI, &c. NVMQVID DE PETRA HAC, &c. Facilè hæc verba ita exponi poſſent, vt intelligatur ſignificare, quod illa eductio eſſet impoſſibilis ſecundùm incredulitatem Iudæorum quam redarguit, & quod ad eam refutandam virgâ percuſſerit: ſed quia Deus qui cordis inſpector eſt, Moyſen & Aaronem reprehendit de propria ipſorum incredulitate, *quia non credidiſtis*, &c. rectè oſtendit Auguſtinus quæſt. 19. hæc verba ita eſſe accipienda, vt intelligantur verè dubitaſſe, ſeu hæſitaſſe non quidem de diuina virtute, quia ſciebant multò maiora per ſe a Deo eſſe perpetrata, ſed de ſucceſſu miraculi, idque propter cauſas quas ipſemet Moyſes hic videtur tangere, ſcilicet propter rebellionem & incredulitatem tantam populi. Idcirco enim vocat eos rebelles & incredulos, quia hæſitabat an illa duo vitia populi non eſſent impeditura euentum. Ad eandem illam fluctuationem pertinuit illa duplex percuſſio, ſicut & illa Heliſæi 4. Reg. 2. v. 14. hoc videtur velle Auguſtin. lib. 90. Homiliarum Hom. 27. & quæſt. 19. in Num. & Baſilius in proœmio Ethicorum, vbi dicit propter iſta verba Moyſen fuiſſe punitum. Vnde Theodor. quæſt. 38. dicit eum peccaſſe, quia ambiguè verba protulerit, *numquid poterimus*, &c. ſed illa ambiguitas erat effectus hæſitationis: dixit enim hoc, inquit Auguſtinus, vt ſi non ſequeretur effectus, hoc prędixiſſe putaretur, & ideo tamquam ad incertum percuſſit. Cauſa huius hæſitationis videtur fuiſſe quæ tangitur Pſal. 105. verſ. 32. & 33. quia exacerbauerunt ſpiritum eius. Exacerbatio enim illa cauſa fuit quò minùs fideret Deo quàm opus eſſet. Permiſit hunc lapſum Deus, vt & Moyſen eſſe hominem agnoſcerent, nec eum vt Deum colerent, vt notat Theodor. in Pſalm. citat. maximè autem quia myſterii cauſa volebat, vt non Moyſes, ſed Ioſue populum in Palæſtinam introduceret.

Allegoricè petra hæc præfigurabat Chriſtum, vt Apoſt. 1. ad Cor. 10. v. 5. virga crucem, gemina percuſſio duo ligna eius; Moyſes, Iudæos de Chriſti diuinitate dubitantes; aqua gratiam ex Chriſto profluentem, ita Aug. q. 35. & laudàs Hom. 27. cit.

12. Vt ſanctificaretis me coram, &c. id eſt, vt fidei firmitate me ſanctum, id eſt, omnipotentem, fidelem ac miſericordem, non obſtante quauis Iſraëlitarum rebellione, incredulitate & ingratitudine populo oſtenderetis. Ille enim eſt magnus honor Dei coram aliis.

Non introducetis, &c. in terram quam dabo eis, nempe tranſeundo Iordanem, vbi erat terræ promiſſæ præcipua portio; nam in aliam portionem, quæ erat citra Iordanem introduxit eum. Pœna hæc fuit aliqua; fruſtratus enim fuit temporali fructu, & fine tot laborum, & gloria illa introductionis compleatarumque promiſſionum Dei in alium tranſlatà: vt figuraretur, non legem quam Moyſes ſignificat ſed Ioſue, id eſt, Ieſum Chriſtum populis ſalutem allaturum.

31. Hæc eſt aqva contradictionis, non qua Moyſes, ſed qua populus Deo contradixit murmurando, & iurando aduerſus Deum, et sanctificatvs est in eis, id eſt, ſanctus & miſericors declaratus ſuperando incredulitatem, & ingratitudinem eorum bonitatis magnitudine.

21. Qvamobrem divertit ab eo Israel. & tamen Deuter. 2. v. 29. clarè dicitur, filios Eſaü conceſſiſſe eis tranſitum, intelligendum eſt Idumæos occidentales; qui viciniores erant Cades tranſitum negaſſe, idque per medium regni: orientales verò & Moabitis vicinos per extremos fines tranſitum conceſſiſſe. Quamquam Rabbi Salomon id quod in Deut. dicitur, minùs appoſitè referat ad alimenta vendita, non ad tranſitum.

28. Cvmqve Aaron spoliasset vestibvs svis, non communibus, ſed ſacris ſicut omnes expoſitores intelligunt, vt per hoc filius ſacerdotio initiaretur. Erat hæc indutio ſacratum veſtium initium ceremoniarum conſecrationis Pontificis, vt patet Exod. 29. & Leuit. 8. Ex quo tamen non ſequitur non fuiſſe ſuppletas reliquas in caſtris. Nam vna ex præcipuis erat effuſio olei ſuper caput Pontificis; vſque adeo vt per illam ſolam tanquam præcipuam, ſæpè Pontifex deſcribi ſoleat: quam eſſe prætermiſſam nullo pacto veriſimile eſt.

Indvit eis Eleazarvm filivm. An ante mortem Aaronis, an poſt? ſi ante, vt communiter ſentiunt, erat hoc extraordinarium, quod filius patri nondum defuncto ſuccederet, ſed in ſolatium Aaronis à Deo factum fuit. Hinc etiam nulla immunditia ex præſentia defuncti Eleazaro aſperſa fuit, Deo in iſta irregularitate diſpenſante. Mortuus eſt autem anno egreſſionis ex Ægypto 40. menſe 5. ætatis 125. vt eſt Numerorum 33.

Allegoricè Maria eſt figura prophetiæ, Moyſes legis, Aaron ſacerdotii veteris. Significatur ergò omnibus illis finis imponi, ita vt ipſi ad terram promiſſionis tranſcendere non valeant, neque credentem populum de ſolitudine huius mundi in cœlum educere, vt ait Hieron. Epiſtola 127. ad Fabiolam, manſione 33.

Capvt XXI.

1. Qvod cvm avdisset Chananævs rex Arad. Ciuitas Arad olim celebris fuit in termino tribus Iudæ, ac Palæſtinæ ad meridiem; vſque ad ætatem D. Hieronymi oſtendebatur vlla, venisse Israel per exploratorvm viam, id eſt, ſequi veſtigia exploratorum, qui exercitum præcedebant, vt vult Lyranus: vel potiùs eos tendere per eandem illam viam, qua antè 38. annos penetrauerant duodecim exploratores in Palæſtinam. Nam mons Hor & Cadesbarne, vnde exploratores miſſi fuerant, non multùm à ſe diſtant, prout exprimit illa loca Adrichomius. Itaque timens inuaſionem illorum tanquam proximus egreſſus eſt obuiam.

2. At Israel voto se Domino obligans, non quolibet, ſed voto quod Hebræi *Cherem* vocant, ſcilicet excidii, vel deletionis, quo voti genere, vel omnia omnino excidenda vouebantur, vnde Deuter. 13. v. 17. vocatur *Cherem*, vel homines & pecora omnia ad internecionem delentur, itemque ſupellex omnis quæ ignem ſuſtinere non poteſt, vt factum eſt in Iericho, vbi metalla ſola reſeruata aurum, argentum, &c. vel denique ſoli homines perduntur, non

pecora, aut præda reliqua, vt in Haï Ioſue 8. v. 27. Græci vocant *anathema*, quod ſignificat hominem quaſi dijs inferis ac diris deuotum. Meritò autem votum iſtud fecerunt Iudæi, quia Chananæus iſte erat ex populis habitantibus terram ſibi promiſſam, qui funditùs erant extirpandi.

4 ET TÆDERE CŒPIT POPVLVM ITINERIS, AC LABORIS, nempe quia non erant permiſſi rectà per Idumeam in Paleſtinam tendere, ſed vt circuirent Idumæam, cogebantur iterum iter reflectere, & quaſi redire vnde venerant, verſus mare rubrum. Tædium igitur hoc ortum fuit non propter laboris magnitudinem, ſed continuitatem ac durationem; deficiendo propriè à perſeuerantia, quæ firmat animum contra illam difficultatem quæ oritur ex ſola boni operis diuturnitate, vt notat D. Thom. 2.2 q.137.a.1.&.3. vnde Hebr. eſt, *abbreuiata eſt anima populi.*

5. ANIMA NOSTRA IAM NAVSEAT SVPER CIBO ISTO LEVISSIMO, ſuper manna, quod leuiſſimum vocant, ad ſignificandum non defectum ponderis, ſed pretii, quaſi dicant, ſuper cibo viliſſimo, hoc enim & Hebræum ſignificat. Erat enim manna ſaporis panis quaſi oleati, ac mellei, dulcia autem facilè nauſeam gignunt.

6. QVAMOBREM MISIT IN POPVLVM IGNITOS SERPENTES, ab effectu, quia flatu & morſu venenato igneum ardorem concitabant; hic enim Hebraïcè vocantur ſeraphim, quaſi incendentes, ſeu vt transfertur Deuter. 8. v. 15. ſerpens flatu adurens, & alibi vocantur dracones venenati, qui Græcè eodem etymo vocantur Præſteres, hinc pro remedio iubet Deus:

8. FAC SERPENTEM ÆNEVM, Hebraïcè, fac tibi præſterem, ſeu ignitum ſerpentem æneum, vt ſcilicet colore ignem imitetur, ET PONE EVM PRO SIGNO, exaltando eum in ligno, ſeu pertica: nam Hebraïcè eſt, pone eum ſuper vexillum, id eſt, perticam vexillarem, vt poſſit facilè etiam à longè aſpici. QVI PERCVSSVS ASPEXERIT EVM, VIVET, id eſt, non morietur, ſed ſanabitur; non naturali illius ſerpentis, aut aſpectus virtute, ſed diuinâ, nam Sap. 16. v. 7. non per hoc quod videbat, ſanabatur, ſed per te omnium Saluatorem, vnde ibidem verſu 6. vocatur ſerpens, ſignum, ſeu ſymbolum ſalutis. Vera cauſa huius rei fuit, vt adumbraretur Chriſtus in cruce exaltatus, vt exponit ipſe Chriſtus Ioannis 3. v. 14. vt attigerunt latiùs antiqui penè omnes; inter cęteros Aug. lib. 1. de peccat. merit. cap. 32. & Theodoretus hîc qu. 39. qui obſeruant ſerpentem ęneum ſignificare Chriſtum morientem, eo ſignificandi modo quo per cauſam ſignificatur effectus, ſerpens enim fuit cauſa mortis & maledictionis; æneus autem fuit, id eſt, ſimilis ſerpenti, ſed carens veneno, quia Chriſtus non venenum ſerpentis, id eſt, peccatum, ſed mortem tantum in ſe tranſtulit factus in ſimilitudine carnis peccati, ſine peccato: quem qui credendo aſpicit exaltatum in cruce, hic & à veneno, id eſt, peccato per iuſtificationem, & à morte per reſurrectionem, liberatur. Addit Iſidorus Hiſpalenſis cap. 20. in lib. Numer. in ſerpente ſignificari Chriſtum mortuum in ære tanquam metallo duriore æternum, quia humanitate mortuus eſt, diuinitate æternus, quamquam æris igneus color ignitum Chriſti patientis amorem ſignificare poſſet; ſonoritas prædicationem crucifixi per totum mundum, durabilitas prædicationis perpetuitatem vſque in finem. Serpẽs iſte à Moyſe & poſtea à Iudæis in memoriam tanti beneficii conſeruatus eſt, ſed cum ei Iudæi adolerent incenſum, velut numini, ab Ezechia confractus eſt 4. Reg. 18. v. 4.

14. VNDE DICITVR IN LIBRO BELLORVM DOMINI. Quis eſt iſte liber? Auguſtinus qu. 42. exiſtimat librum aliquem non propheticum, ſed vulgarem, ſiue Chaldæorum, ſiue Ægyptiorum, ſiue alium quempiam, vnde Moyſes hoc teſtimonium ſumat, ſicut Apoſtolus ex Poëtis. Ipſe enim iuxta LXX. ita legit, vt nulla ſit hîc prophetia. Alii putant fuiſſe propheticum ante Moyſen ſcriptum, ſed intercidiſſe, ſicut & librum Enoch: quod non eſt improbabile: fortaſſe conuenientiùs dicetur, fuiſſe librum aliquem tunc temporis & vulgatum inter Iſraëlitas de bellis à Domino per Iſraëlitas geſtis ante Moyſis obitum, ex quo ipſe iam vltimo anno vitæ ſuæ, quando hæc, ſcripſit poſt deuictos

Seon & Ogreges Amorrhæorum, teſtimonium iſtud ſumat, quo dicitur: SICVT FECIT IN MARI RVBRO, Pharaonem debellando, SIC FACIET IN TORRENTIBVS ARNON, id eſt, ſic etiam fecit, per enallagen temporum. Nam in Hebræo non eſt futurum, ſed vnum præteritum copulans vtrumque membrum hoc modo: ſicut fecit in mari rubro, ſic in torrentibus, &c. vt ſit celebratio vtriuſque victoriæ eo fine adducta, vt ex iſta cæde Amorrhæorum pareret ſe rectè dixiſſe quod Arnon promineat in finibus Amorrhei, ac diuidat illos à Moabitis. Nam

15. SCOPVLI TORRENTIVM, Arnon ſcilicet INCLINATI SVNT VT REQVIESCERENT, id eſt, inclinantur, ſeu longo iugo protrahuntur vſque IN AR vrbem Moabitarum, & ita recumbunt in finibus Moabitarum, diuidendo illos ab Amorrhæis.

16 EX EO LOCO, ſupple proficiſcentibus nobis, APPARVIT PVTEVS, ad quem iter faciendo peruenimus. Hebraicè eſt enim ſimpliciter, *Inde ad puteum*, ſupple venimus. Nominat illum, eò quòd celebris eſſet propter ſedatam ſitim populi.

17. TVNC ingratitudinem tanti beneficii, CECINIT ISRAEL CARMEN, hymnum ſcilicet iſtum gratulatorium: ASCENDAT PVTEVS, id eſt, aqua putei de terræ viſceribus copioſè nobis erumpat. CONCINEBANT, eſt hoc verbum non hymni, ſed Moyſis, quaſi per parentheſim interiectum.

18. PVTEVS QVEM FODERVNT PRINCIPES IN DATORE LEGIS, id eſt, vnà cum Moyſe legiſlatore, ET IN BACVLIS SVIS, id eſt, ſceptris tãquam inſigni poteſtatis ſuæ foderunt autem quia baculis terram loco monſtrato percutiendo aqua exiliit, vt vult Lyranus, vel foderunt baculis, id eſt, ligonibus terram aperiendo, vt aqua poſſet largiùs ſcaturire.

Myſticum ſenſum de puteo, & omnibus in hoc capite ſequentibus vide fusè apud Orig. Hom. 12. in Numeros.

DE SOLITVDINE, &c. finito cantico incipiunt hîc verba Moyſis, dicat de quaſi ſolitudine venimus in Matthana.

20. DE BAMOTH, VALLIS EST, id eſt, ex Bamoth digreſſis occurrit, & incipit vallis, IN VERTICE PHASGA, ſeu iuxta verticem montis Phaſga, QVOD Phaſga RESPICIT CONTRA DESERTVM, vnde ſcilicet Iſraëlitæ iam diſceſſerant.

22. OBSECRO VT TRANSIRE MIHI LICEAT, vbi obſeruandum notat Auguſtinus quæſt. 44. quemadmodum iuſta bella tunc ab Iſraëlitis gerebantur. Innoxius enim tranſitus negabatur, inquit, qui iure humanæ ſocietatis æquiſſimo patere debebat.

23. PVGNAVITQVE SEHON CONTRA EVM, Deo ſcilicet obdurante cor eius, vt eſt Deut. 2. v. 30. nempe vt ſua promiſſa complere inciperet Iſraëlitis, quibus terram eius dari oportebat, vt notat Auguſtinus loco citato. Nam Gen. 15. v. 20. & 21. promittuntur Abrahæ terræ Raphain, id eſt, gigantum ſcilicent Og, vt Amorrhæorum, hinc poſſeſſa eſt ab Iſraëlitis terra eius.

24. VSQVE IEBOC, qui terminus eſt ab ſeptemtrione terræ Regis Seon, ET FILIOS AMMON, qui terminabant eam ab oriente. Cauſa autem cur inuaſerint, & ſimul occupauerint filios Ammon, erat

QVIA FORTI PRÆSIDIO TENEBANTVR TERMINI AMMONITARVM, quamuis eſſet & alia potior, quia Deus prohibuerat, vt eſt Deut. 2. v. vlt. ſed cùm Deus ſimiliter prohibuiſſet occupari terras Moabitarum, vt patet Deut. 2. v. 9. cur occuparunt Iſraëlitæ Heſebon, & cætera quæ erant Mohabitarũ? occurrit Moyſes huic tacitæ obiectioni.

26. VRBS HESEBON FVIT SEHON, &c. quaſi dicat, quamuit olim Heſebon, & aliæ terræ fuerint Moabitarum, tunc tamen erant Seon, & Amorrhæorum inimicorum noſtrorum, qui eas iure belli Moabitis extorſerant. Ita reſpondet & Iephthe Iudicum 11. Regi Ammonitarum, & Moabitarum, qui eas ab Iſraëlitis volebant repetere tamquam terras ſuas. Probat autem Moyſes Heſebon pertinuiſſe ad Sehon ex prouerbiali quodam, & vulgato epinicio, quod canebatur de victoria Seon:

27. VENITE, &c. ÆDIFICETVR CIVITAS SEHON, id eſt, ex Heſebon, quæ Moabitarum fuit, fiat iam poſt adeptam victoriam Regis Sehon.

28. Ignis egreſſvs eſt de Heſebon, id eſt, bellum de Heſebon iam capta proſerpens vaſtauit magnam partem Moabitarũ ſcilicet Ar, & habitatores rupium excelſarum Arnon inſtar ignis omnia deuorantis.

29. Periisti popvle Chamos, periiſtis, ô, Moabitę, qui Chamos idolum veluti Deum veſtrum colitis, vt patet 3 Reg. 11. v. 7. & Iud. 11. v 24 nam Chamos iſte dedit filios eivs in fvgam, id eſt, fugauit & in captiuitatem abduci permiſit, aut fecit Moabitas.

30. Ivgvm ipsorvm, quod ſcilicet impoſuerant Heſebon, eam ſubiectam tenendo, dispeiit, & ablatum eſt non ſolùm ab Heſebon, ſed ab vniuerſo territorio, vſque ad vrbem Dibon. Nam fugientes ex illa clade, peruenerunt laſſi in Nophe & Medaba, quæ omnia ſunt loca Moabitarum.

Capvt XXII.

2. Videns avtem Balac, eſt Rex Moabitarum, vt patet verſu 10. Amorrhæi enim non totam Moabitidem, ſed tantùm partem eius ſeptemtrionalem ſubegerant. Sollicitat iſte Madianitas terræ ſuæ vicinos, vt iunctis viribus ſe opponant, Iſraëlitis, eò quòd tandem viderentur deleturi omnes.

4. Qvo modo solet bos herbas vsqve ad radices carpere, videlicet non ſubiugando, ſed omnes ad internecionem vſque delendo.

5. Misit ad Balaam filivm Beor ariolvm, id eſt, illicitis modis diuinantem: ſemper enim in malum vox iſta accipi ſolet. Et Ioſue 13. vocantur Hebraicè diuinator, vnde Philo de vita Moyſis, Nyſſenus in fine libri de vita Moyſis, Theod. q. 40. in Num. augurem ac diuinum fuiſſe volunt. Origenes Hom. 13. in Num. vocat famoſiſſimum in arte magica, & carminibus noxiis præpotentem, quod verum eſſe ſatis colligitur ex c. 23. v. vlt. quod ad excelſa Baal ductus fuit tanquam quem coleret, & cui proinde voluit offerre illa ſacrificia in ſeptẽ aris; diſcurſus quoque eius non alia de cauſa fiebant, niſi ad quærendum augurium, vt indicatur cap 24 v. 1 erat enim homo reprobus, immò peſſimus, vt eũ Aug. vocat q. 47. Qvi habitabat svper flvmen terræ filiorvm Ammon, id eſt, iuxta Euphratem vt Chaldæus, qui præterlabitur terram Ammonitarum, Euphrates enim per antonomaſiam ſubinde fluuius dicitur propter magnitudinem, & celebritatem apud Iudæos, vnde Ioſephus l. 4. Antiq. c. 4. dicit eum accerſitum vltra Euphratem. Significatur igitur Balaam fuiſſe ex Meſopotamia, hoc enim expreſsè dicitur Deut. 23. v. 4. vbi vocatur Hebraicè *Aram Neharam*, id eſt, Syria duorum fluuiorum quæ eſt Meſopotamia quod & ipſemet ſatis indicat hîc cap. 23. verſ. 7. vbi ſe dicit adductum de Aram, id eſt, de Syria, de montibus, orientis, quod locum remotum indicat, vnde falluntur Rabbi Salomon apud Lyranum & Andreas Maſius qui Madianitam fuiſſe volunt, Madianitæ erant Moabitis viciniſſimi. Oriundum autem fuiſſe ex vrbe Syriæ Pethora plerique recentiores volunt, eò quòd loco Deut. citato expreſsè in textu Hebraïco dicatur eum adductum ex Pethor, quomodo etiam legunt hîc verſ. 5. vbi noſter accepit hoc nomen appellatiuè transferendo ariolum.

8. Manete hic nocte, quia illud eſt tempus opportunum ad conſulendos ſpiritus tenebrarum; Deus autem verus tametſi in ſomnis ſæpè loquatur, quando ipſe vult, captatio tamen ſomnii vel noctis ad conſulendum Deum ſuperſtitioſa eſt. Et respondebo qvidqvid mihi dixerit Dominvs. Hebraïcè eſt nomen illud glorioſum Dei, vnde videri poſſet Balaam conſuluiſſe verum Deum. Sed rectiùs dicitur eum voluiſſe dæmonem conſulere vt Theodoretus q. 40. Itaque veriſimile eſt Moyſem euentum iſtius actionis Balaam ſpectaſſe, non intentionem eius, quia Deus ei occurrit pro dæmone, vel deſcribendo hanc hiſtoriam more ſuo, nominaſſe Deum ſicut in tota Geneſi exprimitur in colloquiis Patriarcharũ cum Deo, etſi illud nomen ignorauerint ſicut & Balaam ignorauit: quia Moyſi primùm reuelatum fuit. Itaque

Venit Devs, Angelus ſcilicet nomine Dei cuius perſonam gerebat, vt ſatis patet ex v. 35. vbi Angelus indicat ſe ei præcepta

prophetandi daturum, quæ tamen ei dare Deus dicitur cap. 33.

19. Obsecro vt hic maneatis etiam hac nocte. Nullâ erat opus ſecunda conſultatione, vbi Deus expreſsè eius profectionem interdixerat, ſed vt Auguſt. qu. 48. ibi ſe victum cupiditate monſtrauit, vbi loqui Dominum de hac re iterum voluit, de qua eius iam cognouerat voluntatem. Proinde Dominus videns eius cupiditatem captam deuictamque muneribus, dicendo, *ſurge & vade cum eis*, non iuſſit, ſed permiſit eum ire, vt per iumentum quo vehebatur eius amentiam coërceret, vnde Auguſt. ibidem cur poſt iſtam permiſſionem Domini iterum non conſuluit, & poſt illam prohibitionem iterum conſulendum putauit? niſi quia eius maligna cupiditas apparebat, quamuis timore Domini prohiberetur, & iſta eſt cauſa cur poſt datam permiſſionem dicatur v. 22. *Et iratus eſt Deus*, nempe quia videbat peruerſum eius animum quod muneribus inhians ſe ſperabat maledicturum populo: etſi iam ſciret hoc Deum nolle: nam 2. Petri 2. v. 5. dicitur *mercedem iniquitatis*, id eſt, iniquæ maledictionis quæ petebatur *amaſſe*, & propter iſtam peruerſam eius intentionem dicitur infrà verſ. 32. via eius peruerſa Deoque contraria, & hinc etiam

22. Stetit Angelvs in via contra Balaam, id eſt, auerſando Balaam non tam quoad locum quàm quoad animum Hebraïcè eſt *in ſatan*, id eſt, in aduerſarium; vt verò brutalis eius dementia conuenientem haberet correctorem quæ Angeli vocem neglexerat.

28. Apervit Dominvs os asinæ et locvta est, non propriè dicta locutione qua conceptus mentis per vocem exprimitur, ſed emittendo ex ore voces illas quas homines in exprimendis conceptibus adhibere ſolent, quemadmodum Pſittaci dicuntur loqui, hoc tamen diſcrimen fuit, quod Pſittaci verè vitaliter ſonos illos formant imaginatione dirigente & appetitu ſonos illos organis ſuis ad hoc idoneis efformante, hîc vero etſi forraſſis imaginatio animæ per Angelum ad formandas voces informata fuerit, & ita ipſamet vitaliter os moueret, formatio tamen plena vocis ab illa ſola effingi non potuit, ſed tantum Domino ſeu Angelo concurrente & ſupplente defectum organorum, vbi Auguſt. quæſt. citat. notat nihil hîc mirabilius fuiſſe quàm quod loquente aſina territus non fuerit, ſed ita perſeueranter reſponderit quaſi ad hominem loqueretur, ſed ibidem & qu. 50. tribuit hoc magnitudini cœcæ cupiditatis, & quod talibus monſtris eſſet aſſuetus. Illud fortaſſe præfigurauit quod ſtulta mundi electurus erat Deus, vt confunderet ſapientes.

41. Dvxit evm ad excelsa Baal, id eſt, ad fana Baal in locis excelſis ſeu monte extructa, idque partim vt ex excelſo loco caſtra maledicenda intueri poſſet, partim vt ſacrificiis Baal litaret, & ex eo vires maledicendi ſumeret.

Myſticè explicat magnam partem capitis huius Origen. Hom. 13. in Num.

Capvt XXIII.

1. Ædifica hic mihi septem aras, ad propitiandum numen cuius ope maledicendum vel benedicendum erat 7. autem eò quòd ſacer Deo ſit iſte numerus, non tam propter vim numeri, ſed propter perfectionem eius vt alibi diximus. Videtur autem eas erexiſſe ipſi Baal, ſeu dæmonibus, vt notat Orig. Hom. 15. in Num. vnde & ſuperſtitioſè illum ararum numerum obſeruauit, & augurium quæſiuit: ſed loco diaboli occurrit ei viſibili ſpecie Deus ſeu Angelus loco Dei, in cuius honorem mox ſe ſimulat eas erexiſſe. Eugubinus tamen putat Deo vero eum ſacrificaſſe, quod verum eſſe poſſet, etiamſi eſſet idololatra, eò quòd ei iam Deus verus aliquoties apparuiſſet, & ſignificaſſet ſe ei præcepturum quid eſſet loquendum, vnde etiam dictum vult *ſeptem aras erexi*, ſcilicet tibi & in honorem tuum.

5. Dominvs avtem posvit verbvm in ore eivs, id eſt, præcepit ei & inſtruxit eum quid loqui deberet, vt ex ſequentibus patet. Phraſis eſt Hebraïca: iuxta quam & Ioab dicitur poſuiſſe verba in ore Thecuitidis 2. Reg. 14. v. 3. & 19. quando inſtruxit eam.

7. Assvmptaqve parabola sva dixit. Parabola ſignificat in Scripturis, non ſolum ſermonem allegoricum & ænigmaticum, vel comparatiuum, ſed quamlibet grauem ſententiam aut prophetiam, eò quòd præ cæteris emineat, & quaſi dominetur in oratione. Hebraicè enim parabola dicitur *maſchali* à *maſchal* dominari, vnde *miſle*, id eſt, parabolæ Salomonis, tametſi in eis plurimæ contineantur, quæ nihil ænigmaticum vel allegoricum, vel vllam comparationem contineant. Aſſumere ergo parabolam eſt inchoare prophetiam ſuam.

8. Qvomodo maledicam cvi non maledixit Devs? Balaamum hîc propheta ſſe inuitè & coactè ſentit Abulenſis, Deo ſcilicet contra propoſitum eius mouente linguam eius, non animum, quaſi fuiſſet arreptitius: ſed contrarium eſt longè verius. Sæpè enim proteſtatus eſt Balaam tum antequam veniret, tum poſtquam veniſſet, ſe quod ad vaticinationem attinet, nihil aliud poſſe vel velle dicere quàm quod ſibi præciperetur, vt patet ex cap. præcedenti v. 18. & 38. & in cap. præſenti v. 12. & 25. maximè c. 24. v. 13. hac enim de cauſa, quærebat ſemper quid eſſet loquendum: quia volebat loqui id quod ſibi diceretur, tametſi optaret fore maledictionem. Vnde etiam accuratè executus eſt, quod ei Angelus ſuggeſſit, Deo ſcilicet mentem eius per prophetiam illuſtrante, imò animum ſimul quoque piis deſideriis pulſante, vt ex animo & voluntate diceret: Moriatur anima mea morte iuſtorum; quamuis mox vt illa prophetiæ illuſtratio ceſſaſſet, animus in habitualem & impiam voluntatem reſiliret, vt clarè patet c. 24. v. 13. & 14. vbi ſimul conſtat eum habuiſſe extra tempus prophetandi voluntatem loquendi id tantùm quod Deus ſuggereret, & tamen ſimul fuiſſe à iuſtitia auerſiſſimam: inſtar ſcilicet malorum Chriſtianorum qui cócionantur veritatem quam Deus præſcribit ex animo, & tamen ab ipſa eadem veritate quam prædicant, per malos mores & voluntatem auerſi ſunt.

9. De svmmis silicibvs, id eſt, de rupibus & montibus in quibus conſiſto, contemplabor Iſraelem. Popvlvs solvs habitabit, ſeparatus ab omni gentium alienarum conſortio, & conſequenter ab earum legibus, moribus, religione, idololatria. Et ideo inter gentes non repvtabitvr, id eſt, non cenſebitur inter gentiles, tamquam populus eximiis donis & priuilegiis ab omnibus aliis ſegregatus.

10. Qvis dinvmerare possit pvlverem Iacob? id eſt, Iacob inſtar pulueris multiplicatum, vt explicat hemiſtichium ſequens more Hebræis familiari. Alludit autem hîc Deus ad promiſſionem quam fecerat Abrahæ Geneſ. 13. v. 16 Porrò rangitur in hac prima prophetia ſtatus illius populi, quem tunc tempore Balaam obtinebat.

Moriatvr anima mea morte ivstorvm, Iſraëlitarum ſcilicet Deum verum colentium: nam ad illos reſpicit. Per animam autem intelligitur ſynechdochicè homo, vel certè, vt ſæpè fit in Scripturis ipſa vita temporalis quæ per ſeparationem animæ à corpore extinguitur.

Balaamo ſimiles ſunt qui inter Chriſtianos malè viuunt; promiſſa enim cœleſtia petitionibus ſequuntur, operibus fugiunt. Fletus in oratione percipiunt, & tamen expletis precibus cùm vitiorum ſuggeſtione pulſantur, nequaquam ſe fleuiſſe meminerunt, vt latiùs & pulchrè explicat D. Greg. lib. 33. Moralium cap. 21. aliàs 27. & tertia parte Paſtoralis admonit. 31. & Homil. 15. in Euangelia.

13. Veni mecvm in altervm locvm. Putabat enim, vt ſuperſtitioſi ſolent, benedictionem illam contigiſſe vel ex aliqua loci infauſti circumſtantia, vel certo cœli aſpectu & influentia, vel ex ſiniſtro omnium caſtrorum vel ipſius tabernaculi intuitu: ſed Balaam veram benedictionis cauſam ſignificans eſſe abſolutiſſimum diuinæ beneuolentiæ decretum, ait:

19. Non est Devs, qui eſt cauſa benedictionis meæ, qvasi homo vt mentiatvr, promittendo ſcil. mendaciter benedictionem quam præſtare non poſſit: nec vt filivs hominis vt mvtetvr, pœnitendo ſcilicet de promiſſa ſemel & ſeriò benedictione. Dixit ergo et non faciet, &c. id eſt, omnino impleturus eſt quidquid pro-

miſerit. Remouet ergo tres cauſas quibus inter homines promiſſio caret effectu, mendacium in promittendo, pœnitentiam promiſſi, & impotentiam præſtandi. Ratio autem tantæ fœlicitatis Iſraëlis eſt.

21. NON EST IDOLVM IN IACOB, id eſt, quia verum Deum velut Regem ſuum colunt, qui in bellis omnibus eos ita victores faciet, vt iam mihi videar clangorem victoriæ regis iſtius audire. Reſpicit enim ad tubas illas argenteas quibus c. 10. verſ. 9. iuſſit Deus in bello clangi. Vnde etiam eodem nomine, quod tantarizationem bellicam ſignificat, hîc vtitur. Loquitur autem de publico idolorum cultu ex Reipublicæ iſtius legibus prohibito, quidquid tandem priuatim à multis fieret, iuxta verba Sancti Stephani Actor. 7. v. 43. Mox autem exemplum & cauſam victoriæ ſimul tangit, nam

22. DEVS EDVXIT ILLVM DE ÆGYPTO, edomitis & proſtratis omnibus inimicis eius. CVIVS FORTITVDO SIMILIS EST RINOCEROTIS. LXX. legunt monocerotem, quomodo etiam vertitur Pſal. 21. v. 22. alibi tamen ſæpius Rinoceros. Inter quos differentia eſt, quòd Rinoceros cornu vnicum recuruum in naribus gerat, vt etiam nomen præ ſe fert; monoceros in fronte. Rinoceros eſt hoſtis Elephanti, cornu ad ſaxa limato præparat ſe ad pugnam, in dimicando aluum maximè petens quàm ſcit eſſe molliorem, longitudo ei penè par, crura multo breuiora, color buxeus, vt deſcribitur à Plinio. Monoceros verò ita deſcribitur, vt ſit fera aſperrima, reliquo corpore equo ſimilis, capite ceruo, pedibus Elephanto, cauda apro, mugitu graui; vno cornu nigro media fronte cubitorum duûm eminente. Quamquam putent nonnulli nullum penitus monocerotem nunc reperiri, ſpeciemque prorſus extinctam eſſe. Vtrouis modo legatur, ſignificatur Deum eſſe fortiſſimum & irritatum inimicis ſuis eſſe terribilem. Porrò quemadmodum laudauit populum ex eo quòd careret idolis ſeu falſis diis, ita nunc quòd omnibus illicitis diuinandi ſeu futura indagandi modis.

23. NON EST AVGVRIVM IN IACOB. Sub quibus omnis futurorum curioſa & diabolica perſcrutatio comprehenditur. Vnde etiam TEMPORIBVS SVIS, diuino ſcil. conſilio diſpoſitis, DICETVR IACOB ET ISRAELI per veros Prophetas quos eis Deus ſuſcitaturus eſt, QVID OPERATVS SIT DEVS, id eſt, quid operaturus ſit, nempe ea quę verſu 24. ſequuntur. Vel ſi de præterito acceperimus, ſenſus eſt, quòd victoriæ quas Deus illi populo præſtitit, vel etiam præſtiturus eſt, in perpetuum inter Iſraëlitas decantandæ ſint.

24. ECCE POPVLVS VT LEÆNA CONSVRGET, quæ leone eſt terribilior quando lactat catulos. Significatur autem his metaphoris ferocia in ſubigendis hoſtibus, de quo vide dicta Geneſ. 49. v. 9. NON ACCVBABIT, id eſt, non ceſſabit aut ſe quieti dabit à proſequenda hoſtium Chananæorum ſtrage, DONEC DEVORET PRÆDAM, ſubiectâ ſibi totâ terrâ atque edomitis ſubactiſque penitus hoſtibus, ET OCCISORVM SANGVINEM BIBAT, vt ſolent leones deuictis aduerſariis. Itaque ſymbolis iſtis allegoricis tantum ſignificatur, non ante ceſſaturos Iſraëlitas ab hoſtibus perſequendis, quoad eos pleniſſimâ victoriâ ſibi ſubiecerint. In hac itaque ſecunda prophetia tangitur alius ſtatus populi Iudaïci, quo Palæſtinã armis expugnauit, vſque ad quietam poſſeſſionem eius.

CAPVT XXIV.

1. CVMQVE VIDISSET BALAAM, nempe tot experientiis iam edoctus. Non enim opus fuit ad hoc cognoſcendum alia noua Dei illuſtratione. Nam illam non affuiſſe ſuadet id quod poſtea quàm hoc vidiſſet dicitur; Spiritus Dei in illum irruiſſe: quo ſignificatur, Spiritum prophetię in illum irruiſſe ſeu veniſſe, id eſt, Spiritum ſanctum lumen prophetandi ei infudiſſe. Non enim Spiritus hîc ſignificat ipſum lumen infuſum, ſed Spiritum infundentem: prout Aug. huiuſmodi locutiones explicare ſolet.

3. DIXIT HOMO CVIVS OBTVRATVS EST OCVLVS, corporalis ſcilicet per ſomnum vel alienationem à ſenſibus, eò quòd Deus per ſomnum ei locutus ſit cap. 22. verſ. 8. & 20. vt Origenes putat; vel quia ſic reuelationes dęmonis accipere ſolebat, vt vult Lyranus. Et ita eodem modo ſequens hemi-

ſtichium intelligunt, *qui cadit* ſcilicet in ſomnum vel alienationem a ſenſibus: ſed Balaam non ad præteritas reuelationes, ſed ad præſentem ſtatum ſuum videtur reſpicere. Significat ergo ſe viſiones iſtas ac reuelationes Dei videre ac prophetare *oculo obturato*, id eſt, animo excœcato quia in malitia perdurante: eò quòd maneret auerſus à veritate, quam oculis mentis videbat, & ita *cadit* per malitiam voluntatis, *& ſic aperiuntur oculi eius*. Nam eius mentem prophetia ad cœleſtia erigebat, & auaritia in terra retinebat, ait Gregor. l. 27. Moral. c. 20. aliàs 23. obturatio ergo oculi eſt animi excœcatio, quæ ſæpe non aufert homini ſpeculatiuam veritatis cognitionem, ſed practicam, id eſt, dilectionem eius; aliud enim ſcientia, aliud motibus agit, aliud ore, aliud opere oſtendit; myſteria cœleſtia agnoſcit, ſed errorem non corrigit.

5. QVAM PVLCHRA TABERNACVLA TVA IACOB! In hac quarta propheria tangit ſtatum Iudæorum tempore pacificæ habitationis Chananææ ſub Iudicibus ac Regibus. Quadruplici autem comparatione celebrat tabernacula Iacob, primò comparando ea vallibus numeroſis, quæ ſicut virore pulcherrimæ ſunt, ita & vmbra gratiſſimæ, ſecundò *hortis iuxta fluuios irriguis*, quia perpetua irrigatione virorem in æſtu conſeruant, herbis fructibuſque luxuriantur, cui comparationi ſimilis eſt quarta *Cedris prope aquas* plantatis, quia nutrimenti abundantia proceriſſimæ fiunt, de qua comparatione latiùs vide Pſal. 1 v. 3. denique tertio *tabernaculis quæ fixit Dominus*, id eſt, firmiſſimis & omni genere bonorum plenis: quæ comparatio eſt complexio omnium cæterarum & cauſa.

7. FLVET AQVA DE SITVLA EIVS, id eſt, copioſa poſteritas inſtar aquarum propagabitur de Iſraël, vt ſitula parentes ſignificet, aqua liberos. Nam explicans allegoriam adicit, ET SEMEN ILLIVS, id eſt, poſteritas Iſraëlis ERIT IN AQVAS MVLTAS, id eſt, creſcet in populos numeroſiſſimos. Sic enim Apocal. 17 v. 15. aquæ in viſione oſtenſæ dicuntur eſſe populi & gentes, & linguæ: ſimile eſt Iſaiæ 48. v. 1.

TOLLETVR PROPTER AGAG REX EIVS, quia Saül Rex Iſraëlis cùm pepercisſet deuicto regi Agag, regno deiectus eſt, vt traditur 1. Reg. 15. v. 9. & 23, Chald. vertit, *exaltabitur præ Agag rex eius*, quem ſenſum & Hebræa patiuntur, & ex dictis manifeſtus eſt.

8. DEVORABVNT, ſcilicet Iſraëlitæ GENTES HOSTES ILLIVS, id eſt, ſuos, vel etiam illius Iſraëlis. Significantur enim hîc hoſtes ſuos omnes ſuperaturi, & inſtar leonis accubantis quem nemo irritare audet ſecurè & cum terrore omnium vicinarum gentium in Palæſtina habitaturi, & hoc litteraliter. In Hebræo totus verſus octauus & nonus eſt in numero ſingulari, vnde myſticè poſſent de Deo ſeu chriſto intelligi qui fortitudo ac tutor fuit Iſraëlis. Maximè quia ſimilia de leone accubante, in Geneſi Chriſto intelligẽda declarauimus. Et ita Procopius putat hanc prophetiam omnino reſpondere illi quæ de Chriſto Gen. 49. v. 8. & 9. explicata fuit.

14. VERVMTAMEN, &c. DABO TIBI CONSILIVM, &c. id eſt, quamuis propherando vel maledicendo non poſſim tibi, aliud loqui, niſi quod Deus mihi præceperit, diſceſſurus tamen in patriam meam, ſuggeram tibi quomodo ſe populus tuus cum Iſraëlitis gerere debeat.

EXTREMO TEMPORE, id eſt, tandem ſiue poſthac. Conſilium iſtud explicatur Apoc. 2. v. 14. & indicatur infrà c. 31. v. 16. videlicet vt ſubornatæ mulieres pellicerent Iſraëlitas ad complexus ſuos, quibus iam implicati ne fraudarentur vlteriùs eos ad ſpiritaliter fornicandum, id eſt, ad comedendum de ſacrificiis Beelphegor & ad adorandum Deos ſuos pertraherent. Sic enim iudicabat præſidium Dei ab eis auferendum, & à Balac eſſe ſuperandos. Ita conformiter ad Scripturas illas explicat hoc conſilium latè Ioſephus 4. Antiq. cap. 6. & breuiter tangit Auguſt. q. 63. Ex quo patet improbitas Balaam qui ſiue vanitate, ne falſus propheta haberetur, ſiue timore minarum, ne à Deo puniretur, profitetur verſu 13. ſe non poſſe præterire ſermonem Dei ſui, & tamen mox eodem momento non veretur amore munerum contra legem Dei impiiſſimum illud conſilium dare.

17. VIDEBO

17. Videbo evm sed non modo. Hæc eſt quarta prophetia, in qua tangit ea quæ ſpectant ad Iudæos ratione Chriſti Domini ex eis naſcituri. Videbo ergo eum, Iſraëlem, inquiunt quidam: ſed rectiùs intelligas, omnipotentem illum Deum, de quo præceſſit, & mox ſequitur; illum enim vidit non oculis ſuis, ſed poſterorum vel ſucceſſorum ſuorum, ſeu generis humani in cuius perſona loquitur, idque in terris conuerſantem: quod tempus quia diſtabat multum ideo ait: Videbo eum *non modo & non prope*. Nam orietvr stella ex Iacob. Ab Hebræis hæc ferè exponuntur de Dauide; quia ſubiugatio Moabitarum & Idumæorum ei conuenit, vt patet 2. Regum 8. ſed vnanimiter Chriſtiani accipiunt hæc litteraliter de Chriſto Domino. Illum enim directè ſpectant cum quadam alluſione ad typum eius Dauidem & ad geſta eius, ſicut à Prophetis fieri ſolet. De Chriſto itaque intelligunt hæc antiquiſſimus Iuſtinus Dialogo cum Tryphone, Irenæus l. 3. c. 19. Origen. ex profeſſo Homil. 22. in Numer. & poſt ipſos Euſebius, Epiph. Hieronym. & alii. Orietur ergo ex ſtirpe Iacob *ſtella*, Meſſias ſcilicet, qui vt Origenes, dicitur virga, vel vt ſeptuaginta legunt, homo, propter naturam humanam atque terrenam; ſtella verò propter diuinam & cœleſtem: ratione cuius ei competit quod homo natus noctem ignorantiæ & infidelitatis, & peccati humani generis illuſtrauit, pulſiſque mortalitatis tenebris inſtar Luciferi reſurrectione ſua perfectum æternitatis & beatitudinis omnium Sanctorum diem præceſſit. Stellam verò quàm ſolem vocare maluit, vt daret indicium aliquod natiuitatis eius quę per ſtellam ſignificanda erat Magis. Vnde Matth. 2. vocatur *ſtella eius*. Nam ex hoc Balaam vaticinio quod in Arabia editum fuit, & tum ibi, tum in Chaldæa, ſeu Meſopotamia vbi Balaam habitabat celeberrima traditione conſeruatũ fuit, Magos fuiſſe excitatos ad quærendum regem illum ſtellæ apparitione ſignificatum notat Orig. ibid. & plerique poſt ipſum.

Et consvrget virga de Israel. Hebraïcè, *ſchenet*, quod non virgam naſcentem, aut germinantem, ſed ſceptrum ſignificat, quod eſt inſigne poteſtatis regiæ. Itaque metonymicè ſignificatur princeps, ac dominator naſciturus ex Iſraël, idem ſcilicet Meſſias. Et percvtiet dvces Moab. Subiugando Moabitas imperio & iugo fidei ſuæ, ita vt eum tamquam regem agnoſcant, ſequantur & colant. Percuſſio autem iſta, & vaſtatio, & occiſo, & ſimilia quando Chriſto tribuuntur, non ſemper intelligenda ſunt corporaliter; ſed ſæpè ſpiritaliter, quia vitiis occiſis nouos homines facit: quo ſenſu dicitur Petro gentes conuerſuro. *Macta & manduca*. Nam non eſſe hæc intelligenda de extremo die iudicii patet ex eo quod mox ſequatur de Idumæa à Chriſto poſſidenda, ſcilicet poſt vaſtationem illam ante diem iudicii. Vastabitqve omnes filios Seth, id eſt, vniuerſum genus humanum à diabolo auferendo deprædabitur & ſibi ſubiiciet: omnes enim poſt diluuium ex Seth ſunt propagati. Ex quo manifeſtum eſt non poſſe iſta Dauidi conuenire cui numquam totus orbis ſubiectus fuit. Hinc

18. Idvmæa, quę Iſraëlitis ſemper maximè infeſta fuit, erit possessro eivs, quia etiam acerbiſſimi Chriſti hoſtes eius nomini & fidei ſubdentur, quod idem ſequenti hemiſtichio, more Hebræis familiari repetit.

Hæreditas Seir, id eſt, Eſaü, quæ eſt eadem illa Idumæa, cedet inimicis svis, Meſſiæ & prædicatoribus eius, quos velut inimicos auerſabantur. Vbi ſimul alludit ad odium quo Eſaü Iacobum & Idumæi Iſraëlitas proſequebantur, vt indiet à maiori, multò magis cæteras gentes Chriſto eſſe ſubiugandas. Iſraël verò non carnalis, ſed ſpiritalis; id eſt, Chriſtus & fili eius, fortiter aget orbem totum ſibi paulatim per fidem ſubiugando.

19. De Iacob enim naſciturus eſt, qvi dominetvr toti orbi, et perdat reliqvias civitatis, ſiue Romæ & Romani imperii, quæ totius idololatriæ in aduentu Meſſię caput fuerunt, ſiue totius ciuitatis diaboli; *cuius reliquias* quę in nouiſſimo iudicio Chriſto ſubditę non fuerint, æterna damnatione perditurus eſt.

20. Principivm gentivm Amalec

Hinc itaque tranſit Propheta ad alias gentes quarum principium dicitur Amelec, non omnium, quia ante Amalec, qui ex Eliphaz filio Eſaü natus eſt, fuerunt gentes, ſed gentium cum Iſraële bellantium, quia primi Iſraëlitas ex Ægypto exeuntes bello laceſſiuerunt. Vnde Chaldæus vertit: Principium bellorum Iſraël fuit Amalec, CVIVS EXTREMA PERDENTVR, quia tota penè gens tempore Saülis exciſa fuit 1. Reg. 15.

21. VIDIT QVOQVE CINÆVM. Cinæi habitauerunt in deſerto Arabiæ iuxta Amalecitas, ex quibus ortus Iethro ſocer Moyſis, qui inde Cinæus & eius poſteri Cinæi dicti ſunt. Vidit illos Balaam inter Iſraëlitas habitantes, quia Iobab filius Iethro cum eis aſcenderat. ROBVSTVM QVIDEM EST HABITACVLVM TVVM, quia partim in tribu Iuda habitabis quæ fortiſſima fuit, vt Iudic. 1. verſ. 16. partim in tribu Nephthali, iuxta vrbem Cedes, Iudic. 4. v. 11. SED SI IN PETRA POSVERIS NIDVM TVVM, id eſt, etiam ſi poſueris, vt ibi tutiſſimè habites. Alludit pulchrè ad nomen Cinæi, quia *Chin*, ſignificat nidum, ET FVERIS ELECTVS DE STIRPE CIN, quia præ cęteris Cinæis inter Amelecitas habitantibus poſteri Iethro à Deo electi fuerunt, vt in terra promiſſa cum Iſraëlitis habitarent.

QVAMDIV POTERIS PERMANERE, id eſt, non poteris in perpetuum permanere. ASSVR ENIM CAPIET TE. Quia illi qui receſſerant in tribum Nephthali, ab Aſſyriis tranſlati ſunt vnà cum decem tribubus; reliqui poſtea cum tribu Iuda à Chaldæis.

23. HEV QVIS VICTVRVS EST, &c. noua prophetia pertinens ad ſequentia, & ad ſtatum populi Iudaïci, quintum poſt aduentum ſcilicet Chriſti in fine, in qua deplorat calamitatum futurarum acerbitatem. Vnde Hebraïcè eſt. *va*. quaſi eheu, cui libeat viuere, cùm ea quæ video, futura ſunt?

24. VENIENT IN TRIERIBVS, id eſt, in triremibus, ſeu nauibus, DE ITALIA. Hebræus *Cittin* quod Cyprum & conſequenter omnes inſulas maris mediterranei terraſque mari iſti adiacentes Græciam & Italiam ſignificat. De quo vide dicta Gen. 10. verſu 4. Hinc aliqui intelligunt hęc de Alexandro Magno, ſeu Græcis qui ſuperauerunt Aſſyrios. Noſter & Chaldæus de Romanis, qui afflixerunt, vt Hebræus legit, Aſſyrios. Nam Parthos aliquoties per Ventidium Antonij Triumuiri legatum ſuperauerunt.

VASTABVNTQVE HEBRÆOS, primò per Pompeium, deinde per Titum & Veſpaſianum deletâ Ieroſolymâ totam gentem transferendo. Poſſent per Cittin vtrique intelligi tam Græci quàm Romani, vt ſuperatio Aſſyriorum tribuatur Græcis, vaſtatio Hebræorum Romanis. ET AD EXTREMVM ETIAM IPSI, ſiue Græci, ſiue Romani, PERIBVNT, quia illi per Romanos ſubacti ſunt, Romanorum imperium per Gothos valdè labefactatum eſt, bellis inteſtinis diſſipatum, defectione gentium dilaceratum, ac tandem, ſub Antichriſti tempora penitus delendum eſt. Totius capitis iſtius allegoriam fusè & eruditè proſequitur Origenes Homil. 17. & 18. & 19. in Numeros.

CAPVT XXV.

1. MORABATVR ISRAEL IN SETTIM. Locus eſt campeſtribus Moab ſupra Iordanem contra Iericho. Eſt enim vltima manſio Hebræorum vltra Iordanem, vocaturque Num. 33. verſ. 49. Abelſatim, Hebraïcè, *Abelſettim*, id eſt, luctus ſettim propter fornicationem & idololatriam ibi vindicatam. Vnde ex illa manſione miſſi ſunt exploratores in Iericho & Iordanis tranſuadatus eſt, Ioſue 2. v. 1.

ET FORNICATVS EST POPVLVS CVM FILIABVS MOAB, & Madian, vt patet infra. Factum eſt hoc ex conſilio Balaam, vt ſuprà diximus. Subornarunt enim filias ſuas Moabitę, vt ſpecie & blanditiis in amorem & inde vlteriùs in idololatriam pertraherent, vt ita populus Dei præſidio nudatus facilè Moabitis in bello ſuccumberet, vt notat Theod. q. 45. Significatur itaque hic primus peccati gradus, nempe fornicatio, quæ velut medium adhibita fuit: &

2. VOCAVERVNT EOS AD SACRIFICIA SVA. Cùm iam amoribus & complexibus earum eſſent irretici & animos virorum fœminæ poſſiderēt. Hic eſt ſecūdus gradus, vt idolothyta comedēdo de ſacrilegio participarēt.

At illi comederunt, nempe quæ diis earum immolata fuerant, et adoraverunt deos earum, hic eſt tertius gradus, expreſſa idolorum adoratio.

3. Initiatusque Israel Beelphegor, certo ſcilicet ritu ſe conſecrando cultui Beelphegor. Hic eſt quartus & perfectiſſimus idololatriæ gradus. Beelphegor autem, vt tradit Hieronym. in verſ. 10. c. 9. Oſee, & in fine cap. 25. Iſaiæ vocatur Latinis Priapus qui gentilibus erat Deus turpitudinis. Eundem etiam vocari Chamos, quod idolum fuit Moabitarum notiſſimum tradit in verſ. 2. cap. 15. Iſaiæ. Ritus colendi Priapi recenſentur ab Herodoto in Euterpe & aliis; conſiſtebat enim in luxu, comeſſationibus, & omnis diſciplinæ & honeſtatis diſſolutione. Vnde & ſacerdotes eius erant effœminati, itemque fœminæ, inter quas Maacha mater Aza regis Iuda princeps fuit, vt traditur 3. Reg. 15. verſu 13. & explicat Hieronym. in cap. 4. Oſee v. 14.

4. Tolle cunctos principes. An occidendos, an congregandos velut Iudices, vt alios punirent reos? prior ſenſus videtur obuius, quem ſecutus videtur Aug. q. 52. & Theod. q. 45. eò quòd malum à populo, inquit, non depulerint: alii tamen malunt ſequi ſecundum quem expreſſit Chaldæus, eò quòd vix videatur veriſimile omnes principes fuiſſe reos; Ergo

Suspende eos, qui ſcilicet per principes inuenti fuerint participes ſceleris, contra solem, id eſt, ad ſolem, ſeu palam in exemplum omnium peccantium. Vt avertatur furor meus ab Israel. Impunitas enim criminum prouocat iram Dei in totam Remp. diſſimulantem, pœna placeat, quia hoc exequitur, quod Deus deſtinauit crimínoſo.

Dixitque ad Iudices Israel, quos v. 4. vocauerit Principes, ſeu capita populi, vt eſt Hebraïcè, quia inſtar capitis eum regunt. Ex quo patet principes illos ſuprà à Deo tolli iuſſos, non vt ſuſpenderentur, ſed vt officio fungerentur in diſcernendis & puniendis reis.

Occidat vnusquisque proximos suos, id eſt, homines ſuæ tribus, ſeu ſuæ iuriſdictioni ſubiectos. Hebraïcè enim eſt, viros ſuos: occidat autem ſupplicio ſuprà indicato, nempe publico ſuſpendio. Ex quo colligitur rem actam fuiſſe per Iudices, & via iudicii per teſtes conuincendo reos, initiationis Beelphegor, ſeu idololatriæ.

8. Cessavitque plaga a filiis Israel. Hinc patet pœnam peculiarem à Deo immiſſam fuiſſe populo qua multi occiderentur, ſiue peſtis fuerit, ſiue ignis, ſiue alia plaga. Hæc per zelum Phinees cohibita fuit, vt indicatur v. 11. & Pſalm. 105. v. 30. cùm iam occiſa eſſent *viginti quatuor millia hominum*, partim per illam plagam, partim per ſuſpendium. Videtur plaga iſta maximè ſæuiiſſe in tribum Simeon ex qua erat iſte Zambri. Nam ex cap. ſeq. v. 14. conſtat nullam tribum fuiſſe ita diminutã numero virorum poſt primam numerationem, atque Simeonis. Deſiderati enim ſunt in ſecunda numeratione 37. millia ex illa ſola tribu: caſtrametabatur enim ad meridiem, id eſt, verſus terram Moabitarum & Madian.

12. Ecce do ei pacem foederis, id eſt, pacificum & ſtabile fœdus meum, de ſacerdotio in ipſo & eius familia perpetuando. Nam quamuis ipſe eſſet iure hæres ſacerdotii, poterat tamen ſine liberis mori, itemque poterat ſacerdotium ſummum ad familiam Ithamar patrui ſui mox transferri: quo modo reipſa poſtea tranſlatum fuit. Nam Heli cum ſucceſſoribus erat ex familia Ithamar, vt indicatur 1. Paral. 24. v. 3.

Quomodo igitur, inquies, vera fuit hęc promiſſio Dei facta Phinees? Reſp. in huiuſmodi promiſſionibus, ſemper intelligi conditionem, niſi delicta poſterorum aliud poſtulauerint. Sic enim ſimili planè modo fuit perpetuitas ſacerdotii promiſſa Heli, & tamen propter peccata liberorum reuocatur 1. Reg. 2. v. 3. vnde 3. Reg. 2. v. 27. & 35. Abiathar ex Heli poſteris deiicitur ſacerdotio & Sadoc de poſteris Phinees reſtituitur.

13. Et expiavit scelus filiorum Israel, non peccata eorum auferendo, ſed pœnam, quia iſta exemplari occaſione ſceleratí Zambri vindicauit facinus, & ita expiauit quodammodo Rempublicam, ne illam Deus puniret. Hinc enim dicitur v. 11.

Zelo meo commotus eſt, id eſt, non tantum zelo honoris mei, ſed etiam eo zelo quo ego exarſiſſem ad puniendum omnes tam peccantes quàm negligentes punitionem.

17. Hostes vos sentiant Madianitæ. Moabitas ſimiliter reos tacitè excipit, propter merita ſcilicet, vnde etiam Deut. 20. v.9. expreſsè iuſſi fuerant aduerſus Moabitas non pugnare, forſan & mulieres maximè fuerant Madianitides. Nam Madianitæ deceperunt Iſraëlitas potiſſimum per Cozbi sororem svam, id eſt, gentilem ſuam, ſeu eiuſdem gentis & ſanguinis. Myſticum ſenſum totius capitis videre licet apud Origen. tota Homil. 20. in Numeros, *dabis*, &c. Indicat igitur cauſam numerationis iſtius tertiæ, quæ quia non ſpectat tribum Leui, quia ſorte caruit, ideò magis perfunctoriè numerantur eius familiæ: tantùm enim ponuntur quinque eius præcipuæ, cùm multò plures colligi videantur ex 1. Paralipom. 23. & Exod. 6. Notat autem hîc myſterium Orig. Homil. 21. initio, in hac iterata numeratione populi. Reprobatur enim, inquit, prior populus, qui eſt in circumciſione, & introducitur in terram ſecundus, qui congregatur ex gentibus incircumciſis, & iſte eſt qui hęreditatem ſequitur paternam: qui enim hîc numerantur, non fuerunt in deſerto circumciſi.

Capvt XXVI.

2. Nvmerate omnem svmmam. Fuit iſte tertius cenſus filiorum Iſraël, in quo mortuis omnibus rebellibus in deſerto, numerantur filii eorum, alii à præcedentibus, idq; a viginti annis et svpra, qui ſcilicet ad bellum iam cum Chananæis gerendum eſſet idonei. Inſtitutus autem fuit, vt ſciretur quibus terra eſſet diuidenda, & quanta pars cuique tribuenda.

10. Et factvm est grande miracvlvm, nempe quia terra dehiſcente, filii Core eò quòd patri non conſentirent, à Deo miraculosè conſeruati ſunt, ſiue quod penduli in aëre hærerent, donec terra clauderetur, ſiue quòd diuinitùs inde amouerentur.

12. Filii Simeon. Omittitur hîc Aſod ſextus filius Simeonis, qui Gen. 46. v. 10. & Exod. 6. v. 15. annumeratur, videtur ergò, vel ſine liberis mortuus non conſtituiſſe familiam, vel certè eius familia poſtea interiiſſe, ſimile quid videre licet infrà in Benjamin, cuius in Geneſi numerantur decem filii, hîc ſolùm quinque. Cur tantopere poſt primam enumerationem imminutus fuerit numerus tribus Simeonis, diximus cap. præcedenti.

53. Istis dividetvr terra ivxta nvmervm vocabvlorvm, id eſt, iuxta numerum hominum diſtinctis vocabulis, ſeu nominibus vocatorum: idem enim ſignificat quod verſu ſeq. *Pluribus maiorem partem*

Capvt XXVII.

3. In peccato svo mortvvs est, quo ſcilicet cum reliquis murmurauerat, quaſi dicerent; non eſt percuſſus à Deo vt Core propter peculiare aliquod facinus, quod priuationem hæreditatis mereatur: cùm cæteri, qui ſimiliter vt ille murmurauerunt, hæreditatem tamen in Palæſtina adituri ſint.

Cvr ergo tollitvr, prę cæteris eiuſdem delicti reis, nomen eivs de familia sva, qvia non habvit filivm? priuando ſcilicet nos filias eius paterna hæreditate, quam ipſe adire debuiſſet. Nam cuius hæreditatem, eius quoque nomen & familiam ſequebantur filij. Volunt igitur vt aſſignata ſibi portione hæreditatis, filii aliqui ſui denominentur ab auo materno filij Salphaad: ſi enim caruiſſent hæ filiæ Salphaad hæreditate paterna, ſed cum ſola dote pecuniaria, ſeu rerum mobilium (quæ cui vellent filiorum aut filiarum à parentibus dari poterant) nupſiſſent maritis, iam filii ex eis nati debebant ſequi nomen & familiam maritorũ, non aui paterni Salphaad aut familiam eius. Nam Hebræos filiæ habentes fratres nullam accipiebãt portionem hæreditatis rerum immobilium, neque cõſequenter propagare poterãt nomen & familiam paternam, vt ex hoc loco ſatis colligitur: quod ſi fratribus caterent, iam ſuccedebant in ius ſuum, etiam quantùm ad propagationem paterni nominis & familiæ.

11. DABITVR HÆREDITAS HIS QVI PROXIMI SVNT, v. g. filiis patruorum, ſi, qui fuerint, vel ſi deſint, vlterius aſcendendum erat ad auum, & ad fratres eius, ſed ſi quis ſuccederet in maternam hæreditatem, & familiam, iam deficientibus liberis, cognati omnes non patris, ſed matris debebant ſuccedere, quia hæreditas inde venerat. Quid hæc de filiabus Salphaad myſticè ſignificent, proſequitur Orig. Homil. 22.

12. ASCENDE IN MONTEM ISTVM ABARIM. Vocatur Nebo, & vertex eius Phaſga. ET CONTEMPLARE INDE TERRAM. Datum eſt hoc Moyſi in ſolatium aliquod denegati introitus quando eum obnixè à Deo poſtulabat, vt patet Deuteron. 3. v. 25. & ſeqq. vnde cum iuſſus eſſet à Deo nequaquam vltra loqui hac de re, conuertit ſe ad poſtulandum ſucceſſorem, qui terram illam intraret.

16. PROVIDEAT DOMINVS DEVS SPIRITVVM, ſeu animorum omnium hominum creator & pater, vt Apoſtolus ad Hebræos 12. v. 9. Vtitur hoc epitheto ad indicandum, quod omnium ſpiritus, & corda quæ creauit penetrans, perſpectiſſimum habeat quis maximè ſit idoneus, vt præſit populo.

17. ET POSSIT EXIRE ET INTRARE ANTE EOS, id eſt, eos regere. Eſt enim ſimilitudo à paſtoribus tranſlata, qui præcedunt oues, vtitur eâ & Chriſtus Ioannis 10. v. 4. ET EDVCERE EOS, ad bellum ſcilicet, VEL INTRODVCERE, domum ex bellis reducendo; explicat enim effectus eius quod ante dixerat; exire & intrare ante eos, vt ita ſcilicet ſit in omnibus laboribus primus non vltimus. Vbi multùm admiranda eſt ſicut admiratur Theodoret. quæſt. 48. & imitanda Moyſis integritas; ſicut grauiter inculcat Orig. Hom. 22. in Num. quod non de filiis in principatum ſubſtituendis cogitauerit, quemadmodum in Aarone factum viderat, ſed virum, *ſpiritu Dei*, id eſt, prudentia & virtutibus plenum à Deo ipſo, diuino iudicio deſignari petit, vt diſceremus, inquit, Hieronymus in cap. 1. ad Titum, has dignitates non deferendas eſſe ſanguini, ſed vitæ. Iubetur itaque ſuper Ioſue, *ponere manum*, vt illâ ceremoniâ inſtituatur dux populi, & ſignificetur authoritas principatus cælitus per Moyſem in eum deriuari. Hinc enim eadem ceremonia in conferenda ſpirituali poteſtate miniſtris Eccleſiæ adhibetur.

20. ET DABIS EI PRÆCEPTA, inſtituendo eum de modo gubernandi populum, de religione, de cultu Dei, ET PARTEM GLORIÆ TVÆ, non ſplendorem in vultu, vt aliqui Hebræi volunt, ſed authoritatem regendi: hæc enim erat pars gloriæ Moyſis; altera pars erat Pontificatus, quo extra ordinem ſæpè functus eſt, quem non tranſtulit in Ioſue: hanc ergo authoritatem iubetur ei coram omnibus tradere, VT AVDIAT EVM OMNIS SYNAGOGA, vtpote videns eum diuinitùs, & ipſo Moyſe volente, & agente principem conſtitui.

21. PRO HOC ELEAZAR CONSVLET DOMINVM, nempe *in iudicio Vrim coram Domino*, vt eſt Hebraïcè, id eſt, indutus Pontificalibus ornamentis Ephod & rationali, conſulet oraculum Dei, de rebus dubiis, vt alibi dictum eſt. AD VERBVM EIVS INGREDIETVR. Illud (*eius*) iuxta politicos refert Ioſue, vt ita Pontificatum ſubiiciant directioni Principum ſæcularium. Sed ſi Eleazar conſulere debet Dominum, vt ſciat Ioſue quid ſibi agendum ſit, & hoc verbum Domini Eleazar referre debet ad Ioſue, profecto manifeſtum eſt, illud (*eius*) referri ab Eleazarum, vt ſenſus ſit, ad verbum Eleazari, quod ei à Deo conſulto reſponſum eſt, EGREDIETVR, &c. id eſt, aget quod agendum fuerit Ioſue, & filii Iſraël. Nam Ioſue & Iudices, & Reges caruerunt illa duplici poteſtate principali & pontificali, qua Moyſes præditus fuit, vt in Saüle præuaricante mandatum Samuelis manifeſtum fuit.

CAPVT XXVIII.

2. OBLATIONEM MEAM ET PANES. Illud (&) exegeticum eſt, hoc ſenſu: oblationes meas, videlicet, panes, ſeu ſacrificia farrea & INCENSVM, id eſt, hoſtias quæ cremantur, & incenduntur mihi in altari ſtatis temporibus offeretis. Illa enim duo genera ſacrificiorum hoc toto capite explicantur, & in ſingulis feſtis repetuntur;

obſeruandum eſt enim incenſum paſſim hoc & ſeq. cap. vocari, non thuris aut thymiamatis oblationem, ſed victimas incenſas: & ſacrificium, vt ſæpè monui, ponitur ſæpè pro mincha, ſeu ſacrificio farinaceo, nomen generale ſpeciei adaptando.

3. Agnos annicvlos, &c. deſcribitur hic *holocauſtum ſempiternum*, id eſt, iuge ſage ſacrificium, quod quotidie offerebatur ante omnia alia mane, & poſt omnia veſpere, conſiſtebat in duobus agnis propriè dictis non hœdis, hoc eſt enim Hebraïcè *chenes*, annicvlis, id eſt, qui non excederent annum, etſi non eſſent niſi octo dierum, tunc enim ex lege Exod. 22. v. 30. offerri poterant Deo. Addere debebant per modum minchæ,

5. Decimam partem Ephi, id eſt, vnum gomor, ſeu vt Ioſephus vocare ſolet Aſaronem farinæ, quæ quanta ſit, dictum eſt Exod. 16. conſperſa autem, ſeu ſubacta erat farina quarta parte hin olei, per modum libaminis addebant tantumdem vini, id eſt, quartam partem hin, quam continere volunt circiter 39. aut 40. vncias vini, vt ſuprà dictum: quæ quidem omnia non conſumebantur ipſa oblatione, vel effuſione; ſed pugillus tantum, farinę cremabatur, & pauxillum vini victimæ & minchæ ſuperfundebatur, reliquum cedebat ſacerdotibus.

Significatur iſto iugi ſacrificio perpetuitas orationis offerendæ Deo, præſertim mane & veſpere tamquam principio, & fini omnium actionum noſtrarum, vt inculcat Orig. Hom. 23. in Num.

9. Die avtem sabbati offeretis dvos agnos. Intellige præter iuge ſacrificium, ita vt ſabbato offerentur agni quatuor, tres mane & vnus veſperi, Et dvas decimas in sacrificio, id eſt, per modum ſacrificij minchæ, et liba, id eſt, libamina vini, duarum ſcilicet quartarum hin, intellige ſimiliter præter alias duas decimas farinæ, & alias duas quartas hin vini quæ offerebantur cum iugi ſacrificio. Nam illud, *in holocauſtum ſempiternum*, quod habetur v. 10. itemque v. 15. ſignificat idem quod ſuper, ſeu præter iuge ſacrificium, hoc enim clarè exprimit hîc Hebræus: & noſter indicauit, v. 23. & 30. Ex quo colligas etiamſi plura feſta in eundem diem inciderent, nihil propterea de ſacrificiis ſingulorum diminutum fuiſſe, ſed oblata omnia perinde, ac ſi in diſtinctos incidiſſent dies. Ita facilè contingere poterat in feſto Paſchatis, Pentecoſtes, Neomeniæ, Tubarum, &c. omnibus autem ſemper præmittebatur iuge ſacrificium, & veſpere ſequebatur.

11. In Calendis, id eſt, in Neomeniis, ſeu Nouiluniis; à quibus incipiebat menſis Hebræorum, qui dies etſi non eſſet propriè feſtus in populo, vt Leuit. 23. diximus, peculiaria tamen ſacrificia in eo offerebantur & ſacer erat in templo, & forſan apud multos in populo ex deuotione. Celebratur autem non ad recolendum beneficium creationis vniuerſi, vt vult Lyranus, ſed potiùs diuinæ gubernationis, vt S. Thom. 1. 2. qu. 102. a. 4. ad 10. quia, inquit, hæc inferiora præcipuè variantur ſecundum motum Lunæ; non autem in plenilunio, ad euitandum idololatrarum cultum, qui tali tempore Lunæ ſacrificabant. Quod autem dicitur v. 13. offerri debere *decimam decimæ ſimilæ per agnos ſingulos*, id eſt, centeſimam partem farinæ, non eſt intelligendum reſpectu Ephi; certum eſt enim ex v. 5. adhiberi debuiſſe decimam partem Ephi agnis ſingulis, non centeſimam: ſed intelligenda eſt decima decimæ, ſeu centeſima reſpectu Cori, quia vnus Corus continet decem Ephi, ex quo fit vt decima reſpectu Ephi ſit centeſima reſpectu Cori. Eadem phraſis ſic intelligenda eſt infrà v. 21. & 29. & c. ſeq. v. 10. & 15.

15. Hircvs qvoqve pro peccatis in holocavstvm sempiternvm. Quomodo in holocauſtum, ſi pro peccatis? ſed vt ſuprà monui, illud (*in*) ex Hebræo exponendum eſt pro *ad*, ſeu *ſuper*, quaſi dicat, præter holocauſtum ſempiternum ſeu iuge, & ideo additur, cvm libamentis svis. Quia libamenta non addebantur victimis pro peccato. Erant ergò hæc libamenta iugis ſacrificij.

26. Dies etiam primitivorvm. Deſcribuntur hîc ſacrificia feſti Pentecoſtes quæ incidit expletis hebdomadibvs ſeptem, ſcilicet à ſecunda die azymorum,

vocatur dies primitiuorum, quia tunc offerebantur primitiæ frugum, ſeu duo panes ex primis frugibus iſtius anni, vt patet Leuit. 23. v. 17. Porrò ſacrificia, quæ hîc narrantur, diſtincta ſunt ab illis quæ ibi ponuntur, vt etiam ibidem monuimus.

CAPVT XXIX.

1. QVIA DIES CLANGORIS EST ET TVBARVM, ita dictus quia in eo clangebatur tubis, cauſas diximus Leuit. 23. v. 24. Offerebantur in eo triplicia ſacrificia: primò ſacrificia propria feſti tubarum, quæ exprimuntur v. 2. deinde ſacrificia Calendis omnibus communia, quæ ponuntur cap. præced. v. 11. incidebat enim hoc feſtum in Calendas menſis ſeptimi, denique ſacrificium iuge omnibus diebus commune, indicantur hæc duo verſu 6.

7. DECIMA QVOQVE DIES, hoc eſt feſtum expiationis deſcriptum Leuit. 23. v. 27. & ſeqq. in quo immolabantur victimæ hîc præſcriptæ.

11. ABSQVE HIS QVÆ OFFERRI SOLENT PRO DELICTO IN EXPIATIONEM, id eſt, præter victimas expiationi iſtius diei proprias, quæ ponuntur cap. 16. Leuit. vbi ritus expiationis præſcribitur.

ET HOLOCAVSTVM SEMPITERNVM, id eſt, præter iuge ſacrificium, CVM SACRIFICIO, ſcilicet farinaceo, ſeu mincha, ET LIBAMINIBVS EORVM, vini ſcilicet. Itaque & hîc incidebant triplicia ſacrificia iam dicta.

12. QVINTA DECIMA VERO DIE, hoc eſt feſtum Tabernaculorum per ſeptem dies celebrandum, addito octauo die cœtus, ſiue collectæ, de quo verſu 35. idque in memoriam peregrinationis per deſertum, de quo vide dicta Leuit. 23. verſ. 34. vſque ad finem capitis.

39. HÆC OFFERETIS, &c. PRÆTER VOTA, id eſt, hæc ſunt ſtata ſacrificia, quæ offerri debent in feſtis prædictis præter ea quæ volueritis vltro offerre ex voto, vel ſponte: idque ſiue fuerit *in holocauſto* ſiue *in ſacrificio* ſupple farinaceo, ſeu mincha, ſiue *in libamine*, quod ſacrificiis adiungi ſolet. Allegoricè tractat hoc, & præcedens caput fusè Orig. Hom. 23. & parte 24. in Num.

CAPVT XXX.

3. SI QVIS VIRORVM VOTVM VOVERIT. Hæc eſt prima regula de votis virorum, nempe emancipatorum; illa enim omnia ſeruanda ſunt ſine irritatione; ſimiliter & iuramenta.

4. MVLIER SI VOVERIT IN ÆTATE PVELLARI. Secunda regula de puellis in domo patris viuentibus: & idem iudicium de puero in ætate puerili: nam eadem eſt vtriuſque ratio, quia non ſunt plenè ſui iuris atque arbitrii. QVÆ EST IN DOMO PATRIS, quo ſignificatur eam ſubiacere directioni patris, etiamſi eſſet grandæua. SI COGNOVERIT PATER ET TACVERIT, VOTI REA ERIT, id eſt, implere illud tenebitur; ſilentium enim patris cenſetur eſſe conſenſus maximè poſt hanc legem latam: quia etſi reipſa nunc non conſentiat, nouit tamen ſilentium ſuum eſſe reputandum pro conſenſu, vnde talis non poterat votum ſemel etiam ſolo ſilentio confirmatum poſtea irritare, ſub patre intelligi debet & tutor, qui ſuccedit in locum patris.

7. SI MARITVM HABVERIT, &c. Tertia regula de mulieribus non ſolùm deſponſatis, vt volunt Hebræi, ſed maritatis, ſeu traditis viro, vt indicat ſatis Hebræa phraſis.

Lyranus intelligit de ea quæ adhuc habitat in domo patris, vt diſtinguatur à caſu v. 11. vbi vxor dicitur conſtituta in domo viri. Nempe vt hoc v. 7. ſignificetur irritationem, vel confirmationem talis voti non pertinere ad patrem, cui adhuc cohabitat, ſed ad maritum, vel agitur de puella, quæ in domo patris vouit, & antequam votum reddiderit, marito traditur: vt ſignificetur votum huiuſmodi; etiamſi per patrem fuerit confirmatum, irritari tamen poſſe per maritum, ſimul atque audierit, ita Auguſt. qu. 59. & ſanè meritò, grauia enim onera potuiſſent illo prætextu marito iniici per vota ante matrimonium facta, vnde dicitur.

9. PROPITIVS ERIT EI DOMINVS, ſcilicet mulieri, ſi non reddiderit votum, marito illud irritante.

10. VIDVA ET REPVDIATA, &c. Quarta regula de viduis, & repudiatis, quæ ſcili-

cet ſui iuris fuerint, liberatæ à lege virorum; harum enim vota rata ſunt, nec ab vllo alio dependent.

11. VXOR IN DOMO VIRI. Quinta regula de fœminis coniugatis tempore coniugii vouentibus; harum enim vota à viris dependent, ſicut puellarum à patre, vir enim caput vxoris eſt. Cùm ergò de iis generalem præſcripſiſſet regulã, mox deſcendit ad particulares votorum caſus, ſcilicet *ieiunium*; & *cæterarum rerum abſtinentiam*, quæ tamen in Hebræo non habentur, ſed ſolùm *de affligendo animam*, id eſt, de adimplendo aliquo laborioſo opere: de quo vota eſſe ſolent, vnde non putandum eſt ad ſolos illos caſus adſtringi vota, quæ à maritis poſſunt irritari.

15. QVOD SI IN ALTERVM DIEM DISTVLERIT SENTENTIAM. Ex quo patet eum debuiſſe ſtatim contradicere, vt dicitur hîc & verſu 6. hoc eſt eadem ſaltem die: ſilentium ergò vnius diei, quo audiebat pater aut maritus votum, non vi legis naturalis, ſed vi legis iſtius poſitiuæ, cenſebatur eſſe conſenſus, & voti confirmatio.

6. SIN AVTEM CONTRADIXERIT POSTQVAM RECIVIT, ſcilicet eâdem illa die, qua reſciuit, PORTABIT IPSE INIQVITATEM EIVS, vxoris ſcilicet non adimplentis votum ſuum, ita nempe vt totus reatus cadat in virum non in mulierem; quantumuis vir vtatur iure ſuo, fieri enim poterat, vt ſine iuſta cauſa, ac temerè votum pium, nihil ſibi, vel familiæ adminiſtrationi nocens irritaret. Addit hoc in ſolatium fœminarum, quæ vt minus pollent iudicio, & affectu potiùs quàm ratione reguntur, anxiæ & ſcrupuloſæ eſſe ſolent de votis non adimpletis. Explicat allegoricè hanc vouentium diuerſitatem, ac votorum irrationem Orig. Hom. 24. in Num.

CAPVT XXXI.

3. QVI POSSINT VLTIONEM DOMINI EXPETERE. Vltio Domini vocatur quia iniuria Madianitarum directè tendebat in Dominum. Scopus enim eorum fuerat, vt à Domino cultu per filias ſuas auellerent Iſraëlitas, & in idololatriam impingerent; quę verò Deo maximè iniurioſa.

DE MADIANITIS, qui præcipuas in hoc ſcelere inſtruendo & perpetrando partes egerant per filias ſuas, vt patet ex Cosbi c. 25.

5. DEDERVNTQVE MILLENOS DE SINGVLIS TRIBVBVS, vt ex paucitate pugnantium eluceſceret eſſe vltionem, & pugnam Domini.

6. QVOS MISIT CVM PHINEES, quia zeloſiſſimus fuerat, & animoſiſſimus in inchoanda vltione ſceleris iſtius, cui non dubitabat Deum magis fauturum in bello. Solet enim Deus quibuſdam perſonis, vel familiis victorias concedere, quas aliis eadem de cauſa pugnantibus negat, vt in Machabæis patet 1. Machab. 5. v. 56. & 61.

VASA QVOQVE SANCTA, arcam intelligunt Hebræi, & multi alii probabiliter: arca enim ſubinde ad bellum produci ſolebat, vt patet Ioſue 6. & 1. Reg. 4. v. 3. ſed quia arca ferè ſolebat in ipſis caſtris manere, non autem cum pugnantibus prodire ad ipſum prælium cum hoſtibus ineundum; hinc per vaſa ſancta intelligi videntur ipſæ tubæ ſacræ, de quibus cap. 10. vt illud (&) ſit exegeticum. Phinees enim non tam propter arcæ cuſtodiam videtur ſimul profectus quàm vt eſſet præfectus belli, vt ſentit Ioſephus lib. 4. Antiq. cap. 6. in fine, & Philo lib. 1. de vita Moyſis.

7. OMNES MARES OCCIDERVNT, quos nempe pugnando aſſecuti ſunt, quia multi diffugiſſe videntur, totam enim gentem non eſſe deletam patet ex Iudic. 6. vbi Iſraëlitæ Madianitis traditi & ſeptem annis afflicti ſunt.

16. PRÆVARICARI FECERVNT SVPER PECCATO PHOGOR, id eſt, in peccato vel propter peccatum Phogor ſeu Phegor, nempe montis, quia circa illum montem peccatum commiſſum fuit, ibi enim colebatur idolum quod inde dictum eſt Beelphegor, quaſi dominus Phegor.

17. ERGO CVNCTOS INTERFICITE, id eſt, in pœnam iſtius delicti omnes mares interficite, ETIAM IN PARVVLIS, ne per illos genus reparetur & vindicta de vobis repetatur. Iuſtum hoc fuit, quia iuſſu Dei factum qui author eſt vitæ & necis: alioqui per hominem innocentes pro nocentibus interimi nequeunt, & pro libito tolli. ET MVLIERES

QVÆ NOVERVNT VIROS, IVGVLATE, quia per illas decepti fuerunt Iſraëlitæ, vnde omnes fornicatrices hac ratione punientur.

18. PVELLAS AVTEM VIRGINES RESERVATE, quia ab iſto delicto fuerunt immunes: reſeruate autem ſiue vt vendantur, ſiue vt tanquam ancillæ ſeruiant. Diſcretio iſta fieri potuit ſiue Deo reuelante Moyſi, ſiue per obſtetrices, vti & nunc fieri ſolet.

19. QVI OCCIDERIT HOMINEM, &c. LVSTRABITVR DIE TERTIO ET SEPTIMO, ſic enim lex expreſsè præſcribit Num. 19. v. 12. & 19.

20. ET DE OMNI PRÆDA, &c. EXPIABITVR, quia omnia erant immunda legaliter, vel ex contactu mortuorum vt veſtes, vel quia in tabernaculis morientium fuerant, iuxta legem Leuit. 11. v. 32. & Num. 19. vel certè de omnibus merito dubitari poterat. Modum autem expiandi tradit hîc Eleazarus v. 21. HOC EST PRÆCEPTVM, &c. præceptum iſtud nuſquam exſtat ſcriptum, itaque vel Moyſi vel Eleazaro à Deo ſignificatum fuit.

27. DIVIDESQVE EX ÆQVO PRÆDAM, non vt ſinguli de reliqua multitudine quę in caſtris manſerat, æqualem cum pugnatoribus partem acciperent: ſed vt duæ partes æquales fierent, quarum vna cederet pugnatoribus, altera toti reliquæ multitudini: ſic enim paucis illis pugnantibus nempe duodecim millibus longè plus cedebat quàm cæterę multitudini, quæ ferè quinquagies maior fuit.

28. SEPARABIS VNAM ANIMAM DE QVINGENTIS ET DABIS ELEAZARO, inter cęteros ſacerdotes diſtribuendam: illi enim alioqui nihil habuiſſent; nam quinquageſima pars, quam Iſraëlitę dabant, ex pręda ſua cedebat ſolis Leuitis. Hinc etiam patet partem Eleazari & ſacerdotum qui pauciſſimi erant, fuiſſe longè maiorem quàm cæterorum Leuitarum qui erant circiter viginti tria millia.

31. SVSCEPERVNTQVE, &c. AVRVM IN DIVERSIS SPECIEBVS, nempe ornamentorum vel vaſorum, & pecuniarum, &c.

52. PONDO SEDECIM MILLIA, pondo non ſignificat hîc libram: ſed pondus, nempe ſiclorum: cùm autem duo ſicli efficiant vnciam, & duodecim vnciæ libram minorem, fuerunt in vniuerſum ſexcentæ nonaginta octo libræ minus duobus ſiclis ſeu vnâ vnciâ. Proſequitur latè hanc victoriam iuxta ſenſum allegoricũ Orig. Hom. 25. in Num. diſtributionem verò prædæ initio Hom. 26.

CAPVT XXXII.

5. NEC FACIAS NOS TRANSIRE IORDANEM, intelligunt tranſitum habitationis non pugnæ causâ, Paratos enim ſe oſtendebant ad pugnandum & ſubigendos Chananęos. Reſpondit autem eis Moyſes:

7 CVR SVBVERTITIS MENTES FILIORVM ISRAEL? alios ad ſimilem defectionem rebellionemque incitando, vt timore belli vel ſpe quietis recuſent tranſitum: exiſtimabat enim eos eſſe timore Chananęorum perterritos.

8. NONNE ITA EGERVNT PATRES VESTRI, ſimiliter vti vos recuſantes ingreſſum terræ, & ita SVBVERTERVNT COR aliorum qui ante erant parati ingredi, VT NON INTRARENT FINES, id eſt, ex quo conſecutum eſt vt non intrarent Chananæam, Deo omnes puniente, (vt) enim ſignificat euentum nō ſcopum eorum. Hinc offenſus Deus iurauit dicens,

11. SI VIDEBVNT HOMINES ISTI TERRAM, &c. Iurandi formula eſt Hebræis vſitata, vt patet etiam Pſal. 88. ſemel iuraui in ſancto meo ſi Dauid mentiar, & Pſal. 131. v. 3. & alibi ſæpius. Eſt autem formula execratoria, in qua execratio per eclypſin orationis ſupprimitur propter perſonæ iurantis reuerentiam, de qua horreſcit animus aliquid execratorium audire. Nam quando perſona non eſt talis, tunc execratio etiam claris verbis apponitur, vt patet 1. Reg. 25. v. 22. & alibi. Ex quo intelligitur ſenſus eſſe, ſi videbunt terram, non ſim Deus: habeat mendax, hoc vel iſtud contingat, vnde patet huiuſmodi locutiones recidere quidem in ſenſum negatiuum, quaſi diceretur, non intrabunt in terram; non tamen illud (ſi) eſſe exponendum per, non, quia in nulla lingua (ſi) ſignificat (non) ſimiliter cum iuratur per *niſi*, vt 3. Reg. 19. v. 2. Iob 1. v. 11. recidit quidem in ſenſum affirmantium, non tamen *niſi* ſignificat affirmationem.

14. ET ECCE VOS SVRREXISTIS INCRE-

MENTA HOMINVM PECCATORVM, quia peccatis hominum eorum additis noua & ea multiplicatis, ET ALVMNI vtporte qui iniquitatem quemadmodum & ſanguinem ex iis trahitis. Reſponderunt autem Moyſi:

17. PARVVLI NOSTRI ERVNT IN VRBIBVS PROPTER HABITATORVM INSIDIAS, non eorum qui in terris illi habitarent, quia ad internecionem deleti erant: ſed vicinorum, nempe Ammonitarum, Idumæorum, Moabitarum à quibus malum timeri poterat. De ſolis paruulis, itemque v. 26. de vxoribus & pecoribus mentionem faciunt, relinquentes Moyſis prudentiæ, vtrum aliqui viri armati ad præſidiam eorum relinqui deberent, ſicut factum fuit. Nam ex Ioſue 4. v. 13. conſtat 40. circiter millia tantum ex eis tranſiſſe Iordanem ad bellum, vnde cùm ex c. 26. Num. conſtet tribum Ruben, Gad, & dimidiam tribum Manaſſe complexas fuiſſe 110580. armatos, ſequitur manſiſſe in præſidio paruulorum & vxorum 70578. vnde quod v. 21. 27. & 29. fit mentio de omnibus armatis eorum Iordanem tranſituris ad bellum, non de omnibus omninò, ſed de iis qui commodè tranſire, poterant intelligendum eſt; ſic enim paſſim *omnis* pro multis accipi ſolet. Meritò autem *omnes* dicitur, quia omnes debebant eſſe, & ſignificant ſe eſſe paratos, vt expediti

20. PERGANT AD PVGNAM CORAM DOMINO, id eſt, coram arca, & ita in præſentia Domini, quamquam v. 22. illud *coram Domino* ſignificet Domino nobis fauente, terramque largiente.

26. &c. PARVVLOS NOSTROS RELINQVEMVS IN VRBIBVS GALAAD. Galaad ponitur pro tota terra quam ſubgerant ſibi trans Iordanem, ſcilicet tota terrâ Galaatide, Baſanitide, ac terra Ammorhęorum, ſimiliter verſu 29. cùm dicit Moyſes, *date eis Galaad in poſſeſſionem*, id eſt, permittite vt terram illam quam ego eis tribuo, poſſideant. Neque enim eam Ioſue datur us eis erat; ſin autem noluerint tranſire Iordanem INTER VOS HABITANDI ACCIPIANT LOCA, compellendo ſcilicet eos, vt relicta Galaatide migrent vobiſcum trans Iordanem, & Chananæos expugnent.

34. IGITVR EXTRVXERVNT FILII GAD, id eſt, repararunt: nam ante aduentum eorum extructæ fuerant, vt patet ſupra capite 21. verſu 30. nec enim denouo tam facilè extrui potuiſſent, vnde addit,

38. VERSIS NOMINIBVS, quibus ſcilicet ante appellabantur pleriſque à Baal & idolis deſumptis, veruntamen antiqua nomina præualuiſſe videntur exceptis paucis. Nam in libro Ioſue iiſdem nominibus, quibus olim, paſſim vocantur.

40. DEDIT ERGO MOYSES TERRAM GALAAD MACHIR, id eſt, Machiritis ſeu poſteris Machir ex eo procreatis: qui conſtituerunt dimidiam illam tribum Manaſſe. Nam Machir filius Manaſſe iam facilè à centum annis erat mortuus, ſic mox vocatur Iair filius Manaſſe, id eſt, vnus ex poſteris eius. Iſte autem Iair erat natus ex patre Iudæo ſeu de tribu Iuda, & ex matre tribus Manaſſe, ſcilicet filia Machir iam dicti, vt colligitur ex 1. Paralip. vnde Iair iſte quia ſe fortiſſimè geſſit in occupandis vrbibus Galaad, hinc traditæ ſunt ei habitandæ ciuitates quas occupauerat vnà cum dimidia tribu Manaſſe, quam propter matrem ſequebatur.

Allegoriam capitis huius proſequitur Orig. Hom. 26. in Num. Pulchram autem tropologiam adfert D. Greg. l. 27. Moral. c. 7. aliâs 10. & ex eo breuiter Iſidorus Hiſpalenſis in Num. qui, inquit Greg. iumenta plurima poſſident, Iordanem tranſire refugiunt, quia quos multa mundi implicamenta occupant, habitationem cæleſtis patriæ non requirũt. Sed quia erubeſcunt non non defendere quod confitentur, pro fide quam profitentur, ad certamen properant, eomque non ſibi, ſed proximis vindicant, vide fuſiùs de ſingulis Gregorium.

CAPVT XXXIII.

1. HÆ SVNT MANSIONES, in quibus videlicet caſtra fuerunt collocata, & erectum tabernaculum. Non enim quælibet mota ſiue ad reficiendum corpus ſomno vel cibo, manſio dicitur, aliquando enim diebus multis proficiſcebantur, antequam ad manſionẽ peruenirent, vt patet Num. 10.

v. 33. vnde hîc vocantur *caſtrorum loca*. Nec enim quælibet exercitus mora vocatur caſtrametatio.

3. PROFECTI IGITVR DE RAMESSE, vbi congregati fuerant ad egrediendum, eſt enim in ipſa terra Geſſen, & prima manſio: egreſſi ſunt autem ALTERA DIE PHASE, id eſt, poſtridie Paſchatis ſeu agni immolati, quod contigerat Luna ſeu die decima quarta ad veſperam, IN MANV EXCELSA, magna ſcilicet Dei poteſtate & gloria quam non ſolum in Ægyptiorum pertinacia frangenda declarauerat, ſed etiam quia

4. IN DIIS EORVM EXERCVERAT VLTIONEM, hoc eſt, in ipſis principibus ac Rege Pharaone, vel vt alii volunt proſternendo idola Ægyptiorum, de quo diximus Exodi 12. v. 12.

6. DE SOCOTH VENERVNT IN ETHAM, adhuc eis mare: ex verſu verò octauo patet hoc deſertum ſe etiam extendiſſe vltra mare, vt etiam notatũ fuit Exod. 14. initio in extremitate enim ſeu, lingua maris trãſierunt.

10. FIXERVNT TENTORIA SVPER MARE RVBRVM, non quod redierint, ſed quia mare iſtud ſinuoſum videtur fuiſſe, vt idem alio loco rurſum occurreret.

40. AVDIVITQVE REX ARAD, de cuius ſtrage ſuprà dictum eſt initio c. 21. IN TERRAM CHANAAN VENISSE, Hebraicè eſt, venite, id eſt, eos in Chananæam tendere. Non quod ipſe in Chanaan habitaret, ſed AD MERIDIEM eius, vt de iiſdem vel aliis Chananæis patet Num. 14. v. 43. & 25. Et hoc videntur etiam hîc indicare Hebræa, non enim habetur vt nos legimus, *veniſſe in terram Chanaan*, ſed hoc modo, habitabat ad meridiem in terra Chanaan, in eſt, ad meridiem Chananææ.

49. IBIQVE CASTRA METATI SVNT DE BETHSIMOTH VSQVE AD ABELSATIM, non quaſi vna caſtra vtrumque ſua latitudine occupauerint locum, ſed quòd primo fixerint caſtra in Bethſimoth, inde proficiſcendo ea poſuerint in Abelſatim, hoc eſt, luctus ſertim propter luctum de 24. millibus occiſis. Eſt enim idem locus qui c. 25. v. 1. vocatur Settim, vt ibid. dictum eſt.

54. PLVRIBVS DABITIS LATIOREM, quomodo ergo ſorte? videtur ſorte aſſigna a fuſſe vnicuique tribui qualitas loci ac ſitus v. g. vtrum habitaret ad orientem, occidentem, meridiem, aut ſeptemtrionem, in quo ſitu vnicuique latior, aut anguſtior aſſignatur locus. Sic enim tribus Iudæ propter amplitudinem eius plus terræ obtinuit, quàm aliæ nonnullæ duæ.

55. QVI REMANSERINT ERVNT VOBIS QVASI CLAVI IN OCVLIS, id eſt, moleſtiſſimè vos affligent, inſtar clauorum, aut lanceatum: ET QVIDQVID ILLIS COGITAVERAM FACERE, VOBIS FACIAM, id eſt, in pœnam ſcilicet, tum peccati iſtius, tum malorum illorum quæ conſuetudine idololatrarum corrupti conſequenter facturi eſtis: vnde patet eos grauiter peccaſſe parcendo Chananæis. Sed quomodo igitur in fine c. 2. & initio c. 3. Iud. dicitur Deus dimiſiſſe gentes illas, vt ex eis experiretur Iſraëlem vtrum viam Dei cuſtodiret; itemque vt eos erudiret ad prælium? Reſp. Deum puniuiſſe peccatum eorum, quo eos delere noluerant, ea pœna, vt eos poſtea volentes delere, non poſſent, ſicut & homo concupiſcentiam illam ſanctis moleſtiſſimam, quia cauere noluit, nunc inflictam delere non poteſt: ſed conuertit Deus pœnam illam in bonum, ſcilicet in duas illas vtilitates ſupra dictas: quas eaſdem & multò plures Deus elicit ex concupiſcentia in corpore & anima etiam ſanctiſſimorum ſæuiente. Docet enim hominem non ſolùm pugnare cum vitiis, ſed in primis quod maximè neceſſarium eſt, humilitatem ac diffidentiam ſuarum virium diuinæque gratiæ neceſſitatem.

Manſiones iſtæ 42. quibus profecti ſunt Iſraëlitæ in Chananæam, ſignificant profectum hominis Chriſtiani de virtute in virtutem tendentis in cœlum. Quem ſenſum multis moralibus documentis intertextum accuratè & breuiter proſequitur Orig. tota Hom. 27. in Num. latiùs autem S. Hier. Epiſt. de 42. manſionibus ad Fabiolam, & fuſiſſimè Ambr. quos conſulat qui volet.

CAPVT XXXIV.

3. HABEBIT TERMINOS CONTRA ORIENTEM MARE SALSISSIMVM, non me-

diterraneum, hoc eſt enim ad occidentem Chananææ: ſed intelligit mare mortuum, id eſt, lacum Aſphaltiten, ſeu bituminoſum ita dictum à puteis bituminis qui olim ibi erant, mortuum autem dicitur, quia nihil piſcium in eo poteſt viuere, *ſalſiſſimum* quia cæteris aquis ſalſius eſt, eo quod terra ſulphuris & ſalis ardore conſumpta ſit, vt eſt Deut. 29. v. 23. & 24. Porrò ad Auſtrum termini terræ ſunt.

SOLITVDO SIN, in quam filii Iſraël anno quadrageſimo venerunt, vbi eſt Cades & mons Hor. IVXTA EDOM, id eſt, Idumæam; nam illa tota eſt ad meridiem Chananææ.

4. QVI ſcilicet termini auſtrales circuibunt PER ASCENSVM SCORPIONIS, nomen loci eſt à tortuoſis ambagibus præruptiſque montibus & inſtar ſcorpionum aſperis dictum, vel à ſcorpionum multitudine.

ITA VT TRANSEAT IN SENNA, &c. loca iſta omnia ſunt in termino Palæſtinæ auſtrali, iuxta Idumæam claudentes Iudęam ab extremitate maris mortui;

5. VSQVE AD TORRENTEM ÆGYPTI, Riuus eſt qui ab eremo veniens inter Rinocoluram & Peluſinum, mare mediterraneum ingreditur, vt Hieron. in v. 14. c. 6. Amos, diſterminat enim Palæſtinam à deſerto verſus Ægyptum.

ET MARIS MAGNI LITTORE FINIETVR, maris ſcilicet mediterranei, quod magnum dicitur comparatione maris mortui & lacus Geneſateth, quæ non ſunt niſi veri lacus, & Hebraïcâ phraſi maria dicuntur.

6. PLAGA AVTEM OCCIDENTALIS A MARI MAGNO INCIPIET, &c. id eſt, ad occidentem ab vno extremo vſque ad alterum, erit mare, vnde ſæpiſſimè Hebræi ſolent mare ponere, ſeu vſurpare pro occidente, quia ille eſt ſitus eius reſpectu Palæſtinæ. Nullæ igitur Inſulæ occidentales promittuntur Iudæis, vnde nullas etiam vnquam poſſederũt.

7. PORRO AD SEPTEMTRIONALEM PLAGAM A MARI MAGNO VSQVE AD MONTEM ALTISSIMVM, Hebræa vocant montem Hor, qui non eſt mons Hor in quo Aaron mortuus eſt, ſed alius quem Hieronymus in cap. 47. Ezechielis dicit eſſe montem Amanum; alii Taurum volunt.

8. A QVO VENIENT IN EMATH, minorem ſcilicet quæ ſita eſt iuxta montem Libanum in confiniis regionis Damaſci, vnde circumiacens regio dicitur terra Emath: hinc ſæpè longitudo terræ ſanctæ dicitur eſſe ab introitu Emath, vſque ad torrentem, ſeu riuum Ægypti, poſteà dicta eſt Epiphania ab Antiocho Epiphane. Eſt & alia Emath maior quæ eſt celebris illa Antiochia.

9. VSQVE AD ZEPHRONA. Hieron. loco cit. dicit iſtam vrbem hodie Zephyrium vocari in Cilicia.

10. DE VILLA ENAN VSQVE SEPHANA, quam Hebræi, inquit Hieron. Apamæam vocant.

11. DESCENDENT TERMINI IN REBLA, eſt ſita in terra Emath & limpidiſſimis aquis fontis Daphnis, de quo hîc mentio fit, irrigatur. Hebraïcè non habetur Daphnis, ſed ſimpliciter fons. Verùm Hieron. locorum peritus ſatis intellexit illum, & non alium fontem intelligit, vnde loco citato vult hanc Reblam non eſſe aliam niſi celebrem illam Antiochiam Syriæ, & fontem iſtum eſſe notiſſimum illum fontem Daphnem qui erat in ſuburbio Antiochiæ. Nam locus iſte à Pompeio militari manu conſitus & iuxta fabulas Poëtarum Daphnes nomen accepit propter lauros & cypariſſos in iſto loco frequentiſſimas.

INDE AD MARE CENERETH, quod alio nomine Genezareth itemque Tiberiadis dicitur. Nam Cenereth aliàs Genezareth antiqua eſt vrbs terminus Galilææ ab oriente quæ eſt ab Herode condita in honorem Tiberii Cæſaris, & Tiberias dicta fuit. Per medium iſtum lacum tranſit Iordanis fluuius & euoluit ſe in mare mortuum, ſeu ſalſiſſimum qui ponuntur hîc termini ab oriente.

Porrò Iordanis nomen habet ex eo quod ad radices montis Libani non procul à Cæſaræa Philippi ex duobus fontibus Ior & Dan bicornis erumpat, qui prope portas Cæſaræ aquas miſcentes Iordanem efficiunt. Prima tamen & vera origo Iordanis eſt fons rotundus Phiala imperſcrutabilis profonditatis, qui per ſubterraneos meatus aquas ſuas in fontem Dan tranſmittit, quod ex iniectis in Phialam paleis

& in fontem Dan eiectis, deprehenſum eſſe teſte Ioſephus libr. 3. belli Iudaici cap. 18. Porrò hæc deſcriptio terræ promiſſæ non comprehendit regnum Og, aut Baſan, quod iam tribui Ruben & Gad tributum fuerat, ſed ſolum terram cæteris tribubus diſtribuendam, vt indicatur v. 13. & 14. in qua cõprehenſa fuit, præter Philiſtæam, tota Phœnicia in qua Titus & Sidon, quamuis inde Chananæi nunquam fuerint expulſi, ſed tãtùm tempore Salomonis vectigales fuerint.

17. Hæc svnt nomina virorvm, &c. Non erant hi principes tribuum de quibus agitur cap. 1. non enim, vel vnus, vel pater vnius idem habet nomen, & in Caleb eſt manifeſtum: fuerunt ergo tantùm præpoſiti diſtributioni terræ, etſi non eſſent principes, niſi fortè certarum familiarum.

Capvt XXXV.

2. Præcipe vt dent Levitis, comprehendendo etiam & maximè ſacerdotes, vrbes ad habitandvm, quarũ proprietas ad ipſos ſpectaret, domus videlicet & horti domeſtici vnà cum ſuburbanis, etſi territorium, id eſt, agri, villæ, &c. ad alios ſpectarent, vt videre licet de Hebron Ioſue 21. v. 11. & 12. hinc illæ leges Leuit. 25. v. 32. & ſeqq. de ædibus Leuitarum redeuntibus ad ipſos in Iubilæo tanquam propriis, & in hereditatem perpetuam datis.

3. Et svbvrbana, agros ſcilicet mœnibus adiacentes.

4. Qvæ a mvris, &c. mille passvvm spatio tendentvr, verſus iſte quartus & quintus in noſtro textu manifeſtus eſt. Cum enim paſſus geometricus duos circiter cubitos contineat, eo ipſo quo ſuburbana tenduntur ad mille paſſus in circuitum, etiam tenduntur per duo millia cubitorum: ſed in Hebrǽo videntur illi verſus ſibi eſſe contrarii; non enim ibi eſt paſſus & cubitus ſed vtrobique eſt eadem vox (cubitus) ita vt v. 4. dicantur ſuburbana debere tendi per mille cubitos, in 5. verò per bis mille. Difficultatem iſtam variis modis conantur ſoluere, alii putant bis mille cubitos quidem dari, ſed prioribus mille non licuiſſe arare & ſerere, poſterioribus licuiſſe, ſed nulla indicia huius rei exſtant in Scriptura. Alii vt Caiet. putant illos bis mille cubitos non ſignificare diſtantiam ſuburbani à muris vrbis, ſed ſpatium circumferẽtiæ quod à quatuor mundi plagis eſſet, ita ſcilicet, vt tota circuli iſtius circumferentia contineret octo millia cubitorum, cuius 3. pars eſſet diameter ſcilicet duo millia cubitorum & aliquanto amplius. Alii volunt bis mille cubitos exprimi, quia ſi crucem ducas per circulum ad 4. mundi plagas, orientur quatuor trianguli, quorum conus eſt in centro ipſius vrbis, baſis in extremo circumferentiæ, vbi terminantur ſuburbana, iam autem quiſque triangulus habet duo latera, quorum vnumquodque habet mille cubitos, & ita volunt eſſe duo millia cubitorum ad omnes mundi plagas, quia idem ſpatium bis numeratur in duobus ſcilicet lateribus. Reſponſio probabilis eſt, faciliùs tamen fortaſſe dici poteſt vocem Hebraïcam verſu 4. accipi pro paſſu qui duplum vnius cubiti ſpatium comprehendit, in quinto accipi pro cubito propriè dicto, idque magis ex natura rei quam vſu vocabulorum, quod vt noſter interpres ſignificaret, ambiguitatem Hebraïcam & ſimul contradictionem vitauit, diuerſis verbis idem ſpatium exprimendo.

11. Vrbes in præsidia fvgitivorvm, vrbes iſtæ gaudebant iure aſyli, non tamen in quibuſlibet criminibus, vt videtur, ſed tantum in iis quæ ad occiſionem ſpectabant, & quidem eorum qui nolentes sangvinem fvderint, id eſt, inuoluntariè, nempe caſu, vel etiam coacti per ſui defenſionem. Itaque datæ erant vrbes iſtæ non ad tutelam criminoſorum, ſed innocentium, ne à propinquis occiderentur. Nam ſi in has vrbes profugiſſet occiſor.

12. Cognatvs occisi non poterat evm occidere, antequam ſcilicet cauſa eius ventilaretur: vnde indicatur à contrario ſenſu, ſi non profugiſſet in vrbem huiuſmodi, licuiſſe cognatis occidere occiſorem, ſi conſtaret voluntariè occidiſſe. Et hinc verſ. 19. clarè dicitur de talibus homicidis voluntariis:

19. Propinqvvs occisi homicidam

INTERFICIET, id eſt, poterit eum interficere: non enim præcipitur, ſed permittitur, vt *ſtatim cum inuenerit eum iugulet*, ſed vtrum ſic permittatur, vt fiat ſine culpa, an tantum ſine pœna in foro externo? plerique ſubintelligunt hîc, quod ſtatim iugulabit eum poſtquam cauſa homicidæ iudicata fuerit: ita indicat Auguſt. quæſt. 65. & Chaldæus expreſsè adiicit, quando condemnatus fuerit in iudicio. Et ſic etiam in conſcientia licuiſſet eum occidere. Sed verba videntur eſſe generaliora & præ ſe ferre quod homicidam voluntarium poſſent ante omne iudicium occidere. Nam ſimili modo verſ.26. & 27. ſtatuitur vt ſit abſque noxa etiam ille qui homicidam inuoluntarium occideret extra vrbem refugii, id eſt, eum cui propter innocentiam iam adiudicatum erat ius aſyli. De hoc ergo ſimiliter quæri poteſt an liceret talem occidere, an verò tantùm impunè occideretur? Reſp. in vtroque caſu videri tantum eſſe permiſſionem qua eximatur occiſor à pœna tantum fori externi, non à culpa, patet maximè ex ſecundo caſu: homicida enim quem conſtabat eſſe inuoluntarium, erat innoxius, vnde non poterat ſine culpa occidi. In primo autem caſu fuiſſet valde inordinatum ſi cuiuſque propinqui iudicio fuiſſet permiſſum diſcernere quis eſſet occiſor voluntarius, quis inuoluntarius, vnde debebat tale iudicium præcedere, vt inſinuat v.24. & 30. Quamquam poſt factum iſtud iudicium non videatur contraria ſententia improbabilis, ſcilicet ipſis propinquis ius tradi occidendi homicidam ſine peccato, vt Auguſtinus indicat, & inſinuat v. 25. & clariùs verſ. 12. cap. 19. Deuter. vbi dicitur eum tradendum in manu propinqui. Simili modo Exod. 22. verſ. 2. ſtatuitur, vt percuſſor furis nocturni non ſit reus ſanguinis, quia ſcilicet lex ſtatuit eum executorem iuſtitiæ publicæ, ſicut hîc committitur propinquis occiſio, homicidæ voluntarii. Hoc ſi quis vellet ſimiliter, extendere ad caſum verſus 27. dicendum eſſet, quod quamuis talis homicida inuoluntarius eſſet innoxius iudicatus, tamen non alia conditione erat ei conceſſum ius aſyli, quàm, vt non egrederetur extra vrbem refugij, vt patet ex v. 25. & 28. vnde, vel inobedientia vel imprudentia eius punitur morte per propinquum inferenda, imputet enim ſibi ſi quid mali ſibi contingat. Simile quid factum fuit in Semei. 3. Reg. 2. verſ. 37. Hîc tamen peccari poterat à propinquis per odium vindictæque cupiditatem, tali enim animo, neque iudex; neque carnifex occidere poteſt reum ſibi traditum. Porrò ſiue hæc lex tantùm pœnam, ſiue etiam culpam abſtergat, cauſa ferendi eam fuit, vt homines deterrerentur ab homicidiis, vtpote quæ ſine noxa à tot propinquis ſcirēt poſſe vindicari.

24. ET HOC AVDIENTE POPVLO FVERIT COMPROBATVM. Incertum eſt, an loquatur de populo vrbis refugii, an vrbis vbi contigit homicidium. Duplex enim fiebat iudicium de homicida. Primum ante portam ciuitatis refugii, quo iudicabatur vtrùm deberet frui aſylo, necne, hoc erat iudicium de plano ſine ſtrepitu, & quaſi tumultuarium de quo agitur Ioſue 20. v. 4. Alterum erat accuratiùs coram propinquis accuſatoribus, quod indicatur ibid. verſu 6. & de videtur hîc eſſe ſermo, eo quod ſequatur, *reducetur in vrbem ad quam confugerat*, ergo extra illam vrbem iudicabatur, quod proinde non alibi videtur contigiſſe, niſi in loco vbi cædes contigerat: ibi enim teſtes & cætera argumenta faciliùs colligi poterant & cauſa inſtrui, vnde Deuter. 19. v. 12. indicatur executionem, ſeu interfectionem homicidæ voluntarii factam fuiſſe in loco cædis, idque per cognatos occiſi.

25. MANEBITQVE IBI DONEC SACERDOS MAGNVS MORIATVR, vt interea mitigetur ira propinquorum. Nam vt Theod. q. 51. fuga tanti temporis propinquorum emolliebat iram, & vindictæ libidinem refrænebat. Terminus autem ſtatuitur mors Pontificis, vt in luctu publico totius reipublicæ prorſus extingueretur. Afflictio enim & luctus totius populi iras particulares ſedare ſolet. Vera autem cauſa myſtica & à Spiritu ſancto intenta fuit quam indicat idem Theod. vt ſignificaretur quod mors veri Pontificis noſtri Chriſti, eſſet humani peccati ſolutio, & omnes in patriam paradiſum reduceret.

31. Non accipietis pretivm, ad dimittendos reos homicidii, idque ideo

33. Ne pollvatis terram, id eſt, ne pollutam relinquatis terram homicidio, quia non poteſt aliter expiari, niſi fuſo ſimiliter homicidæ ſanguine. Nam iſta verba dant rationem verſus trigeſimi primi de non accipiendo pretio. Cur autem ciuitates Leuitarum fuerint datæ in refugium, cur ſex numero, cur tres vltra, tres cis Iordanem, & ſimiles quæſt. vide myſticè tractatas apud Ambroſ. lib. de fuga ſæculi cap. 2.

Capvt XXXVI.

3. Et translata ad aliam tribvm de nostra hæreditate minvetvr. Non enim dicetur ampliùs hæreditas tribus Manaſſe, ſed hæreditas tribus illius ex qua fuerint mariti iſtarum filiarum. Facile enim ſucceſſu temporis memoria maternæ ſucceſſionis obliterabitur, & cenſebuntur bona ad paternam ſucceſſionem pertinere; atque ita fiet, vt in Iubilæo *confundatur ſortium diſtributio*, quia bona iſta filiarum Salphaad, non redibunt ad tribum Manaſſe, ſed manebunt apud proles quę alterius tribus erunt, ſcilicet illius ex qua fuerunt mariti earum. Nam bona hereditaria non poterant in Iubilæo redire ad alios quàm ad hæredes. Itaque vt hoc incommodum vitetur, ſtatuit Deus generalem legem de matrimoniis.

7. Omnes enim viri dvcent vxores de tribv sva. Difficilem hanc legem ita generaliter intellectam faciunt plura exempla in contrarium. Nam Dauid vxorem habuit Michol filiam Saül, & Iudicum vltimo narrant aliæ tribus ſe non daturas filias ſuas vxores filiis Beniamin: Ergo ante dare poterant ac reipſa dederunt filias Iabes Galaad ex tribu Manaſſe in vxores Beniamitis reſidius. Itaque veriſimiliùs eſt intelligi legem iſtam conformiter ad præſentem caſum, ſcilicet vt omnes viri qui duxerint vxores, hæredes ducant eas ex eadem tribu. Et rurſum

8. Cvnctæ fœminæ, ſuccedentes ſcilicet in hæreditatem patris ſicut filiæ Salphaad, de eadem tribv maritos accipient. Hoc enim ſibi vult ratio ſtatim ſubiecta: vt hæreditas permaneat in familiis, & conſequenter in eadem tribu.

Et de cognitione sva, ſupple ducent vxores, id eſt, de eadem familia ſuæ tribus. Nam in eadem tribu multæ erant cognationes, ſeu familiæ. Cogebantur ergo tales filiæ & in eadem familia nubere. Nam eadem erat iſtius ratio: non enim tantum vnicuique tribui, ſed etiam cuique familiæ ſua hereditas diſtributa fuit. Itaque illa ratio, vt hæreditas permaneat in familiis, nòn habebat locum, vbi fœminæ non habebant ſucceſſionem hæreditatis. Multò clariùs hunc intellectum legis indicat, immo exprimit textus Hebræus cùm de fœminis dicit; *Omnis fœmina hereditans hæreditatem vni de familiâ tribus ſuæ erit in vxorem.* De viris verò *vir in hæreditate tribus patrum ſuorum adhærebit*, ſupple vxori, id eſt, vir accipiens vxorem hæreditantem, ad hærebit ei in tribu ſua. Quando ergo filia non erat hæres, eò quòd fratres haberet, poterat viro nubere ex quacumque tribu, & familia: quia non erat periculum confuſionis hæreditatum, familiarum, aut tribuum. Et hac ratione facilè potuit Elizabeth, quæ erat de tribu Leui ratione patris, eſſe cognata B. Virginis, eò quod mater, vel auia Elizabeth, potuerit eſſe ex tribu Iuda, vel contrà mater, vel auia B. Virginis ex tribu Leui.

FINIS.

PRÆFATIO IN DEVTERONOMIVM.

Qvintvs *liber Pentateuchi Hebrais vocatur à ſuo initio* Elle haddebarim. *Græcis Deuteronomium quaſi* δεύτερος νόμος, *id eſt, ſecunda lex, non quaſi eſſet alia lex à*

præcedente, ſed quòd ſit eiuſdem legis repetitio, vt Aug. quæſt. 49. in Deut. vnde à Iudæis ex Deut. 17. v. 18. vocatur iteratum ſeu duplum atque exemplar legis, quamquam non ſolius legis, ſed omnium penè geſtorum proximis tribus libris recapitulationem contineat, vt notat Theod. qu. 1. idque non per modum ſimplicis narrationis, ſed feruidæ potius concionis & exhortationis: vnde Hieron. in Epiſt. ad Paulinum: Deuteronomium ſecunda lex, & Euangelicæ legis Præfiguratio, nonne ſic ea habes, quæ priora ſunt, vt tamen noua ſint omnia de veteribus? Cauſa eiuſmodi repetitionis fuit, vt cum filiis eorum, qui in deſerto propter contemptum terræ promiſſæ proſtrati fuerant, nouum iniret fœdus, hac iterata legis promulgatione, primum enim in Horeb initum à patribus violatum fuerat, & à filiis pleriſque non auditum, ita indicatur Deut. 29. verſ. 1. deinde, vt altius poſtrema monita iamiam morituri populo imprimerentur, denique, vt eſſet, tam illis quàm omnibus poſteris breue quoddam, tum legis, tum beneficiorum à patribus præſtitorum, pœnarumque Enchiridium; vnde etiam Rex nouus illud ſibi deſcribere, & omnibus diebus vitæ legere iubetur Deut. 17. v. 18. & 19. totique populo prælegendum præſcribitur ſeptimo quoque anno in feſto Tabernaculorum Deut. 31. v. 10. Habuit Moyſes concionem iſtam penultimo vitæ ſuæ menſe iam morti proximus: nam primo die menſis vndecimi anni 40. incipit poſt mortem ſcilicet Aaronis percuſſoſque Madianitas, vt patet Deut. 1. v. 3. & 4. & eodem ferè menſe, vel paucis diebus poſt videtur finiuiſſe: nam poſt mortem Moyſis luctus durauit 30. dies poſt quem finitum decima die menſis primi tranſierunt Iordanem, vt patet Deuteron. vlt. verſ. 8. & Ioſue 4. verſ. 19.

CAPVT I.

1. HÆC SVNT VERBA QVÆ LOCVTVS EST MOYSES AD OMNEM ISRAEL, omnem omnino ſine hyperbole, vt apertiùs exprimitur Deuter. 29. verſ. 10. vnde ſine miraculo fieri non potuit, vt à tanta multitudine vox Moyſis audiretur.

TRANS IORDANEM, habito reſpectu ad Paleſtinam, ſeu terram promiſſam; nam alioqui Moyſes loquens erat cis Iordanem.

CONTRA MARE RVBRVM, id eſt, è regione maris rubri, tametſi campeſtria Moab longiſſimè ab eo diſtarent. Meminit maris rubri, tamquam initii peregrinationis ſuæ, vt memoriam refricaret ingentis illius beneficii, quod in Pharaone ſubmergendo præſtitum fuerat.

INTER PHARAN, deſertum ſcilicet, ET THOPHEL, ET LABAN. Hieronymus in locis Hebraicis Thaphel legit & labon, dicitque eſſe loca in deſerto trans Iordanem, ET HASEROTH. Nota eſt hæc ſtatio Iſraëlitarum, in quam venerunt ex ſepulchris concupiſcentiæ, Aaron & Maria murmuratum aduerſus Moyſen Num. 11. verſu vlt. Chaldæus minùs rectè accipit iſta nomina Tophel & Laban, tamquam appellatiua ſignificantia murmur populi aduerſus manna.

2. VNDECIM DIES DE HOREB, non quod per vndecim dies ex Horeb, proficiſcendo per viam montis Seir locutus ſit Moyſes, ſed ſignificat diſtantiam loci, vbi loquebatur, ſcilicet campeſtrium Moab ab Horeb, proficiſcendo ſcilicet per viam montis Seir ad Cadesbarne, & ex Cadesbarne legendo extremitatem Idumææ verſus Moab. Eſt enim iter circiter 50. milliarium, quod vndecim diebus lentè procedendo per modum caſtrorum emetiri potuiſſent, cui tamen 40. annos impenderant.

3. VNDECIMO MENSE, cuius pars incidere plerumque ſolet in Ianuarium. Itaque Ianuarius dedicatus eſt promulgationi Deuter. Sicut ergò Deuteronomium populo incircumciſo datum præfigurat legem nouam gentibus traditam, ita menſis præfigurat menſem, quo Chriſtus circumſione ſua legem nouam ſancire & baptiſmo ſuo promulgare cœpit.

7. REVERTIMINI. Non accipitur propriè, quaſi eò reuerterentur, vnde vel ipſi nuper vel patres eorum ante 40. annos egreſſi fuerant, ſcilicet in Chananæam, vt putauit Lyranus: ſed ex Hebraica proprietate idem eſt quod conuertimini, ſeu conuertite, vos ad proficiſcendum ſcilicet.

ET VENITE AD MONTEM AMORHÆORVM

RVM, qui claudit terram promiſſam, & regnum Og, & Baſan ad Orientem.

Et ivxta littvs maris, mediterranei, deſignat enim terminum occidentalem promiſſæ terræ.

Terram Chananæorvm, quaſi dicat, in quo tractu eſt terra Chananæorum, intelligere enim videtur Chananæos, qui habitabant iuxta littus maris, pergendo verſus aquilonem, vnde mox terminum aquilonarem deſignans addit.

Et libani, qui claudebat terram promiſſam à ſeptemtrione, vsqve ad flvmen magnvm Evphratem; nam tempore Salomonis eò vſque nationes, ſaltem tributarias poſſederunt.

20. Venistis ad montem Amorrhæi, id eſt, accedere cœpiſtis: neque enim adhuc ad montem illum regni Amorrhęorum, ſcilicet Og & Baſan tunc in Cadeſbarne acceſſerant, quamquam montes Amorrhæi cùm dicantur ad habitatoribus Amorrhæis, etiam fuiſſe videntur apud Cadeſbarne, ſed alij à ſupradictis in regno Og: hinc enim v. 44. Amorrhæi pugnant cum Iſraëlitis: qui iidem vocantur Num. 14. v. 45. Chananæi habitantes in montibus.

46. Sedistis ergo in Cadesbarne mvlto tempore, Hebraicè additur, ſecundum dies quibus manſiſtis. Ex quo colligunt Hebræi in fine c. octaui Seder Olam, Rabba, & ſequitur Genebrard. l. 1. Chronologiæ, Iſraelitas hæſiſſe in Cadeſbarne primo 19. annos, poſt murmur ſcilicet primum, quo nolebant in terram promiſſam ingredi: deinde cùm iterum aduerſus Deum inſaniiſſent, vel vt Genebrardus, aduerſus Dei oraculum cum Amalecitis pugnaſſent, in pœnam aliis 19. annis in Cadeſbarne manſiſſe: & iſtud hoc loco in Hebræo volunt ſignificari. Sed reuera non eſt niſi Hebraïſmus, vnde noſter nihil myſterij in eo latere iudicauit. Incertum eſt ergo quamdiu ibi manſerint. Et ſanè cap. ſeq. verſ. 14. indicatur eos non tam diu hæſiſſe vno loco, cùm dicantur 38. annos ambulaſſe à Cadeſbarne vſque ad torrentem Zared, vt verſ. 1. eiuſdem cap. dicitur.

Capvt II.

Et circvivimvs montem Seïr longo tempore, id eſt, Idumæam, quæ tota montoſa eſt, & vocatur mons Seïr, id eſt mons Eſaü: ille enim Seïr dictus eſt, quia piloſus, hinc poſt circuitus, illos dicitur eis:

3. Ite contra aqvilonem, id eſt, rectà verſus Palæſtinam, quæ in deſerto Pharam & Sin commorantibus eſt ad aquilonem: hæc enim eis dicta ſunt cùm venirent poſt multorum annorum peregrinationem à mari rubro per Cades verſus Idumæam, vt patet ex ſequentibus.

4. Transibitis per terminos filiorvm Esav, id eſt, iuxta illos, inquiunt aliqui. Nam Num. 20. v. 21. dicuntur Idumæi tranſitum negaſſe, ſed hîc infrà v. 8. & 29. patet eum tandem per extremitatem finium fuiſſe conceſſum ab eis ſcilicet Idumæis, qui magis orientales erant & Moabitis viciniores.

10. Enim primi fvervnt habitatores eivs, ſcilicet Ar, ſeu terræ Moabitarum, Emim autem dicti ſunt, quaſi terribiles, nam *Ema* terrorem ſignificat, quamuis alii malint Emim dictos ab *amma* cubitus; q. d. populum menſuratum, ſeu magnum. Hinc dicuntur tam magni fuiſſe, vt de Enacim ſtirpe, quaſi gigantes viderentur. Enac autem habitabat in Hebron, vt eſt Ioſue 15. verſ. 13. & 14. cuius poſteri erant corpore giganteo, vt patet Num. 13. verſ. vlt. & hic v. 11 & 21. afferuntur velut norma cæterorum gigantum.

12. In Seir, id eſt, Idumæa, privs habitavervnt Horræi. Ita dicti à cauernis montium Idumææ, in quibus habitabant. Nam Chor ſignificat cauernam aut foramen, vnde Chorrim Horræi. Expulerunt autem eos filii Eſaü, & habitauerunt pro eis, sicvt fecit Israel in terra possessionis svæ, ſcilicet in terra Og & Baſan, quod iam contigerat: vel certè præteritum ponitur pro futuro, loquendo de terra trans Iordanem: niſi malimus intelligere hæc verba in præterito eſſe poſita ab eo qui poſt mortem Moyſis digeſſit omnia.

14. Tempvs avtem, &c. fvit 38. anno-

uvm: quibus ſi addas vnum annum, & aliquot menſes, qui fluxerant antequam venirent in Cadeſbarne, habebis 39. annos & amplius, & quadrageſimus adhuc currebat.

20. & 21. Qvos Ammonitæ vocant Zomzommin, Hebr. Zamzum nim à *zamam* cogitare, moliri, maximè ſcelus aliquod, quaſi qui magna ſceleurataque cogitarent & molirentur, vnde aliqui vertunt præſumptuoſos, iidem videntur eſſe Zuzim, de quibus Geneſ. 14. Quos Zomzommim. Delevit Dominvs et fecit illos Ammonitas habitare pro eis, quæ quidem omnia de variis gigantibus eo ſcopo afferuntur, vt eos oſtendat facilè etiam ab Iſraëlitis veris hęredibus promiſſionum Abrahæ eſſe expellendos, ſi potuerunt expelli à Moabitis & Ammonitis, qui non erant niſi ex Loth cognato Abrahæ, vel ex poſteris Eſaü, non ita dilecti à Deo.

23. Hevæos cappadoces expvlervnt. Qui fuerunt hi Cappadoces tetigimus in cap. 10. Gen. Porrò quia Heuæorum terra Abrahæ quoque promiſſa fuerat, hinc meritò omnes qui Heuęis ſucceſſerunt à Iudæis expelli poterant, ſiue Cappadoces illi fuerint, ſiue Philiſtæi, vnde & Gaza, vna ex ſatrapiis Philiſtinorum de qua hic, pertinebat ad ſortem Iudæorum.

26. Misi ergo nvntios, &c. oſtendere voluit Moyſes etiam poſitis promiſſionibus Dei non eſſe humanam prudentiã negligendam. Nam iſta legatione hoc obtinuit, vt omnibus conſtaret iuſtiſſima belli cauſa, vtpote negatio innoxii tranſitus, per quem debebant ad terram ſibi promiſſam pertingere. Noluit ergo illum Rex Heſebon concedere.

30. Qvia indvraverat Dominvs spiritvm eivs, negando ei lumen, & conſilium quo videret quid ſibi expediret, aliaque obiicienda animo, quibus ad reſiſtendum animaretur, iuxta ea quæ latiùs diximus in Exodo de modis obdurandi Pharaonis. Cauſa autem obdurationis huius non tacetur: vt ſcilicet traderetvr in manvs tvas, id eſt, vt vinceretur, quod fieri non poterat niſi reſiſteret; non autem reſiſteret, niſi corde obdurato, inquit Aug. q. 2. in Deut. Habuit autem hęc obduratio ſine dubio etiam cauſam ex parte Seon & populi, peccata ſcilicet, tum iniquæ occupationis terræ Moabitarum, tum alia ſcelera grauiſſima propter quę delerentur.

34. Cvm mvlieribvs et parvvlis. Iuxta præceptum, quod datur infra cap. 20. v. 16. De ciuitatibus, quæ dabuntur tibi, nullum omnino permittes viuere, idque vt magis omnem idololatriam, & mores incolarum deteſtarentur.

Caput III.

11. Solvs qvippe Og restiterat de stirpe gigantvm, in terra ſcilicet Baſan. Nam conſtat in ipſa Chanaan, non ſolùm tunc exſtitiſſe gigantes filios Enacim, ſed etiam tempore Dauidis.

Monstratvr lectvs eivs ferrevs, ſiue quo quotidie vtebatur, ſiue lectus funebris, in quo tamquam crate ferrea inter aromatum ſtrues corpus combuſtum fuerat Iudæi tamen tradunt lectum iſtum fuiſſe cunas Og: pedem enim adulti poſtea fuiſſe centum viginti cubitorum, ſed aniles nugæ ſunt multoque maiores illæ quas de victoria contra Og obtenta fabulatur apud Lyranum in iſtud c. 3. & in c. 21. Num.

In Rabbath filiorvm Ammon. Cecidit hęc in ſortem tribus Gad, eò quod quamuis eſſet ciuitas Ammonitarum, ab Og tamen fuiſſet occupata, & ei erepta. Rabba dicta eſt propter magnitudinem: in cuius obſidione Vrias periit. Poſtea à Ptolomęo Ægypti Rege vrbs & regio ſubiugata, & Philadelphia nuncupata eſt.

14. Iair filivs, id eſt, nepos Manasse, de quo dictum eſt in fine cap. 32. Numerorum, possidebit omnem regionem Argob, ita dictam ab vrbe Argob ſupra Iordanem ſita. Porrò Baſan de qua hic, à pinguedine ſoli nuncupata eſt; cedit in ſortem dimidiæ tribus Manaſſé. Incipit longitudo eius à torrente Iacob, vbi Iacob cum Angelo luctatus eſt, & finitur in confinius Damaſci. Latitudo eſt à monte Galaad vſque ad Iordanem & lacum Cenereth ſeu Genezareth, qui dicitur mare Galilææ.

17. Vsqve ad mare deserti. Mare

mortuum intelligit, ſeu lacum Aſphaltitem, AD RADICES MONTIS PHASGA, qui iſti mari eſt ad orientem, & ex quo infrà v.27. Moyſes terram promiſſam contemplatus eſt. Patebat enim inde libertimus verſus Iudæam & Palæſtinam proſpectus.

25. TRANSIBO IGITVR, Hebraicè, *tranſiam quæſo*: eſt enim oratio poſtulantis tranſitum. Nam Hebræi carent optatiuo, pro quo vtuntur futuro indicatiui. ET MONTEM ISTVM EGREGIVM, Moria ſcilicet, in quo Abraham obtulit filium ſuum, & poſtea templum ædificandum erat.

CAPVT IV.

2. NON ADDETIS AD VERBVM QVOD VOBIS LOQVOR, NEC AVFERETIS EX EO. Quod idem eſt cum eo quod c. 5 v. 32. dicit: *Non declinabitis neque ad dexteram neque ad ſiniſtram*. Præcipitur enim vt mandata Dei, de quibus tantùm hîc ſermo eſt, accuratè compleantur, neque addendo id quod ipſe vetuit, neque auferendo id quod ipſe præcepit, vt explicat S. Baſilius in Reg. breuius diſputatis. Reſpon. prima. Hoc eſt, præcipit non tranſgredi præcepta Dei ſiue negatiua quod fit addendo, ſiue affirmatiua quod fit auferendo. Idcirco enim tam ante verba iſta præcedit, *Audi præcepta vt faciens ea viuas*, quàm immediatè pòſt ſequitur: *Cuſtodite mandata Domini quæ præcipio vobis*; quod ipſum verſu 5. & 6. proſequitur. Ita vt manifeſtiſſimum fit de accurata obſeruatione mandatorum agi, ſine additione vetitorum vel omiſſione præceptorum. Vnde conſequenter patet non agi de non adiiciendis aliis mandatis ſiue ſcriptis ſiue traditis ad ea quæ hîc in Pentateucho præcipiuntur, ſed de non falſificandis hiſce præceptis Dei non tantum in docendo ſed maximè in agendo. Multa enim addi poſſe, & reipſa fuiſſe addita patet ex præceptis Iudicum, Regum & Pontificum apud Iudæos quibus ipſe Moyſes cap. 17. verſu 10. ſub pœna mortis iubet obediri. Deinde non loquitur hîc Moyſes de omnibus omninò præceptis Dei, ſed de ſolis illis, quæ hîc in Deuter. proponuntur: vbi omittuntur plurima quæ in reliquis Pentateuchi libris adeoque in tota Scriptura ſacra, quæ poſtea adiecta fuit, obſeruanda præſcribuntur. Tertiò ea ipſa quibus hîc nihil addi vel auferri præcipit, maxima ex parte ſunt ceremonialia veteris legis, quæ non amplius obſeruare licet, ſed tamen pro tempore iſtius legis accuratè obſeruanda iubebantur. Vnde ſicut lex vetus magna ex parte ceremonialis fuit, ita & hæc, quæ ſuper illam legem cadit, nec magis obligat, quàm illa ipſa lex cui nihil addi vel auferri præcipitur. Quartò non ait *ad verbum* quod ſcribo, ſed *ad verbum quod vobis loquor*, multa verò dicta fuerunt à Deo ſiue iubendo ſiue vetando, ſiue permittendo, quæ non ſunt ſcripta in Deuteronomio vel Pentateucho, vt per ſe notum eſt. Ex quibus patet quàm ineptè hæc eò torqueant Hæretici, vt omnes traditiones non ſcriptæ his verbis proſcribi videantur.

6. HÆC EST ENIM VESTRA SAPIENTIA, id eſt, obſeruatio mandatorum iſtorum efficiet vos ſapientes & demonſtrabit eſſe coram omnibus: ita vt his præceptis auditis admirabundi dicturi ſint.

EN POPVLVS SAPIENS, &c. Neque enim ſignificat ſapientiam eorum in eo eſſe ſitam, vt homines hæc dicant, ſed iſtud ex obſeruatione iſta conſecuturum.

7. NEC EST ALIA NATIO TAM GRANDIS, ſeu tãtæ excellentiæ ac dignitatis, QVÆ HABEAT DEOS APPROPINQVANTES SIBI, nempe primò tota conuerſatione, vtpote qui in colũna nobis præit, in nube nos protegit, per tabernaculum in medio habitat, per oracula nobis colloquitur, ac dubia reſoluit. Secundò *appropinquantes* exaudiendo ſcilicet obſecrationes, & neceſſitates noſtras, vt ſequitur. Nam vt Pſalmus, Propè eſt Dominus inuocantibus eum in veritate. Tertiò quia ipſemet legem & ceremonias de cœlo nobis tulit, quod nulli nationum cõtigit: hunc enim appropinquandi modum poſtulat verſus octauus qui velut ratio ſubiungitur. Omnia iſta maiori ratione conueniunt populo nouæ legis, propter admirabilem propinquitatem Dei per carnem aſſumptam, & habitationem perpetuam in Euchariſtia, ex quibus reliqua conſequuntur.

9. Ne obliviſcaris verborvm, &c. id eſt, rerum coram oculis tuis geſtarum. *Verbum* enim apud Hebræos rem ipſam vſitatiſſimè ſignificat, vnde addit: Qvæ viderunt ocvli tvi. Intelligit enim ea portenta quæ viderant in prima legiſlatione de monte Sinai. De quo dicit, quòd

11. Ardebat vſqve ad cælvm, per hyperbolen ſignificando quòd vehementer & altiſſimè flammas euomeret. Qua phraſi dicuntur vrbes *ad cælum vſque munitæ* c. 1. v. 28 quamuis Hebraica hîc legant, *Ardebat vſque ad cor cœli*, intellige non eius cœli in quo ſunt ſidera, ſed ætherei in quo nubes, quaſi dicat: vſque ad medium cœlum. Nam illo loquendi modo dicuntur montes transferri in cor maris, id eſt, in medios ſeu in ipſos fluctus maris, Chriſtus dicitur fuiſſe in corde terræ, id eſt, in ipſa terra.

12. Et formam corpoream penitvs non vidiſtis. Quod infrà verſ. 15. iiſdem verbis Hebraïcis dicitur: *non vidiſtis ſimilitudinem aliquam* nempe cuiuſquam rei corporeæ, maris, fœminæ, beſtiarum, &c. vt explicat v. 16. & ſeq. perſtringit enim inſanias Ethnicorum, quas ibid. depingit.

13. Et oſtendit vobis pactvm, id eſt, conditionem pacti legem ſcilicet vobis manifeſtauit.

20. Vos avtem edvxit de fornace ferrea Ægypti, id eſt, de ſeruitute Ægyptiaca quæ inſtar fornacis in qua ferrum patatur & funditur, affligebat & probabat vos: alludit enim ad fornaces in quibus coquebant lateres in Ægypto, & fortaſſis etiam in ferro metalliſque laborabant.

24. Qvia Dominvs Devs tvvs ignis conſvmens eſt, id eſt, inſtar ignis conſumit eos qui idolis adorandis aliorumque præceptorum tranſgreſſione maieſtatem eius offendunt. Hanc enim ignis & conſumptionis rationem clarè explicat infrà cap. 9. verſu 3. & hîc ſtatim, dum vocat Deum *æmulatorem*, quia alios Deos quaſi riuales non patitur, neque ſinit caſtitatem animæ ſibi dicatæ aliorum Deorum cultû impunè violari. Plerique Patres Deum ignem conſumentem vocant, quia inſtar ignis purgat animam, & ligna & fœnum, ſeu peccata conſumit, ita Origen. Hom. 5. in Leuit. Hilarius in Pſal. 118. Gregor. Hom. 5. in Ezech. verum hoc eſt, ſed alterum magis ſpectat ſcopum huius loci.

26. Teſtes invoco hodie cælvm et terram. Teſtari non poſſunt cœlum & terra, vtpote inanimata. Per cœlum igitur & terram, cœli & terræ totius inhabitatores intelliguntur, homines, Angeli, Deus, vt tradit Hieronymus & Baſilius in v. 2. cap. 1. Iſaiæ. Sic enim qui iurat per cœlum, iurat in throno Dei & in eo qui ſedet ſuper eum, vt tradit Chriſtus Matth. 23. v. 22. Vtuntur tamen præcipuè Prophetæ huiuſmodi proſopopæis ad res inanimatas vt oratio grauior ſit & magis pathetica, & vt ſciant auditores per iſtas creaturas, quæ veluti teſtes inuocantur, tamquam creatoris nutui ſubiectas, à ſe pœnas eſſe repetendas.

32. Interroga de diebvs antiqvis, id eſt, de factis quæ præteritis temporibus côtigerunt. A svmmo cælo vſqve ad svmmvm eivs. Hebr. *ab extremo cœli*, &c. id eſt, ab vno extremo vſque ad alterum, ſiue ab oriente vſque in occidentem: quaſi dicat, interroga de omnibus quæ olim toto orbe acciderunt: vtrum contigerit ſimile quid, vt audiretur vox Dei loquentis.

33. Sicvt tv avdiſti et vixiſti, ita ſcilicet vt maieſtas Dei apparentis & tam terribili voce loquĕtis te non occiderit: per quod notat Dei erga ipſos benignitatem inuſitatam. Cùm enim Danieli appareret Angelus, iacuit conſternatus quaſi mortuus Dan. 10. Nam cùm ſtatus legis veteris eſſet timoris ac terroris, Deus etiam ſanctis apparebat auguſtus ac terribilis. Vnde tunc inſita fuit hominibus opinio ſe Deo viſo morituros. Latiùs hoc exequitur Moyſes c. 5. v. 24. & ſeq. & exempla videre licet Iud. 13. in parentibus Samſonis, & Tob. 12. v. 16.

34. Si fecit Devs vt ingrederetvr, id eſt, interroga vtrum vnquam venerit Deus, vt tolleret ſibi peculiarem gentem, &c. ingreſſus autem ille ſeu aduentus non ſignificat motum Dei, ſed operationem, qua populum iſtum liberando ex Ægypto ſibi iunxit, idque

Per tentationes, quibus fiduciā ſuam

in ſe, hoſtiumque animum flexibilitatem, duritiam tentauit & in lucem protulit.

Et horribiles visiones, pro quo Hebræa legunt *terrores magnos*, ſiue qui illis in triduanis tenebris per ſpectra contigerunt, ſiue in occiſione primogenitorum, quando timebant ne omnes morerentur.

43. Bosor in solitvdine. Sita eſt non procul a mari mortuo, in tribu Ruben; eſt autem diſtincta à Boſra ſeu Boſtro metropoli Arabiæ deſertæ, & ab alia Boſra in Idumæa. Ramoth in Galaad: erat enim prope montem Galaad ſita; quæ tempore Hieronymi erat magnus vicus. Et Golan in Basan, id eſt, in regione Baſanitide: vnde tota regio dicta fuit Golanitis ſeu Gaulonitis. Sita erat in medio dimidiæ tribus Manaſſe, & diſtabant iſtæ tres vrbes penè æquali ſpatio à ſe mutuò, vt ab omni parte pateret facilè refugium iis qui ignoranter hominem occidiſſent.

48. Ab Aroer vsqve ad montem Sion, aliàs Seon. Mons iſte Sion longè diuerſus eſt ab illo notiſſimo monte Sion in Ieruſalem: nam ille Ieroſolymitanus ſcribitur per tſade, hic per ſin. Ille cis Iordanem eſt, hic trans illum, vocaturque alio nomine Hermon, Hebraicè Chermon, à Sidoniis Sarion, ab Amorrhæis Sanir, vt eſt c. 3. v. 8. claudit dimidiam tribum Manaſſis ab ortu ſolis, & à ſeptemtrione verſus Damaſcum copulat ſe monti Libano. Vnde Cantic. 4. vertex Sanir & Hermon & Libanus & Amana tamquam ſibi contigui coniunguntur.

Capvt V.

Non cvm patribvs nostris iniit pactvm. Et tamen Exod. 24. clarè deſcribitur pactum cum patribus eorum qui tunc viuebant, initum. Vnde alij volunt eum de Abraham, Iſaac, Iacob & ſimilibus olim mortuis loqui: alii eſſe ſermonem de pacti obſeruatione, quæ non cœpit niſi in terra Chanaan. Sed rectius videtur poſſe dici, non cum patribus initum fuiſſe pactum; quia nec ipſi ex parte ſua pactum obſeruarunt, nec ex parte Dei effectum eius perceperunt, ſcilicet terram ſub pacti obſeruatione promiſſam, quæ iam ex parte data fuerat, & mox tota danda filiis eorum: ita Theod. qu. 1. & ferè Aug. qu. 9. in Deut. Et tamen dicitur hîc Deus pepigiſſe fœdus in Horeb nobiscvm, quia ſaltem plurimi eorum qui tempore legiſlationis in Horeb fuerant infra 20. annos, poterant eorum meminiſſe quæ ibi geſta ac dicta fuerant, vt ibid. Aug notat.

4. Facie ad faciem locvtvs est nobis, id eſt, præſens præſentibus ſine vllo internuncio, ne quidem ipſo Moyſe, locutus eſt decalogum. Vtitur enim iſta phraſi non quod vllam ſimilitudinem oculis viderint, quod ſuprà negatum fuit, ſed propter euidentiam rerum, & quodammodo præſentiam manifeſtatæ diuinitatis de qua dubitare nemo poſſet, vt Auguſt. loc. cit.

5. Ego seqvester et medivs fvi. Vnde Apoſtolus ad Galat. 3. v. 19. vocat Moyſen mediatorem, vtpote qui maieſtatem Dei & vtilitatem populi tanquam nimium à ſe diſtantes velut internuncius ac medius inter ſe coniungeret. Vnde nihil abſurdi ſi & ſancti mediatores, id eſt, interceſſores vocentur, licet alia ratione quàm Chriſtus 1. ad Timot. 2. vtpote qui ratione aſſumptæ naturæ & proprij meriti vnus eſt mediator Dei & hominum. Qui hîc ſequitur decalogus explicatus eſt latè Exod. 20.

32. Non declinabitis neqve ad dexteram neqve ad sinistram. Dextra & ſiniſtra hîc ſumuntur vt duo extrema, prout vtrumque opponitur alicui tertio tanquam medio, à quo vtrimque vitioſe recedatur. Eſt enim locutio metaphorica deſumpta à viis vbi inter deuia ad dexteram vel ſiniſtram, via recta eſt medium. Vnde conformiter medium hoc loco eſt medium virtutis à quo receditur exceſſu vel defectu: vel eſt ipſa iuſtitia ac veritas mandati à qua receditur vel faciendo vetitum, vel non faciendo præceptum: iuxta dicta c. 4. v. 2. Subinde tamen ſumuntur dextra & ſiniſtra non vt opponuntur diuerſis modis alicui tertio, ſed prout inter ſe tantùm opponuntur, ita vt dextera ſumatur in bonum, ſiniſtra in malum, prout accipiuntur Matth. 25. & in Prouerb. vbi Dominus dicitur noſſe vias quæ à dextris ſunt; peruerſas verò eſſe quæ ſunt à ſiniſtris.

CAPVT VI.

4. DOMINVS VNVS EST. Irenæus l. 4. c. 2. videtur de Patre intelligere. Rectiùs cum Theod. dixerimus, ipſius diuinæ ſubſtantiæ ſeu eſſentiæ vnitatem apertè deſignari, ſic tamen vt propter infirmitatem auditorum, qua ad pluralitatem Deorum fabricandam proni erant, occultius inſinuetur trinitas perſonarum, ſemel ponendo Deus, bis Dominus. Quod quidem apertius fit in Hebræo textu, qui legit, Deus, Deus noſter, Deus vnus eſt: quemadmodum fit etiam Pſal. 66. Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus: *Noſter* enim additum ſecundo loco verbum incarnatione noſtrum factum aptè deſignat. DILIGES DOMINVM DEVM TVVM, Hebraïcè eſt, *& diliges*, quaſi diceret: itaque quia Deus tuus Deus vnus eſt, in eum totum amorem tuum conuerte. Et vt intelligeremus hoc diſtinctiùs, addit, EX TOTO CORDE TVO, &c. vbi obſeruat Baſilius in Pſalm. 44. & Theod. qu. 3. per iſtud (*ex omni*) præcipi nobis vt non ſcindamus dilectionem in dilectionem Dei & rerum inferiorum Deo: quantum enim in ea dilectionis impenderis, tantum Deo ſubtrahi neceſſe eſt. Sed quia fundata iam in animo Dei dilectione, vnicuique rei, liberis, fratribus, vxoribus, cæteriſque omnibus, vtilia ex eiuſdem iſtius diuinæ dilectionis legibus quærenda ſunt (ſic enim Deus ipſe quem diligis, iubet) hinc fit, vt quidquid aliud iſto modo diligendum, in animum venerit, illuc rapi debeat, quò totius iſtius dilectionis impetus currit. Tota enim iſta proximorum dilectio in illam dilectionem Dei referenda eſt quæ nullum à ſe riuulum extra ſe duci patitur, cuius deriuatione minuatur, vt Auguſt. lib. 1. de doctrina Chriſtiana capite 22.

Maxima autem eſt ſententiarum diuerſitas in aſſignando diſcrimine cordis, animæ, mentis, fortitudinis, virium. Iuxta Aug. loco citat. cor ſignificat cogitationes, anima vitam, mens intellectum. Iuxta Nyſſenum libr. de creatione hominis cor deſignat animam vegetabilem, anima ſenſitiuam, mens intellectiuam. Alij putant hęc omnia vnum idemque ſignificare & ad maiorem tantum energiam repeti: eius ſignum eſſe quòd aliquando aliquod eorum omittatur. Sed hoc nihil probat, niſi vel præceptum iſtud ſubinde non plenè exprimi, vel eorum vnum ex alio intelligi poſſe. Rectiùs igitur & veriſimilius videtur dici quòd cùm dilectio ſit voluntatis actus, voluntas ipſa per cor ſignificetur. Nam ſicut cor eſt principium omnium corporalium motuum, ita voluntas maximè quantum ad intentionem finis vltimi qui eſt obiectum charitatis, eſt principium omnium omnino motuum ſpiritualium, & ideo vbicumque præceptum iſtud ponitur, ſemper cor ponitur primo loco, tamquam fons iſtius dilectionis. Tria autem ſunt principia actuum quæ mouentur à voluntate, ſcilicet intellectus ſignificatus per *mentem* Matth. 22 v. 37. & vis appetitiua inferior deſignata per *animam*: & vis executiua exterior omnium actionum, quæ exprimitur hîc per *fortitudinem*, & Marci 12. v. 30. per *virtutem*, & Lucæ 10. v. 27. per *vires*: eadem enim iſta tria ſunt. Pręcipitur igitur vt tota noſtra intentio feratur in Deum quod eſt ex toto corde: & vt intellectus noſter ſubdatur Deo maximè per fidem quod eſt ex tota mente: & vt appetitus noſter inferior regatur ſecundùm Deum quod eſt ex tota anima: & vt exteriores actus noſtri obediant Deo, quod eſt ex tota fortitudine, ſeu virtute, ſeu viribus: ita ferè D. Thom. 2. 2. quæſt. 44. articulo 5. Ex quo patet quàm verè Aug. dicat loco ſuperiùs allegato, Nullam vitæ noſtræ partem hoc præcepto relinqui, quæ vacare debeat, & quaſi locum dare, vt alia re præter Deum velit frui. Et quia omnia iſta à voluntate veluti fonte & motrice & actrice omnium pedent, hinc ſtatim iterum repetit, *Eruntque hæc verba in corde tuo*: & mox ſequitur effectus eius:

7. NARRABIS EA FILIIS TVIS, maximè eandem dilectionem illis inculcando à qua pendet omnis lex & Prophetæ.

ET MEDITABERIS IN EIS SEDENS, id eſt, tempore quietis, ET AMBVLANS ſeu tempore laboris: DORMIENS Hebraïcè decumbens, id eſt, dum cubitum concedis, nam dormiendo aliquis meditari non poteſt.

Iubet hoc partim vt ratio repetatur eorum quæ contra iſtam dilectionem deliquerimus, partim vt animus eo quo poteſt modo etiam dormiens in iiſdem cogitationibus & affectibus verſetur. Nam vt Ariſtoteles 1. Ethic. Meliora ſunt in dormientibus phantaſmata ſtudioſorum, id eſt virorum bonorum. De quo enim ſatagit animus vigilans, hoc etiam dormienti obſeruatur.

ATQVE CONSVRGENS, vt à Deo omnis cogitationis, voluntatis, ac motus principium ſumatur; atque ita, vt ait Baſil. in regulis fuſiùs diſputatis, reſponſione 37. primi animi ac mentis noſtræ motus conſecrentur Deo, vt exinde omnis tenor operum noſtrorum formetur. Per hæc omnia ſignificatum voluit Scriptura, illam de diligendo Deo non tantum præcipuam, ſed ſolam eſſe debere curam, ita videlicet quidquid aliud homo velit, cogitet, agat, ex illa diſtinctione tamquam effectus fluat. Sic enim vniuerſa vita hominis ſiue vigilantis, ſiue dormientis non erit aliud niſi continua quædam dilectionis textura; tametſi multis veriſſimiſque actionibus variegata.

8. ET LIGABIS EA QVASI SIGNVM. Similia habentur infrà cap. 11. v. 18. & 20. quæ ad litteram ita obſeruant in hunc vſque diem in quibuſdam locis Iudæi: vnde illa eorum phylacteria de quibus Chriſtus apud Matth. Qua in re non leguntur à Chriſto reprehenſi vnquam, neque reprehendi debet, quòd externis huiuſmodi ſignis ad legis diuinæ recordationem homines vtantur. Scopus tamen illius præcepti eſt, non ad huiuſmodi ceremonias præciſas obſtringere, ſed continuam legis recordationem inculcare, haud ſecus ac ſi manui, poſtibus & parietibus inſcripta eſſent, perpetuoque ob oculos verſarentur.

CAPVT VII.

1. SEPTEM GENTES. Alibi decem ponuntur, vt Gen. 15. ſed hîc exprimuntur præcipuæ, ſub quibus comprehenduntur aliæ minoris rationis, vel certè poſt promiſſionem Abrahæ factam ante aduentum populi Iſraël in Chanaan, aliis permixtæ vel deletæ ſunt.

2. PERCVTIES EAS VSQVE AD INTERNECIONEM, partim in pœnam ſcelerum, partim ne vitia eorum tibi adhæreant vel eorum memoria tibi maneat, maximè autem ne ad idola ſua vos à cultu meo diſtrahant, hac enim de cauſa & matrimonia cum iis vetantur. Longè enim facilius infidelis fidelem quàm infidelem fidelis ad inſtitutum ſuum trahit, vt in infœlicibus matrimoniis hæreticorum cum Catholicis ſæpè experimur. Seueritas iſta etiam alia de cauſa adhibita fuit; vt inde colligerent Iudæi quid ſibi eſſet exſpectandum, niſi enormia iſta ſcelera cauerent.

10. ET REDDENS ODIENTIBVS SE STATIM, nempè bona, ſi quæ meruerunt, vt vult Chaldæus & alii, vnde iſtud quod ſequitur, *ita vt diſperdat eos*, intelligunt de futuræ vitæ perditione. Sed conuenientius videtur accipi, de pœnarum etiam huius vitæ inflictione. Et ita illud (*ſtatim*) intelligi debet quaſi diceret, etiam in hac vita, ita vt non exſpectet in futura, hoc enim ſæpiſſimè contingere viderunt, & tempore legis veteris, quæ tota in bonorum malorumque temporalium retributione verſabatur, maximè locum habuit.

13. BENEDICETQVE FRVCTVI VENTRIS TVI, impertita liberorum fœcunditate: quod beneficii genus tangit clariùs v 14. fœcunditas eſt enim verè donum Dei, & maximi fieri inter homines ſolet, præcipuè eos qui futura bona non intelligunt, hinc magna illa poſteritas Abrahæ fructus diuinæ benedictionis ſæpius promiſſæ fuit, quæ etiam propter Meſſiam ex illa gente naſciturum maximè æſtimabantur.

22. NON POTERIS EAS DELERE PARITER, non quaſi non eâdem facilitate hoc Deus tribuere potuiſſet, ſed congruis vtitur mediis operans non ſolum fortiter, ſed & ſuauiter. Ratio autem huius prouidentiæ fuit, NE FORTE MVLTIPLICENTVR CONTRA TE BESTIÆ, dum ſcilicet totam terram inhabitare nondum potes & colere. Eadem de causâ non tribuit Deus, vt vno impetu omnia vitia expugnentur, quia vt Auguſtinus dicit, Peior hoſtis eſt cauenda ſuperbia, quæ ex ſecuritate naſci ſolet, vnde ſæpè fit, vt, ſicut potentiſſimas nationes deleuerunt filii

Iſrael, & infirmiores non potuerunt, ita etiam maiora dona tribuat Deus, nec minora concedat, vt ſemper animus eorum in officio contineatur dum in ſe habet quod reprehendat, vt latiùs Gregor. libr. 4. Moral. cap. 22. aliàs 25.

CAPVT VIII.

1. VT AFFLIGERET TE ATQVE TENTARET, non quaſi Deus afflictionem tamquam afflictionem intendat, ſed affligit vt tentet, hoc eſt, afflictione probet animum hominis qualis ſit, ſiue erga Deum, ſiue erga alios, ſiue erga ſeipſum. Idque non vt ſciat DEVS, ſed vt nos ſcire faciat hoc enim ſignificat id quod ſequitur, ET NOTA FIERENT, nempe tibi ipſi, QVÆ IN TVO ANIMO VERSABANTVR, homo enim vires animi ſui in obſeruandis mandatis Dei, nullo modo ſcire poteſt, niſi tentetur. Et ita per tentationes magnum illud bonum obtinet vt ſciat ſe, & vt liberetur à ſuperbia, qua plerumque decipitur, vt longè ſublimiora de ſe æſtimet quàm veritas patiatur.

3. QVOD NON IN SOLO PANE VIVAT HOMO, vos enim pane tot annos caruiſtis & manna vixiſtis, SED IN OMNI VERBO QVOD EGREDITVR DE ORE DEI, id eſt, in omni re quam voluerit aut iuſſerit Deus, verbum enim phraſi Hebraïcâ pro re ſumitur vſitatiſſimè, vnde quod Greg. in c. 9. lib. 1. Reg. Ambr. & alii intelligunt hîc verbum Dei quo nutritur anima, verum quidem eſt, ſed non videtur eſſe ſenſus litteralis huius loci: maximè quia illud, *verbum*, deeſt in textu Hebraïco, ſolum enim habetur, *In omni quod egreditur de ore Dei*.

4. VESTIMENTVM TVVM NEQVAQVAM VETVSTATE DEFECIT. Ex quo neceſſe fuit, vt contra vſum, ſoliditate quadam, & firmitate munitum fuerit, & cum paruulis veſtimenta creuerint, vt Rabbi Salomon etiam notauit. Neque enim in tanta deſerti penuria tanti temporis noua veſtimenta videntur haberi potuiſſe.

ET PES TVVS NON EST SVBTRITVS, de calceis videtur intelligendum, qui maximè teruntur: pedes enim magis inflantur veſicis quam terantur, quia ambulando duriores fiunt. Hebraicè eſt, Pes non intumuit. Quod enim Num. 11. v. 1. leguntur doluiſſe præ labore, fatigationem aliquam indicat, vel prætextum fatigationis, non læſionem de qua hîc.

9. TERRAM CVIVS LAPIDES FERRVM SVNT, id eſt, ex qua ferrum inſtar lapidum exſcinditur. Commendat enim Chananæam a fodinis mineralium æris ac ferri.

10. VT CVM COMEDERIS, BENEDICAS DOMINO, hinc apud Iudæos vſus crebro benedicendi cibis, etiam cùm diuerſa fercula in menſam afferuntur. Nam vino, & pani ſeorſim benedicunt, quem morem & Chriſtus obſeruauit Matth. 26.

11. 12. 14. CAVE NE POSTQVAM COMEDERIS, &c. ELEVETVR COR TVVM. Abundantia quippe corporis, ſeu rerum corporearum cordis elationem parit, & hæc obliuionem Dei. Ex quo fit vt aduerſitas vtiliſſimus pedagogus ſit quo homo in Dei agnitione & timore ſeruetur.

15. IN QVA ERIT SERPENS FLATV ADVRENS, hi ſunt illi igniti ſerpentes, de quibus Num. 21. v. 6. à quibus morſi fuerunt Hebræi, vtrobique enim, & hîc & ibi eſt idem Hebraïcum nomen *Saraph*.

AC DIPSAS, id eſt, ſitire, quia quem ferit, ille ſiti perit, vnde Latinè ſitulam dici tradit Iſid. l. 12. Orig. c. 4. qui addit inferius tantæ eſſe exiguitatis, vt cùm calcatur, non videatur: eius venenum ante extinguit, quam ſentiatur, vt facies præuenta morte, nec triſtitiam induat morituri, ſub arenis ſolet deliteſcere in locis aridis. Commendat igitur Deus beneficentiam prouidentiæ ſuę, quod à tam noxiis ſerpentibus per tot annos non fuerint læſi, vnde poſt enumeratas eorum afflictiones, addit:

16. ET AD EXTREMVM MISSERTVS EST TVI. Idcirco enim vel immittuntur, vel accidere ſinuntur, vt ab eis liberet Deus, & liberando ſe eſſe liberatorem oſtendat. Cauſa huius prouidentiæ eſt,

17. NE DICERES IN CORDE TVO, FORTITVDO MEA, &c. HÆC MIHI PRÆSTITERVNT id eſt, agnoſcas gratiam & beneficium meum, & manu quaſi tangas infirmitatem tuam. Nihil enim promptiùs hominis animum

mum retorquet in Deum, quàm infirmitas agnita. Cùm enim naturaliter moleſta ſit, & homo ſuis ſe viribus ab ea liberari non poſſe videat, conſequens eſt, vt ſibi diffidens confugiat ad auxilium Dei. Et hæc eſt vera ratio tot tantarumque tentationum animi, quibus vita iuſtorum plena eſt, vt vel ſic tandem virium ſuarum infirmitatem, ac diuinæ gratiæ neceſſitatem addiſcant quod omnis veræ virtutis vnicum ſolidiſſimumque fundamentum eſt, quia virtus in infirmitate perficitur.

CAPVT IX.

4. NE DICAS IN CORDE TVO, &c. Typus eſt iſte præclariſſimus reprobationis quorundam, & electionis aliorum ad vitam æternam. Rectiſſimè enim dicitur, eos qui reiiciuntur, propter iniquitates eorum reiici, eos tamen, qui eliguntur, non eligi propter iuſtitias ſuas, ſed ex bonitate Dei, vnde hîc dicitur:

6. CVM DVRISSIMÆ CERVICIS SIS POPVLVS, id eſt, peruicaciſſimus, & maximè rebellis in Deum, ne putes propter probitatem tuam te à Deo electum eſſe, vt terram patribus promiſſam poſſideres. Nam ex iſta profunditate diuinæ gratiæ etiam contingit, vt quamuis homo ab ineunte pueritia modeſtior, ingenioſior, temperantior, magna ex parte libidinum victor ſit, & tamen eo loco natus ſit, vt ei prædicari gratia Chriſtiana non poſſit, & pereat: alius verò tardus ingenio, libidinibus deditus, flagitiis, & facinoribus coopertus ita gubernetur, vt audiat, credat, baptizetur, rapiatur, aut ſi detentus hîc fuerit, laudabiliter viuat, vt latiùs declarat Auguſt. libr. 1. de peccatorum meritis cap. 22.

22. IN INCENDIO QVOQVE, TENTATIONE, ET SEPVLCHRIS, tria ſunt diſtincta loca, vbi variis modis Iudæi peccauerunt, ac ſe indignos Dei beneficiis præſtiterunt. Probat enim prolixè eos eſſe maximè rebelles, ac duriſſimæ ſeruicis, ne putarent ſe propter iuſtitias ſuas electos, vt in Chananæã introducerentur. De incẽdio, ſeu incenſione agitur Num. 11. v. 3. de Tentatione Exod. 17. v. 7. de Sepulchris concupiſcentię Num. 11. v. vlt.

CAPVT X.

3. FECIT IGITVR ARCAM, ordo narrationis inuerſus eſt. Tabulę enim ſecundę dolatæ fuerunt, & lex eis inſcripta ex antequam arca fieret, vt Exodo manifeſtum eſt, ſimilis ordinis perturbatio eſt. v. 6

6. FILII AVTEM ISRAEL MOVERVNT CASTRA, &c. Nam propter arcam cuius cuſtodes erant ſummi ſacerdotes, & Leuitæ baiuli, interſerit per parentheſim aliquade Aarone, Eleazaro, & inſtitutione Leuitarum, ad portandam illam arcam. Itaque mouerunt caſtra. Ex BEROTH FILIORVM IACAN Hebraïcè, Beroth bene Iacan, quaſi diceres, Puteis bene Iacan, qui locus Num. 33. verſ. 30. vocatur ſimpliciter bene Iacan, eſt manſio 28. id eſt, 16. poſt diſceſſum e monte Sinaï: vnde non agitur hîc de prima motione caſtrorum ex Sinaï, venerunt autem IN MOSERA. Diſtinctus eſt hic locus à Moſeroth, Moſeroth enim eſt manſio 17. Moſera verò videtur idem eſſe locus cum monte Hor, & ita eſſe manſio 34. Nam Arron dicitur ibi eſſe mortuus ac ſepultus: quod contigiſſe in monte Hor patet Num. 33. verſ. 38. & ibidem cap. 20. verſ. 22. & ſeqq. Itaque ex bene Iacan venerunt in Moſera, ſeu montem Hor, non immediatè, ſed aliquot caſtris interiectis.

7. INDE VENERVNT IN GADGAD. Illud (*inde*) non refert ocum proximum nempe Moſera, ſed remotiorem ſcilicet Beroth filiorum Iacan, quaſi diceret, ex Beroth venerunt in Moſera, vbi Aaron mortuus eſt, ſed ordine profectionum, & manſionum ex Beroth venerunt in Gadgad, &c.

8. EO TEMPORE SEPARAVIT TRIBVM LEVI, videtur loqui non de prima ſeparatione, quæ facta eſt in Sinaï, de qua Num. 3. nam illa contigit 34. annis antè caſtrametationes; quas hîc deſcribit ſcilicet ſecundo anno egreſſionis ex Ægypto, vnde hîc videtur fuiſſe facta noua confirmatio primę ſeparationis vel certè ſi loquatur de prima, dicendum erit Moyſem redire ad proſequendam narrationem ſuam, quam poſt verſum quintum interruperat, ita vt v. 6. & 7. quaſi per parentheſim interiecti ſint.

10. Ego autem steti in monte sicvt prius 40. diebvs, nempe ad placandam penitùs iram Dei: ſunt enim hi 40. dies illa ſecunda quadrageſimæ quam tranſegit Moyſes in monte poſt fractas primas tabulas: de qua eſt etiam ſermo c. 9. v. 18. & 25. ita vt etiam hîc ſit præpoſterus ordo, hic enim verſus naturali ordine ſubnecti deberet capiti 9. & poni ante caput 10. Præter iſtas tamen duas quadrageſimas tranſegit, & tertiam ad accipiendas tabulas nouas, de qua diximus in capite 34. Exod. verſ. 31.

12. Et nvnc Israel qvid Dominvs Devs petit a te? quaſi dicat, pro iterata toties peccatorum, & rebellionis venia quàm exiguum & facilè eſt id quod Deus petit à te, nempe vt primò enim timeas, & timore eius *ambules in viis eius*, ac denique perfectè diligas eum, ac ſeruias ei!

14. En Domini Dei tvi cælvm cæli est, id eſt, id quod reſpectu cœlorum viſibilium, ſiderei, ſcilicet & aliorum, habet rationem cœli, quia illos omnes omniaque in eis contenta ambitu ſuo complectitur.

15. Et tamen: quaſi diceret, cùm tantus ſit, omniaque in ipſius poteſtate ſint poſita, tamen amoris benignitate patribvs tvis conglvtinatvs est, &c.

16. Circvmcidite igitvr præpvtivm cordis vestri. Quid hoc ſit, indicant verba ſeqq. explicationis loco ſubiecta, et cervicem vestram ne indvretis amplivs. Tribuitur enim cordi præputium metaphoricè ad ſignificandam generalem eius immunditiam, quâ ſublatâ dicitur cor circumcidi.

21. Ipse est lavs tva, ſiue qua laudaris ab aliis nationibus, ſiue qua tu ipſe laudas Deum. Priori modo laus ſumitur paſſiuè, & ſenſus eſt quòd Deus ſit laus tua, id eſt, cauſa cur lauderis eo ipſo, quo ſicut ſequitur, fecit tibi hæc magnalia. Poſteriori modo, laus ſumitur actiuè, idque pro obiecto laudis, quia Deus eſt ille quem laudare debemus, tum propter beneficiorum multitudinem, tum verò maximè propter excellentiam maieſtatis: & hoc maximè videtur hîc intendi.

Capvt XI.

2. Cognoscite hodie, id eſt, perpendite ſedulò ea qvæ ignorant filii vestri. Quia in deſerto nati ſunt poſt illa mirabilia in Ægypto & in deſerto patrata. Et non viderunt disciplinam Domini, Hebr. caſtigationem; qua ſcilicet, tum Ægyptii, tum rebelles Iſraëlitæ in deſerto puniti ſunt. Hæc autem verſu 7. dicuntur *oculi eorum vidiſſe*, quia cùm ea in Ægypto acciderent plurimi eorum qui tunc viuebant, infrà vigeſimum annum conſtituti erant, & ea potuerant vidiſſe.

10. Terra enim, &c. Hæc ratio, ſicut & illa aduerſatiua, *ſed montoſa eſt*, &c. *quam Dominus inuiſit ſemper*, & illa illatio v. 13 *ſi ergo obedieris*, &c. indicat ſatis magnam illam vbertatem terræ promiſſæ, quamuis aliquam haberet cauſam ex parte ſoli, magna tamen ex parte de peculiari Dei benedictione profluiſſe. Vnde v. 17. minatur eā ſe ſubtracturum, & ſæpè ſubtracta in Prophetis legitur, & nunc ipſa experientia teſte comprobatur. Tanta eſt enim vaſtitas eius & ariditas, vt vix quiſquam crederet tam fertilitatem eius olim eſſe potuiſſe.

14. Dabit plvviam temporaneam, quæ tempeſtiuè cadit, ſcilicet ipſo ſementis tempore, vt ſemina germen figant: et serotinam, quæ ſerò cadit, vt fruges matureſcant. Nam vtraque pluuia maximè neceſſaria eſt; ſub quibus extremis omnis pluuia opportuna, comprehenditur. Non ergò vocatur temporanea, vel ſerotina reſpectu anni, ſed frugum; nam annum intuendo ſerotina magis erat tempeſtiua vtpote quę caderet circiter menſe Aprili, vel Maio; temporanea verò menſe Octobri cùm ſemina iaciuntur.

24. A deserto et Libano. Deſertum ad meridiem eſt interiectâ Idumæâ, Libanus ad ſeptemtrionem, Euphrates ad orientem, mare ſcilicet mediterraneum ad occidentem. Vnde à quatuor plagis hîc terminatur eorum terra: quæ quidem obedientibus promittitur poſſidenda, quamdiu cęlum imminet terræ, vt eſt v. 21. id eſt, in perpetuum; quamdiu ſcilicet humanum

genus in terra victurum eſt. Et hoc ſanè es præſtitum ſine dubio fuiſſet, niſi peccatis expelli meruiſſent.

26. En propono in conspectv vestro benedictionem; id eſt, propono vobis alterutram, quam volueritis eligendam; acerrimo enim ſtimulo vrget eos ad eligendam benedictionem, eo ipſo quo vtramuis hominis electioni permittit. Nemo enim eligit maledictionem volens. Eſt autem euidentiſſima probatio libertatis arbitrii, quæ in electione maximè verſatur, tametſi bonum ſine adiuuante gratia eligi nequeat.

29. Pones benedictionem svper montem Garizim, quia ſex illæ tribus quæ benedictionem obſeruatoribus legis proclamabant, collocatæ fuerunt in monte Garizim: ſex autem quæ maledictionem, in monte Hebal, vt infra latiùs cap. 27. Sunt autem Garizim & Hebal duo cacumina vnius montis altiſſimi in terra Samariæ.

30. Qvæ est ivxta vallem tendentem et intrantem procvl, id eſt, vallem ſpatioſam, latam atque monſtrabilem. Eſt autem iuxta Sichem, ibi enim ſunt montes Garizim & Hebal altiſſimi, vt Ioſephus & alii teſtantur. Quia verò in monte Garizim, ſex potiſſimè tribus conſtitiſſent, & benedictio inde eſſet promulgata, à poſteris fuit præcipua veneratione frequentatus cauſa ſacrificii & orationis, vnde & tẽpore Alexandri Manaſſes frater Iaddi Pontificis ædificauit ibi templum, cuius primum Pontificem egit, quod pluris à Samaritanis fiebat quàm Hieroſolymitanum, de quo Ioſephus libro 11. Antiquit. cap. vlt.

Capvt XII.

HActenùs generalem præmiſit exhortationem ad Dei præcepta ſeruanda, idque ex amore Dei, cuius mandatum in præcedentibus inculcatum fuit, nunc ad peculiaria quędam præcepta deſcendit, quæ ex decalogo velut concluſiones ex principiis educuntur, & primò quidem de tollendis omnibus veſtigiis idololatrię quę omnium malorum apud Iudęos fons fuit.

2. Svbter omne lignvm frondosvm. Nam in lucis deos ſuos Gentiles ſolebant colere, certaſque arbores iis conſecrare, quibus eos delectari putabant.

3. Disperdite nomina eorvm, hoc enim extremum eſt, quod ex idololatria ſupereſſe poteſt. Ita hîc deleri vult omnia eius veſtigia, vt ne nomen quidem, & conſequenter memoria eius quæ per nomina ſaltem conſeruari ſolet, ſuperſit. Hinc ille conatus antiquorum Pontificum, quo dies ſeptimanæ per ferias diſtingui voluerunt, vt nomina Iouis, Veneris, Martis & ſimilium, ex vſu quotidiano perirent.

4. Non facietis ita Domino Deo vestro, vbilibet locorum & aras & lucos eligendo, vt ei montibus & collibus quibuſlibet ſacrificetis.

5. Sed ad locvm qvem elegerit Dominvs, venietis, qui primò fuit, Silo, Ioſue 18. v 8. & ſeqq. Nam toto tempore Iudicum vſque ad tempus Heli, fuit ibi tabernaculum & altare, vide 1. Reg. 1 verſ 2. & ibid. cap. 3. v. 3. Deinde fuit Nobe, vt patet 1. Reg. 21. v. 6. Deinde translatum fuit vnà cum altari in Gabaon, etſi arca eſſet in alio tabernaculo à Dauide extructo in Hieruſalem, vt patet 2. Paralip. 1. v. 3. & ſeqq. Ac poſtremò fuit Hieruſalem poſt exſtructum templum Salomonis.

6. Et offeretis in loco illo holocavsta, quaſi diceret, & nuſquam alibi. Et hinc eſt quòd toties Scriptura queritur de excelſis erectis, aut non deſtructis, id eſt, de aris quas in collibus erexerant ad ſacrificandum. Hoc enim ex iſta lege illicitum erat, niſi Deo iubente fuiſſet factum, quemadmodum à Dauide, Samuele, Elia factum fuit.

7. Ac lætabimini in cvnctis ad qvæ miseriis manvm, epulando ſcilicet coram Domino, ſeu in atrio coram tabernaculo ex omnibus bonis, quæ labore veſtro pepereritis, dum ex iis hoſtias pacificas offeretis Deo, ex quibus pars laicis in epulum cedebat, nec enim mœror animi, ſed gaudium Spiritus placet Deo, iuxta Pſal. *Iuſti epulentur & exultent in conſpectu Dei*, &c.

8 Non facietis ibi qvæ nos facimvs hic hodie singvli qvod sibi rectvm videtvr, non quaſi nulla eſſet in deſerto po-

ciliorum, ac ſuperciliorũ, vt ita eos arceret à moribus impiarum gentium, & ab immodico luctu deſperantium reſurrectionem, vnde Theod. hîc qu. 14. quidam extranearum gentium pilos capitis abradebant & hos efferebant mortuis alii pilos barbæ, alii ſuperciliorum, quę lex diuina prohibet fieri.

Quæ de animalibus mundis & immundis ſequuntur, pleniùs diximus Leuitici 11. De cauſis verò prohibitionis generaliter & pulchrè Tertullianus ſi lex aliquid cibis detrahit, & immunda pronunciat animalia, quæ aliquando benedicta ſunt, conſilium exercendæ continentiæ intellige, & frænos impoſitos illi gulæ agnoſce, quæ cùm panem ederet Angelorum, cucumeres & pepones Ægyptiorum deſiderabat. Agnoſce ſimul & comitibus gulæ, libidini ſcilicet atque luxuriæ proſpectum, quę ferè ventris caſtigatione frigeſcunt, proinde vt & pecuniæ ardor reſtringeretur ex parte, quæ de victus neceſſitate cauſatur, pretioſorum ciborum ambitio detracta eſt: poſtremò vt faciliùs homo ad ieiunandum Deo formaretur, paucis & non glorioſis eſcis aſſuefactus, & nihil de lautioribus eſuriturus., ita ille. 2. aduerſus Marcionem c. 18. reliqua vide in Leuiticum.

4. Hoc est animal qvod comedere debetis, id eſt, poteſtis, ſiue ſimpliciter quod comedetis, vt eſt Hebraicè, exprimuntur hîc multa exempla mundorum animalium, quæ in Leuitico prętermiſſa fuerant. Inter quæ ponit.

5. Tragelaphvm quaſi dicas hircoceruum quem Hebręi eſſe volunt hircum ſilueſtrem, vt ſit mas capreæ quæ eſt capra ſilueſtris. Alii dicunt communiter eſſe animal ex hirco & ceruia progenitum & vtriuſque quandam ſimilitudinem gerens, barbâ ſcilicet & armorum villis hirco ſimile, reliqua ceruo, vt deſcribitur à Plinio.

Pygargvm. Non eſt hęc aquilæ ſpecies, de qua Ariſtoteles, quia non agitur hîc de auibus, ſed quadrupedibus, & omne genus aquilinum, iuxta Leuiticum, erat immundum, vnde putant eſſe quoddam capreæ genus, de quo etiam Plinius libro 8.

Orygem, iuxta eundẽ Plinium eſt animal in Getulia capræ non diſſimila, niſi quod vnum gerat cornu, pilis ad caput verſis.

Camelopardalvm, non eſt idem animal cum camelo, camelus enim immundus eſt, hic verò mundus. Iuxta Plinium libro eodem 8. eſt animal proceritate & capite camelo ſimile, pedibus & cruribus boui, ceruice tenui, colore inſtar pardi maculatum.

13. Ixion, vulturini generis eſt auis, & Leuitici 11. v. 14. generaliter, ſub vulture iuxta genus ſuum comprehenſum.

21. Peregrino qvi intra portas tvas est da vt comedat, avt vende ei, ſupple morticinum. Peregrinus intelligitur hîc manens in gentiliſmo Nam ſi erat proſelytus, tenebatur legibus Iudæorum. Ethnicis ergo comedendum dare, aut vendere poterant morticinum animalis immundi. Ex quo colligi videtur, licuiſſe Iudæis animalia immunda nutrire, ſicut Geraſeni porcos nutrierunt, vt ea vendendo ex eis quæſtum facerent: vnde enim vendere in Iudæa potuiſſent morticina, ſi antè non fuiſſent viuorum animalium immundorum domini.

22. Decimam partem separabis de frvctibvs tvis qvi nascvntvr in terra, &c. hæ decimæ diſtinctæ ſunt ab illis, quæ Num. 18. v. 21. & ſeqq. dantur Leuitis. Nam illæ tanquam datæ Leuitis, totæ erant ipſorum, idque in propria ſpecie; hæ verò huius loci iubentur à dominis vendi, & pecunia afferri in Hieruſalem, quò ter quotannis aſcendere debebant, & ibi conſumi in epulas ſacras totius domus ſuæ cum Leuitis. Hinc eſt quòd Ioſephus conſcius vſus Iudaici libro 4. Antiquitatum c. 8. duobus locis tradit has duas decimas fuiſſe diſtinctas, & vt diximus, diſtinctos earum vſus. Idem tradit hîc quæſt. 13. Theodoretus, & alii poſt ipſos.

23. Et primogenita de armentis, et ovibvs tvis. Ex hoc loco videtur ſimilis fuiſſe ratio de primogenitis. Nempe vt ſimiliter poſt primogenita quę Deo debebantur, offerebanturque ſacerdotibus, ſeligerent ſecunda primogenita conſumenda in ſacris epulis coram templo, vel tabernaculo vt ſic ter aſcendentes non apparerent in conſpectu Domini vacui.

28. Anno tertio separabis aliam

DECIMAM EX OMNIBVS QVÆ NASCVNTVR TIBI. Hæ ſunt tertiæ decimæ colligendæ ab ipſis dominis fructuum, & pendendæ non quotannis, vt aliæ duæ, ſed ſolùm anno tertio, idque non in ſacras epulas, vt ſecundæ, nec etiam in ſolos Leuitas impendendæ, vt primæ, ſed in ſuſtentationem, tum Leuitarum pauperum, tum peregrinorum, pupillorum, ac viduarum, vnde & Ioſephus eodem loco lib. 4. Antiquitatum expreſsè diſtinguit iſtas tertias decimas à præcedentibus: & illo ſenſu dicitur Tobias cap. 1. v. 7. miniſtraſſe anno tertio proſelytis, & aduenis omnem decimationem. Ex quo colligere licet, quàm procul abſint plerique Chriſtiani ab illa perfectione liberalitate, quæ in miniſtros Dei, & pauperes exercenda Iudæis præſcripta fuit: verum eſt enim prouerbium hodiernum Iudæorum, *da decimas vt diteſcas.*

CAPVT XV.

2. CVI DEBETVR ALIQVID. Nempe ex mutuo, venditione & ſimilibus titulis, quibus aliquid quod tuum eſt, debetur alteri, vnde non videntur comprehendi hîc depoſita, commendata, & ſimilia, quę non tam debentur, quàm in ſpecie aliena ſunt, & alterius; REPETERE NON POTERIT A PROXIMO, ET FRATRE, quaſi dicat: à proximo, qui eſt frater tuus, hoc eſt, Iudæus, fratrem enim ſicut & v. ſeq. *ciuem & propinquum* diſtinguit contra *aduenam & peregrinum*, ſcilicet genere, etiamſi eſſet proſelytus, ſeu Iudaïſmo inſertus. Talis enim non gaudebat iure remiſſionis anni ſeptimi, quia erat priuilegium ſolius Iudæi natione.

4. OMNINO INDIGENS, ET MENDICVS NON ERIT INTER vos, id eſt, vt Tertull. 4. contra Marcionem c. 16 cura vltrò, vt non ſit mendicus inter vos, ſcilicet, ſiue remittendo debita, ſiue miſericorditer neceſſitatibus cuiuſque ſubueniendo: hoc autem plus eſt, inquit idem, quàm id quod Chriſtus pręcepit, *omni petenti te da*. Eſt itaque hîc non prædictio, vel promiſſio, ſed præceptum, cui annexa ſequitur benedictio, vnde non repugnat ei v. 11. qui ſignificat nonobſtāte eorum beneficentia: pauperes tamen non defuturos: hoc enim ex æquiſſima lege diuidæ prouidentiæ iſto corrupto rerum ſtatu propter multas cauſas valdè neceſſarium eſt.

6. FŒNERABIS GENTIBVS. Hebraïca & LXX. legunt, mutuum dabis, id eſt, dare poteris, ET A NVLLO ACCIPIES, ſeu cogeris accipere, ex abundantia ſcilicet diuinæ benedictionis, ſi, vt præceſſit, ſeruaueris mea mandata, & maximè illud de remiſſione anni ſeptimi. Præocupat enim obiectionem, quæ in animo cuiuſque ſuboriri ſolet, quòd per huiuſmodi liberalitatum ad pauperiem eſſent redigendi, promittit enim magis eſſe ditandos.

9. CAVE, &c. NE DICAS, APPROPINQVAT SEPTIMVS ANNVS. Quo ſcilicet ſi quid mutuauero fratri pauperi, repetere mihi non licebit, nec ipſe tenebitur mihi ſoluere. Hanc calliditatem, & duritiam vetat hîc Deus, ſed vult eum candidè attenta neceſſitate, mutuum commodare, id eſt, mutuum dare. Commodatum enim reſtituendum fuiſſe ſuprà diximus.

12. IN ANNO SEPTIMO DIMITTES EVM LIBERVM, computando annum ſeptimum non à die venditionis, ſed ab illo anno remiſſionis, qui in tota Iudaïca natione ſtabilis erat, quod ſi nolit ſeruus egredi, poſt perforatam aurem, de quo diximus Exod. 21.

17. SERVIET TIBI IN ÆTERNVM, id eſt, in ſæculum illud totum, quod agitur, & extenditur vſque ad proximum Iubilæum, vt pręſcribitur Leuit. 25. v. 40.

18. NON AVERTAS AB EIS OCVLOS TVOS, auerſio oculorum animi ægritudinem ſignificat: ſenſus eſt ergò, vt etiam Hebræa indicant, non ſit tibi graue, vel moleſtum toruè ſcilicet reſpiciendo CVM DIMISERIS EVM, id eſt, quando dimiſſurus es eum, quod ſcilicet eum dimittere cogaris anno ſeptimo. QVONIAM IVXTA MERCEDEM MERCENARII SERVIVIT TIBI, id eſt, quia pretio emptionis, quod ei dediſti, ſeruiuit tibi per ſex annos inſtar mercenarii, cui ſimilem mercedem ſoluere debuiſſes. Nihil ergò iniuſtum, vel graue tibi præcipitur, ſi eum iubearis dimittere, ſicut mercenarium.

Allegorica ſignificatio anni remiſſionis, alibi dicta eſt.

præcedente, ſed quòd ſit eiuſdem legis repetitio, vt Aug. quæſt. 49. in Deut. vnde à Iudæis ex Deut. 17. v. 18. vocatur iteratum ſeu duplum atque exemplar legis, quamquam non ſolius legis, ſed omnium penè geſtorum proximis tribus libris recapitulationem contineat, vt notat Theod. qu. 1. idque non per modum ſimplicis narrationis, ſed feruida potius concionis & exhortationis: vnde Hieron. in Epiſt. ad Paulinum: Deuteronomium ſecunda lex, & Euangelicæ legis Præfiguratio, nonne ſic ea habet, quæ priora ſunt, vt tamen noua ſint omnia de veteribus? Cauſa eiuſmodi repetitionis fuit, vt cum filiis eorum, qui in deſerto propter contemptum terræ promiſſæ proſtrati fuerant, nouum iniret fœdus, hac iterata legis promulgatione, primum enim in Horeb initum à patribus violatum fuerat, & à filiis pleriſque non auditum, ita indicatur Deut. 29 verſ. 1. deinde, vt altius poſtrema monita iamiam morituri populo imprimerentur, denique, vt eſſet, tam illis quàm omnibus poſteris breue quoddam, tum legis, tum beneficiorum, atribus præſtitorum, pœnarumque Enchiridium; vnde etiam Rex nouus illud ſibi deſcribere, & omnibus diebus vitæ legere iubetur Deut. 17. v. 18 & 19. totique populo prælegendum præſcribitur ſeptimo quoque anno in feoſt Tabernaculorum Deut. 31. v. 10. Habuit Moyſes concionem iſtam penultimo vitæ ſuæ menſe iam morti proximus: nam primo die menſis vndecimi anni 40. incipit poſt mortem ſcilicet Aaronis percuſſoſque Madianitas. vt patet Deut. 1. v. 3. &. 4. & eodem fere menſe, vel paucis diebus poſt videtur finiuiſſe: nam poſt mortem Moyſis luctus durauit 30. dies poſt quem finitum decima die menſis primi tranſierunt Iordanem, vt patet Deuteron. vlt. verſ. 8. & Ioſue 4. verſ. 19.

CAPVT I.

1. HÆC SVNT VERBA QVÆ LOCVTVS EST MOYSES AD OMNEM ISRAEL, omnem omnino ſine hyperbole, vt apertiùs exprimitur Deuter. 19. verſ. 10. vnde ſine miraculo fieri non potuit, vt à tanta multitudine vox Moyſis audiretur.

TRANS IORDANEM, habito reſpectu ad Paleſtinam, ſeu terram promiſſam; nam alioqui Moyſes loquens erat cis Iordanem.

CONTRA MARE RVBRVM, id eſt, è regione maris rubri, tametſi campeſtria Moab longiſſimè ab eo diſtarent. Meminit maris rubri, tamquam initii peregrinationis ſuæ, vt memoriam refricaret ingentis illius beneficii, quod in Pharaone ſubmergendo præſtitum fuerat.

INTER PHARAN, deſertum ſcilicet, ET THOPHEL, ET LABAN. Hieronymus in locis Hebraicis Thaphel legit & labon, dicitque eſſe loca in deſerto trans Iordanem, ET HASEROTH. Nota eſt hęc ſtatio Iſraëlitarum, in quam venerunt ex ſepulchris concupiſcentiæ, Aaron & Maria murmurarunt aduerſus Moyſen Num. 11. verſu vlt. Chaldæus minùs rectè accipit iſta nomina Tophel & Laban, tamquam appellatiua ſignificantia murmur populi aduerſus manna.

2. VNDECIM DIES DE HOREB, non quod per vndecim dies ex Horeb, proficiſcendo per viam montis Seïr locutus ſit Moyſes, ſed ſignificat diſtantiam loci, vbi loquebatur, ſcilicet campeſtrium Moab ab Horeb, proficiſcendo ſcilicet per viam montis Seïr ad Cadesbarne, & ex Cadesbarne legendo extremitatem Idumææ verſus Moab. Eſt enim iter circiter 50. milliarium, quod vndecim diebus lentè procedendo per modum caſtrorum emetiri potuiſſent, cui tamen 40. annos impenderant.

3. VNDECIMO MENSE, cuius pars incidere plerumque ſolet in Ianuarium. Itaque Ianuarius dedicatus eſt promulgationi Deuter. Sicut ergò Deuteronomium populo incircumciſo datum præfigurat legem nouam gentibus traditam, ita menſis præfigurat menſem, quo Chriſtus circumſione ſua legem nouam ſancire & baptiſmo ſuo promulgare cœpit.

7. REVERTIMINI. Non accipitur propriè, quaſi eò reuerterentur, vnde vel ipſi nuper vel patres eorum ante 40. annos egreſſi fuerant, ſcilicet in Charranæam, vt putauit Lyranus: ſed ex Hebraïca proprietate idem eſt quod conuertimini, ſeu conuertite, vos ad proficiſcendum ſcilicet.

ET VENITE AD MONTEM AMORRHÆORVM.

RVM, qui claudit terram promiſſam, & regnum Og, & Baſan ad Orientem.

ET IVXTA LITTVS MARIS, mediterranei, deſignat enim terminum occidentalem promiſſæ terræ.

TERRAM CHANANÆORVM, quaſi dicat, in quo tractu eſt terra Chananæorum, intelligere enim videtur Chananæos, qui habitabant iuxta littus maris, pergendo verſus aquilonem, vnde mox terminum aquilonarem deſignans addit.

ET LIBANI, qui claudebat terram promiſſam à ſeptemtrione, VSQVE AD FLVMEN MAGNVM EVPHRATEM; nam tempore Salomonis eò vſque nationes, ſaltem tributarias poſſederunt.

20. VENISTIS AD MONTEM AMORRHÆI, id eſt, accedere cœpiſtis: neque enim adhuc ad montem illum regni Amorrhęorum, ſcilicet Og & Baſan tunc in Cadeſbarne acceſſerant, quamquam montes Amorrhæi cùm dicantur ad habitatoribus Amorrhæis, etiam fuiſſe videntur apud Cadeſbarne, ſed alij à ſupradictis in regno Og: hinc enim v. 44. Amorrhæi pugnant cum Iſraëlitis: qui iidem vocantur Num. 14. v. 45. Chananæi habitantes in montibus.

46. SEDISTIS ERGO IN CADESBARNE MVLTO TEMPORE. Hebraïcè additur, ſecundum dies quibus manſiſtis. Ex quo colligunt Hebræi in fine c. octaui Seder Olam, Rabba, & ſequitur Genebrard. l. 1. Chronologiæ, Iſraëlitas hæſiſſe in Cadeſbarne primo 19. annos, poſt murmur ſcilicet primum, quo nolebant in terram promiſſam ingredi: deinde cùm iterum aduerſus Deum inſaniiſſent, vel vt Genebrardus, aduerſus Dei oraculum cum Amalecitis pugnaſſent, in pœnam aliis 19. annis in Cadeſbarne manſiſſe: & iſtud hoc loco in Hebræo volunt ſignificari. Sed reuera non eſt niſi Hebraiſmus, vnde noſter nihil myſterij in eo latêre iudicauit. Incertum eſt ergo quamdiu ibi manſerint. Et ſanè cap. ſeq. verſ. 14. indicatur eos non tam diu hæſiſſe vno loco, cùm dicantur 38. annos ambulaſſe à Cadeſbarne vſque ad torrentem Zared, vt verſ. 1. eiuſdem cap. dicitur.

CAPVT II.

ET CIRCVIVIMVS MONTEM SEIR LONGO TEMPORE, id eſt, Idumæam, quæ tota montoſa eſt, & vocatur mons Seir, id eſt mons Eſaü; ille enim Seïr dictus eſt, quia piloſus, hinc poſt circuitus, illos dicitur eis:

3. ITE CONTRA AQVILONEM, id eſt, rectà verſus Palæſtinam, quæ in deſerto Pharam & Sin commorantibus eſt ad aquilonem: hæc enim eis dicta ſunt cùm venirent poſt multorum annorum peregrinationem à mari rubro per Cades verſus Idumæam, vt patet ex ſequentibus.

4. TRANSIBITIS PER TERMINOS FILIORVM ESAV, id eſt, iuxta illos, inquiunt aliqui. Nam Num. 20. v. 21. dicuntur Idumæi tranſitum negaſſe, ſed hîc infrà v. 8. & 29. paret eum tandem per extremitatem finium fuiſſe conceſſum ab eis ſcilicet Idumæis, qui magis orientales erant & Moabitis viciniores.

10. ENIM PRIMI FVERVNT HABITATORES EIVS, ſcilicet Ar, ſeu terræ Moabitarum, Emim autem dicti ſunt, quaſi terribiles, nam *Ema* terrorem ſignificat, quamuis alii malint Emim dictos ab *amma* cubitus; q. d. populum menſuratum, ſeu magnum. Hinc dicuntur tam magni fuiſſe, vt de Enacim ſtirpe, quaſi gigantes viderentur. Enac autem habitabat in Hebron, vt eſt Ioſue 15. verſ. 13. & 14. cuius poſteri erant corpore gigantæo, vt patet Num. 13. verſ. vlt. & hic v. 11. & 21. afferuntur velut norma cæterorum gigantum.

12. IN SEIR, id eſt, Idumæa, PRIVS HABITAVERVNT HORRÆI. Ita dicti à cauernis montium Idumææ, in quibus habitabant. Nam Chor ſignificat cauernam aut foramen, vnde Chorrim Horræi. Expulerunt autem eos filii Eſaü, & habitauerunt pro eis, SICVT FECIT ISRAEL IN TERRA POSSESSIONIS SVÆ, ſcilicet in terra Og & Baſan, quod iam contigerat: vel certè præteritum ponitur pro futuro, loquendo de terra trans Iordanem: niſi malimus intelligere hæc verba in præterito eſſe poſita ab eo qui poſt mortem Moyſis digeſſit omnia.

14. TEMPVS AVTEM, &c. FVIT 38. ANNO-

uum: quibus ſi addas vnum annum, & aliquor menſes, qui fluxerant antequam venirent in Cadeſbarne, habebis 39. annos & amplius, & quadrageſimus adhuc currebat.

20. & 21. Qvos Ammonitæ vocant Zomzommin, Hebr. Zamzum nim à *zamam* cogitare, moliri, maximè ſcelus aliquod, quaſi qui magna ſcelerataque cogitarent & molirentur, vnde aliqui verrunt præſumptuoſos, iidem videntur eſſe Zuzim, de quibus Geneſ.14. Quos Zomzommim. Delevit Dominvs et fecit illos Ammonitas habitare pro eis, quæ quidem omnia de variis gigantibus eo ſcopo afferuntur, vt eos oſtendat facilè etiam ab Iſraëlitis veris hęredibus promiſſionum Abrahæ eſſe explendos, ſi potuerunt expelli à Moabitis & Ammonitis, qui non erant niſi ex Loth cognato Abrahæ, vel ex poſteris Eſaü, non ita dilecti à Deo.

23. Hevæos cappadoces expvlervnt. Qui fuerunt hi Cappadoces tetigimus in cap. 10. Gen. Porrò quia Heuæorum terra Abrahæ quoque promiſſa fuerat, hinc meritò omnes qui Heuęis ſucceſſerunt à Iudæis expelli poterant, ſiue Cappadoces illi fuerint, ſiue Philiſtæi, vnde & Gaza, vna ex ſatrapiis Philiſtinorum de qua hic, pertinebat ad ſortem Iudæorum.

26. Misi ergo nvntios, &c. oſtendere voluit Moyſes etiam poſitis promiſſionibus Dei non eſſe humanam prudentiã negligendam. Nam iſta legatione hoc obtinuit, vt omnibus conſtaret iuſtiſſima belli cauſa, vtpote negatio innoxii tranſitus, per quem debebant ad terram ſibi promiſſam pertingere. Noluit ergo illum Rex Heſebon concedere.

30. Qvia indvraverat Dominvs spiritvm eivs, negando ei lumen, & conſilium quo videret quid ſibi expediret, aliaque obiicienda animo, quibus ad reſiſtendum animaretur, iuxta ea quæ latiùs diximus in Exodo de modis obdurandi Pharaonis. Cauſa autem obdurationis huius non tacetur: vt ſcilicet traderetvr in manvs tvas, id eſt, vt vinceretur, quod fieri non poterat niſi reſiſteret; non autem reſiſteret, niſi corde obdurato, inquit Aug. q. 2. in Deut. Habuit autem hęc obduratio ſine dubio etiam cauſam ex parte Seon & populi, peccata ſcilicet, tum iniquæ occupationis terræ Moabitarum, tum alia ſcelera grauiſſima propter quę delerentur.

34. Cvm mvlieribvs et parvvlis. Iuxta præceptum, quod datur infra cap. 20. v. 16. De ciuitatibus, quæ dabuntur tibi, nullum omnino permittes viuere, idque vt magis omnem idololatriam, & mores incolarum deteſtarentur.

Capvt III.

11. Solvs qvippe Og restiterat de stirpe gigantvm, in terra ſcilicet Baſan. Nam conſtat in ipſa Chanaan, non ſolùm tunc exſtitiſſe gigantes filios Enacim, ſed etiam tempore Dauidis.

Monstratvr lectvs eivs ferrevs, ſiue quo quotidie vtebatur, ſiue lectus funebris, in quo tamquam crate ferrea inter aromatum ſtrues corpus combuſtum fuerat Iudæi tamen tradunt lectum iſtum fuiſſe cunas Og: pedem enim adulti poſtea fuiſſe centum viginti cubitorum, ſed aniles nugæ ſunt multoque maiores illæ quas de victoria contra Og obtenta fabulatur apud Lyranum in iſtud c. 3. & in c. 21. Num.

In Rabbath filiorvm Ammon. Cecidit hęc in ſortem tribus Gad, eò quod quamuis eſſet ciuitas Ammonitarum, ab Og tamen fuiſſet occupata, & ei erepta. Rabba dicta eſt propter magnitudinem: in cuius obſidione Vrias periit. Poſtea à Ptolomęo Ægypti Rege vrbs & regio ſubiugata, & Philadelphia nuncupata eſt.

14. Iair filivs, id eſt, nepos Manasse, de quo dictum eſt in fine cap. 32. Numerorum, possidebit omnem regionem Argob, ita dictam ab vrbe Argob ſupra Iordanem ſita. Porrò Baſan de qua hic, a pinguedine ſoli nuncupata eſt; cedit in ſortem dimidiæ tribus Manaſſé. Incipit longitudo eius à torrente Iacob, vbi Iacob cum Angelo luctatus eſt, & finitur in confinis Damaſci. Latitudo eſt à monte Galaad vſque ad Iordanem & lacum Cenereth ſeu Genezareth, qui dicitur mare Galilææ.

17. Vsqve ad mare deserti. Mare

mortuum intelligit, ſeu lacum Aſphaltitem, AD RADICES MONTIS PHASGA, qui iſti mari eſt ad orientem, & ex quo infrà v. 27. Moyſes terram promiſſam contemplatus eſt. Patebat enim inde liberrimus verſus Iudæam & Palæſtinam proſpectus.

25. TRANSIBO IGITVR, Hebraicè, *tranſeam quæſo*: eſt enim oratio poſtulantis tranſitum. Nam Hebræi carent optatiuo, pro quo vtuntur futuro indicatiui. ET MONTEM ISTVM EGREGIVM, Moria ſcilicet, in quo Abraham obtulit filium ſuum, & poſtea templum ædificandum erat.

CAPVT IV.

1. NON ADDETIS AD VERBVM QVOD VOBIS LOQVOR, NEC AVFERETIS EX EO. Quod idem eſt cum eo quod c. 5 v. 32. dicit: *Non declinabitis neque ad dexteram neque ad ſiniſtram.* Præcipitur enim vt mandata Dei, de quibus tantùm hîc ſermo eſt, accuratè compleantur, neque addendo id quod ipſe vetuit, neque auferendo id quod ipſe præcepit, vt explicat S. Baſilius in Reg. breuius diſputatis. Reſpon. prima. Hoc eſt, præcipit non tranſgredi præcepta Dei ſiue negatiua quod fit addendo, ſiue affirmatiua quod fit auferendo. Idcirco enim tam ante verba iſta præcedit, *Audi præcepta vt faciens ea viuas*, quàm immediatè pòſt ſequitur: *Cuſtodite mandata Domini quæ præcipio vobis*; quod ipſum verſu 5. & 6. proſequitur. Ita vt manifeſtiſſimum ſit de accurata obſeruatione mandatorum agi, ſine additione vetitorum vel omiſſione præceptorum. Vnde conſequenter patet non agi de non adiiciendis aliis mandatis ſiue ſcriptis ſiue traditis ad ea quæ hîc in Pentateucho præcipiuntur, ſed de non falſificandis hiſce præceptis Dei non tantum in docendo ſed maximè in agendo. Multa enim addi poſſe, & reipſa fuiſſe addita patet ex præceptis Iudicum, Regum & Pontificum apud Iudæos quibus ipſe Moyſes cap. 17. verſu 10. ſub pœna mortis iubet obediri. Deinde non loquitur hîc Moyſes de omnibus omninò præceptis Dei, ſed de ſolis illis, quæ hîc in Deuter. proponuntur: vbi omittuntur plurima quæ in reliquis Pentateuchi libris adeoque in tota Scriptura ſacra, quæ poſtea adiecta fuit, obſeruanda præſcribuntur. Tertiò ea ipſa quibus hîc nihil addi vel auferri præcipit, maxima ex parte ſunt ceremonialia veteris legis, quæ non amplius obſeruare licet, ſed tamen pro tempore iſtius legis accuratè obſeruanda iubebantur. Vnde ſicut lex vetus magna ex parte ceremonialis fuit, ita & hæc, quæ ſuper illam legem cadit, nec magis obligat, quàm illa ipſa lex cui nihil addi vel auferri præcipitur. Quartò non ait *ad verbum* quod ſcribo, ſed *ad verbum quod vobis loquor*, multa verò dicta fuerunt à Deo ſiue iubendo ſiue vetando, ſiue permittendo, quæ non ſunt ſcripta in Deuteronomio vel Pentateucho, vt per ſe notum eſt. Ex quibus patet quàm ineptè hæc eò torqueant Hæretici, vt omnes traditiones non ſcriptæ his verbis proſcribi videantur.

6. HÆC EST ENIM VESTRA SAPIENTIA, id eſt, obſeruatio mandatorum iſtorum efficiet vos ſapientes & demonſtrabit eſſe coram omnibus: ita vt his præceptis auditis admirabundi dicturi ſint.

EN POPVLVS SAPIENS, &c. Neque enim ſignificat ſapientiam eorum in eo eſſe ſitam, vt homines hæc dicant, ſed iſtud ex obſeruatione iſta conſecuturum.

7. NEC EST ALIA NATIO TAM GRANDIS, ſeu tãtæ excellentiæ ac dignitatis, QVÆ HABEAT DEOS APPROPINQVANTES SIBI, nempe primò tota conuerſatione, vtpote qui in colũna nobis præit, in nube nos protegit, per tabernaculum in medio habitat, per oracula nobis colloquitur, ac dubia reſoluit. Secundò *appropinquantes* exaudiendo ſcilicet obſecrationes, & neceſſitates noſtras, vt ſequitur. Nam vt Pſalmus, Propè eſt Dominus inuocantibus eum in veritate. Tertio quia ipſemet legem & ceremonias de cœlo nobis tulit, quod nulli nationum cõtigit: hunc enim appropinquandi modum poſtulat verſus octauus qui velut ratio ſubiungitur. Omnia iſta maiori ratione conueniunt populo nouæ legis, propter admirabilem propinquitatem Dei per carnem aſſumptam, & habitationem perpetuam in Euchariſtia, ex quibus reliqua conſequuntur.

9. NE OBLIVISCARIS VERBORVM, &c. id eſt, rerum coram oculis tuis geſtarum. *Verbum* enim apud Hebræos rem ipſam vſitatiſſimè ſignificat, vnde addit: QVÆ VIDERVNT OCVLI TVI. Intelligit enim ea portenta quæ viderant in prima legiſlatione de monte Sinai. De quo dicit, quòd

11. ARDEBAT VSQVE AD CÆLVM, per hyperbolen ſignificando quòd vehementer & altiſſimè flammas euomeret. Qua phraſi dicuntur vrbes *ad cœlum vſque munitæ* c. 1. v. 28 quamuis Hebraica hìc legant, *Ardebat vſque ad cor cœli*. intellige non eius cœli in quo ſunt ſidera, ſed ætherei in quo nubes, quaſi dicat: vſque ad medium cœlum. Nam illo loquendi modo dicuntur montes transferri in cor maris, id eſt, in medios ſeu in ipſos fluctus maris, Chriſtus dicitur fuiſſe in corde terræ, id eſt, in ipſa terra.

12. ET FORMAM CORPOREAM PENITVS NON VIDISTIS. Quod infrà verſ. 15. iiſdem verbis Hebraïcis dicitur: *non vidiſtis ſimilitudinem aliquam* nempe cuiuſquam rei corporeæ, maris, fœminæ, beſtiarum, &c. vt explicat v. 16. & ſeq. perſtringit enim inſanias Ethnicorum, quas ibid. depingit.

13. ET OSTENDIT VOBIS PACTVM, id eſt, conditionem pacti legem ſcilicet vobis manifeſtauit.

20. VOS AVTEM EDVXIT DE FORNACE FERREA ÆGYPTI, id eſt, de ſeruitute Ægyptiaca quæ inſtar fornacis in qua ferrum paratur & funditur, affligebat & probabat vos: alludit enim ad fornaces in quibus coquebant lateres in Ægypto, & fortaſſis etiam in ferro metalliſque laborabant.

24. QVIA DOMINVS DEVS TVVS IGNIS CONSVMENS EST, id eſt, inſtar ignis conſumit eos qui idolis adorandis aliorumque præceptorum tranſgreſſione maieſtatem eius offendunt. Hanc enim ignis & conſumptionis rationem clarè explicat infrà cap. 9. verſu 3. & hìc ſtatim, dum vocat Deum *æmulatorem*, quia alios Deos quaſi riuales non patitur, neque ſinit caſtitatem animæ ſibi dicatæ aliorum Deorum cultu impunè violari. Pleríque Patres Deum ignem conſumentem vocant, quia inſtar ignis purgat animam, & ligna & fœnum, ſeu peccata conſumit, ita Origen. Hom. 5. in Leuit. Hilarius in Pſal. 118. Gregor. Hom. 5. in Ezech. verum hoc eſt, ſed alterum magis ſpectat ſcopum huius loci.

26. TESTES INVOCO HODIE CÆLVM ET TERRAM. Teſtari non poſſunt cœlum & terra, vtpote inanimata. Per cœlum igitur & terram, cœli & terræ totius inhabitatores intelliguntur, homines, Angeli, Deus, vt tradit Hieronymus & Baſilius in v. 2. cap. 1. Iſaiæ. Sic enim qui iurat per cœlum, iurat in throno Dei & in eo qui ſedet ſuper eum, vt tradit Chriſtus Matth. 23. v. 22. Vtuntur tamen præcipuè Prophetæ huiuſmodi proſopopæis ad res inanimatas vt oratio grauior ſit & magis pathetica, & vt ſciant auditores per iſtas creaturas, quæ velut teſtes inuocantur, tamquam creatoris nutui ſubiectas, à ſe pœnas eſſe repetendas.

32. INTERROGA DE DIEBVS ANTIQVIS, id eſt, de factis quæ præteritis temporibus cōtigerunt. A SVMMO CÆLO VSQVE AD SVMMVM EIVS. Hebr. *ab extremo cœli*, &c. id eſt, ab vno extremo vſque ad alterum, ſiue ab oriente vſque in occidentem: quaſi dicat, interroga de omnibus quæ olim toto orbe acciderunt: vtrum contigerit ſimile quid, vt audiretur vox Dei loquentis.

33. SICVT TV AVDISTI ET VIXISTI, ita ſcilicet vt maieſtas Dei apparentis & tam terribili voce loquētis te non occiderit: per quod notat Dei erga ipſos benignitatem inuſitatam. Cùm enim Danieli appareret Angelus, iacuit conſternatus quaſi mortuus Dan. 10. Nam cùm ſtatus legis veteris eſſet timoris ac terroris, Deus etiam ſanctis apparebat auguſtus ac terribilis. Vnde tunc inſita fuit hominibus opinio ſe Deo viſo morituros. Latiùs hoc exequitur Moyſes c. 5. v. 24. & ſeq. & exempla videre licet Iud. 13. in parentibus Samſonis, & Tob. 12. v. 16.

34. SI FECIT DEVS VT INGREDERETVR, id eſt, interroga vtrum vnquam venerit Deus, vt tolleret ſibi peculiarem gentem, &c. ingreſſus autem ille ſeu aduentus non ſignificat motum Dei, ſed operationem, qua populum iſtum liberando ex Ægypto ſibi iunxit, idque

PER TENTATIONES, quibus fiduciā tuam.

in ſe, hoſtiumque animum flexibilitatem, duritiam tentauit & in lucem protulit.

Et horribiles visiones, pro quo Hebræa legunt *terrores magnos*, ſiue qui illis in triduanis tenebris per ſpectra contigerunt, ſiue in occiſione primogenitorum, quando timebant ne omnes morerentur.

43. Bosor in solitudine. Sita eſt non procul à mari mortuo, in tribu Ruben; eſt autem diſtincta à Boſra ſeu Boſtro metropoli Arabiæ deſertæ, & ab alia Boſra in Idumæa. Ramoth in Galaad: erat enim prope montem Galaad ſita; quæ tempore Hieronymi erat magnus vicus. Et Golan in Basan, id eſt, in regione Baſanitide: vnde tota regio dicta fuit Golanitis ſeu Gaulonitis. Sita erat in medio dimidiæ tribus Manaſſe, & diſtabant iſtæ tres vrbes penè æquali ſpatio à ſe mutuò, vt ab omni parte pateret facilè refugium iis qui ignoranter hominem occidiſſent.

48. Ab Aroer vsque ad montem Sion, aliàs Seon. Mons iſte Sion longè diuerſus eſt ab illo notiſſimo monte Sion in Ieruſalem: nam ille Ieroſolymitanus ſcribitur per tſade, hic per ſin. Ille cis Iordanem eſt, hic trans illum, vocaturque alio nomine Hermon, Hebraïcè Chermon, à Sidoniis Sa-ion, ab Amorrhæis Sanir, vt eſt c. 3. v. 8. claudit dimidiam tribum Manaſſis ab ortu ſolis, & à ſeptemtrione verſus Damaſcum copulat ſe monti Libano. Vnde Cantic. 4. vertex Sanir & Hermon & Libanus & Amana tamquam ſibi contigui coniungũtur.

Caput V.

Non cum patribus nostris iniit pactum. Et tamen Exod. 24. clarè deſcribitur pactum cum patribus eorum qui tunc viuebant, initum. Vnde alij volunt eum de Abraham, Iſaac, Iacob & ſimilibus olim mortuis loqui: alii eſſe ſermonem de pacti obſeruatione, quæ non cœpit niſi in terra Chanaan. Sed rectius videtur poſſe dici, non cum patribus initum fuiſſe pactum; quia nec ipſi ex parte ſua pactum obſeruarunt, nec ex parte Dei effectum eius perceperunt, ſcilicet terram ſub pacti obſeruatione promiſſam, quæ iam ex parte data fuerat, & mox tota danda filiis eorum: ita Theod. qu. 1. & ferè Aug. qu. 9. in Deut. Et tamen dicitur hîc Deus pepigiſſe fœdus in Horeb nobiscum, quia ſaltem plurimi eorum qui tempore legiſlationis in Horeb fuerant infra 20. annos, poterant eorum meminiſſe quæ ibi geſta ac dicta fuerant, vt ibid. Aug notat.

4. Facie ad faciem locutus est nobis, id eſt, præſens præſentibus ſine vllo internuncio, ne quidem ipſo Moyſe, locutus eſt decalogum. Vtitur enim iſta phraſi non quod vllam ſimilitudinem oculis viderint, quod ſuprà negatum fuit, ſed propter euidentiam rerum, & quodammodo præſentiam manifeſtatæ diuinitatis de qua dubitare nemo poſſet, vt Auguſt. loc. cit.

5. Ego seqvester et medius fui. Vnde Apoſtolus ad Galat. 3. v. 19. vocat Moyſen mediatorem, vtpote qui maieſtatem Dei & vtilitatem populi tamquam nimium à ſe diſtantes velut internuncius ac medius inter ſe coniungeret. Vnde nihil abſurdi ſi & ſancti mediatores, id eſt, interceſſores vocentur, licet alia ratione quàm Chriſtus 1. ad Timot. 2. vtpote qui ratione aſſumptæ naturæ & proprij meriti vnus eſt mediator Dei & hominum. Qui hîc ſequitur decalogus explicatus eſt latè Exod. 20.

32. Non declinabitis neqve ad dexteram neqve ad sinistram. Dextra & ſiniſtra hîc ſumuntur vt duo extrema, prout vtrumque opponitur alicui tertio tanquam medio, à quo vtrimque vitioſe recedatur. Eſt enim locutio metaphorica deſumpta à viis vbi inter deuia ad dexteram vel ſiniſtram, via recta eſt medium. Vnde conformiter medium hoc loco eſt medium virtutis à quo receditur exceſſu vel defectu: vel eſt ipſa iuſtitia ac veritas mandati à qua receditur vel faciendo vetitum, vel non faciendo præceptum: iuxta dicta c. 4. v. 2. Subinde tamen ſumuntur dextra & ſiniſtra non vt opponuntur diuerſis modis alicui tertio, ſed prout inter ſe tantùm opponuntur, ita vt dextera ſumatur in bonum, ſiniſtra in malum, prout accipiuntur Matth. 25. & in Prouerb. vbi Dominus dicitur nouiſſe vias quæ à dextris ſunt; peruerſas verò eſſe quæ ſunt à ſiniſtris.

Capvt VI.

4. Dominvs vnvs est. Irenæus l. 4. c. 2. videtur de Patre intelligere. Rectiùs cum Theod. dixerimus, ipſius diuinæ ſubſtantiæ ſeu eſſentiæ vnitatem apertè deſignari, ſic tamen vt propter infirmitatem auditorum, qua ad pluralitatem Deorum fabricandam proni erant, occultius inſinuetur trinitas perſonarum, ſemel ponendo Deus, bis Dominus. Quod quidem apertius fit in Hebræo textu, qui legit, Deus, Deus noſter, Deus vnus eſt: quemadmodum fit etiam Pſal. 66. Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus: *Noſter* enim additum ſecundo loco verbum incarnatione noſtrum factum aptè deſignat. Diliges Dominvm Devm tvvm: Hebraïcè eſt, *& diliges*, quaſi diceret: itaque quia Deus tuus Deus vnus eſt, in eum totum amorem tuum conuerte. Et vt intelligeremus hoc diſtinctiùs, addit, ex toto corde tvo, &c. vbi obſeruat Baſilius in Pſalm. 44. & Theod. qu. 3. per iſtud (*ex omni*) præcipi nobis vt non ſcindamus dilectionem in dilectionem Dei & rerum inferiorum Deo: quantum enim in ea dilectionis impenderis, tantum Deo ſubtrahi neceſſe eſt. Sed quia fundata iam in animo Dei dilectione, vnicuique rei, liberis, fratribus, vxoribus, cæteriſque omnibus, vtilia ex eiuſdem iſtius diuinæ dilectionis legibus quærenda ſunt (ſic enim Deus ipſe quem diligis, iubet) hinc fit, vt quidquid aliud iſto modo diligendum, in animum venerit, illuc rapi debeat, quò totius iſtius dilectionis impetus currit. Tota enim iſta proximorum dilectio in illam dilectionem Dei referenda eſt quæ nullum à ſe riuulum extra ſe duci patitur, cuius deriuatione minuatur, vt Auguſt. lib. 1. de doctrina Chriſtiana capite 22.

Maxima autem eſt ſententiarum diuerſitas in aſſignando diſcrimine cordis, animæ, mentis, fortitudinis, virium. Iuxta Aug. loco citat. cor ſignificat cogitationes, anima vitam, mens intellectum. Iuxta Nyſſenum libr. de creatione hominis cor deſignat animam vegetabilem, anima ſenſitiuam, mens intellectiuam. Alij putant hęc omnia vnum idemque ſignificare & ad maiorem tantum energiam repeti: eius ſignum eſſe quòd aliquando aliquod eorum omittatur. Sed hoc nihil probat, niſi vel præceptum iſtud ſubindè non plenè exprimi, vel eorum vnum ex alio intelligi poſſe. Rectiùs igitur & veriſimilius videtur dici quòd cùm dilectio ſit voluntatis actus, voluntas ipſa per cor ſignificetur. Nam ſicut cor eſt principium omnium corporalium motuum, ita voluntas maximè quantum ad intentionem finis vltimi qui eſt obiectum charitatis, eſt principium omnium omnino motuum ſpiritualium, & ideo vbicumque præceptum iſtud ponitur, ſemper cor ponitur primo loco, tamquam fons iſtius dilectionis. Tria autem ſunt principia actuum quæ mouentur à voluntate, ſcilicet intellectus ſignificatus per *mentem* Matth. 22 v. 37. & vis appetiua inferior deſignata per *animam*: & vis executiua exterior omnium actionum, quæ exprimitur hîc per *fortitudinem*, & Marci 12. v. 30. per *virtutem*, & lucæ 10. v. 27. per *vires*: eadem enim iſta tria ſunt. Pręcipitur igitur vt tota noſtra intentio feratur in Deum quod eſt ex toto corde: & vt intellectus noſter ſubdatur Deo maximè per fidem quod eſt ex tota mente: & vt appetitus noſter inferior regatur ſecundùm Deum quod eſt ex tota anima: & vt exteriores actus noſtri obediant Deo, quod eſt ex tota fortitudine, ſeu virtute, ſeu viribus: ita ferè D. Thom. 2. 2. quæſt. 44. articulo 5. Ex quo patet quàm verè Aug. dicat loco ſuperiùs allegato, Nullam vitæ noſtræ partem hoc præcepto relinqui, quæ vacare debeat, & quaſi locum dare, vt alia re præter Deum velit frui. Et quia omnia iſta à voluntate veluti fonte & motrice & actrice omnium pedent, hinc ſtatim iterum repetit, *Eruntque hæc verba in corde tuo*: & mox ſequitur effectus eius:

7. Narrabis ea filiis tvis, maximè eandem dilectionem illis inculcando à qua pendet omnis lex & Prophetæ.

Et meditaberis in eis sedens, id eſt, tempore quietis, et ambvlans ſeu tempore laboris: dormiens Hebraicè decumbens, id eſt, dum cubitum concedis, nam dormiendo aliquis meditari non poteſt.

iubet hoc partim vt ratio repetatur eorum quæ contra iſtam dilectionem deliquerimus, partim vt animus eo quo poteſt modo etiam dormiens in iiſdem cogitationibus & affectibus verſetur. Nam vt Ariſtoteles 1. Ethic. Meliora ſunt in dormientibus phantaſmata ſtudioſorum, id eſt virorum bonorum. De quo enim ſatagit animus vigilans, hoc etiam dormienti obſeruatur.

Atqve consvrgens, vt à Deo omnis cogitationis, voluntatis, ac motus principium ſumatur; atque ita, vt ait Baſil. in regulis fuſiùs diſputatis, reſponſione 37. primi animi ac mentis noſtræ motus conſecrentur Deo, vt exinde omnis tenor operum noſtrorum formetur. Per hęc omnia ſignificatum voluit Scriptura, illam de diligendo Deo non tantum præcipuam, ſed ſolam eſſe debere curam, ita videlicet quidquid aliud homo velit, cogitet, agat, ex illa diſtinctione tamquam effectus fluat. Sic enim vniuerſa vita hominis ſiue vigilantis, ſiue dormientis non erit aliud niſi continua quædam dilectionis textura; tametſi multis veriſſimiſque actionibus variegata.

8. Et ligabis ea qvasi signvm. Similia habentur infrà cap. 11. v. 18. & 20. quæ ad litteram ita obſeruant in hunc vſque diem in quibuſdam locis Iudæi: vnde illa eorum phylacteria de quibus Chriſtus apud Matth. Qua in re non leguntur à Chriſto reprehenſi vnquam, neque reprehendi debet, quòd externis huiuſmodi ſignis ad legis diuinæ recordationem homines vtantur. Scopus tamen illius præcepti eſt, non ad huiuſmodi ceremonias præciſas obſtringere, ſed continuam legis recordationem inculcare, haud ſecus ac ſi manui, poſtibus & parietibus inſcripta eſſent, perpetuoque ob oculos verſarentur.

Capvt VII.

1. Septem gentes. Alibi decem ponuntur, vt Gen. 15. ſed hîc exprimuntur præcipuæ, ſub quibus comprehenduntur aliæ minoris rationis, vel certè poſt promiſſionem Abrahæ factam ante aduentum populi Iſraël in Chanaan, aliis permixtæ vel deletæ ſunt.

2. Percvties eas vsqve ad internecionem, partim in pœnam ſcelerum, partim ne vitia eorum tibi adhæreant vel eorum memoria tibi maneat, maximè autem ne ad idola ſua vos à cultu meo diſtrahant, hac enim de cauſa & matrimonia cum iis vetantur. Longè enim facilius infidelis fidelem quàm infidelem fidelis ad inſtitutum ſuum trahit, vt in infœlicibus matrimoniis hæreticorum cum Catholicis ſæpè experimur. Seueritas iſta etiam alia de cauſa adhibita fuit; vt inde colligerent Iudęi quid ſibi eſſet exſpectandum, niſi enormia iſta ſcelera cauerent.

10. Et reddens odientibvs se statim, nempè bona, ſi quæ meruerunt, vt vult Chaldæus & alii, vnde iſtud quod ſequitur, *ita vt diſperdat eos*, intelligunt de futurę vitæ perditione. Sed conuenientius videtur accipi, de pœnarum etiam huius vitæ inflictione. Et ita illud (*ſtatim*) intelligi debet quaſi diceret, etiam in hac vita, ita vt non exſpectet in futura, hoc enim ſæpiſſimè contingere viderunt, & tempore legis veteris, quæ tota in bonorum malorumque temporalium retributione verſabatur, maximè locum habuit.

13. Benedicetqve frvctvi ventris tvi, impertiia liberorum fœcunditate: quod beneficii genus tangit clariùs v 14. fœcunditas eſt enim verè donum Dei, & maximi fieri inter homines ſolet, pręcipuè eos qui futura bona non intelligunt, hinc magna illa poſteritas Abrahæ fructus diuinæ benedictionis ſæpius promiſſæ fuit, quæ etiam propter Meſſiam ex illa gente naſciturum maximè æſtimabantur.

22. Non poteris eas delere pariter, non quaſi non eâdem facilitate hoc Deus tribuere potuiſſet, ſed congruis vtitur mediis operans non ſolum fortiter, ſed & ſuauiter. Ratio autem huius prouidentiæ fuit, ne forte mvltiplicentvr contra te bestiæ, dum ſcilicet totam terram inhabitare nondum potes & colere. Eadem de causâ non tribuit Deus, vt vno impetu omnia vitia expugnentur, quia vt Auguſtinus dicit, Peior hoſtis eſt cauenda ſuperbia, quæ ex ſecuritate naſci ſolet, vnde ſæpè fit, vt, ſicut potentiſſimas nationes deleuerunt filii

Iſrael, & infirmiores non potuerunt, ita etiam maiora dona tribuat Deus, nec minora concedat, vt ſemper animus eorum in officio contineatur dum in ſe habet quod reprehendat, vt latiùs Gregor. libr. 4. Moral. cap. 22. aliàs 25.

CAPVT VIII.

1. VT AFFLIGERET TE ATQVE TENTARET, non quaſi Deus afflictionem tamquam afflictionem intendat, ſed affligit vt tentet, hoc eſt, afflictione probet animum hominis qualis ſit, ſiue erga Deum, ſiue erga alios, ſiue erga ſeipſum. Idque non vt ſciat Deus, ſed vt nos ſcite faciat hoc enim ſignificat id quod ſequitur, ET NOTA FIERENT, nempe tibi ipſi, QVÆ IN TVO ANIMO VERSABANTVR, homo enim vires animi ſui in obſeruandis mandatis Dei, nullo modo ſcire poteſt, niſi tentetur. Et ita per tentationes magnum illud bonum obtinet vt ſciat ſe, & vt liberetur à ſuperbia, qua plerumque decipitur, vt longè ſublimiora de ſe æſtimet quàm veritas patiatur.

3. QVOD NON IN SOLO PANE VIVAT HOMO, vos enim pane tot annos caruiſtis & manna vixiſtis, SED IN OMNI VERBO QVOD EGREDITVR DE ORE DEI, id eſt, in omni re quam voluerit aut iuſſerit Deus, verbum enim phraſi Hebraicâ pro re ſumitur vſitatiſſimè, vnde quod Greg. in c. 9. lib. 1. Reg. Ambr. & alii intelligunt hîc verbum Dei quo nutritur anima, verum quidem eſt, ſed non videtur eſſe ſenſus litteralis huius loci: maximè quia illud, *verbum*, deeſt in textu Hebraïco, ſolum enim habetur, *In omni quod egreditur de ore Dei*.

4. VESTIMENTVM TVVM NEQVAQVAM VETVSTATE DEFECIT. Ex quo neceſſe fuit, vt contra vſum, ſolidate quadam, & firmitate munitum fuerit, & cum paruulis veſtimenta creuerint, vt Rabbi Salomon etiam notauit. Neque enim in tanta deſerti penuria tanti temporis noua veſtimenta videntur haberi potuiſſe.

ET PES TVVS NON EST SVBTRITVS, de calceis videtur intelligendum, qui maximè teruntur: pedes enim magis inflantur veſicis quam teruntur, quia ambulando duriores fiunt. Hebraïcè eſt, Pes non intumuit. Quod enim Num. 11. v. 1. leguntur doluiſſe præ labore, fatigationem aliquam indicat, vel prætextum fatigationis, non læſionem de qua hîc.

9. TERRAM CVIVS LAPIDES FERRVM SVNT, id eſt, ex qua ferrum inſtar lapidum exſcinditur. Commendat enim Chananæam a fodinis mineralium æris ac ferri.

10. VT CVM COMEDERIS, BENEDICAS DOMINO, hinc apud Iudæos vſus crebro benedicendi cibis, etiam cùm diuerſa fercula in menſam afferuntur. Nam vino, & pani ſeorſim benedicunt, quem morem & Chriſtus obſeruauit Matth. 26.

11. 12. 14. CAVE NE POSTQVAM COMEDERIS, &c. ELEVETVR COR TVVM Abundantia quippe corporis, ſeu rerum corporearum cordis elationem parit, & hæc obliuionem Dei. Ex quo fit vt aduerſitas vtiliſſimus pedagogus ſit quo homo in Dei agnitione & timore ſeruetur.

15. IN QVA ERIT SERPENS FLATV ADVRENS, hi ſunt illi igniti ſerpentes, de quibus Num. 21. v. 6. à quibus morſi fuerunt Hebræi, vtrobique enim, & hîc & ibi eſt idem Hebraïcum nomen *Saraph*.

AC DIPSAS, id eſt, ſitire, quia quem ferit, ille ſiti perit, vnde Latinè ſitulam dici tradit Iſid. l. 12. Orig. c. 4. qui addit inferius tantæ eſſe exiguitatis, vt cùm calcatur, non videatur: eius venenum ante extinguit, quam ſentiatur, vt facies præuenta morte, nec triſtitiam induat morituri, ſub arenis ſolet deliteſcere in locis aridis. Commendat igitur Deus beneficentiam prouidentiæ ſuę, quod à tam noxiis ſerpentibus per tot annos non fuerint læſi, vnde poſt enumeratas eorum afflictiones, addit:

16. ET AD EXTREMVM MISERTVS EST TVI. Idcirco enim vel immittuntur, vel accidere ſinuntur, vt ab eis liberet Deus, & liberando ſe eſſe liberatorem oſtendat. Cauſa huius prouidentiæ eſt,

17. NE DICERES IN CORDE TVO, FORTITVDO MEA, &c. HÆC MIHI PRÆSTITERVNT id eſt, agnoſcas gratiam & beneficium meum, & manu quaſi tangas infirmitatem tuam. Nihil enim promptiùs hominis animum

mum

mum retorquet in Deum, quàm infirmitas agnita. Cùm enim naturaliter moleſta ſit, & homo ſuis ſe viribus ab ea liberari non poſſe videat, conſequens eſt, vt ſibi diffidens confugiat ad auxilium Dei. Et hæc eſt vera ratio tot tantarumque tentationum animi, quibus vita iuſtorum plena eſt, vt vel ſic tandem virium ſuarum infirmitatem, ac diuinæ gratiæ neceſſitatem addiſcant quod omnis veræ virtutis vnicum ſolidiſſimumque fundamentum eſt, quia virtus in infirmitate perficitur.

CAPVT IX.

4. NE DICAS IN CORDE TVO, &c. typus eſt iſte præclariſſimus reprobationis quorundam, & electionis aliorum ad vitam æternam. Rectiſſimè enim dicitur, eos qui reiiciuntur, propter iniquitates eorum reiici, eos tamen, qui eliguntur, non eligi propter iuſtitias ſuas, ſed ex bonitate Dei, vnde hîc dicitur:

6. CVM DVRISSIMÆ CERVICIS SIS POPVLVS, id eſt, peruicaciſſimus, & maximè rebellis in Deum, ne putes propter probitatem tuam te à Deo electum eſſe, vt terram patribus promiſſam poſſideres. Nam ex iſta profunditate diuinæ gratiæ etiam contingit, vt quamuis homo ab ineunte pueritia modeſtior, ingenioſior, temperantior, magna ex parte libidinum victor ſit, & tamen eo loco natus ſit, vt ei prædicari gratia Chriſtiana non poſſit, & pereat: alius verò tardus ingenio, libidinibus deditus, flagitiis, & facinoribus coopertus ita gubernetur, vt audiat, credat, baptizetur, rapiatur, aut ſi derentus hîc fuerit, laudabiliter viuat, vt latiùs declarat Auguſt. libr. 1. de peccatorum meritis cap. 22.

22. IN INCENDIO QVOQVE, TENTATIONE, ET SEPVLCHRIS, tria ſunt diſtincta loca, vbi variis modis Iudæi peccauerunt, ac ſe indignos Dei beneficiis præſtiterunt. Probat enim prolixè eos eſſe maximè rebelles, ac duriſſimæ ceruicis, ne putarent ſe propter iuſtitias ſuas electos, vt in Chananæã introduceretur. De incẽdio, ſeu incenſione agitur Num. 11. v. 3. de Tentatione Exod. 17. v. 7. de Sepulchris concupiſcentię Num. 11. v. vlt.

CAPVT X.

3. FECIT IGITVR ARCAM, ordo narrationis inuerſus eſt. Tabulę enim ſecundę dolatæ fuerunt, & lex eis inſcripta ex antequam arca fieret, vt Exodo manifeſtum eſt, ſimilis ordinis perturbatio eſt. v. 6

6. FILII AVTEM ISRAEL MOVERVNT CASTRA, &c. Nam propter arcam cuius cuſtodes erant ſummi ſacerdotes, & Leuitæ baiuli, interſerit per parentheſim aliqua de Aarone, Eleazaro, & inſtitutione Leuitarum, ad portandam illam arcam. Itaque mouerunt caſtra. EX BEROTH FILIORVM IACAN Hebraïcè, Beroth bene Iacan, quaſi diceres, Puteis bene Iacan, qui locus Num. 33. verſ. 30. vocatur ſimpliciter bene Iacan, eſt manſio 28. id eſt, 16. poſt diſceſſum e monte Sinaï: vnde non agitur hîc de prima motione caſtrorum ex Sinaï, venerunt autem IN MOSERA. Diſtinctus eſt hic locus à Moſeroth, Moſeroth enim eſt manſio 17. Moſera verò videtur idem eſſe locus cum monte Hor, & ita eſſe manſio 34. Nam Aaron dicitur ibi eſſe mortuus ac ſepultus: quod contigiſſe in monte Hor patet Num. 33. verſ. 38. & ibidem cap. 20. verſ. 22. & ſeqq. Itaque ex bene Iacan venerunt in Moſera, ſeu montem Hor, non immediatè, ſed aliquot caſtris interiectis.

7. INDE VENERVNT IN GADGAD. Illud (*inde*) non refert ocum proximum nempe Moſera, ſed remotiorem ſcilicet Beroth filiorum Iacan, quaſi diceret, ex Beroth venerunt in Moſera, vbi Aaron mortuus eſt, ſed ordine profectionum, & manſionum ex Beroth venerunt in Gadgad, &c.

8. EO TEMPORE SEPARAVIT TRIBVM LEVI, videtur loqui non de prima ſeparatione, quæ facta eſt in Sinaï, de qua Num. 3. nam illa contigit 34. annis antè caſtrametationes; quas hîc deſcribit ſcilicet ſecundo anno egreſſionis ex Ægypto, vnde hîc videtur fuiſſe facta noua confirmatio primę ſeparationis vel certè ſi loquatur de prima, dicendum erit Moyſem redire ad proſequendam narrationem ſuam, quam poſt verſum quintum interruperat, ita vt v. 6. & 7. quaſi per parentheſim interiecti ſint.

10. EGO AVTEM STETI IN MONTE SICVT PRIVS 40. DIEBVS, nempe ad placandam penitùs iram Dei: ſunt enim hi 40. dies illa ſecunda quadrageſimæ quam tranſegit Moyſes in monte poſt fractas primas tabulas: de qua eſt etiam ſermo c. 9. v. 18. & 25. ita vt etiam hîc ſit præpoſterus ordo, hic enim verſus naturali ordine ſubnecti deberet capiti 9. & poni ante caput 10. Præter iſtas tamen duas quadrageſimas tranſegit, & tertiam ad accipiendas tabulas nouas, de qua diximus in capite 34. Exod. verſ. 31.

12. ET NVNC ISRAEL QVID DOMINVS DEVS PETIT A TE? quaſi dicat, pro iterata toties peccatorum, & rebellionis venia quàm exiguum & facilè eſt id quod Deus petit à te, nempe vt primò eum timeas, & timore eius *ambules in viis eius*, ac denique perfectè diligas eum, ac ſeruias ei!

14. EN DOMINI DEI TVI CÆLVM CÆLI EST, id eſt, id quod reſpectu cœlorum viſibilium, ſiderei, ſcilicet & aliorum, habet rationem cœli, quia illos omnes omniaque in eis contenta ambitu ſuo complectitur.

15. ET TAMEN: quaſi diceret, cùm tantus ſit, omniaque in ipſius poteſtate ſint poſita, tamen amoris benignitate PATRIBVS TVIS CONGLVTINATVS EST, &c.

16. CIRCVMCIDITE IGITVR PRÆPVTIVM CORDIS VESTRI. Quid hoc ſit, indicant verba ſeqq. explicationis loco ſubiecta, ET CERVICEM VESTRAM NE INDVRETIS AMPLIVS. Tribuitur enim cordi præputium metaphoricè ad ſignificandam generalem eius immunditiam, quâ ſublatâ dicitur cor circumcidi.

21. IPSE EST LAVS TVA, ſiue qua laudaris ab aliis nationibus, ſiue qua tu ipſe laudas Deum. Priori modo laus ſumitur paſſiuè, & ſenſus eſt quòd Deus ſit laus tua, id eſt, cauſa cur lauderis eo ipſo, quo ſicut ſequitur, fecit tibi hæc magnalia. Poſteriori modo, laus ſumitur actiuè, idque pro obiecto laudis, quia Deus eſt ille quem laudare debemus, tum propter beneficiorum multitudinem, tum verò maximè propter excellentiam maieſtatis: & hoc maximè videtur hîc intendi.

CAPVT XI.

2. COGNOSCITE HODIE, id eſt, perpendite ſedulò ea QVÆ IGNORANT FILII VESTRI. Quia in deſerto nati ſunt poſt illa mirabilia in Ægypto & in deſerto parata. ET NON VIDERVNT DISCIPLINAM DOMINI, Hebr. caſtigationem; qua ſcilicet, tum Ægyptii, tum rebelles Iſraëlitæ in deſerto puniti ſunt. Hæc autem verſu 7. dicuntur *oculi eorum vidiſſe*, quia cùm ea in Ægypto acciderent plurimi eorum qui tunc viuebant, infrà vigeſimum annum conſtituti erant, & ea potuerant vidiſſe.

10. TERRA ENIM, &c. Hæc ratio, ſicut & illa aduerſatiua, *ſed montoſa eſt*, &c. *quam Dominus inuiſit ſemper*, & illa illatio v. 13 *ſi ergo obedieris*, &c. indicat ſatis magnam illam vbertatem terræ promiſſæ, quamuis aliquam haberet cauſam ex parte ſoli, magna tamen ex parte de peculiari Dei benedictione profluiſſe. Vnde v. 17. minatur eã ſe ſubtracturum, & ſæpè ſubtracta in Prophetis legitur, & nunc ipſa experientia teſte comprobatur. Tanta eſt enim vaſtitas eius & ariditas, vt vix quiſquam crederet tam fertilitatem eius olim eſſe potuiſſe.

14. DABIT PLVVIAM TEMPORANEAM, quæ tempeſtiuè cadit, ſcilicet ipſo ſementis tempore, vt ſemina germen figant: ET SEROTINAM, quæ ſerò cadit, vt fruges matureſcant. Nam vtraque pluuia maximè neceſſaria eſt; ſub quibus extremis omnis pluuia opportuna, comprehenditur. Non ergò vocatur temporanea, vel ſerotina reſpectu anni, ſed frugum; nam annum intuendo ſerotina magis erat tempeſtiua vtpote quę caderet circiter menſe Aprili, vel Maio; temporanea verò menſe Octobri cùm ſemina iaciuntur.

24. A DESERTO ET LIBANO. Deſertum ad meridiem eſt interiectâ Idumæâ, Libanus ad ſeptemtrionem, Euphrates ad orientem, mare ſcilicet mediterraneum ad occidentem. Vnde à quatuor plagis hîc terminatur eorum terra: quæ quidem obedientibus promittitur poſſidenda, quamdiu cęlum imminet terræ, vt eſt v. 21. id eſt, in perpetuum; quamdiu ſcilicet humanum.

genus in terra victurum eſt. Et hoc ſanè es præſtitum ſine dubio fuiſſet, niſi peccaris expelli meruiſſent.

26. En propono in conspectu vestro benedictionem; id eſt, propono vobis alterutram, quam volueritis eligendam; acerrimo enim ſtimulo vrget eos ad eligendam benedictionem, eo ipſo quo vtramuis hominis electioni permittit. Nemo enim eligit maledictionem volens. Eſt autem euidentiſſima probatio libertatis arbitrii, quæ in electione maximè verſatur, tametſi bonum ſine adiuuante gratia eligi nequeat.

29. Pones benedictionem svper montem Garizim, quia ſex illæ tribus quæ benedictionem obſeruatoribus legis proclamabant, collocatæ fuerunt in monte Garizim: ſex autem quæ maledictionem, in monte Hebal, vt infra latiùs cap. 27. Sunt autem Garizim & Hebal duo cacumina vnius montis altiſſimi in terra Samariæ.

30. Qvæ est ivxta vallem tendentem et intrantem procvl, id eſt, vallem ſpatioſam, latam atque monſtrabilem. Eſt autem iuxta Sichem, ibi enim ſunt montes Garizim & Hebal altiſſimi, vt Ioſephus & alii teſtantur. Quia verò in monte Garizim, ſex potiſſimè tribus conſtitiſſent, & benedictio inde eſſet promulgata, à poſteris fuit præcipua veneratione frequentatus causâ ſacrificii & orationis, vnde & tẽpore Alexandri Manaſſes frater Iaddi Pontificis ædificauit ibi templum, cuius primum Pontificem egit, quod pluris à Samaritanis fiebat quàm Hieroſolymitanum, de quo Ioſephus libro 11. Antiquit. cap. vlt.

Capvt XII.

Hactenùs generalem præmiſit exhortationem ad Dei præcepta ſeruanda, idque ex amore Dei, cuius mandatum in præcedentibus inculcatum fuit, nunc ad peculiaria quędam præcepta deſcendit, quæ ex decalogo velut concluſiones ex principiis educuntur, & primò quidem de tollendis omnibus veſtigiis idololatrię quę omnium malorum apud Iudęos fons fuit.

2. Svbter omne lignvm frondosvm. Nam in lucis deos ſuos Gentiles ſolebant colere, certaſque arbores iis conſecrare, quibus eos delectari putabant.

3. Disperdite nomina eorvm, hoc enim extremum eſt, quod ex idololatria ſupereſſe poteſt. Ita hîc deleri vult omnia eius veſtigia, vt ne nomen quidem, & conſequenter memoria eius quæ per nomina ſaltem conſeruari ſolet, ſuperſit. Hinc ille conatus antiquorum Pontificum, quo dies ſeptimanæ per ferias diſtingui voluerunt, vt nomina Iouis, Veneris, Martis & ſimilium, ex vſu quotidiano perirent.

4. Non facietis ita Domino Deo vestro, vbilibet locorum & aras & lucos eligendo, vt ei montibus & collibus quibuſlibet ſacrificetis.

5. Sed ad locvm qvem elegerit Dominvs, venietis, qui primò fuit, Silo, Ioſue 18. v. 8. & ſeqq. Nam toto tempore Iudicum vſque ad tempus Heli, fuit ibi tabernaculum & altare, vide 1. Reg. 1 verſ. 2. & ibid. cap. 3. v. 3. Deinde fuit Nobe, vt patet 1. Reg. 21. v. 6. Deinde tranſlatum fuit vnà cum altari in Gabaon, etſi arca eſſet in alio tabernaculo à Dauide extructo in Hieruſalem, vt patet 2. Paralip. 1. v. 3. & ſeqq. Ac poſtremò fuit Hieruſalem poſt extructum templum Salomonis.

6. Et offeretis in loco illo holocavsta, quaſi diceret, & nuſquam alibi. Et hinc eſt quòd toties Scriptura quæritur de excelſis erectis, aut non deſtructis, id eſt, de aris quas in collibus erexerant ad ſacrificandum. Hoc enim ex iſta lege illicitum erat, niſi Deo iubente fuiſſet factum, quemadmodum à Dauide, Samuele, Elia factum fuit.

7. Ac lætabimini in cvnctis ad qvæ miseriis manvm, epulando ſcilicet coram Domino, ſeu in atrio coram tabernaculo ex omnibus bonis, quæ labore veſtro pepereritis, dum ex iis hoſtias pacificas offeretis Deo, ex quibus pars laicis in epulum cedebat, nec enim mœror animi, ſed gaudium Spiritus placet Deo, iuxta Pſal. *Iuſti epulentur & exultent in conſpectu Dei, &c.*

8 Non facietis ibi qvæ nos facimvs hic hodie singvli qvod sibi rectvm videtvr, non quaſi nulla eſſet in deſerto po-

puli diſciplina, ſed quòd quemadmodum ſuprà monuimus, ad ſacrificia, oblationes, decimas, primitias & ſimiles ceremonias legis non obſtringerentur, cuius ratio datur, eò quòd nondum veniſſent AD REQVIEM ET POSSESSIONEM promiſſam, qui ſenſus magis declaratur v. 11. & 12.

15. SIN TE ESVS CARNIVM DELECTAVERIT, ſcilicet extra ſacrificium, COMEDE IVXTA BENEDICTIONEM DOMINI, id eſt, ex iis comede pecoribus, quæ Deus tibi ſuâ benedictione largitus eſt, ſine obſeruatione diſcriminis quòd animal ſit MVNDVM, SIVE IMMVNDVM, nempè non ad cibum (neque enim conceditur hîc, vt talia animalia immunda comedant, v. g. porcos, equos, aſinos, &c.) ſed ad ſacrificium, vnde immunditiam illam ſtatim explicat textus noſter per MACVLATVM, vt ſi eſſet animal cæcum, &c. quæ ſolent maculæ, non autem immunditiæ vocari, omnia igitur iſta, SICVT CAPREAM ET CERVVM COMEDES, quia illa ſcilicet comedere licet, Deo autem ſacrificare non licet. Hebræus textus magis refert illam immunditiam ad ipſos comedentes quàm ad res comedendas: legit enim, *mundus & immundus comedet ea*, ſic enim & noſter eandem planè phraſim Hebraïcam tranſtulit v. 22. ſignificat enim in comeſtione carnium extra ſacrificia non habendam eſſe rationem quòd comedens ſit mundus legaliter, vel immundus, vna ſolùm cautio hic additur, vt ſcilicet non ſimul comedant ſanguinem, ille enim Deo effundi debebat. De adipe non ſit hîc mentio, ſed ex lege Leuit. 7. verſu 23. & ſeqq. patet illum non potuiſſe ab eis comedi, etiamſi animal mundum ad ſacrificium actu non immolaretur Deo. Porrò lex de comedendis promiſcuè carnibus reperitur hîc verſu 21. vbi hoc additur, *ſi procul fuerit*, ſcilicet locus *quem elegerit Dominus*, per quæ verba tacitè inſinuatur decens eſſe, vt qui non habitauerint procul ab illo loco, id eſt, à templo, vel à ciuitate, vbi templum, vel tabernaculum fuerit, mactent illud animal coram tabernaculo, vt ſit ſanguis quaſi effunderetur Deo, & adeps ei in altari offerretur.

17. NON POTERIS COMEDERE IN OPPIDIS TVIS DECIMAM FRVMENTI, &c. permittit tamen verſ. ſeq. vt ex decimis, primitiis, &c. epulentur in loco quem elegerit Dominus, vbi meritò quærit Auguſtinus quæſt. 18. quomodo præcipiatur, cùm illa fuerint Leuitarum, & proinde de iure eorum multum decederet: ſed ipſe quæſtionem inſolutam relinquit. Lyranus intelligit de hoſtiis pacificis, quas Iudæi offerebant, ne vacui coram Domino apparerent, ſed textus clarè loquitur de decimis & primitiis. Itaque, vel reſpondendum eſt ex illis ſimul licuiſſe laïcis offerentibus comedere offerendo inde aliquid Deo, cùm venirent ad templum ter in anno; vel certè dicendum eſt, id quod ſentit Theodor. quæſt. 10. textum loqui de aliis decimis & primitiis, quàm iis quæ totæ cederent Leuitis, docet enim præter has pependiſſe Iudæos alias decimas ex nouem ſcilicet partibus reſtantibus, ex quibus decimis, ter quotannis vnà cum Leuitis epularentur. Idem iudicium de aliis primitiis, & aliis primogenitis quæ ſepararentur in eundem vſum. Denique tertio quoque anno ſeparabant tertiam decimam, quæ daretur Leuitis, pupillis, viduis & aduenis, de duabus iſtis poſtremis decimis agi videtur cap. 14. v. 22. & 28.

CAPVT XIII.

1. ET PRÆDIXERIT SIGNVM ATQVE PORTENTVM, ET EVENERIT QVOD LOCVTVS EST. Loquitur de quocumque Propheta, ſiue veri Dei, ſiue falſi, hoc eſt, pſeudo-Propheta. Nam & illi poſſunt aliqua vera prædicere, ſiue caſu, ſiue aliter, vult igitur tam conſtantes eſſe debere in cultu veri Dei, vt quidquid quicumque tandem prædixerint, quæcumque prodigia perpetrauerint, præ certitudine religionis ſemel traditæ contemni debeant. Putant autem aliqui ſermonem hîc eſſe non abſolutum, quaſi aliquando fieri poſſet, vt is qui Iudæos à Dei cultu conetur auertere, prædicat vera, ſed conditionatum, ſi ſurrexerit, &c. & ſimilem eſſe illi ſententiæ Apoſtolicæ; Si nos aut Angelus de cœlo annuntiauerit præterquam id quod

acceperiſtis, anathema ſit: idque ideò quia Deus ipſe cap. 18. ponit hoc diſcrimen inter veros & falſos Prophetas; ſed non neceſſe eſt eò confugere; omninò enim fieri poteſt, vt idolorum cultor, vera prædicat, ſiue caſu, ſiue incitatus à Deo, vt in Balaam & aliis patuit. Neque cap. 18. contrarium dicitur: ſolùm enim aſſeritur id quod Propheta prædixerit, & non euenerit, non eſſe prædictum à Deo, ex quo non ſequitur, vt ſi quid prædixerit, & euenerit, hoc prædictum à Deo: vel propterea eum in ſuadenda idololatria eſſe audiendum. Falſitas enim prædictionis eſt vera nota pſeudo-Prophetæ, non autem veritas cuiuſlibet prædictionis eſt nota veri Prophetæ. Vt autem ſciremus non fruſtra etiam tales veras prædictiones eorum qui auertunt homines à Deo, permitti, cauſam ſubiungit:

3. QVIA TENTAT VOS DOMINVS DEVS VESTER, non tentatione ſeductionis, vti diabolus & mali homines tentant: ſed probationis, ſcilicet VT PALAM FIAT VTRVM DILIGATIS EVM AN NON, id eſt, vtrum conſtanter ei adhæreatis ex dilectione Dei, repudiando quidquid cultui eius ſemel tradito aduerſetur. Tali enim tentatione, ſeu probatione etiam homo hominem licitè ſæpè tentat, vt ipſe ſciat; Deus autem, non vt ſciat, qui ſit omnia antequam fiant, ſed vt ſcire nos ipſos & alios faciat, quemadmodum Auguſt. tum hîc quæſt. 19. tum alibi ſæpè huiuſmodi locutiones exponere ſolet, vnde Greg. 18. Moral. c. 5. aliàs 7. & 8. oſtendit eiuſmodi tentationem à Deo fieri tribus modis, vel flagellatione, vel iuſſione, vel occultorum abſconſione, vt ſcilicet innoteſcat nobis noſtra, vel patientia, vel obedientia, vel humilitas, vide ipſum latiùs.

9. SED STATIM INTERFICIES, non via facti, ſed iuris, vt ex eo patet, quod ſequitur, eum à toto populo interficiendum. Nec enim eum interficere poterant pro crimine ipſis ignoto, accuſari ergo debebat & conuinci, & condemnari, & ita interfici, ſic tamen, VT SIT PRIMVM MANVS TVA SVPER EVM, imponendo capiti eius, vt alibi diximus fieri ſolitum: vel ſuper eum, vt ſcilicet primum mittat lapidem, ac deinde populus.

12. SI AVDIERIS IN VNA VRBIVM TVARVM. Hoc præceptum ad eos pertinet penes quos eſt poteſtas gladii, hoc eſt, moderatores Reipublicæ. Porrò

13. FILII BELIAL, ſiue Beliaal, dicuntur Hebraicè filii impii, maximè quia extrema quadam impietate & rebellione peccant, ita dicti quaſi *beliol*, id eſt, abſque iugo, vt tranſtulit Hieronymus Iudicum 19. v. 22. quia iugum diuinæ legis penitus excuſſerunt: vnde idem Hieronymus ex illa conſideratione vocat ſubinde Belial in ſua tranſlatione *impium*, vt Deut. 15. v. 9. & viros Belial vocat viros Apoſtatas Prouerb. 6. v. 12. quia maximè impii ſunt, vel etiam diabolicos, ſiue diaboli, vt Pſal. 16. v. 5. & Pſalm. 41. v. 9. in tranſlatione ex Hebræo, verba autem virorum Belial ſunt.

EAMVS ET SERVIAMVS DIIS, id verò quod ſeqq. ALIENIS QVOS IGNORATIS, Moyſis verba ſunt, per enallagen perſonæ præcedentibus coniuncta. Neque enim viri Belial vocarent deos iſtos, vel alienos, vel ignotos, ſed potius inculcarent contrarium, ſicut in hæreticis veris filiis Belial ſimilia machinantibus experimur.

16. ITA VT VNIVERSA CONSVMAS DOMINO DEO TVO, in honorem ſcilicet eius, per modum cuiuſdam gratiſſimi ſacrificii, vnde Deus per pœnas iniquorum ſe placari teſtatur. Conſumuntur autem omnia in deteſtationem & execrationem tantæ impietatis; Quod tamen non eſt extendendum ad adultos innoxios. Illi enim vel facilè innocentiam ſuam declarare poterant, vel accuſationem illis impietatis egredi debuiſſent.

CAPVT XIV.

1. FILII ESTOTE, id eſt, ita vos gerite, vt filios Dei decet; abſtinendo ab immunditiis ſequentibus, idque non ſeruili coactione, ſed ſpontaneâ filialique dilectione iuſtitiæ.

NON VOS INCIDITIS, de quo vide dicta Leuit. 19. v. 28. quod autem additur, NEC FACIETIS CALVITIVM SVPER MORTVO, in Hebræo determinatur ad caluitium *inter oculos*, id eſt, anterioris partis capitis, quæ oculis imminet, vel reſpicit etiam raſionem

ciliorum, ac ſuperciliorũ, vt ita eos arceret à moribus impiarum gentium, & ab immodico luctu deſperantium reſurrectionem, vnde Theod. hîc qu. 14. quidam extranearum gentium pilos capitis abradebant & hos efferebant mortuis alii pilos barbæ, alii ſuperciliorum, quę lex diuina prohibet fieri.

Quæ de animalibus mundis & immundis ſequuntur, pleniùs diximus Leuitici 11. De cauſis verò prohibitionis generaliter & pulchrè Tertullianus ſi lex aliquid cibis detrahit, & immunda pronunciat animalia, quæ aliquando benedicta ſunt, conſilium exercendæ continentiæ intellige, & frænos impoſitos illi gulæ agnoſce, quæ cùm panem ederet Angelorum, cucumeres & pepones Ægyptiorum deſiderabat. Agnoſce ſimul & comitibus gulæ, libidini ſcilicet atque luxuriæ proſpectum, quę ferè ventris caſtigatione frigeſcunt, proinde vt & pecuniæ ardor reſtringeretur ex parte, quæ de victus neceſſitate cauſatur, pretioſorum ciborum ambitio detracta eſt: poſtremò vt faciliùs homo ad ieiunandum Deo formaretur, paucis & non glorioſis eſcis aſſuefactus, & nihil de lautioribus eſuriturus, ita ille 2. aduerſus Marcionem c. 18. reliqua vide in Leuiticum.

4. Hoc est animal qvod comedere debetis, id eſt, poteſtis, ſiue ſimpliciter quod comedetis, vt eſt Hebraicè, exprimuntur hîc multa exempla mundorum animalium, quæ in Leuitico prętermiſſa fuerant. Inter quæ ponit.

5. Tragelaphvm quaſi dicas hircocervum quem Hebręi eſſe volunt hircum ſiluestrem, vt ſit mas capreæ quæ eſt capra ſiluestris. Alii dicunt communiter eſſe animal ex hirco & ceruа progenitum & vtriuſque quandam ſimilitudinem gerens, barbâ ſcilicet & armorum villis hirco ſimile, reliqua ceruo, vt deſcribitur à Plinio.

Pygargvm. Non eſt hęc aquilæ ſpecies, de qua Ariſtoteles, quia non agitur hîc de auibus, ſed quadrupedibus, & omne genus aquilinum, iuxta Leuiticum, erat immundum, vnde putant eſſe quoddam capreæ genus, de quo etiam Plinius libro 8.

Orygem, iuxta eundē Plinium eſt animal in Getulia capræ non diſſimile, niſi quod vnum gerat cornu, pilis ad caput verſis.

Camelopardalvm, non eſt idem animal cum camelo, camelus enim immundus eſt, hic verò mundus. Iuxta Plinium libro eodem 8. eſt animal proceritate & capite camelo ſimile, pedibus & cruribus boui, ceruice tenui, colore inſtar pardi maculatum.

13. Ixion, vulturini generis eſt auis, & Leuitici 11. v. 14. generaliter, ſub vulture iuxta genus ſuum comprehenſum.

21. Peregrino qvi intra portas tvas est da vt comedat, avt vende ei, ſupple morticinum. Peregrinus intelligitur hîc manens in gentiliſmo. Nam ſi erat proſelytus, tenebatur legibus Iudæorum. Ethnicis ergo comedendum dare, aut vendere poterant morticinum animalis immundi. Ex quo colligi videtur, licuiſſe Iudæis animalia immunda nutrire, ſicut Geraſeni porcos nutrierunt, vt ea vendendo ex eis quæſtum facerent: vnde enim vendere in Iudæa potuiſſent morticina, ſi antè non fuiſſent viuorum animalium immundorum domini.

22. Decimam partem separabis de frvctibvs tvis qvi nascvntvr in terra, &c. hæ decimæ diſtinctæ ſunt ab illis, quæ Num. 18. v. 21. & ſeqq. dantur Leuitis. Nam illæ tanquam datæ Leuitis, totæ erant ipſorum, idque in propria ſpecie; hæ verò huius loci iubentur à dominis vendi, & pecunia afferri in Hieruſalem, quò ter quotannis aſcendere debebant, & ibi conſumi in epulas ſacras totius domus ſuæ cum Leuitis. Hinc eſt quòd Ioſephus conſcius vſus Iudaici libro 4. Antiquitatum c. 8. duobus locis tradit has duas decimas fuiſſe diſtinctas, & vt diximus, diſtinctos earum vſus. Idem tradit hîc quæſt. 13. Theodoretus, & alii poſt ipſos.

23. Et primogenita de armentis, et ovibvs tvis. Ex hoc loco videtur ſimilis fuiſſe ratio de primogenitis. Nempe vt ſimiliter poſt primogenita quę Deo debebantur, offerebanturque ſacerdotibus, ſeligerent ſecunda primogenita conſumenda in ſacris epulis coram templo, vel tabernaculo vt ſic ter aſcendentes non apparerent in conſpectu Domini vacui.

28. Anno tertio separabis aliam

DECIMAM EX OMNIBVS QVÆ NASCVNTVR TIBI. Hæ ſunt tertiæ decimæ colligendæ ab ipſis dominis fructuum, & pendendæ non quotannis, vt aliæ duæ, ſed ſolùm anno tertio, idque non in ſacras epulas, vt ſecundæ, nec etiam in ſolos Leuitas impendendæ, vt primæ, ſed in ſuſtentationem, rum Leitarum pauperum, tum peregrinorum, pupillorum, ac viduarum, vnde & Ioſephus eodem loco lib. 4. Antiquitatum expreſsè diſtinguit iſtas tertias decimas à præcedentibus: & illo ſenſu dicitur Tobias cap. 1. v. 7. miniſtraſſe anno tertio proſelyris, & aduenis omnem decimationem. Ex quo colligere licet, quàm procul abſint plerique Chriſtiani ab illa perfectione liberalitate, quæ in miniſtros Dei, & pauperes exercenda Iudæis præſcripta fuit: verum eſt enim prouerbium hodiernum Iudæorum, *da decimas vt ditescas*.

CAPVT XV.

2. CVI DEBETVR ALIQVID. Nempe ex muruo, venditione & ſimilibus titulis, quibus aliquid quod tuum eſt, debetur alteri, vnde non videntur comprehendi hîc depoſita, commendata, & ſimilia, quę non tam debentur, quàm in ſpecie aliena ſunt, & alterius; REPETERE NON POTERIT A PROXIMO, ET FRATRE, quaſi dicat: à proximo, qui eſt frater tuus, hoc eſt, Iudæus, fratrem enim ſicut & v. ſeq. *ciuem & propinquum* diſtinguit contra *aduenam & peregrinum*, ſcilicet genere, etiamſi eſſet proſelytus, ſeu Iudaïſmo inſertus. Talis enim non gaudebat iure remiſſionis anni ſeptimi, quia erat priuilegium ſolius Iudæi natione.

4. OMNINO INDIGENS, ET MENDICVS NON ERIT INTER VOS, id eſt, vt Tertull. 4. contra Marcionem c. 16 cura vltrò, vt non ſit mendicus inter vos, ſcilicet, ſiue remittendo debita, ſiue miſericorditer neceſſitatibus cuiuſque ſubueniendo: hoc autem plus eſt, inquit idem, quàm id quod Chriſtus pręcepit, *omni petenti te da*. Eſt itaque hîc non prædictio, vel promiſſio, ſed præceptum, cui annexa ſequitur benedictio, vnde non repugnat ei v. 11. qui ſignificat nonobſtãte eorum beneficentia: pauperes tamen non defuturos: hoc enim ex æquiſſima lege diuidæ prouidentiæ iſto corrupto rerum ſtatu propter multas cauſas valdè neceſſarium eſt.

6. FŒNERABIS GENTIBVS. Hebraïca & LXX. legunt, mutuum dabis, id eſt, dare poteris, ET A NVLLO ACCIPIES, ſeu cogeris accipere, ex abundantia ſcilicet diuinæ benedictionis, ſi, vt præceſſit, ſeruaueris mea mandata, & maximè illud de remiſſione anni ſeptimi. Præocupat enim obiectionem, quæ in animo cuiuſque ſuboriri ſolet, quòd per huiuſmodi liberalitatum ad pauperiem eſſent redigendi, promittit enim magis eſſe ditandos.

9. CAVE, &c. NE DICAS, APPROPINQVAT SEPTIMVS ANNVS. Quo ſcilicet ſi quid mutuauero fratri pauperi, repetere mihi non licebit, nec ipſe tenebitur mihi ſoluere. Hanc calliditatem, & duritiam vetat hîc Deus, ſed vult eum candidè attenta neceſſitate, mutuum commodare, id eſt, mutuum dare. Commodatum enim reſtituendum fuiſſe ſuprà diximus.

12. IN ANNO SEPTIMO DIMITTES EVM LIBERVM, computando annum ſeptimum non à die venditionis, ſed ab illo anno remiſſionis, qui in tota Iudaïca natione ſtabilis erat, quod ſi nolit ſeruus egredi, poſt perforatam aurem, de quo diximus Exod. 21.

17. SERVIET TIBI IN ÆTERNVM, id eſt, in ſæculum illud totum, quod agitur, & extenditur vſque ad proximum Iubilæum, vt pręſcribitur Leuit. 25. v. 40.

18. NON AVERTAS AB EIS OCVLOS TVOS, auerſio oculorum animi ægritudinem ſignificat: ſenſus eſt ergò, vt etiam Hebræa indicant, non ſit tibi graue, vel moleſtum toruè ſcilicet reſpiciendo CVM DIMISERIS EVM, id eſt, quando dimiſſurus es eum, quod ſcilicet eum dimittere cogaris anno ſeptimo. QVONIAM IVXTA MERCEDEM MERCENARII SERVIVIT TIBI, id eſt, quia pretio emptionis, quod ei dediſti, ſeruiuit tibi per ſex annos inſtar mercenarii, cui ſimilem mercedem ſoluere debuiſſes. Nihil ergò iniuſtum, vel graue tibi præcipitur, ſi eum iubearis dimittere, ſicut mercenarium.

Allegorica ſignificatio anni remiſſionis, alibi dicta eſt.

19. NON OPERABERIS IN PRIMOGENITO BOVI, quia non eſt tuus, ſed Dei: eadem ratio de non tondendis primogenitis ouium; nam vt ipſa animalia ita & lana, & cætera vtilitas Deo debebat cedere, in ſacerdotibus, quibus aſſignata erant: vel certè vetat hoc propter honorem & reuerentiam Dei, cui debebantur, vt notat Rabbi Moyſes 3. parte More c. 46.

20 IN CONSPECTV DOMINI COMEDES EA. Conſtat ex Numerorum 18. v. 17. primogenita fuiſſe ſacerdotum, quomodo ergò hîc à laïcis iubentur comedi? Nam quod aliquis ſuſpicari poſſet ea fuiſſe redimenda, & ita comedi potuiſſe, obſtat ibidem lex, quæ id expreſsè vetat. Dicendum ergò quòd, vel partem datam à ſacerdotibus poſſent comedere, vt aliqui volunt, vel certè quòd hîc mutetur perſona, & verba iſta referenda ſint non ad offerentes, ſed ad ſacerdotes, quibus offerantur: quod ſi haberent maculas, vt eſſent manca, cæca, &c. tunc poterant ea redimere, & intra portas vrbis ſuæ comedere, vt hîc præſcribitur.

CAPVT XVI.

1. OBSERVA MENSEM NOVARVM FRVGVM. Quo nouæ fruges primò meti incipiebant, ſcilicet manipulus ſpicarum hordeacearum, qui offerebatur ſecundo die Paſchali, de quo Leuit. 23. v. 10. & ſeqq. vnde menſis iſte eſt Niſan, ſeu primus anni.

IMMOLABISQVE PHASE DE OVIBVS, ET BOBVS. Boues non poterant aſſumi ad victimam illam Paſchalem, cuius ſanguine poſtea liniebantur, vt patet Exod. 12. v. 3. & 5. vnde Phaſe hîc ſumitur non pro illa ſola victima, ſicut ſumitur v. 6. ſed iuxta Aug. qu. 24. pro aliis ſacrificiis, quæ immolabantur, durante ſolemnitate paſchali per ſeptem dies, iuxta præſcriptum Num. 28. v. 19. & ſeqq. Hoc modo ſumitur etiam Paſcha cùm Ioannis 18. v. 28. dicitur, Iudæos non introiſſe prætorium, ne contaminarentur, ſed vt manducarent Paſcha. Offerri autem debebant, ſiue agnus, ſiue illæ victimæ non vbilibet, ſed in loco quem elegerit Dominus, VT HABITET NOMEN EIVS IBI, id eſt, in loco tabernaculi aut templi, vbi ſtabiliter publico totius populi ritu coli, & inuocari voluerit. Interea comedes.

3. SEPTEM DIEBVS AFFLICTIONIS PANEM, id eſt, azymum, qui tum ratione ſui affligit, quia inſipidus eſt, & ſtomacho grauis, tum maximè quia ſymbolum eſt afflictionis veſtræ in Ægypto, denique quia monumentum eſt quod IN PAVORE, ac trepidatione, & conſequenter in afflictione egreſſus es de Ægypto. Nam propter feſtinationem, cui coniuncta erat quædam trepidatio, non poterat farina in egreſſu illo fermentari, vt eſt Exod. 12. Harum itaque rerum ſymbolum erat panis azymus. Eſt autem notandum quod v. 6. dicitur immolandum Phaſe *veſpere ad ſolis occaſum*, id eſt, circa ſolis occaſum, vt eſt Hebraïcè: per hoc enim optimè & clarè explicatur, quid ſit id quod ſæpè alibi dixit Hebræus, inter duas veſperas, de quo in Exodo.

8. SEX DIEBVS COMEDES AZYMA. Non repugnat hoc v. 3. vel aliis multis locis, vbi ſeptem dies præſcribuntur, quia intelligi debet, quòd ſex diebus ita comedent azyma, vt tamen non cogantur ab operibus ſeruilibus abſtinere, quaſi diceret, ſex diebus comedes tantum azyma; ſed IN SEPTIMA præterquam quod azyma comedes, inſuper NON FACIES OPVS. Ratio eſt, quia COLLECTA EST DOMINI, id eſt, populi collectio, ad agendas in fine feſtorum gratias Deo antequam domum redeant. De cuiuſmodi ſimili feſto collectæ, ſiue cœtus menſe ſeptimo celebrando diximus Leuit. 23. v. 36.

Porrò de aliis duabus feſtiuitatibus ſcilicet Hebdomadarum, ſeu Pentecoſtes, & Tabernaculorum, & de modo numerandi hebdomadas illas latè dictum eſt in idem cap. 23. Leuitici.

18. IVDICES ET MAGISTROS CONSTITVES Magiſtri iidem ſunt iudices. Intelligit autem magiſtratus, qui à magiſterio populi dicti ſunt, quia cauſas eius diiudicant. Hi conſtitui iubentur.

IN OMNIBVS PORTIS, id eſt, vrbibus quarum tribunal in aliqua portarum erectum erat, vbi iudicia exercerentur, tamquam in loco omnibus ciuitatem accedentibus patēte & publico. Eſt ergo ſynecdoche, vt &c.

ſeq v.1.non enim in ſingulis vrbis cuiuſque portis iubentur iudices conſtitui. Loquitur autem non de ſupremo concilio Sanedrin, quod non niſi vnicum erat, ſed de duobus aliis inferioribus, nempe trium, & viginti vnius virorum.

20. IVSTE QVOD IVSTVM EST PERSEQVERIS. Quia iudicis, & viri iuſti intentio ipſam iuſtitiam ſpectare debet. Peccat enim iudex non ſolùm ſi iniuſtam ſententiam ferat, ſed etiam ſi iuſtam, non propter iuſtitiam cauſæ, ſed munera, vanam gloriam, aliumve ſiniſtrum reſpectum.

21. & 22. NON PLANATBIS LVCVM, ET OMNEM ARBOREM, id eſt, nullam. Idque ne in ritibus colendi veri Dei idololatras imitari videamini. Illis enim familiare erat in lucis ſacra ſua maximè obſcœna peragere. Eadem de cauſa vetat NE CONSTITVANT SIBI STATVAM, quam inſtar idoli more gentilitio colant.

CAPVT XVII.

3. VT ADORENT OMNEM MILITIAM CÆLI. Sic vocantur hoc loco non Angeli, ſed ſtellæ cæteræ diſtinctæ à Sole & Luna, quia magno numero, ordine, ſtatis temporibus, procedunt, & in miniſteriis ſibi aſſignatis Deo, veluti duci ſeruiunt: vnde idem verbum in libro Numerorum, & alibi ſæpiſſimè tribuitur Leuitis Deo in tabernaculo certo ordine, ac tempore inſtar militum ſeruientibus. Et quia illa aſtrorum ſeruitus fit omninò ad nutum Dei, hinc peculiariter vocatur Deus Sabaoth, id eſt, exercituum, ſeu militiæ non ſolùm terrenę, ſed maximè cœleſtis, tum Angelorum Luc. 2. tum aſtrorum cœleſtium. Vnde Hieron. in c. 24. Iſaiæ indifferenter nunc militiam cœli, nunc ornatum cœli transfert.

8. SI DIFFICILE IVDICIVM, &c. INTER SANGVINEM, ET SANGVINEM, id eſt, inter homicidium & homicidium, diſſentientibus iudicibus, vtrùm ſit voluntarium an caſuale, morte plectendum, an abſoluendum, item vtrùm quodcumque delictum ſit ſanguine perpetrantis expiandum, quaſi diceret, in cauſa ſanguinis.

CAVSAM ET CAVSAM. Aliis iuſtam, aliis iniuſtam eam eſſe contendentibus, LEPRAM ET LEPRAM, dum alii volunt, eſſe lepram, alii negant: ſub quibus tribus membris velut exemplis omnia controuerſiarum genera comprehenſa ſunt. Nam ſub ſanguine & ſanguine continentur omnes controuerſiæ iudiciales maximè grauiores quæ pœna ſanguinis puniri debent: ſub cauſa & cauſa, omnes etiam minores de rebus temporalibus: ſub lepra & lepra, omnes ceremoniales maximè de immunditiis & munditiis: atque ita omne controuerſiarum genus ortum ex lege Dei reuocatur ad tribunal Pontificis velut vltimi & ſupremi interpretis diuinæ legis.

ASCENDE AD LOCVM QVEM ELEGERIT DOMINVS, vbi ſcilicet eſt templum vel tabernaculum. Ibi enim velut in domicilio à ſe electo habitat, & præſidet Deus, vt Pontificem ſiue per oraculum Vrim & Tummim, ſiue per ſpiritum prophetiæ, ſiue alio cultiore inſtinctu dirigat & inſtruat de veritate.

9. VENIESQVE AD SACERDOTES LEVITICI GENERIS, ET AD IVDICEM. Nempe ſummum Pontificem, tamquam ſacerdotibus illis præfectum & iudicem ſupremum omnium controuerſiarum diuinę legis. Patet hoc ex verſ. 12. vbi pœna mortis decernitur nolenti ſequi ſententiam & imperium Pontificis, ad quem recurrerat. Itaque quod hîc dicitur ad ſacerdotes & ad iudicem, vel illud (&) exegeticum eſt, quaſi diceret, ad ſacerdotes hoc eſt ad iudicem, vel expreſſit ſeorſim Pontificem & ſacerdotes velut Iudicem cum Conſiliariis ſuis. Vnde Hebræi hæc verba de toto Concilio Sanedrin accipiunt, cui ex ſacerdotibus aliiſque primariis viris conſtanti præerat Pontifex. Nam ad ſacerdotes maximéque Pontificem ſpectaſſe controuerſias diuinæ legis, patet infrà cap. 21. verſ. 5. & Ezechielis 44. verſ. 24. vbi dicitur, illis, cùm fuerit controuerſia, ſtabunt in iudiciis meis & iudicabunt: & eiuſdem rei teſtis eſt Ioſephus contra Appionem.

10. ET FACIES QVÆCVMQVE DIXERINT QVI PRÆSVNT LOCO, &c. certum eſt autem præfuiſſe illi loco ſummum Pontifi-

cem cum ſacerdotibus, nullo modo iudices ſæculares: ego illorum ſententiam hîc iubentur ſequi. Et docverint te ivxta legem eivs Non quaſi ſit conditio, ſi docuerint te iuxta legem eius, vt volunt Hæretici, dum omnium diuinarum rerum controuerſias nituntur ad priuatum cuiuſque iudicium reuocare, velut ad ſupremum tribunal diſcernens de lege Dei. Sic enim litigantes fuiſſent magis perplexi quàm antè adeoque fuiſſent conſtituti vltimi iudices de ſua controuerſia, imo de ſententia ſacerdotum & iudicum vtrùm eſſet iuxta legem Dei necne: Eſt ergo aſſertio qua ſecuros eos reddit, vt poſſint acquieſcere eorum iudicio, tamquam qui eos docturi ſint iuxta legem Dei. Vnde textus Hebraicus, quem hæretici ſequuntur, repetit bis ſine vlla conditione hoc modo: Facies iuxta legem quam docebunt te: vt omnem ſcrupulum auferret, ſtatim generaliter quaſi explicans ſe, ſubiungit.

11. Si qverisqve sententiam eorvm, Hebraïcè, iuxta iudicium quod dixerint tibi, facies: & ita quidem vt non declines ad dextram neqve ad sinistram, id eſt, ne ad latum quidem vnguem decedes: vnde & mox grauiſſimam pœnam inobediendi ſtatuit.

12. Qvi svperbi erit, putando vel iniuſtum eſſe iudicium, vel non eſſe iuxta legem Dei, vel ſe rectiùs ſapere quàm ſacerdotem iudicantem: nolens, propter has ſcilicet cauſas, obedire sacerdotis imperio qvi eo tempore ministrat Domino, id eſt, Pontificis fungentis eo tempore ſummo Pontificatu, et decreto Ivdicis, id eſt, & ſententiæ ipſius eiuſdem Pontificis tamquam Iudicis controuerſiæ. Explicat enim cauſam cur eius imperio obediendum ſit, quia ſcilicet Iudex eſt controuerſiæ à me conſtitutus: vnde Malach. 2 verſu 7. labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius. In Hebr. eſt diſiunctiuè *aut decreto Iudicis*: ſed eodem ſenſu, q. d. ex Pontificis imperio, ſiue ex decreto Iudicis illius controuerſiæ.

Morietvr. Iudex enim iam iuxta verſum decimum conſtitutus erat ille qui præerat ſanctuario: vnde S. Cyprianus qui diſiunctiuè legit, eumdem intelligit ſacerdotem & iudicem Epiſt. 55. Aliqui non improbabiliter diſtinguunt iudicem à Pontifice, vt iudex ſit ſæcularis cui competat executio ſententiæ. Sed ſimpliciſſimus & verus videtur ſenſus quem diximus. Nam in cauſis diuinæ legis etiam Pontifices ad mortem condemnaſſe patet ex Ioſepho loco citato, vt ſacerdotes dicit punitores damnatorum à Moyſe conſtitutos; & hoc praxim apud Iudæos habuiſſe, patet exemplis Caiphæ & Ananiæ Actor. 23. non enim arguuntur quod ſententiam tulerint & executi fuerint, ſed quòd vtrumque contra iuſtitiam.

15. Evm constitves (regem) qvem Dominvs elegerit. Vti factum eſt in Saüle & Dauide, itemque poſteris eorum. Ex diuina enim voluntate fuit, quòd filii ſuccederent in throno Dauid: ſed cùm Regis conſtitutio hîc videatur permiſſa, cur diſplicuit Deo 1. Reg. 8. quòd Regem deſiderarunt? Reſp. Aug. qu. 26. non fuiſſe ex voluntate Dei, ſed permiſſum tantum deſiderantibus, qui proinde in eo ipſo peccare potuerunt. Præcipit autem vt Rex fieret de nvmero fratrvm, id eſt, eadem gente Iudaïca, indigena non alienigena: ſolent enim magis diligere gentem ſuam & minus affligere.

16. Non mvltiplicabit sibi eqvos, eos ſcilicet ingenti numero alendo ſiue ad pompam ſiue ad bellum: vnde nemo piorum regum magno equitatu legitur apud Iudæos vſus, vt notat Baſil. in verſ. 8. cap. 2. Iſaiæ, vt meritò contra hanc legem peccaſſe videatur Salomon qui 2. Paralip. 9. verſ. 25. dicitur habuiſſe quadraginta millia equorum in ſtabulis, & curruum equitumque duodecim millia. Cauſa prohibitionis eſt, quòd cùm equus ſuperbum animal ſit numerus equitatus ſuperbiam afflat regibus, vt potius illi in bellis quàm Deo fidant. Volebat enim Deus iuxta eumdem Baſilium, vt toti penderent à ſuo præſidio. Vnde alium affectum præcidens qui ex numeroſo equitatu oritur: Nec redvcet popvlvm in Ægyptvm, ſcilicet ad inferendum bellum eamque expugnan-

dam, EQVITATVS NVMERO SVBLEVATVS, Hebraicè, propter multiplicare ſibi equos, id eſt, eò quòd multiplicauerit ſibi equos quibus confiſus hoc tentare audeat. PRÆSERTIM CVM DOMINVS PRÆCEPERIT VOBIS. Vbi & quando nuſquam exſtare videtur ſcriptum, niſi fortè poſt murmur iſtud Num. 14. v. 4. quando redire voluerunt, hoc eis præceptum fuerit, VT NEQVAQVAM PER EANDEM VIAM REVERTAMINI. Eandem intelligit ratione eiuſdem termini, hoc eſt, per viam quæ reducit in Ægyptum: ſiue eadem ſit planè via ſiue alia, voluit enim Deus eorum animos ab Ægypto auertere, ne iterum moribus Ægyptiorum implicarentur & contemptu tanti beneficii ſuæ liberationis grauius peccarent. Vnde & Ierem. 42. v. 16. & ſeq. minatur Deus gladium, famem, & peſtem omnibus qui in Ægyptum vellent fugere ad euadendum Chaldæos.

17. NON HABEBIT VXORES PLVRIMAS, id eſt, magno numero. Non enim vetatur hîc polygamia, ſed magna vxorum numeroſitas, vt notat Aug. qu. 27. qui dicit contra hoc præceptum non peccaſſe Dauidem, ſed manifeſtum eſſe quòd peccauerit Salomon, ſicut & contra id quod ſequitur, vt non habeat AVRI VEL ARGENTI IMMENSA PONDERA, idque tum quia vix haberi poſſunt, niſi populus opprimatur & ſpolietur: vnde de iugo duriſſimo Salomonis vehementer populus conqueritur 3. Reg. 12. v. 4. tum etiam quia animos regum in ſuperbiam efferunt & in luxum diſſoluunt, vt in eodem Salomone patuit. Cauſa autem prohibitionis tot vxorum datur ne ALLICIANT ANIMVM EIVS, ſcil. ad recedendum à lege Dei. Hebraicè eſt enim *vt non recedat cor eius*, ſubmergendo ſcilicet illud in inſanas libidines. Vbi tamen maximè ſpectauit, vt notat Aug. qu. 17 ne eas multiplicando perueniret ad alienigenas fœminas per quas factum eſt vt cor Salomonis decederet à Deo.

18. DESCRIBET SIBI DEVTERONOMIVM LEGIS HVIVS. Hebraicè, *duplum legis*, non cuiuſlibet ſed huius voluminis, quod eſt quaſi iteratio & ſecunda lex. Eſt enim hic liber breuis recapitulatio legis, præciſis iis quæ ſacerdotibus in templo ſeruiebant; & quaſi incenſa concio ad inflammandum animum pœnis & præmiis ad ſui obſeruationem, & hoc eſt quod dicitur,

19. VT DISCAT TIMERE DOMINVM. Vnde & contra hoc præceptum ex negligentia peccaſſe Reges Iuda ſatis inſinuatur 4. Reg. 22. v. 10. & ſeqq.

20. NEC ELEVETVR COR EIVS IN SVPERBIAM SVPER FRATRES, id eſt, Hebræos, ex eadem ſtirpe ſatos: fraternitatis enim conſideratione vult contineri animos regum in modeſtia, à qua per magnitudinem poteſtatis facilè excidunt. Vnde Aug. lib. 5. de Ciuit. c. 24. inter primas conditiones vt reges ſint fœlices ponit iſtam: ſi inter linguas ſublimiter honorantium, & obſequia nimis humiliter ſalutantium non extolluntur, ſed ſe homines eſſe meminerint.

VT LONGO TEMPORE REGNET IPSE ET POSTERI. Pietas enim erga Deum & cuſtodia mandatorum eius eſt vera ratio propagandi regnum ad poſteros, longéque ſolidior baſis imperiorum, quàm omnis illa verſutia quæ nomine rationum Status palliatur.

CAPVT XVIII.

3. HOC ERIT IVDICIVM SACERDOTVM A POPVLO, id eſt, hoc erit ius quod ſacerdotibus à populo reddi debet, SIVE BOVEM SIVE OVEM IMMOLAVERIT, non quolibet modo, ſed tantum in hoſtiam pacificam. Nam ex holocauſto non armus ac ventriculus, ſed nihil omninò eis carnium cedebat niſi ſola pellis: ex hoſtia pro peccato, tota caro, niſi extra caſtra combureretur.

DABVNT SACERDOTI ARMVM, ſcilicet dextrum, vt præſcribitur Leuit. 7. v. 32. & 35. AC VENTRICVLVM, Hebraice eſt *genas & ventriculum*. Notant autem Hebræi *chena* quod hîc transfertur ventriculus, propriè ſignificare locum in viſceribus beſtiæ vbi adeps concreſcit. Sic & per genas intelliguntur non genæ propriè dictæ. Nec enim vel Exod. 29. v. 28. vel loco Leuitici citato vbi accuratè exprimuntur omnia iura hoſtiæ pacificæ, nec in tota Scriptura reperitur, quod genę propriè dictæ vel ventriculus propriè dictus, id eſt, ſtomacus ad ſacerdotes pertineret. Itaque per illa duo intelli-

guntur hîc idem poſt pectuſculum, quia ſi excidantur armi, relinquuntur duæ quaſi genæ, & locus adipe carnoſo plenus; quæ idem ſunt quod pectuſculum.

6. SI EXIERIT LEVITES DESIDERANS LOCVM, &c. id eſt, ſi Leuites relicto loco habitationis ſuæ, voluerit vitam tranſigere in loco vbi eſt tabernaculum, vt ibi miniſtret iugiter Deo, permittetur miniſtrare ſicut cæteri Leuitæ.

7. QVI STABVNT EO TEMPORE CORAM DOMINO, id eſt, qui iuxta vices in miniſterio quotidiano conſtituti fuerint.

8. PARTEM CIBORVM EANDEM ACCIPIET, ſcilicet quam illi qui in vicibus ſuis miniſtrant in tabernaculo, EXCEPTO EO QVOD EI IN VRBE SVA EX PATERNA SVCCESSIONE DEBETVR, id eſt, præter decimas, quæ ei in vrbe ſua iure hæreditario debentur. Illæ enim ſolis Leuitis datæ ſunt.

10. NEC INVENIATVR QVI LVSTRET FILIVM DVCENS PER IGNEM, in honorem ſcilicet idoli Moloch. De quo ritu traducendi per ignem diximus latiùs in c. 20. Leuitici.

15. PROPHETAM DE GENTE TVA, &c. SVSCITABIT TIBI DOMINVS. Plerique veterum hunc locum de Chriſto intelligunt, vt Ignatius Epiſtola ad Antiochenos, Tertull. 4. contra Marcionem cap. 22. Cyprianus lib. contra Iudæos c. 17. Origenes multis in locis & in primis tomo 7. in Ioannem, vbi dicit indicari eximium quemdam Prophetam, qui vt Moyſes in Horeb, ita etiam eſſet mediator inter Deum & homines, eaque de cauſa Iudæos fluctantes de illo Propheta rogaſſe Ioannem Baptiſtam; Propheta es tu? ille ſcilicet prædictus à Moyſe. Vnde & Aug. 16. contra Fauſtum c. 19. dicit, quòd cùm multi Prophetæ poſtea fuerint, vnum tamen quemdam intelligi voluit; nempe quia in ſingulari quaſi per antonomaſian, prophetam certum indicauit. Propheta autem maximus fuit Chriſtus: neque enim ad prophetiam requiritur obſcuritas cognitionis, hinc Aug. ibid. cap. 18. nihil aliud eſſe dicit Prophetam, niſi hominem, qui vltra humanas coniecturas futura prænunciat: atque ita S. Petrus Actor. 3. verſ. 22. & S. Stephanus Act. 7. verſu 37. Chriſtum Prophetam illum eſſe exponunt: qui meritò dicitur *ſimilis Moyſi* ſcilicet legiſlatione, meditatione, prophetia, virtute, eductione populi ex Ægypto, id eſt, peccatis, idque per aquam, prodigiis, &c. tametſi fuerit Chriſtus in omnibus ſuperior. Vnde Athanaſius lib. 2. contra Arianos reprehendit Iudæos qui hunc locum de aliquo alio Propheta intelligendum putarent, nempe excluſo Chriſto. Non tamen videtur ſenſus eſſe reprehenſione dignus, ſi dicatur locus ille reſpicere Chriſtum principaliter, etſi non ſolum. Sic enim optimè cohæret cum præcedentibus, ac datur ratio, cur non debeant habere recurſum ad augures & maleficos, nempe quia Deus vobis ſuſcitabit Prophetas ex quibus veritatem poſſitis intelligere, & maximè illum vnum Prophetam Prophetarum omnium ſcopum, quem ſicut me audituri eſtis.

CAPVT XIX.

QVæ iſto capite de vrbibus refugij dicuntur, pleniùs explicata ſunt ad caput 35. Numer. ſolum hîc aduertendum, quòd non videatur abſurda ſententia Lyrani, qua putat tres illas primas ciuitates de quibus fit mentio verſu 2. intelligi de vrbibus intra Iordanem in ipſa Chananæa. Nam v. 1. loqui videtur de gentibus quæ nondum diſperditæ erant. Iam autem gentes trans Iordanem in terram Sehon & Og, prorſus erant diſperditæ. Itaque conſequenter tres illas alias vrbes, quæ verſu 9. addi iubentur poſtquam Deus dilataſſet terminos eorum, intelligit ipſe de tribus nouis vrbibus conſtituendis poſtquam Deus dilataſſet eos vſque ad Euphraten & mare rubrum, ita vt hoc ſenſu in vniuerſum eſſent nouem vrbes refugii, tres trans Iordanem, tres intra Iordanem, & tres in terra verſus Euphraten expugnanda. Hoc autem quia nunquam nec à Dauide, nec à Salomone factum eſt, vt ſcilicet illæ terræ tamquam propriæ Iudæorum, gentibus deletis, occuparentur; hinc nunquam illæ tres vltimę vrbes refugij conſtitutæ fuerunt.

Veriſimilius tamen videtur initium capitis loqui de ciuitatibus aſſignandis trans

Iordanem in terra Sehon & Og iam expugnatis quidem, ſed nondum perfectè poſſeſſis & ad habitandum traditis iis quibus Moyſes loquebatur. Hinc conſequenter verſus nonus intelligendus videtur de aliis tribus vrbibus in ipſa Chananæa ſeligendis. Nam nullæ vrbes ad refugium fuerunt ſelectæ niſi cùm Chananæa eſſet iam expugnata. Vnde etiam Ioſue 20. non niſi ſex vrbes ſeparantur. De reliquis tribus nulla vſquam mentio.

14. NON TRANSFERES TERMINOS PROXIMI, id eſt, lapides vel alia ſigna quæ fixa fuerint ad diſtinguendos agros tuos ab agris proximi. Hoc enim eſt genus furti infame & quod difficulter conuinci poteſt.

CAPVT XX.

1. NON TIMEBIS EOS, aduerſariorum currus, equitatum, & multitudinem; QVIA DOMINVS DEVS TVVS TECVM EST; in quem tota ſpes tua ſita eſſe debet; nam quamuis equus paretur ad diem belli, Dominus tamen ſalutem tribuit Prouerb. 21. verſ. vlt. Deo enim volente dare victoriam, leuiſſimo caſu interueniente contingit ingentes exercitus in fugam verti.

QVI EDVXIT TE DE TERRA ÆGYPTI. Huius epitheti ſpeciatim in hac re meminit, vt eis memoriam tot curruum & equitum Pharaonis à ſe deletorum refricaret. Vnde etiam ad fiduciam militum in ſe erigendam, perſonam ſacram, ſeu *ſacerdotem* vult adhiberi: ad humana verò quædam impedimenta auferenda, vult duces turbarum proclamare ea quæ ſequuntur.

5. QVIS EST HOMO QVI ÆDIFICAVIT DOMVM, &C. ET NON DEDICAVIT EAM? ſiue ſolemni conuiuio, ſiue ipſâ inhabitatione eam vſibus ſuis applicando. Hebraïcè eſt enim, *non initiauit eam:*

QVIS PLANTAVIT VINEAM ET NECDVM FECIT EAM ESSE COMMVNEM? id eſt, profanam, ſeu non ſacram ſoli Deo: quę communis dicitur, quia de illa communiter omnibus, tam ſibi quàm aliis veſci licebat: hoc autem non fiebat niſi quinto anno. Nam iuxta præſcriptum Leuit. 19. verſ. 23. & ſeqq. fructus trium primorum annorum erant immundi, quarto anno toti conſecrabantur Deo, & erant ſacri. Quinto tandem anno profani erant & ab omnibus communiter comedi poterant. Porrò hæc omnia inſtituta ſunt ad virorum animos explorandos. Nam quia his rebus teneri ſolet affectus humanus, & magni æſtimantur hæc ab hominibus, intelligendum eſt propterea iſta dici in bellum procedentibus, vt quiſquis animo his tenetur, appareat cùm reuertitur, ne propter hoc minus fortiter agat, vel etiam aliis timorem ſuum communicet quo timet ne ante moriatur, quàm bonis illis potiatur, vt explicat Auguſt. qu. 31. Non ergo imperando, ſed tentando hæc dicuntur, neque cogendo ad reditum, ſed permittendo.

10. SI ACCESSERIS AD EXPVGNANDAM CIVITATEM: non quamlibet, ſed quæ extra terram eis promiſſam ſita fuerit. Nam verſ. 16. ita limitat legem generalem, vt Chananæos ad internecionem deleri iubeat, ne ex ſuperſtitibus diſcerent eorum impietatem.

OFFERES ET PRIMVM PACEM, petendo ſcilicet ab ea iuſtam ſatisfactionem eius quod malè perpetratum eſt. Nam vt Aug. l. 4. de Ciuit. c. 15. belligerare & perdomitis gentibus dilatare regnum, malis videtur fœlicitas, bonis neceſſitas. Vt enim latiùs explicat Epiſt. 205. pacem debet habere voluntas, bellum neceſſitas: non enim pax quæritur, vt bellum excitetur, ſed bellum quæritur, vt pax acquiratur. Et hinc eſt quod iubet hîc Deus nihil vltra fieri quàm ad victoriam, ſeu pacem acquirendam neceſſarium eſt, abſtinendo ſcilicet ab omni ſæuitia aduersùm fœminas & pueros, quia victoriam impedire non ſolent: itemque à vaſtandis agris in rebus fructuoſis: quia ſcilicet ligna ſunt non homines, quę nocere non poſſunt.

CAPVT XXI.

2. METIENTVR A LOCO CADAVERIS. Eſt enim veriſimilius alicui ex vicinioribus ciuitatibus tribuendum eſſe homicidium quàm ex remotioribus, ſeniores autem tollent.

3 VITVLAM QVÆ NON TRAXIT IVGVM, &c. quæ ſcilicet eſt in ætharis vigore non effœta, vel fracta laboribus. idque, tum quia Deo optima offerenda ſunt, tum quia innocentia alterius ante tempus ſuum occiſi ſymbolum eſt.

4. ET DVCENT AD VALLEM ASPERAM ATQVE SAXOSAM, velut ſymbolum horroris, ac maledictionis quæ homicidio debetur: ad quam augendam additur, QVÆ NVNQVAM ARATA EST, id eſt, quæ nihil vnquam boni humano cultu protulit. Hæc tamen verba in Hebræo habentur per futurum expreſſa, *quæ non arabitur, nec ſeretur.* Ex quo factum eſt, vt Rabbi Moyſes 3. parte More c. 40. & alij Hebræi intelligant hîc iuberi, vt talis vallis in perpetuum inculta maneat, poſt vitulam occiſam. Ratio ceremoniæ iſtius erat duplex: Prima, vt per hanc publicam ſeniorum egreſſionem, manuumque lotionem & ſolemne ſacrificium cædis author detegeretur. Nam in illo confluxu hominum multi ſerunrur ea de re ſermones, ac facilè aliquis adeſt qui proferat aliquod iudicium, maximè quia proteſtari debebant ſe, nec feciſſe, nec vidiſſe, neque quidquam ſcire. Si enim vel vnus ſurgeret, inquiunt Hebræi ibid. qui de authore aliquid proferret, non poterat decer uicari vitula. Quò ſpectabat etiam quòd locus manere debebat incultus, ſi hoc de futuro accipiamus. Nam hoc fiebat, vt dominus omnem impenderet operam in detegendo homicidâ, ne terra ſua profana redderetur. Addit Abulenſis & aliam iſtius rationem, quòd homicida quaſi naturaliter detegatur per ſanguinem qui manat ex cadauere, ſi occiſor accedat. Altera cauſa erat, vt ſi author non detegetur, fieret publica iſta innocentiæ proteſtatio & expiatio ſceleris, ne Deus in totum populum vindicaret, vel factum ipſum, vel negligentiam iudicum in inquirendo. Itaque in valle iſtâ.

CÆDENT CERVICES VITVLÆ, id eſt, decer uicabunt, vt Hebræa. Modus ille occidendi non ordinatius, ſignificat capitis amputatione dignum eſſe, tam authorem quàm celatorem homicidij. Et ſeniores.

6.7. LAVABVNT MANVS SVAS, proteſtando ſcilicet innocentiam ſuam quòd NON EFFVDERVNT SANGVINEM, NEC VIDERVNT, id eſt, nihil contribuerunt homicidio: ſub quo conſequenter indicant, ſe non eſſe reos quòd aliquid in viarum publicarum ſecuritate & cuſtodia procuranda neglexerint. Nam & hac ratione redundant homicidia in magiſtratum.

8. ET AVFERETVR AB EIS REATVS SANGVINIS, id eſt, pœna effuſi ſanguinis à magiſtratu totaque republica, quia illius præfecti, neque fecerunt crimen, neque neglectu officij cooperati ſunt neque debitam inquiſitionem neglexerunt.

9. TV AVTEM ALIENVS ERIS. Per apoſtrophen ſe conuertit ad populum, qui magiſtratu officium negligente, publicorum peccatorum pœnis inuolui ſolet.

Allegoricè vitula iugi expers eſt caro Chriſti abſque peccato; occiditur pro homicidio, id eſt, pro occiſione generis humani per peccatum in valle aſpera monte Caluariæ, ſeu gente Iudaica, quæ, nec antè fructus à Deo quæſitos dedit, & in poſterum inculta manſit, ac ſterilis.

11. ET VIDERIS IN NVMERO CAPTIVORVM MVLIEREM PVLCHRAM. Intelligi debet de mulieribus alienigenis quidem, non tamen Chananæis, ſed aliarum gentium. Chananææ enim nullo caſu vxores duci poterant lege prohibente propter periculum ſeductionis in idololatriam, & quia peſſimis erant moribus.

12. INTRODVCES EAM IN DOMVM, &c. tribus de cauſis adhibentur iſtæ ceremoniæ: Primò propter humanitatem, nam barbarum eſt, ne tempus quidem lugendi parentes concedere vxori ducendæ, ſed mox eam rapere ad matrimonium durante luctu, vnde vetat hîc lætitiam nuptiarum cum luctu miſceri, vt ait Theod. qu. 19. Secundò propter temperandam concupiſcentiam; nam illa exſpectatio ad vnum menſem propter luctum eius & cæſariei raſio quæ deturpat mulierem, eò ſpectabant, vt interea ardor concupiſcentiæ deferueſceret, vt notat Clemens Alexand. l. 2. Stromat. c. 8. ſi enim eis manet ratio, inquit, vt eam vxorem ducat, eam retinebit, etiamſi turpis euaſerit,

Tertiò per has eaſdem ceremonias quodammodo luſtrabatur, vt depoſita gentilitate, ac moribus & cultu eius ad Iudaiſmum diſponeretur, vt eſſet vxor in populo Dei. Per hæc autem myſticè ſignificatur à pulchris diſciplinis gentilium auferendum eſſe omne quod mortuum & ſine ſenſu eſt, id eſt, omnem ſuperſtitionis, voluptatis, erroris, libidinum immunditiam, & ita in vſum Chriſtianorum eſſe conuertendas, vt tradit Hieron. Epiſtola 84. & Origen. Hom. 7. in Leuit. circa finem, vel certè ſignificatur animam rationalem ſuperſtitionis cultu inuolutam deponere debere veterem conuerſationem, aſſumpto habitu pœnitentiæ, ac deplorare patrem & matrem, id eſt, omnem huius mundi memoriam & illecebras, atque ita ſociari populo Dei, de quorum vtroque ſenſu vide fuſiùs S. Iſidor. Hiſpalen. c. 18. in lib. Deut.

20. DICENTQVE, FILIVS NOSTER PROTERVVS EST, hæc proteruia ab vtroque parente accuſari debebat. Nam vt obſeruat Theod. q. 20. contingit plerumque patre ſine cauſa filium deferente, matrem contradicere, & contrà, vbi verò vtrique conſpirant, perſpicua eſt accuſationis veritas, vnde iuxta ſcripturam huius loci, ſi alterutrius deeſſet accuſatio, non poterat filius interfici.

23. QVIA MALEDICTVS A DEO EST, QVI PENDET IN LIGNO, cauſam huius maledictionis ſuſpenſi petit Abulenſis ex eo, quòd poſt mortem nullo ſenſu doloris remanente, per quem homo puniatur, ſolum corpus remaneat, quod cùm in vultu totoque corpore præ ſe ferat quandam imaginem Dei, ignominia ſuſpenſi in Deum redundat. Melius ex eo, quòd perpetuam auferat hominibus opinionem de mortalitate animæ, cuius corpus ita tractari vident. Verius dixerimus ideo ſuſpenſum dici maledictum, quia omnes mali ſunt Deo execrabiles, & ideo de terra quàm citiſſimè etiam ſecundùm corpus delendi, & ex hominum conſpectu & memoria tollendi, ne terra diutius contaminata maneat. Peculiariter autem hoc de ſuſpenſis præſcribitur, quia in aliis mortis generibus, vel ipſa corpora flammis abſumebatur, vel ipſa fœditas, fætor & offenſio ſenſuum humanorum ſatis admonebant, ne in terra putreſcere ſinerentur; vnde & nunc ſolos illos qui in aëre eleuati moriuntur, videmus ad exemplum aliorum relinqui: quia lex iſta ceremonialis non aſtringit Chriſtianos. Excipit ab hac lege Chriſtum Tertull. lib. contra Iudæos c. 10. quia non propter peccatum ſuum ſuſpenſus fuit, vt præceſſit hîc v. 22. Sed Apoſtolus ad Galatas 3. v. 13. etiam expreſsè excitatis his verbis Chriſtum maledictum pro nobis factum tradit: nempe quia ſicut factus eſt in ſimilitudinem carnis peccati, id eſt, hominis peccatoris aſſumptâ carnis mortalitate, ita & ſuſpendio ſuo, ſimilitudinem geſſit hominis à Deo maledicti, & pro tali reputatus: idque eò magis quòd mors quàm ipſe in cruce ſuſcepit, effectus ſit peccati, ac maledictionis, quam expiandam ſuſcepit. Nam vt Auguſt. 14. contra Fauſtum c. 4. Hoc (id eſt, per hoc) eſt maledictus quod mortuus, quia mors ipſa ex maledicto eſt, & maledictum eſt omne peccatum, ſiue ipſum quod fit, vt ſequatur ſupplicium, ſiue etiam quod alio modo peccatum vocatur, quia ſit ex peccato, ita ille.

CAPVT XXII.

1. NON VIDEBIS BOVEM FRATRIS, generalis ſigitur lex charitatis erga rem quamcumque fratris exercendæ, quæ in periculo amiſſionis fuerit. Sub fratre autem intelligitur ex ſententia multorum Iudæus, qui ſcilicet gente & religione frater, ſeu proximus fuerit: quo modo fortaſſis Iudæi intellexerunt. Sed rectiùs dixeris quemcumque hominem etiam gentilem intelligi, ſic enim videtur Chriſtus exponere proximum Lucæ 10. & ex ipſa natura huius præcepti videtur colligi. Cum enim ſupponat neſciri quis bouis aut ouis errantis dominus ſit, nec ex ipſis rebus hoc innoteſceret, Iudæus eſſet an proſelytus, an Ethnicus, neceſſe eſt nomen fratris ad illos omnes extendi.

4. SI VIDERIS ASINVM CECIDISSE, &c. Rabbi Salomon tradit non habuiſſe locum iſtud præceptum in ſacerdote, ſi animal cecidiſſet in locum ſepulturæ, vbi eſſent oſſa

mortuorũ, quia fuiſſet inde contaminatus: ſed quia opera neceſſitatis licuerunt etiam ſabbatis, & Dauid laïcus comedit etiam ſacros, & ſibi prohibitos panes, verius eſt iſtam naturalis charitatis legem non debuiſſe iſti ceremoniali cedere. Facile eſt autem hanc legem ad animas fratrum errantes, aut peccato in via lapſas tropologicè transferre, erga quas Chriſtiana charitas exercenda eſt.

5. NON INDVETVR MVLIER VESTE VIRILI, propter indecentiam, ſcandalum, & furtiuæ libidinis periculum. Mulier enim cum veſte ſimul pudorem exuit, vt quidam rectè dixit. In dictis autem circumſtantiis etiam nunc iſtud præceptum grauiter obligat vnde Ambr. in Epiſt. ad Irenæum, Cur mentitis fœminam, vel tu fœmina virum? ſuis vnumquemque ſexum induit natura indumentis, diuerſus cuique vſus, color, motus, inceſſus, vires, diuerſa vox in viro & fœmina, mendacium & in verbis turpe eſt, nedum in habitu. Transfert autem hoc præceptum ad mores, quòd deforme ſit virum opera facere muliebria. Ergo, inquit, & pariant, ergò & parturiant viri, qui criſpant comam, ſicut & fœminæ, hinc Clemens Alexan. 2. Strom. vult viros, nec corpore, nec factis, nec mente, nec verbis effeminari. Hebræi legunt, *Non erunt vaſa*, ſeu inſtrumenta *viri ſuper mulierem*, quod Lyranus, immò & Auguſt. q. 22. exponit de vaſis bellicis, ſeu armis; nempe quia eſſet indecens, præſumptuoſum, & tunc temporis ſuperſtitioſum eò quòd inter Ethnicos fœminæ nonnumquam in ſacris quorundam Deorum vterentur armis virilibus.

6. NON TENEBIS EAM, matrem pullorum, CVM FILIIS, docet humanitatem, vt notat Theod. hîc q. 21. habet enim hoc ſpeciem cuiuſdam immanitatis, & crudelis rapacitatis. Plures eiuſmodi leges humaniſſimas erga beſtias, immò res inanimas exercendas alibi produximus. Adde ſic prouideri generi auium, ſi enim paſſim talia committerent, interirent, ſicut è contrario ſi caperetur mater relictis pullis, interirent pulli non ſatis maturi, vt ibidem Theod.

8. FACIES MVRVM TECTI PER CIRCVITVM, id eſt, facies in tecto quaſdam eminentias per modum coronæ, ne facilis in præceps lapſus ſit, vt exponit Hieronymus Epiſt. 135. Nam in Palæſtina, inquit, & in Ægypto, vel vbi ſcripti ſunt diuini libri non ſunt in tectis culmina, ſed domata, quæ Romæ, vel ſolaria, vel mœniana vocant, id eſt, plana tecta, quæ tranſuerſis trabibus ſuſtentatur, in Scripturis ſæpè vocantur domata, vnde Hierem. 19. verſ. 13. dicuntur in domatibus domum, id eſt, planis illis tectis ſacrificaſſe militiæ cæli. Hinc & Petrus Actor. 10. dicitur oraturus aſcendiſſe in ſuperiora, Græcè, in doma: & Matth. 10. quæ in aure auditis, prædicate ſuper tecta, Græcè, domata, nam eò ſolebant conuenire ambulandi confabulandique causâ.

9. NON SERES VINEAM TVAM ALTERO SEMINE, id eſt, agrum vineæ non ſeres alio aliquo ſemine, vt oriatur mixtura quædam ex iacto ſemine & vitibus. Vetat ergò ne quidquam inter vites ſeminetur: cuius legis eadem eſt ratio, quæ alterius ſimilis Leuit. 19. verſu 19. Præter quam tamen Theod. quæſt. 23. rectè notat hîc ſimul amputari inexplebilem auiditatem, imò ipſis ruſticis prouideri, eò quòd terra vitibus, & alio ſemine grauata, ſingulos fructus exiliores ferat. NE SEMENTIS, ET QVÆ NASCVNTVR EX VINEA, PARITER SANCTIFICENTVR, id eſt, polluantur, vt Chaldæus, per antiphraſin ſcilicet, ſicut benedicere ſubinde ponitur pro maledicere, quæ pollutio ex hac Dei lege oriebatur, & ex Leuit. 19. verſu 19. qua ſimilis diuerſarum ſpecierum commixtio vetatur, vel ne polluantur, id eſt, velut polluta vileſcant, eò quòd ager propter nimiam extenuationem, & vexationem ſterileſceret, & fructus abiectiores proferet.

10. NON ARABIS IN BOVE SIMVL ET ASINO. Hæc lex ex eadem virtute ſimplicitatis, & recti ordinis, quem Deus vbique amat, & procurat, profluit, qua de re diximus Leuit. 19. Dantur tamen & aliæ rationes huius prohibitionis. Rabbi Moyſes 3. parte More cap. 49. putat hoc ideo vetari, ne ex conſociatione ſub eodem iugo diuerſæ iſtæ ſpecies inter ſe commiſceantur: fauet quod hîc præceſſit de non ſeminanda vinea diuerſo ſemine, & quia ſpeciali lege ſimile quid prohibi-

prohibitum fuit Leuit. 19. Alii rationem ex eo petunt, quia impares ſunt viribus, & ita totum onus in debiliorem recidit. Myſticè monet ex hoc præcepto Gregor. 1. Moral. 16. alias 6. fatuum non eſſe ſociandum ſapienti in prædicatione, ne per eum qui rem implere non valet, illi qui præualet obſiſtamus: quod eſſe ſignificatum monet, & Aug. 6. contra Fauſtum cap. 9. vbi addit ſimiliter veſtem ex lana & lino contentum vetari ad aliquid ſcilicet ſignificandum, nempe quia vitioſum eſt inordinatè viuere, diuerſi generis profeſſiones velle miſcere, vt vel ſanctimonialis habeat ornamenta nuptarum, vel ea quæ nupſit, ſpeciem virginis gerat, vel ſi quid aliud inconuenienter ex diuerſo genere in vita cuiuſque miſcetur, ita Aug. qua de re ſicut & de fimbriis diximus alibi.

13. QVÆSIERITISQVE OCCASIONES. Poterat facilius per libellum repudii ab ea liberari dicendo, quòd diſpliceret oculis ſuis, vnde occaſiones iſtæ quærebantur ſubinde à viris, vel quòd non eſſet ſatis honeſtum ſine cauſa repudiare, vel quod hac ratione vellet eam dote fruſtrare, vt putat Maimonides 3. parte More cap. illo 49.

OBIICIENS EI NOMEN PESSIMVM, ſcilicet crimen fornicationis poſt deſponſationem, dicendo: NON INVENI EAM VIRGINEM, ſicut ſcilicet ſe venditauerat, cùm ergò tanquam virgo fuiſſet ei deſponſata, (neque enim aliter eam ſibi iunxiſſet) & tamen non inuenerit virginem, & illa ſuppoſitione, ſequitur fuiſſe fornicatã poſt deſpõſationem.

FERENT SIGNA VIRGINITATIS EIVS, nempe depoſitionem matronarum, quæ virginem probauerant antè conſummationem matrimonii, inquiunt aliqui, ſed malè: verius eſt enim hæc ſigna indicari verſ. 17. vbi dicitur *expandent veſtimentum*, &c. id eſt, ſindonem, vel linteum ſanguine virginis tinctum, qui ex primo congreſſu effluxit, hoc enim coram ſponſo, ac teſtibus acceptum in hunc finem à parentibus aſſeruabatur, quod adhuc hodie dicitur eſſe in vſu in Africa. Teſtantur enim medici, & in primis Franciſcus Valeſius de ſacra Philoſophia c. 25. eſſe naturalem in virginibus vteri coaleſcentiam ſeu ſymphyſin, quæ primo congreſſu violentè diuellitur, ita vt ſanguis effluat, neque vllam eſſe aliam, vel pelliculæ, vel alterius partis diruptionem, qua de re ipſe latiùs. Obſeruat autem hîc Auguſt. q. 33. vxores penè fuiſſe famulas apud Iudæos, ſi enim vera erat iſta mariti accuſatio, vxor debebat mori: ſin falſa, non ſimiliter viri mors decernebatur, ſed tantum damnum pecuniarium, & retentio vxoris cum verberibus: cùm in aliis cauſis falſum teſtimonium, vel morte, vel pœna pati quam alteri inferri voluiſſet, puniretur.

21. QVOD SI VERVM EST, LAPIDIBVS OBRVENT EAM, ex quo patet hoc crimen ita grauiter puniri, quia erat pluſquam ſimpl. fornicatio, quam alibi diximus non fu: ſe morte punitam, & patet hoc v. 28. nempe erat defloratio deſponſatæ propter quai etiam mors decernitur viro defloranti v. 24 vbi dicitur humiliaſſe vxorem proximi, i eſt, violaſſe deſponſatam, quæ propter ii deſponſationis, hîc vocatur vxor; vel cer ſi antè deſponſationem non erat virgo, era impoſtura marito facta, cur ſe virginem falſo venditauerat.

27. SOLA ERAT IN AGRO: CLAMAVIT, &c. Hæc ex quadam præſumptionis æquitate dicuntur, etſi fieri potuiſſet, vt non clamaret. Nam quemadmodum iuxta caſum præcedentem v. 24. fieri poterat quòd clamaſſet in ciuitate, & nullus audiuiſſet, vel iuiſſet, & tamen mori debebat: ita contrà fieri poterat, vt in agro non clamaret, ſed conſentiret, & eſſet rea, ſed iſti caſus non ita frequentes ſunt, vnde ſtatuitur id quod meritò morali quadã æſtimatione cenſeri debebat.

28. ET APPREHENDENS CONCVBVERIT CVM ILLA. Hæc apprehenſio non ſignificat ſimplicem concubitum, ſed violentiam illatam virgini; quod ſi autem iſto caſu v. 28. ſtuprator non puniretur morte, quantò minùs ſi puella conſenſiſſet?

CAPVT XXIII.

1 NON INTRABIT EVNVCHVS ATTRITVS, &c. Tres modi tanguntur hîc quibus eunuchi fiunt: & idem afferuntur à Paulo Ænigeta. Quidam enim olim fiebant

eunuchi teſtes puerorum atterendo in balneis, vt euaneſcerent, vel ita contorquendo vt vena quæ alimentum deferret, quaſi nodo interciperetur. & ſic tabeſcerent. Hi vocabantur thlibæ. Alii fiebant perfectiùs eunuchi teſtium exciſione. Alii denique perfectiſſimè teſtium & ſimul veretri ſeu membri virilis abſciſſione, qui vrinam reddebant fiſtulâ ænea. Ab his omnibus diſtinguit Franciſcus Valeſius c. 21 ſacræ Philoſophiæ ſpadones propriè dictos, qui nullius partis patiuntur mutilationem, ſed propter naturalem flexuram vel conſtrictionem viæ generare non poſſunt, etſi ad venerem inſtigentur: de his non videtur Scriptura loqui. Eunuchus ergò

Non intrabit Ecclesiam Domini. Triplex eſt hîc ferè expoſitio. Alii per Eccleſiam intelligunt eam atrii partem quam licebat paſſim Iudæis intrare. Lyranus verò & alii quidam intelligunt magiſtratum populi; quaſi vetaretur ne haberent vllam præfecturam in populo Iudaïco, ſed vtraque maximè prima refutatur ex Hebræo, *cahal* enim non ſignificat vllam atrii vel templi partem, vel magiſtratum, ſed congregationem populi. Itaque verior videtur ſententia, quæ eſt & Iudæorum, & Rabbi Moyſis 3. parte More cap. 49. & aliorum, prohiberi ne eunuchus fiat de Eccleſia Domini, id eſt, de congregatione ciuili, ſeu de populo Iudaïco, ita vt cenſeatur pars eius & gaudeat eius priuilegiis. Idem ſtatuitur de mamzer, id eſt, ſpurio, vnde eodem loco dicit Rabbi Moyſes ſemen Iſraëlis ſemper in honore fuiſſe habitum, eò quòd nunquam ſe commiſcuerit ſpuriis per connubia. Spuriorum tamen poſteri poſt decimam generationem quaſi abſtersâ iam labe per tantam diſtantiam ab infecta ſtirpe, poterant intrare in populum Iudaïcum, & cum eis matrimonia iungere.

3. Ammonites autem et Moabites, non poterant in æternvm, id eſt, nullus de ſtirpe illa ex parte Moabita vel Ammonita natus, quod ad 'o quia de fœminis alia videtur ratio fuiſſe. Ruth enim Moabitis populo Iſraël inſerta fuit: quod non eſt mirum, quia extra gentes Chananæas qualibet gentilis vxor ex captiuis duci poterat vt ſuprà cap. 21. v. 13. Achior autem Ammonites de quo Iudith 14. v. 6. dicitur quod appoſitus ſit ad populum Iſraël, appoſitus eſt quantum ad religionem, non autem quantum ad ea quæ diximus. Non enim hac lege vetantur ea quæ ſalutem animæ ſpectant, vt patet Exod. 12. v. 4. ſed ciuiles prærogatiuæ propter decorem & honorem populi Iudaïci. Additur autem

6. Non facies cvm eis pacem nec qværes eis bona in sempiternvm, intellige quantum ad illum conuictum ciuilem & inſertionem in populum Iudaïcum. Nam alioqui Dauid videtur pacem coluiſſe cum Rege Ammonitarum & ei bona præſtitiſſe 2. Regum 10.

8. Qvi nati fverint ex eis, ſcilicet Idumæo vel Ægyptio, tertia generatione intrabvnt in Ecclesiam, computando illam tertiam generationem ab eo qui primus ſe ad Iudæos religione & habitatione tranſtuliſſet, vult enim Deus in Idumæis haberi rationem fraternitatis quia Eſaü frater fuit Iacob parentis Iudæorum, in Ægyptiis verò memoriam beneficii, quo aliti fuerunt & habitauerunt tanquam aduenæ tot annos in Ægypto, tametſi poſtea oppreſſi.

9. Qvando egressvs fveris adversvs hostes, dum ſcilicet multis ſe putant omnibus legibus honeſtatis ſolutos, cvstodies te ab omni re mala, rapinis, oppreſſionibus, periuriis, blaſphemiis, ſcortatione quibus milites maximè laborare ſolent, & victoria impediri, vnde & S. Ioannes ea de cauſa militibus ſimilem diſciplinam deſcribit Lucæ 3.

13. 14. Gerens paxillvm in baltheo. Ioſeph. 2. Antiq. c. 7. docet ſuo tempore etiam Eſſenis extra tempus belli paxillum huiuſmodi fuiſſe vſitatum quem ipſe ſarculum vocat, etſi non eſſet niſi lignum ita aptatum vt haberet vſum ſarculi ad fodiendam foueam, inquit Ioſephus, vno pede altam, & reponendam terram qua ſordes tegerentur. Cauſa enim huius rei aperta erat mundities caſtrorum vt nihil in eis appareret, fœditatis, qua de cauſa etiamnum ſimile quid obſeruatur à Turcis. Altera cauſa

indicatur v. 14. DOMINVS AMBVLAT IN MEDIO CASTRORVM, per iſtam enim ceremoniam voluit confirmare fidem eorum de Deo in medio ipſorum ambulante & habitante, vt ſcilicet meminiſſent caſtra tam puta eſſe debere vt eſſent quaſi ſanctuarium Dei, vnde eadem de cauſa iubetur v. 10. vt nocturno pollutus ſomnio caſtris egrediatur, vt not. Maimonides 3. parte More c. 14.

15. NON TRADES SERVVM DOMINO SVO. Loquitur de ſeruo alterius gentis quàm Iudaicæ, vt obſeruat Aug. quæſt. 36. & ſatis colligitur ex verſ. 16. Itemque de ſeruo qui iniuſtè affligitur. Præſcribit itaque lex iſta laudatiſſimam virtutem beneficentiæ & miſericordiæ erga afflictos etiam viliſſimæ conditionis homines exhibendæ nedum honoratiores: quam humanitatem ſeruauit Achis Rex Gentilis erga Dauid fugientem à facie Saül 1. Regum 27.

18. NON OFFERES MERCEDEM PROSTIBVLI, propter lucri iſtius turpitudinem & ne quis putaret ſcortationem ita poſſe expiari, inquit Auguſt. qu. 38. NEC PRETIVM CANIS, nempe primogeniti qui putari potuiſſet eſſe redimendus ex lege generali de redemptione animalis immundi, & pretium offerri Deo, vnde primogenitum canis & aſini videtur interfici debuiſſe, ſi non redimeretur, vt eſt Exod. 13. Meretrix & canis coniunguntur propter vtriuſque impudentiam & vilitatem, ne vileſceret ipſa Dei maieſtas cui talia offerrentur.

19. NON FOENERABERIS FRATRI TVO AD VSVRAM, addit, *ad vſuram*, quia fœnerare vſu Scripturæ ſæpè in bonam partem pro mutuare accipitur. Vſura autem exprimitur hìc nomine *neſech*, quod morſum ſignificat, vt ſimul indicet cauſam cur vſura deteſtabilis ſit, quia mordet, & interficit paulatim hominem, per fratrem autem intelligit Iudæum, opponitur enim ei quod ſequitur.

20. SED ALIENO, id eſt, alienigenæ, alterius ſcilicet gentis quàm Iudaicę, etſi fuerit proſelytus ad Iudaïſmum conuerſus. Iſta ergò verba permiſſionem continent rei illicitæ ad vitandum maius malum, ne ſcilicet à fratribus exigerent, vnde ſolùm impunitas in foro externo ſancitur. Ambroſius tamen c. 15. lib. de Tobia putat eſſe permiſſionem ſine peccato, ſed per *alienum* intelligit gentes hoſtiles: cui enim iure, inquit, inferuntur arma, huic legitimè indicantur vſuræ. Nam vbi ius belli, ibi etiam ius vſuræ. Quamquam ſi quis permiſſionem hanc omne peccatum abſterſiſſe velit, dicere poſſet, Deum Iudæis dominium bonorum alienæ gentis per vſuram acquirendorum hac lege tradidiſſe: ſed hoc minus videtur veriſimile, cùm in Scriptura veteri, vt Pſal. 14. verſ. 5. & Ezech. 18. v. 8. vſuræ generaliter ſatis apertè prohibeantur.

25. SI INTRAVERIS IN SEGETEM AMICI TVI, idem verbum eſt hìc in Hebræo quod verſu præcedenti transfertur *proximi*. Intelligitur autem Iudæus, vnde ex hac lege diſcipuli Domini ſpicas vellebãt in agris alienis. Quę autem hìc de vinea & ſegete ſtatuuntur, eadem à pari de hortis intelligenda ſunt.

CAPVT XXIV.

1. ET NON INVENERIT GRATIAM PROPTER ALIQVAM FOEDITATEM. Impudicitiam intelligit Tertull. 4. contra Marcionem c. 34. vt conueniat cum illa Domini ſanctione, vt propter fornicationẽ vxor dimitti poſſit, ſed illud *aliquam*, ſeu vt Hebraicè eſt, *propter fœditatem verbi*, id eſt, rei alicuius ſatis inſinuat, etiam propter alias fœdas cauſas id fuiſſe permiſſum, vt paſſim Doctores intelligunt. Nec tamen quilibet prætextus ſufficiebat, ſed iuſtæ videntur eſſe debuiſſe cauſæ, vt in conſcientia eſſent ſecuri, vnde S. Hier. in c. 2. Malach. docet à Propheta reprehendi eos qui repudiauerant vxores ſuas eò quòd longitudine viæ ex Babylonia redeuntes infirmitatem vel corporum deformitatem contraxiſſent.

SCRIBET LIBELLVM REPVDII, nempe maritus eius, non viciſſim vxor ſcribet viro, ius enim repudii competebat viro non vxori, vt teſtis eſt Ioſephus l. 15. Antiquit. c. 11. vnde pręter morem Salome ſoror. Herodis repudiauit Coſtobarum virum ſuum Hęc autem ſcriptio indicitur tribus de cauſis. Primò ne qua mulier ex leuitate relicto viro diſcederet & alteri nubendo ſe dimiſſam diceret. Iuridicè enim res fieri debebat, vn-

de Aug. 10. contra Fauſt. c. 26. ex aliis tradit, non ipſi vero licitum fuiſſe ſcribere libellum iſtu , ſed ſolis Scribis. Altera cauſa erat quam ibidem tangit Auguſt. vt aliqua mora interponeretur, quo in diſſidium præceps animus, libelli conſcriptione refractus abſiſteret, &. quid mali eſſet vxorem dimittere cogitaret. Denique vt libelli conſcriptores cùm excellentiorem profiterentur ſapientiam, duritiam cordis dimittentium frangerent, & hac occaſione inter virum & vxorem dilectionem concordiamque ſuaderent, vt ibidem notat Auguſtin. Non enim permiſſus fuit libellus repudii, vt bonum aliquod, ſed propter duritiam cordis Iudæorum, qua in re, inquit Auguſt. lib. de bono coniugali c. 8. exprobratio diuortii magis apparet, quàm approbatio. Libellus iſte vocatur Hebraïcè libellus Exciſionis, quo ſcilicet contractus matrimonialis excideretur & irritaretur. Quo ſignificari videtur, contractum diſpenſante Deo fuiſſe verè diſſolutum, etſi Iudæorum duritia tali diſpenſationi occaſionem dederit, vnde conſequenter licebat vtrique parti ſine crimine adulterii nouum matrimonium contrahere. Et ſanè duriſſimum alioquin fuiſſet fœminis ſine culpa ſua ſubinde dimiſſis, totâ vitâ continentiam colore debere. Hoc videtur indicare v. 2. vbi inſinuatur eam alterum maritum potuiſſe ducere, & magis v. 4. vbi vetatur ad priorem maritum red re, quod ſanè vetari non debuit, ſi ante fuiſſet adultera. Cauſa autem datur,

4 QVIA POLLVTA EST, non peccato adulterii, ſic enim reſpectu cuiuſlibet alterius viri fuiſſet etiam polluta, cùm tamen poſſet alteri nubere ſed polluta concubitu ſecundi mariti. Magna enim indecentia erat vxorem ſemel repudiatam. & inſuper alterius concubitu pollutam recipere: arguebat enim hoc non ſolum viri prioris inconſtantiam, ſed & ſpeciem habebat vagæ libidinis, & palliati tantum diuortii ad explendam cum alia voluptatem, vnde meritò addit, ET ABOMINABILIS FACTA EST CORAM DOMINO, Hebraicè *quia hoc abominatio eſt*, nempe illam recipere, quia propter iam dictam indecentiam Deus hoc abominatur, non ergo propter peccatum mulieris, ſed potius viri.

NE PECCARE FACIAS TERRAM, LXX. & Panginus transferunt, Ne polluas ſeu coinquines terram, peccato ſcilicet tum inobedientiæ aduerſus hanc legem, tum indecentiæ illius quam diximus recipiendo vxorem repudiatam & ab alio contaminatam.

6. NON ACCIPIES LOCO PIGNORIS INFERIOREM ET SVPERIOREM MOLAM, lapidem ſcilicet molarem, ſiue inferiorem, ſiue ſuperiorem, quia vtriuſuis ablatione mola eſt inutilis. QVIA ANIMAM SVAM OPPOSVIT TIBI, id eſt, quia vitam, ſeu id vnde viuit pro pignore tibi dedit & oppoſuit, inhumanum eſt autem id cuiquam tollere, vnde victum comparat.

7. SI DEPREHENSVS FVERIT HOMO SOLLICITANS FRATREM, id eſt, fraude doloque abducens in inſidias, vt eum furetur ac vendat, vnde Hebraicè eſt, Si quis furetur fratrem ſuum. Prohibet enim ſub pœna mortis peccatum plagii quo homo liber venditur.

8. OBSERVA DILIGENTER NE INCVRRAS PLAGAM LEPRÆ, cauendo ſcilicet à cauſis iſtius plagæ, non tam phiſicis, quàm moralibus, id eſt, peccatis quæ illam prouocant. Statim autem in ſequentibus indicat lepram tamquam plagam diuinitus immitti iis qui rebelles ſunt ſacerdotibus; ſicut Maria Moyſi Prophetæ ac ſacerdoti, & Ozias Azariæ pontifici 2. Paralip. 26. v. 20. rebelles & lepra percuſſi ſunt.

10. NON INGREDIERIS DOMVM VT PIGNVS AVFERAS, tum quia ſpeciem habet violentię, tum quia in arbitrio oppignorantis eſſe debet, vt rem ſibi maximè opportunam & minimè neceſſariam tradat. In pignore enim ſufficientia valoris attenditur.

12. SIN PAVPER EST, NON PERNOCTABIT APVD TE PIGNVS, intellige, ſi noctu fuerit ei neceſſarium ad dormiendum in eo, vt indicatur v. 13. tunc enim iubetur reddere ante Solis occaſum, vnde manè poterat repeti. Sic è contrario ſi erat ei neceſſarium interdiu, noctu poterat loco pignoris haberi & manè reddi. Sed cur potius non petebatur pignus ſi veſperi deberet reddi

nimirum, vt iſtâ iteratâ repetitione ac redditione ſimul creditor inſtrueretur ad exhibendam beneficentiam & miſericordiam, & debitor incitaretur ad accelerandam ſolutionem, vt iudicat Aug. qu. 41.

16. NON OCCIDENTVR PATRES PRO FILIIS, &c. id eſt, pro peccatis filiorum & contrà: hoc enim ſolius Dei eſt, qui toto humano genere ad iuſtam mortem damnato, poteſt eam filiis pro peccatis parentum ſeu occaſione illorum inferre & contrà. Non vetatur tamen hac lege quin aliæ nonnullæ pœnæ v. g. damnorum vel exilii vnis pro peccato aliorum infligi poſſint.

17. NON PERVERTES IVDICIVM ADVENÆ, quia in terra aliena eſt, & incolis ſæpius inuiſus. ET PVPILLI, quia parentibus caret. In vtroque ergo conſiderari voluit quod non habeant vnde defendantur, vnde eadem de cauſa addit, NEC AVFERES PIGNORIS LOCO, VIDVÆ, quia mariti patrocinio deſtituta eſt, VESTIMENTVM, per quod etiam indicat ſe loqui non de qualibet vidua, ſed paupere, talibus enim veſtimentum in pignus auferri ſolet, nam alioqui argentum vel aliud quidpiam commodius auferretur, vt notat Aug. q. 43.

19. NON REVERTERIS VT TOLLAS ILLVM, nam obliuionē illam videtur Deus in vſum pauperum permiſiſſe vel procuraſſe. Cùm autem hæc miſerabilibus iſtis perſonis relinqui iubentur, admonentur ij qui non indigent, iſta non quærere, quod ab improbis quibuſdam mendicantibus fieri ſolet. Quod ſi iſta quæſierint, inquit Aug. qu. 44. quid aliud quàm res alienas, & quod grauius eſt, pauperum inuadere iudicandi ſunt?

CAPVT XXV.

3. ITA VT NVMERVM QVADRAGENARIVM NON EXCEDANT. Hæc lex Hebraicè ſic exprimitur: *Cadere facies eum ſecundum ſufficientiam impietatis eius in numero: quadraginta* (id eſt, quadragies ſeu quadragenis) *percutiet eum, non addet*, &c. Ex quo manifeſte patet vi legis iſtius licuiſſe etiam quadragenas plagas infligere, ſi impietas eius hoc mereretur, non tamen licuiſſe excedere. Vnde ergo fit quod Iudæi quadragenas vnâ minus ſemper inferebant? ſic enim Paulus quinquies erga ſe exegiſſe teſtatur 2. ad Cor. 11. cùm tamen eum peſſimè odiſſent, & mortis reum putarent. Pleríque Latinorum hunc vſum inductum eſſe putant vel clementiæ & humanitatis cauſa, vel ne forte in ipſo verberandi impetu numerum quadragenarium tranſilirent. Sed neutrum verum eſt. Nam Iudæi collegerunt hunc numerum 39. tamquam præceptum in ipſo textu Deuteron. ſed friuolo & planè infirmo innixi fundamento. Nam illa verba citata, In numero quadraginta percutiet eum, ipſi legunt ſine diſtinctione, & eorum ſenſum eſſe volunt: In ſeu cum numero qui proximus eſt quadragenario, vel qui ſtatim poſt ſe numerat quadraginta: quem certum eſt eſſe trigeſimumnonum: ita manifeſtum eſt ex Gemara quæ ſubiicitur ad textum capiti tertii libri Maccoth in corporis Iuris Thalmudico, vbi illa deuteroſis vel tantùm de 9. plagis ex illo Deuteronomii loco velut lex ſtabilitur. Hinc eſt quod & Ioſephus lib. 4. Antiq. cap. 8, legem hanc Deuter. iam tum adulteratam iuxta traditionem iſtam Phariſaïcam, ſic exprimat: *Plagas vna minus quadraginta publicas ſcutica accipiet.* Ex quo Ioſephi loco etiam elucet, cur Paulus loco citato tamquam quid diſtinctum ſubiiciat, ter virgis cæſus ſum: quia flagellatio Iudæorum fiebat ſcuticâ, ſeu loris bouinis non virgis, quemadmodum & hoc, totuſque flagellandi modus latè deſcribitur in lib. Maccoth, loco citatò.

4. NON LIGABIS OS BOVIS TERENTIS IN AREA FRVGES, quia dignus eſt operarius mercede ſuâ, vt Tertull. 4. contra Marcionem c. 24. Nam in Palæſtina olim & etiamnum in locis calidis, vt Hiſpania, & alibi non excutiuntur flagellis fruges, ſed pedibus boum, vel mulorum, inſtrumenta quædam trahentium teruntur. Iubet igitur illam humanitatem, & quaſi iuſtitiam adhiberi brutis laborantibus, ne claudatur eis os, vel debita ſuſtentatione ex ſua tritura fraudentur. Sed quia bos eſt typus prædicatoris Euangelici in area Chriſti laborantis, hinc Apoſtolus 1. ad Cor. 7. dicit Deum in hoc præ-

cepto condēdo non habuiſſe curam boum, id eſt, non præcipuè ſpectaſſe boues, ſed aliquid ſublimius quod per boues figurabatur, nimirum, vt quemadmodum boues ex tritura ſua viuunt, ita prædicatorem ex Euangelio debere viuere, qui ſenſus non eſt litteralis, vt vult Abulenſis, ſed allegoricus, vt expreſsè eum vocat Tertull. 5. contra Marcion. c. 7. & indicat Theod. hîc qu. 31.

5. QVANDO HABITAVERINT FRATRES SIMVL, id eſt, cum ſimul vixerint, non enim omnino neceſſe erat, vt in eadem habitarent domo, vel vrbe, vel prouinciâ, quamuis ita ferè fieri ſoleat, & id quod vſitatum eſt, expreſſerit Scriptura, ET VNVS EX EIS ABSQVE LIBERIS MORTVVS FVERIT, nempe tam filio quā filia. Si enim filia fuiſſet ſuperſtes, illa erat heres patris, & per maritum ex eadem tribu ſibi coniunctum defuncti familia propagari poterat, vt ſatis indicatur Num. vlt. in filiabus Salphaad, vnde tunc non erat neceſſe, vt hoc fieret per fratrem defuncti. ACCIPIET EAM FRATER EIVS, idque etiamſi aliam haberet vxorem, vt exponitur apud Iuſtinum quæſt. 132. Verum fratrem intelligendum eſſe non cognatum ſatis conuincitur, ex praxi apud Iudæos Matth. 22. & Gen. 38. v. 8. vnde eſt hîc exceptio à lege Leuit. 18. v. 16. Si ergo deeſſent fratres, cognati proximi non tenebantur eam ducere, ſi nollent, niſi eo caſu quo vellent eſſe heredes bonorum eius, vt colligitur ex hiſtoria Booz, Ruth 4 v. 6 & ſeqq.

ET SVSCITABIT SEMEN FRATRIS SVI, prolem ſcilicet ei generando quæ fratris defuncti, non autem ſuperſtitis eſſe cenſeatur. Cauſa legis erat, vt ita familiæ diſtinctæ ſeruarentur, neque confunderentur hereditates: vt apud Iuſtinum quæſt. citata; vt charitas fraterna ſanciretur; vt memoria defunctorum retineretur tempore iſtius legis, qua magis temporalia bona quàm æterna exſpectabantur, vnde Iulius Africanus apud Euſebium libr. 1. Hiſtor. c. 7. vult hac lege quandam reſurrectionis imaginem carnalibus hominibus adumbrari, denique quia ſteriles ignominioſi habebantur, vt Tertull. libr. de Monogamia c. 7.

6. ET PRIMOGENITVM EX EA FILIVM NOMINE ILLIVS, ſcilicet defuncti fratris, APPELLAVIT, non vt idem omnino nomen defuncti gerat, ſed vt vocetur filius defuncti, & eius heres ſit, vt Auguſtinus libr. 2. Retractat. cap. 12. vbi retractat quod putauerat eum nomine defuncti eſſe appellandum. Primogenitus ergo vocabatur filius defuncti, reliqui erant ipſius generantis. Quod ſi frater nollet eam ducere,

7. TOLLET MVLIER CALCEAMENTVM DE PEDE EIVS SPVETQVE IN FACIEM EIVS, in extremam eius infamiam. Nam vtroque ſigno indicatur eum indignum eſſe qui inter ingenuos verſetur: mancipii eſt enim ingredi diſcalceatum, & vix in eius faciem ſpuitur.

Allegoricam huius rei ſignificationem latè tradit Origen. tract. 21. in Matth. & illam longè aptiorem Aug. l. 32. contra Fauſtum c. 10. frater enim eſt prædicator Euangelii qui prædicando ſuſcitat ſemen defuncto Chriſto, vt vocetur non nomine Petri, aut Pauli, ſed nomine Chriſti Chriſtianus: quod qui renuit facere, expuitur in eum, quia ab Eccleſia meritò dignéque contemnitur.

11. ET APPREHENDERIT VERENDA EIVS, ad adiuuandum virum ſuum aduerſus alterum. Talis enim violenta apprehenſio ita vehementer lædit, ac dolorem excitat, vt homo viribus deſtituatur & facilè ſuperari poſſit, vndè & canes pugnantes hac ratione facilè ſeparantur.

12. ABSCINDES MANVM ILLIVS, tum propter impudentiam, tum quia cauſa cælis eſt, quæ, vel ſecuta eſt, vel ſequi nata erat, vtramque rationem tangit Procopius.

CAPVT XXVI.

1. CVMQVE INTRAVERIS TERRAM, indicat non eos ad hanc legem adſtringi niſi in Chananæa. Dabantur enim primitiæ in gratitudinem adeptæ terræ ſibi promiſſæ, vt eſt v. 3. & clariùs 10.

2. TOLLE DE CVNCTIS FRVGIBVS TVIS PRIMITIAS, non ergo de quibuſdam tantum, quas mundas nonnulli vocant, ſed de omnibus omnino, quia omnes erant mundæ: qua quantitate, quoue tempore offerentur diximus Num. 18. v. 12.

Poneſque in cartallo, ſeu caniſtro. Intelligit partem aliquam quæ coram altari holocauſtorum iuxta verſum quartum in loco vbi erat tabernaculum, erat præſentanda. Nam omnes primitiæ ſæpenumerò non poterant in vno cartallo poni. Sequens autem profeſſio plena gratitudinis ſimul erat facienda.

5. Syrus perſequebatur patrem meum, id eſt, Laban habitans in Meſopotamia Syrię perſequebatur Iacobum, cùm ab eo cum vxoribus in Chananæam fugeret Gen. 31. Factæ autem profeſſione iubet epulari, ſcilicet, ſiue ex ſacrificiis pacificis oblatis, ſiue ex aliis bonis, quæ in hunc vſum ex ſecundis decimis & primitiis ſeruabantur, iuxta ea quæ diximus ſuprà in verſum 22. & 23. cap. 14 Deuter.

12. Quando compleveris decimam cunctarum frugum, id eſt, quando iam plenè ſolueris decimas omnes quæ in ſacros vſus erant impendendæ: duæ namque decimæ ſoluebantur quotannis, vnæ ſoſis Leuitis, alteræ in ſacris epulis conſumendæ ab ipſo offerente, cum Leuitis: ſed tertio quoque anno addebantur tertiæ decimæ in ſolos pauperes, tum Leuitas, tum aduenas pupillos, ac viduas diſtribuendæ, de quibus agitur hoc loco & Deut. 14. verſ. 8. vt ibid. diximus. Hæ non ferebantur Hieroſolymam, ſed comedebantur à pauperibus.

Intra portas, id eſt, in vnoquoque loco quo colligebantur. Profeſſio tamen quæ ſequitur, v. 13. debebat fieri in conspectu Domini, id eſt coram tabernaculo.

13. Abstuli quod sanctificatum est de domo mea, id eſt, ſeparaui à bonis meis quidquid Leuitis & pauperibus tribui velut ſanctificatum mandaſti, ſcilicet tertias haſce decimas.

14. Non comedi ex eis in luctu meo, id eſt, non fraudaui pauperes quibus debebantur propter paupertatem meam preſſus videlicet inopia; vel etiam preſſus dolore & luctu, quod tantum deberem auferre bonis meis & aliis elargiri.

Nec separavi ea in qualibet immunditia, id eſt, ad quoſuis vſus turpes, aut profanos, ſed ad ſolam ſuſtentationem pauperũ. Quamuis poſſet intelligi immunditia legalis, tam rerum ſeparatarum quàm ipſius ſeparantis, vt ſignificetur, ſe neque immundum legaliter fuiſſe, quando ea ſeparabat, neque res aliquo cõtractu pollutas obtuliſſe, ſed potius munda & pręſtãtiſſima.

Nec expendi ex his quidquam in re funebri, faciendo ſcilicet ex eis conuiuia in exequiis mortuorum, quod tamquam res pia videri potuiſſet licitum. Quamquam Aug. q. 47. velit per hoc prohiberi parẽtalia, tamquam quæ à gentibus obſeruarentur.

Capvt XXVII.

2. Eriges ingentes lapides. Eoſdem illos lapides fuiſſe, ex quibus conſtaret altare de quo v. 5. tradit Ioſephus, & fauet ſatis v. 32. c. 8 Ioſue: etſi non deſint qui diſtinctos fuiſſe putent,

Et calce levigabis eos, lapides enim altaris erant rudes & impoliti. Itaque leuigantur calce, vt faciliùs lapidibus inſcribi poſſent.

3. 8. Omnia verba legis huius plane et lucide, id eſt, clarè, atque diſtinctè, vt facilè legi poſſent. Nam quod nonnulli Iudæi hoc trahunt ad puncta quæ adſcribi iubeantur, friuolum eſt, cùm longo tempore poſt Moyſen nulla fuerint: dicit autem, *legis huius*, vt ſignificet non decalogum tantum, nec etiam totum Pentateuchum, ſed totum Deuteronomiũ eis eſſe deſcribendũ. Vnde Ioſue 8. clarè dicitur, eum ſcripſiſſe ſuper lapides Deuteronomium legis Moyſi, quod ille digeſſerat coram filiis Iſraël.

12. Hi stabunt ad benedicendum, Scilicet ſex tribus ad benedicendum, & ſex ad maledicendum, super montem Garizim. Mons Garizim & Hebal duo vertice ſunt eiuſdem montis, quos ſola vallis diuidit, propè Sichem in tribu Ephraim. Notatione autem dignum eſt, lapides, quibus inſcripta lege fuerunt verba legis erectus fuiſſe in monte Hebal ad maledicendum deſtinato, vt ſignificaretur non legem ipſam, ſed gratiam Dei liberare à maledicto legis: dicuntur autem ſenæ tribus ſtetiſſe ad benedicendum & maledicendum, non quòd illæ benedicerent, vel maledicerent, ſed

quod ſacerdotes in mediâ valle interiectâ conſiſtentes iuxta arcam, vt colligitur ex Ioſue 8. benedicerent & maledicerent: tribus autem benedictionibus & maledictionibus proclamatis reſponderent & applauderent. Nam pronunciabantur à Leuitis, vt eſt v. 14. id eſt, à tota tribu, tam ſacerdotibus quàm aliis. Sacerdotes enim portantes arcam, ſtabant in valle media vnà cum tota tribu, & media pars populi verſus montem Garizim, media verò verſus Hebal: quibus mixti erant aduenæ & peregrini, prout hæc explicantur Ioſue 8. v. 33 Leuitę ergo proclamabant primò, vt videtur, benedictiones, etiamſi hîc non exprimantur, ſatis tamen indicatur illo loco Ioſue v. 34. deinde maledictiones, & ad ſingulas.

15. RESPONDEBIT OMNIS POPVLVS, id eſt, conſenſu ſuo approbabit, atque ita de nouo tranſibit in fœdus cum Deo. Quod autem dicitur, omnis populus, intelligendum eſt commodè, ſcilicet ad maledicendum, vel benedicendum deſtinatus. Nam ex v. 12. & 13. ſatis liquet, ſex tantum tribus, eaſque nobiliores reſpondiſſe benedictionibus: maledictionibus, ſex ignobiliores, quæ ſcilicet ex ancillis procreatæ fuerant, itemque ex Ruben qui patris thorum maculauerat, & Zabulon vltimo filio Liæ, prout hæc notat Theod. q. 34.

ET DICET, AMEN. Siue amen ſit ſubſtantiuum ſignificans idem quod veritas, vt Mercerus colligit ex verſ. 16. c. 65. Iſaiæ, *benedicetur in Deo Amen*, id eſt, in Deo veritatis, ſiue ſit aduerbium iuxta Hieron. Epiſtola 137. & alios qui vertunt, fideliter, ſeu; verè vtrouis modo eſt vox affirmandi aliquid, ſicut apud nos, verè, reuerà, planè, & ſimilia: maximè quando præcedit orationem: quando autem ſequitur, eſt confirmantis id quod præceſſit, vt ibidem Hieronymus. Tranſit autem tunc plerumque in particulam recipientis in ſe, ſeu etiam optantis; ex quo factum eſt vt LXX. plerumque vertant, γένοιτο id eſt, fiat, ſicut patet ſæpius in Pſalmis, vt 71. verſ. vlt. & alibi. Hoc enim maximè locum habet in fine orationis, quæ funditur Deo. Hîc ergò vtroque modo accipi poteſt, vt ſit vel vox approbantium & confirmantium, id quod proferebant Leuitæ, & vt ait Theod. ibidem velut ſubſcriptio quędam tabellæ hanc vocem ab ipſis referentis, vel etiam optantium, vt ita fiat: ſic enim ſe magis obſtringunt ad obſeruationem legis. Nam tota iſta pompoſa ceremonia eò tendebat, vt rudi iſti populo legis obſeruatio altiùs imprimeretur, quòd maximè fit, quando maledictiones appoſitas non ſolùm approbamus, ſed etiam in nos recipimus, & quaſi prouocamus, ſi conditio non obſeruetur.

CAPVT XXVIII.

3. BENEDICTVS IN AGRO Dei dicere eſt facere, eſt enim Dei ſermo efficax & operatorius, & cauſa omnium rerum, vt diximus Geneſis 1. ad illa verba, fiat lux. Ipſe enim dixit & facta ſunt. Itaque eſſe benedictum à Deo nihil eſt aliud quàm benefacta, ſeu beneficia Dei in ſe recipere:

IN CIVITATE IN AGRO, id eſt, in rebus tam vrbanis quàm ruſticis.

4. IN FRVCTV VENTRIS, id eſt, in filiorum abundantia, prout hæc explicantur v. 11.

5. IN RELIQVIIS, id eſt, in fructibus qui aſſeruantur & reconduntur, ita vt noua meſſe adueniente magnâ copiâ ſuperſint.

6. BENEDICTVS ERIS INGREDIENS, ET EGREDIENS, id eſt, in omnibus actionibus tuis, Deo ſcilicet quæcumque feceris proſperante. Nam ingreſſus, & egreſſus ſignificant totam vitæ œconomiam.

9. SVSCITABIT TE DOMINVS SIBI IN POPVLVM SANCTVM, id eſt, efficiet Deus, vt ſis populus ſibi peculiariter adſtrictus & charus, oſtendendo hoc ſcilicet per effectus beneficentiæ & protectionis ſuæ, ita vt omnes populi etiam oculis videant,

10. QVOD NOMEN DOMINI INVOCATVM SIT SVPER TE, id eſt, te verè vocari, & eſſe populum Dei, quem ipſe diligat, curet, augeat, protegat atque deffendat: & hac de cauſa TIMEBVNT TE. Hinc præ bonorum abundantia.

12. FŒNERABIS GENTIBVS MVLTIS, id eſt, mutuum dabis, vt propriè ſignificat vox Hebræa, vel mutuum dare poteris; nam vſuris opprimere poſſe gentes multas, vt

Iudæi ſibi permiſſum his verbis intelligunt, non eſt benedictio Dei.

Et a nvllo fœnvs accipies, id eſt, mutuum, quia ſcilicet nulla re indigebis.

24 Det Dominvs imbrem terræ tvæ pvlverem, id eſt, loco pluuiæ deſcendat puluis aut cinis, ſcilicet in æſtus, & ariditatis magnitudine à ventis excitatus.

26. Et palpes in meridie. De cœcitate animi non corporis loquitur quam tantam fore, quaſi optando prædicit, vt in rebus maniſeſtiſſimis inſtar meridianæ lucis, nihil intellecturi ſint, ſed tamquam cæci palpaturi & erraturi: quod ad oculum videmus impleti. Cor enim ita obſcuratum gerunt Iudæi, vt toto mundo credente, de Chriſto ſuo cuius prophetias toto affectu legunt, & quem auidiſſimè exſpectant, nihil prorſus intelligant, & in multa præcepta etiam naturalia de vſuris, de dilectione proximi, &c. impingant. Hinc autem naſcitur alia pœna.

Et non dirigas vias tvas, id eſt, non proſperes actiones tuas. Directio enim viarum in Scriptura, ſignificare ſolet proſperitatem omnium actionum & euentuum. Hæc autem diſtinctè ſtatim explicat:

43. Advena ascendet svper te, &c. et erit in capvt, &c. id eſt, erit vbique primus, & imperabit tibi. Tu verò ei ſubiectus, vnde Theod. qu. 34. & antè eum Orig. l. 2. in Epiſt. ad Romanos, & Cyprian. l. 1. contra Iudæos c. 21. volunt obſcurè hîc prædici vocationem gentium ad cultum diuinum, & Iudæorum reiectionem.

46. Et ervnt in te signa, et prodigia, id eſt, & calamitates ita magnæ ingruent in te, vt prodigioſæ habendæ ſint. Completæ ſunt hæ in captiuitate & calamitatibus illis ingentibus, quas à Babyloniis, Macedonibus, & maximè Romanis paſſi ſunt, vt notat Theodor. quæſt. cit. & ad illas nationes reſpicit verſus 49. & ſeqq. vbi gentem *In ſimilitudinem aquilæ venientem*, id eſt, rapaciſſimam, ac celerrimè violentiſſiméque irruentem aduenturam prædicit: vnde & Ezechiel. 17. v. 3. & Daniel. 7. v. 4. Nabuchodonoſor, & regnum Babyloniorum aquilæ comparatur, hinc & calamitates illæ.

53. Comedes frvctvm vteri tvi, &c. contigerunt eis ad litteram in obſidione Samariæ 4. Reg. 6. v. 29. & in obſidione Ieruſalem per Babylonios, Threnorum 2. v. 20. in Romana apud Ioſephum, quæ ſanè eſt extrema calamitatum, tum propter amorem matris naturalem erga fructum vteri ſui, tum propter horrorem à fœtu recenter nato comedendo, vt indicatur hîc verſu 57. vnde Threnorum 2. dicuntur paruuli ad menſuram palmæ comeſti, id eſt, etiam imperfecti, & per aborſum abiecti. Et tales videntur vocari hîc illo verſu 57. *Illuuies ſecundarum*, nempe proles adhuc ſecundis ſeu ſecundinis, & ſordibus inuoluta, & ideo immundiſſima abominanda potiùs quàm ad cibum expetenda.

65. Dabit tibi Dominvs ibi cor pavidvm. Completur hoc in Iudæis apud Chriſtianos: nam à tenera ætate eos timere incipiunt, vnde etiam iniuriis affecti non audent reſiſtere, et deficientes ocvlos, ſiue præ lachrymis ac mœrore, ſiue præ exſpectatione malorum.

66. Et erit vita tva qvasi pendens ante te, id eſt, quaſi in dubio ſuſpenſa, ne quotidie auferatur. Vnde ex timore illo non credes vitæ tvæ, id eſt, deſperabis te poſſe diutiùs ſuperuiuere: quem ſenſum pleniorem facit verſus ſequens. Plerique tamen antiqui Patres, vt Irenæus l. 4. c. 33. Tertull. lib. contra Iudæos c. 11. Cyprian. lib. de Idolorum vanitate, Lactantius l. 4. c. 18. Cyrill. Catecheſi 13. Athanaſi. lib. de Incarn. verbi, Leo & alii iſta verba ad Chriſtum Dominum referunt, qui cùm eſſet vita mundi, pependit antè oculos Iudæorum in cruce, & non crediderunt ei: vnde Aug. lib. 16. contra Fauſtum cap. 22. etſi fateatur, & aliter illa verba ab aliquo intelligi poſſe; non video tamen, inquit, cur dubitare debeamus, hoc etiam de Chriſto ſcripſiſſe illum de quo Chriſtus ait: ille enim de me ſcripſit.

68. Redvcet te Dominvs classibvs in Ægyptvm. Impletum eſt hoc poſt expugnatam Hieroſolymam. Teſtatur enim Ioſephus lib. 7. de bello Iud. c. 16. eos qui erant maiores annis 17. vinctos eſſe miſſos in

Ægyptum operibus deputandos; reliquos ætate minores eſſe venditos: PER VIAM DE QVA DIXI TIBI, &c. via illa fuit deſertum Arabiæ, per quod non itur claſſibus. Vnde vel ſupplenda eſt copulatiua (&) vt ſignificetur eos, tam terra quàm mari eſſe in Ægyptum deuehendos: vel potiùs intelligit ſimpliciter, viam quæ ducit in Ægyptum, quæcumque illa fuerit; vetitum enim erat Iudaïcæ nationi in Ægyptum reuerti.

CAPVT XXIX.

1. HÆC SVNT VERBA FOEDERIS. q.d. ea quæ hactenus dicta ſunt, ſunt ea quę Deus voluit percuſſo inter ſe, & populum fœdere, à populo ſuſcipi ſub conditione pœnarum & præmiorum inferendorum obſeruatoribus & tranſgreſſoribus.

PRÆTER ILLVD FOEDVS, &c. Vnde iteratò videntur omnes illæ ceremoniæ repetitæ fuiſſe, quæ in primo fœdere ſanciendo in Horeb Exod. 24. v. 5. & ſeqq. adhibitæ fuerunt. Vnde etiam ex illa repetitione fœderis vocatum eſt Deuteronomium, quaſi ſecunda lex, etſi potiùs ſit eiuſdem legis & fœderis iteratio, quàm aliquid aliud: nam præter pœnas, & præmia, quæ hîc diſtinctiùs expreſſa ſunt, pauca hîc ſunt quæ non fuerint in eo fœdere: quod primùm initum fuit, vt Aug. qu. 49. in Deut. Antequam verò in iſtud fœdus tranſeant, iterata exhortatione compellat & excitat populum.

3. VOS VIDISTIS TENTATIONES MAGNAS, nempe plagas Ægyptiorum, quibus Deus tentauit, & omnibus patefecit animum Pharaonis potentiamque ſuam. Porrò enim etſi non tentet, vt inducat in tentationem, tentat tamen vt probet, vt alibi ſæpè dictum eſt. Illos autem dicit tentationes illas vidiſſe, quia plerique aſtantium pueri fuerant cùm ederentur.

4 ET NON DEDIT VOBIS DOMINVS COR INTELLIGENS, vt ſcilicet ſciretis, quid Deus per iſta moliretur, ex quo amore veſtro ea proficiſcerentur, qua gratitudine reſpondere deberetis.

ET OCVLOS VIDENTES ET AVRES; &c. Explicatio eſt præcedentis, nec enim de oculis corporis loquitur, cùm eos dicat ea ſigna vidiſſe: ſed de oculis & auribus cordis, quaſi dicat, non dedit vobis hactenus intelligentiam & obedientiam. Quod verò dicit, *non dedit vobis Dominus*, nullo modo increpans hoc diceret, inquit Auguſt. niſi ad eorum quoque culpam hoc pertinere intelligi vellet, ne quiſquam ſe ex hoc crederet excuſabilem. Simul enim oſtendit hîc Moyſes, & ſine adiutorio Dei eos intelligere & obedire non poſſe; & tamen ſi illud adiutorium Dei deſit, non ideo eſſe excuſabile hominis vitium: ſuo enim demerito caret, & iudicia Dei quamuis occulta ſint, tamen iuſta ſunt: vt ergò cor intelligens & obediens à Deo accipiant, inculcat eis continua illa beneficia Dei, & miracula quæ circa illos operatus eſt.

5. NON SVNT ATTRITA VESTIMENTA VESTRA, &c. NEC CALCEAMENTA, &c. immò cum paruulis quoque creuiſſe addit Iuſtinus dialogo cum Tryphone, cùm plerique Ægypto exeuntes paruuli fuerint: ſed vnde noua veſtimenta, & calceamenta naſcentes quotidie in deſerto aſſecuti ſunt? Ex veſtibus calceiſque non detritis morientium: quæ ſemel corporibus aptata paruulorum, cum creſcentibus iterum non atterenda creſcebant. Adde ab Ægyptiis ablatam fuiſſe *veſtem plurimam*. Exodi 12. v. 35. ab Amaleticis quoque cæſis auferri potuiſſe, denique ex lana & corio cęſorum animalium, ſi qua cæderentur veſtes texi, & calcei confici potuerunt.

6. PANEM NON COMEDISTIS, ſed manna loco panis. VINVM ET SICERAM NON BIBISTIS. Vnde ergò Exod. 32. v. 6. dicitur populus ſediſſe manducare & bibere, id eſt conuiuium celebrare? non enim hoc de aqua diceretur, inquit Aug. qu. 51. Itaque vinum iſtud vocatur adhuc inter impedimenta ex Ægypto exportata fuiſſe, eoque conſumpto in poſterum vino caruiſſe: niſi ſi quid forſan, quod rarò & in fine tantum contigit, aliquid emerint à vicinis gentibus.

10. 11. VOS STATIS HODIE CVNCTI, quia ad omnes omninò pertinebat fœdus, & in illud conſentire atque ita tranſire debebant. Itaque illud quod ſequitur, EXCEPTIS LIGNORVM CÆSORIBVS, &c. non habet vim exce-

ptionis, quaſi illi non ſtetiſſent præſentes, ſed præteritionis: q. d. vt nihil dicam de illis, qui ex infimo plebe præſentes ſunt. Vnde quod poſtea v. 15. addit ſe ferire fœdus *cum abſentibus*, per abſentes intelligit poſteros.

18. ET SIT INTER VOS RADIX GERMINANS FEL ET AMARITVDINEM, id eſt, ne aliquis ſit in toto iſto populo cuius animus idololatria corruptus inſtar amaræ radicis germinet fructus operum inſtar fellis amaros, ac deteſtabiles. Radix enim hîc non vitium ipſum, ſed hominem ſignificat, quia de familiis & perſonis agit. Vnde Chaldæus tranfert, Ne ſit inter vos cogitans peccatum, & ſuperbiam. Tranſtulit hunc locum Apoſtolus eodem ſenſu in Epiſtolam ad Hebræos c. 12. v. 15.

19. CVMQVE AVDIERIT VERBA IVRAMENTI HVIVS, id eſt, execrationum & maledictionum, quas fœderis ſui tranſgreſſoribus appoſuit Deus: hoc enim ſignificat Hebraïca proprietas: neque enim hîc vllum iuramentum interuenit. BENEDICAT SIBI IN CORDE SVO, id eſt, blandiatur ſibi promittatque *pacem*, id eſt, proſperitatem & impunitatem, ET AMBVLABO, id eſt, etſi ambulauerim in prauitate mea tranſgrediendo leges iſtas: ET ABSVMAT EBRIA SITIENTEM. Adagialis eſt locutio, cuius magna obſcuritas valde varias diuerſorum peperit interpretationes, Chaldæi, Lyrani, Abulenſis, Caïetani, Eugubini, Oleaſtri, Pauli Burgenſis, Rabbinorum. Occaſionem ex parte dedit quod textus Hebraïcus vtrouis modo exponi poſſit, *abſumat ebria ſitientem*, & *addat ebriam ſitienti*. Sequendo lectionem noſtram, commodiſſimus videtur ſenſus, vt contagionem tum peccati, tum pœnæ prouerbiali iſta locutione ſignificari velit. Ebrius enim, ſeu Hebraïcè irriguus ſignificat eum qui peccando iam ſatur eſt, ſitiens qui adhuc innoxius: quaſi diceret, ne ſi quis inter vos inueniatur idololatriâ corruptus, & ſibi de impunitate blandiens, talis velut ebrius iniquitate trahat ſecum alios innoxios in ruinam, tum idololatriæ quam eis perſuadeat, tum pœnarum quas accerſat. Similis itaque videtur illi alteri prouerbio apud Apoſtolum: *Modicum fermentum totam maſſam corrumpit*. Vnde cùm allegaſſet Apoſtolus loco ad Hebræos citato præcedentia huius loci verba, *neque radix amaritudinis*, &c. ſubiungit ſtatim, *& per illam inquinentur multi*, quaſi explicans quid ſibi velit illud, & abſumat ebria ſitientem. Hinc LXX. clariſſimè tranſtulerunt, *ne peccator perdat ſimul innocentiam*, magiſter ſcilicet diſcipulum: quod etiam tam de perditione quæ fit per contagium peccati quàm de ea quæ fit per pœnæ communicationem intelligi poteſt. Peccatores enim etiam innocentes pœnis ſuis inuoluere, & ſecum perdere temporaliter ſolent. Vnde etiam de pœnis mox adiungit.

20. ET DOMINVS NON IGNOSCAT EI, &c. SED TVNC MAXIME FVROR EIVS FVMET, id eſt, quàm maximè Deus in eum excandeſcat & eum puniat. Eſt enim metaphora ab homine vehementer irato ſumpta, cuius è naribus erumpit fumus: vnde & Iob de Behemoth c. 41. De naribus eius procedit fumus: & Pſalmus de Deo, Aſcendit fumus in ira eius. Ira verò Deo tribuitur quantum ad effectum eius ſcilicet pœnas, non affectum.

23. SVLPHVRE ET SOLIS ARDORE CONSVMENS, ſcilicet terram illam; quod fit, cùm ſolis ardore terra torretur. Terra enim inde ſulphuream ſalſamque naturam contrahit & ſterileſcit. Vnde Pſal. 106. dicitur Deus conuertere terram fructiferam in ſalſuginem. Sal enim ſua ſiccitate exurit ſolum. Hinc Sodoma igne cæleſti & ſulphureo exuſta conuerſa in mare ſalis, ſeu ſalſiſſimum, ex quo & terra ei vicina ſteriliſſima eſt: & Abimelech, vt agros Sichem redderet ſteriles, diſperſit in ea ſal, Iudicum 9. v. 45. Hoc ergò faciet Deus terræ eorum, quia

26. SERVIERVNT DIIS ALIENIS, QVIBVS NON FVERANT ATTRIBVTI, nempe in cuſtodiam, vel tamquam diis quos colerent. Vnde nec ab illis defenſi ſunt: ſæpè enim Deus Iſraëlitarum dixit eis quòd eſſent futuri populus ſuus, & ipſe eſſet eorum Deus: quia ergò ſeruierunt diis alienis, idcirco inflixit eis Deus.

27. OMNIA MALEDICTA. Hæc verba pertinent adhuc ad gentes reddentes cauſam deſolationis Iudæorum: illa verò quæ ſe-

quuntur, QVÆ IN HOC VOLVMINE SCRIPTA SVNT, verba Moyſis intertexta explicationis causâ.

28. SICVT HODIE COMPROBATVR, ſcilicet quando gentes iſta poſt deſolationem Iudæorum dictæ ſunt: loquitur enim de futuris temporibus.

29. ABSCONDITA DOMINO DEO NOSTRO. Emanuel Sa, & nonnulli Rabbini explicant hoc modo: abſcondita Deo reſeruantur punienda, nobis verò ea quæ manifeſta ſunt. Sed hic ſenſus nihil facit ad præſens propoſitum; veriſimilior igitur eſt, quaſi diceret: Ecce quæ abſcondita ſunt in theſauris Dei, & illi ſoli nota nobis ab eo manifeſtata ſunt, tota ſcilicet lex eius & voluntas, & iudicia, ſeu pœnæ præuaricantium eam, idque eo fine, vt faciamus vniuerſa verba legis huius. Similem enim titulum gratitudinis commendat Pſaltes Pſalm. 147. verſu vltimo & penultimo, Non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis.

CAPVT XXX.

4 SI AD CARDINES CÆLI FVERIS DISSIPATVS. Hebraice, in extrema cæli. Quomodo eadem verba transferuntur à noſtro 2. Eſdræ 1. v. 9. per quæ extrema non ſoli poli arcticus, & antarcticus, ſed quælibet extrema cœli plaga, id eſt, regiones extremis cœli plagis ſubiectæ intelliguntur. Sunt autem verba conditionata, quòd ſi eo diſpergantur reducendi ſunt, dummodo agant pœnitentiam, non quod eò ſint diſpergendi, vel pœnitentiam acturi: vnde nec Iudæi ſolidè inde colligunt Meſſiam ſuum adhuc venturum, qui eos ab extremis cardinibus vbi iam diſperſi ſunt, reducat, præſertim cùm Nehemias loco cit. Scripturam hanc impletam dicat in reditu ex captiuitate Babylonica: Nec Franciſcus Valeſius c. 26. ſacræ Philoſophiæ, eſſe antipodas: quia etſi nulli eſſent, verba tamen eſſent vera.

6. CIRCVMCIDET DOMINVS COR TVVM, purgando à vitiis tuis, vnde LXX. circumpurgabit cor tuum, & clariùs Chaldæus, auferet inſipientiam cordis tui. Omnia enim vitia ſunt quædam cordis inſipientia, ſicut è contrario in omni virtute eſt ſapientia. Monet autem Auguſt. quæſt. 53. in his verbis contineri euidentem pollicitationem gratiæ. Promittit enim Deus ſe facturum eſſe, quod iubere ſolet vt fiat. Cyprianus tamen lib. 1. contra Iudæos, putat hoc loco prædici circumciſionem cordis per Chriſtum afferendam, & vt Lactant. lib. 4. c. 17. per eundem, circumciſionem carnalem eſſe tollendam.

8. TV AVTEM REVERTERIS, id eſt, ſi reuerſus fueris, vel potiùs eſt exhortantis, cura vt reuertaris, & audias vocem Dei.

9. REVERTETVR ENIM DOMINVS VT GAVDEAT SVPER TE, non quod mutet iram in gaudium, ſed quod effectus mutet, pro diuerſitate diſpoſitionum humanarum, aptos effectus producens, pœnas vel præmia. Sic ergò iterum gaudebit Deus, quia ita ſe geret tecum ſicut homines cum iis quos diligunt; gaudent enim de proſperitate ipſorum, & illam gaudentes afferunt, cùm poſſunt.

SI TV AVDIERIS VOCEM DOMINI. Hîc explicat effectum veræ conuerſionis eorum qui Deum in eo ſitum eſſe, vt audiant vocem eius, hoc eſt, vt ſtatim addit, cuſtodiendo præcepta eius in toto corde.

11. MANDATVM HOC, nempe diligendi Deum, & reuertēdi ad Deum in toto corde, ex quo pendent omnia cætera quæ expoſui.

NON SVPERA TE EST, NEQVE PROCVL POSITVM, id eſt, non eſt difficile cognitu, neque ex remotis & inacceſſis locis, vt è cœlo, vel vltra mare accerſendum, vt illud audire, ſcire & facere queas.

14. SED IVXTA TE EST SERMO VALDE IN ORE TVO, &c. id eſt, lex Dei per accuratam hanc expoſitionem meam ita vobis inculcata, & in promptu poſita eſt, vt eam facile & ore recitare, & corde, id eſt, memoria complecti poſſis, vt afferendo ſolam bonam voluntatē etiam opere compleas. Nam rationem huius facilitatis reddens ſubiicit ſtatim,

15. CONSIDERA QVOD HODIE PROPOSVERIM, &c. Vnde Tertull. lib 4. contra Marcionem cap. 35 breuiter hunc locum explanans, non hîc, inquit, non illic eſt mandatum Dei, ſed regnum Dei intra vos eſt, hoc eſt, in veſtra poteſtate, ſi tantum facere

volueritis. Hic igitur videtur eſſe litteralis huius loci ſenſus, de mandato ſcilicet legis, quem Apoſtolus ad Romanos 10. accommodat ad Chriſtum, & ad iuſtitiam per fidem accipiendam, vt ibi lauds, dicendum erit.

CAPVT XXXI.

1. ABIIT ITAQVE MOYSES ET LOCVTVS EST, id eſt, locutus eſt Moyſes, ſeu cœpit loqui hęc omnia quę dicta ſunt. Nam ad præcedentia non ad ſequentia referendum eſt. Sic enim Hebraïcè abire, ſurgere & ſimilia quaſi ornatus cauſa addi ſolent verbis agendi aliquid, quod & linguis noſtris vulgaribus vſitatum eſt, ſimilis phraſis eſt hic v.16. &c. ſeq. v. 44. LXX. tranſtulerunt, conſummauit loquens omnia hæc. Hic enim finitur Deut. ſequentia ſpectant ad Ioſue & ad ingreſſum terræ Chanaan.

2. NON POSSVM VLTRA EGREDI ET INGREDI; id eſt, eſſe dux veſter, partim propter ſenium, partim quia prohibitus ſum in Chananæam intrare, & vos eò ducere. Vnde

3. DOMINVS DEVS TRANSIBIT ANTE TE, tamquam ductor veſter, vt eſt v.6. aperiendo viam & percutiendo hoſtes, vide dicta de illa phraſi in c. 27. Num.

9. SCRIPSIT ITAQVE MOYSES LEGEM HANC, Deuteronomium ſcilicet: ſcripſiſſe autem videtur tum Deuteronomium, tum Canticum ſequens, antequam ea populo pronunciaret: nam cap. ſeq. v. 48 dicitur quòd eadem die ſcilicet qua finiuiſſet loqui, iuſſerit eum Deus aſcendere in montem. Niſi fortè dicatur eadem quidem die iuſſum eſſe, ſed non eadem die aſcendiſſe.

10. 11. POST 7. ANNOS LEGES VERBA LEGIS HVIVS. Computantur illi anni non à die pronuntiationis huius vel ingreſſus in terram, promiſſam, ſed à die cultus terræ. Hoc eſt, à diuiſione eius & pacifica poſſeſſione. Sex enim annis autè debebat coli terra, & ſeptimus erat annus quietis, quaſi ſabbatum terræ, vt dictum eſt alibi: leges autem etiam PARVVLIS, quia tanquam tabulæ raſæ & nullis peregrinis doctrinis aut moribus occupatæ firmiſſimè retinent quæ eis primum imprimuntur. Vnde maxima debet eſſe de paruulis ſollicitudo eorum qui populum regunt.

19. NVNC ITAQVE SCRIBITE CANTICVM ISTVD. Ergo iam compoſitum videtur fuiſſe autea, ac deſcriptum fuiſſe traditum, vt inſinuatur etiam v. 22 quod paulò poſt pronunciauit, vt eſt v. 30. VT SIT MIHI PRO TESTIMONIO, quo ſcilicet ipſimet propriam iniquitatem ſuam & rebellionem aduerſus me, & viciſſim iuſtitiam meam aduerſus ipſos fateantur. Et ſic ſi cauſam inter ſe quæſierint afflictionum ſuarum & malorum quæ ipſos comprehenderint;

21. RESPONDEBIT EIS CANTICVM ISTVD PRO TESTIMONIO, quia teſtificando reſpondebit eis cauſam non eſſe aliam niſi propriam iniquitatem & idololatriam, vt ita pœniteat eos, & ad me reuertantur.

SCIO ENIM COGITATIONES EIVS, ſcilicet Iſraëlis, QVÆ FACTVRVS SIT HODIE. Illud (*hodie*) commodè referri poteſt ad (*ſcio*) quaſi dicat, ego ex nunc antequam introducam eos in Chananæam, ſcio quid ibi facturi ſint. Niſi quis malit ſignificari, quòd etiam tunc ac toto itinere idola coluerint, Hebraïce eſt enim *ego ſcio quæ facit* ſeu *faciunt hodie*. Et ſic LXX. referunt illud *hodie*, ad verbum, *facere*.

26. TOLLITE LIBRVM ISTVM, Deuteronomium iam deſcriptum, ET PONITE EVM IN LATERE ARCÆ, exteriori videlicet, non interiori Nam 2. Paralipom. 5. v. 10. diſertè dicitur, nihil aliud in arca fuiſſe niſi duas tabulas legis. Et hæc videtur ratio quòd dicatur in latere arcæ. Itaque ad latus arcæ videntur fuiſſe capſulæ quibus Deuteronomium, vrna habens manna, & virga Aaron includi potuerit, iuxta ea quæ docet Apoſtolus ad Hebræos 9. v. 4. Præcipit autem hoc Leuitis, quia ad illos tamquam totius Eccleſiæ vel ſynagogæ miniſtros ſpectat diuinorum librorum cuſtodia, legis prædicatio & explicatio; vnde quia ipſi velut capita Eccleſiarum totius Reipub. populum totum repræſentabant, adiecit, VT SIT TIBI CONTRA TE IN TESTIMONIVM.

CAPVT XXXII.

1. AVDITE CÆLI. De iſto conteſtandi modo, vide quæ diximus ſuprà cap. 4. verſ. 26.

2. CONCRESCAT VT PLVVIA, vapores enim vt poſſint pluere, neceſſe eſt priùs in ſtillas concreſcant frigore condenſati. Vnde Hebraïcè ponitur finis concretionis, STILLET VT PLVVIA DOCTRINA MEA. Vt ſcilicet quemadmodum pluuia in terram cadens eam humectando fœcundam efficit, ita doctrina mea hæc cæleſtis in aures animumque veſtrum deſcendendo, eum ad fructus bonorum operum ferendos præparet.

FLVAT IN ROS, &c. Idem omninò ſignificatur ſeq. hemiſtichio more Hebræis familiariſſimo: qui patet & v. 1. Nam & roris idem effectus eſt, qui pluuiæ: vnde quibuſdam locis vbi rariùs pluit, abundantia roris eſt terræ inſtar pluuiæ. Quia igitur doctrina eſt animo inſtar pluuiæ, hinc prophetæ & prædicatores in Scripturis eâdem metaphorâ vocantur nubes, vnde Iſaiæ 5. v. 6. Et nubibus mandabo ne pluant ſuper eam imbrem, ſcilicet ſuper vineam populi Iſraël.

3. QVIA NOMEN DOMINI INVOCABO. Hebræa & LXX. legunt, vocabo, quod à noſtro ſæpè inuocare transfertur: vocare autem ſeu inuocare nomen Dei, ſignificat non tantum eius auxilium implorare, ſed & Deum colere, & laudare. Colitur autem & laudatur Deus in primis profundè agnoſcendo eius gratiam ad benè viuendum eſſe neceſſariam, quæ inuocando acquiritur. Et hinc eſt quòd *nomen Dei inuocari ſuper aliquem*, in Scripturis ſit, aliquem eſſe cultorem ſeruum ac populum Dei. Quia ergo Deum ego inuocabo & celebrabo, DATE etiam VOS MAGNIFICENTIAM DEO NOSTRO, id eſt, eum magnificum & glorioſum deprędicate: date enim Deo laudem, gloriam, honorem, eſt eum laudare, glorificare, honorare, ſiue verbis, ſiue factis. Cauſa autem adiungitur, quia DEI PERFECTA SVNT OPERA, id eſt, quidquid Deus agit & egit in vniuerſo orbe, & in primis circa gubernationem tuam, ô Iſraël, ſiue benefaciendo, ſiue caſtigando te, ex omni parte irreprehenſibile eſt; quia videlicet OMNES VIÆ EIVS, id eſt, opera ſunt IVDICIA, id eſt, iuſta, abſtracto poſito pro concreto, quod Hebræis familiariſſimum eſt.

De hac diuinorum operum irreprehenſibili perfectione neceſſariò rudita populi præmonenda fuit, ne malorum quę ſibi acciderent, culpam fortaſſe Deo impingerent, dicendo id quod poſtea dixerunt apud Ezechielem, *non eſt æqua via Domini.*

5. PECCAVERVNT EI. LXX. legunt, *peccauerunt non ei*, quod Aug. qu. 55. exponit, peccando non nocuerunt ei.

NON FILIIS EIVS, quia peccando gratiam adoptionis filiorum abiiciunt, nec erga patrem, ſe tamquam filii gerunt, dum IN SORDIBVS peccatorum volutantur.

7. MEMENO DIERVM ANTIQVORVM, id eſt, beneficiorum quæ præteritis temporibus tibi, & maioribus tuis fuerunt præſtita; & ſi minus ea minoribus perſpecta ſint, INTERROGA MAIORES TVOS, qui tibi ea recenſere poterunt, quaſi diceret, ex illis addiſces ipſum habuiſſe paternam curam tui.

8. QVANDO DIVIDEBAT ALTISSIMVS GENTES, nempe in diuiſione linguarum poſt diluuium, cùm FILIOS ADAM ex Babel in totum mundum diſpergeret, & à ſe inuicem ſepararet,

CONSTITVIT TERMINOS POPVLORVM, id eſt, certos limites prouinciarum, atque terrarum conſtituit populis Chananæis, quos propter ſcelera delendos eſſe prænoſcebat; idque non ipſorum intuitu, ſed IVXTA NVMERVM FILIORVM ISRAEL, tantùm ſcilicet attribuens populis illis delendis, quantum ſufficeret ad habitationem Iſraëlitarum, qui nondum nati erant. His enim verbis probat id quod v. 6. præmiſerat, Deum tamquam patrem poſſediſſe ſibi populũ Iſrael. Vnde nimis remotè petitũ eſt, & incertum quod Lyranus hîc ſignificatum putat tot gentes in diſperſione illa fuiſſe ſeparatas quot intrarunt filii Iſraël in Ægyptum, ſcilicet ſeptuaginta. Septuaginta & ex iis pleriique antiquorum Patrum legunt, *Iuxta numerum Angelorum Dei*, quaſi ſignificaretur, gentes immò homines ſingulos ſingulis Angelis cuſtodibus gubernandos eſſe

commiſſos, quod Origenes plerumque tam de malis Angelis quàm de bonis ſolet intelligere, vide ipſum Homil. 13. in Ezech. & Homil. 2. latiori in Canticum, & libr. 5. contra Celſum. Eundem ſenſum de Angelis qui præpoſiti ſint gentibus, ſequitur Cyprianus ſeu potius Ruffinus in expoſitione Symboli, Dionyſius Areopagita c. 9. de cœleſti Hierarchia, imò & Auguſtinus videtur illum indicare in Pſalm. 134. verſu 4 vbi dicit: Quamuis Deus omnes gentes condiderit, cæteras Angelis commiſit, ſibi iſtam ſcilicet Iſraëliticam, poſſidendam ſeruandamque deputauit, quò reſpicere quidam putant Eccleſiaſticum, quando dicit c. 17. v. 14. in vnamquamque gentem præpoſuit rectorem, & pars Dei Iſraël facta eſt manifeſta, quibus verbis vltimis tangitur id quod hîc adiungitur:

9. PARS AVTEM DOMINI POPVLVS EIVS. id eſt, populum Iſraël Deus ipſe ſibi velut populum peculiarem aſſumpſit, cui ipſe tanquam rex præeſſet. IACOB FVNICVLVS HEREDITATIS EIVS, id eſt, portio hereditaria, quia funibus ſolebant olim dimetiri hereditates, vnde Amos 7. verſ. vlt. Humus tua funiculo metietur, & Pſalm. 15. v. 6. Funes ceciderunt mihi in præclaris: explicans enim quid ſibi hoc velit ſequenti hemeſtichio: etenim, inquit, hereditas mea præclara eſt mihi. Non ergo negatur hîc quin Deus & alias gentes per ſe regat, ſed ſignificatur tantum quòd peculiariter populum illum tamquam regnum ſuum ad cultum ſuum ſibi dedicauerit. quamuis & in hoc opere Angeli adhibeantur, imò & iis præpoſiti ſint, vt patet de Michaële Danielis 12. v. 1. quod latius Dionyſ. explicat loco citato.

10. INVENIT EVM IN TERRA DESERTA, ſolitudine montis Sinaï, & Pharan; quia ibi cœpit populum illum, qui in Ægypto idolis ſeruierat, formare in Eccleſiam ſuam.

CIRCVMDVXIT EVM, per tot anfractus & flexus viarum per 40. annos, ET DOCVIT, tum lege data, tum afflictionibus variis. Nam & hæc magna documenta & amoris argumenta ſunt: ET CVSTODIVIT QVASI, &c. in omnibus aduerſitatibus aduerſus omnia cœli ac terræ & hoſtium incommoda. Quæ duo beneficia docendi & cuſtodiendi pulchrè explicat per adhibitam aquilæ comparationem.

11. SICVT AQVILA PROVOCATVS AD VOLANDVM PVLLOS SVOS. Hoc pertinet ad docendum populum ſuum. Nam per inſtructionem legis ac tentationes varias in deſerto id ſpectabat Deus, vt à terrenis ad cæleſtia volare diſcerent, & relictis murmurationibus in ſe fiduciam collocare.

ET SVPER EOS VOLITANS EXPANDIT, &c. ad cuſtodiendum eos ac tuendum ab incommodis deſurſum irruentibus: ET ASSVMPSIT EVM ATQVE PORTAVIT IN HVMERIS SVIS, Hebraïcè, *ſuper alas ſuas*; quæ ſunt quaſi humeri ac dorſum auium: explicat eandem protectionem ſuam alia comparatione. Nam aquila dicitur pullos ſuos in humeris ſeu dorſo poſitos transferre, quo à ſagittis quæ infernè iaciuntur, tuti ſint, neque lædi poſſint, niſi ſe transfixâ: quod egregiè præſtitit Angelus ductor Iſraëlitarum Exod. 14. v. 19. ponendo ſe inter caſtra Ægyptiorum & Iſraëlitarum.

13. CONSTITVIT EVM SVPER EXCELSAM TERRAM, vel celſitudine loci, quia altior eſt Iudæa quàm Ægyptus, vnde veniebant: vnde dicuntur deſcendere in Ægyptum Geneſ. 46. v. 3. & 4. vel potius *excelſam* ratione dignitatis, quia fructibus copioſiſſima. Hoc enim videtur poſtulare ſequens deſcriptio quaſi explicatio: nam ſuctio mellis de petra & olei de ſaxo duriſſimo indicat tantam eius fore fœcunditatem, vt quę natura ſua ſunt horrida & inepta cultui & fructui, vt petrę & ſaxa, abundent apibus & oliuetis omniq; ſuauitate: quod etiam indicatur illo frequenti elogio, quo illa terra dicitur fluere lacte & melle. Abundantia verò & præſtantia gregum ſignificatur per

14. ADIPEM AGNORVM ET ARIETVM FILIORVM BASAN, id eſt, qui paſcuntur in Baſan ſeu regione Baſanitide trans Iordanem. Illa enim ab vberrimis paſcuis commendata fuit, & ideo tradita dimidiæ tribui Manaſſe, vnde Hieronymus in c. 53. Iſaiæ dicit Baſan interpretari vberrimam & pinguem, & Pſalm. 21. verſ. 13. vbi nos legimus *tauri pingues*, Hebraïcè eſt Baſan.

SANGVIS verò VVÆ, Poeticè catachreſi vocatur vinum, tum hîc tum Gen. 49. verſu 11. propter ſimilitudinem ſucci & coloris rubei: & hactenus quidem commemorata ſunt beneficia Iſraëli à Deo præſtita, nunc ſequitur prophetica prædictio ingratitudinis iſtius populi & quid Deo reddiderint pro beneficiis eius, vtitur autem verbis præteriti temporis pro futuris, quia ita certo futura prævidebat, ac ſi iam facta tranſiſſent. Itaque.

15. INGRASSATVS EST DILECTVS, &c. id eſt, incraſſabitur, impinguabitur, dilatabitur, ex opibus, deliciis, luxu, ſaturitate.

ET RECALCITRAVIT, id eſt, rebellis erit Deo, metaphoræ ſunt à beſtiis deſumptæ, quæ benè paſtæ & impinguatæ ſolent ex petulantia recalcitrare, per hæc igitur vitium animi luxuriantis indicatur, quod ex ſaturitate oriri ſolet, nempe obliuio Dei: in quam ne ex iſta eadem cauſa inciderent, præmonuit eos Deus valde ſedulò, Deut 8. v. 12.

19. VIDIT DOMINVS. Hæc eſt tertia pars huius cantici, tranſit enim ad pœnas, quibus Deus ingratitudinem illam populi vlturus eſt, vnde ait,

20. ABSCONDAM FACIEM MEAM AB EIS, id eſt, amicitiam, fauorem, & curam meam eis ſubtraham, nam & inter homines pater iratus non vult videre filium vel faciem ſuam ab eo videri, vnde Pſaltes, Oſtende faciem tuam & ſalui erimus. ET CONSIDERABO NOVISSIMA EORVM, otioſè quaſi ſpectando quem fructum tandem ex idolis ſuis percepturi ſint.

21. IPSI ME PROVOCAVERVNT, non ad iram: hoc enim ſignificatur per verbum quod ſequitur, IRRITAVERVNT, ſed ad æmulationem ſeu ad zelum. Patet vtrumque ex Apoſtolo ad Romam, 10. v. 19. & ex Hebraica proprietate. Significat ergo ſe quaſi riualem poſtpoſitum ei QVI NON ERAT DEVS, id eſt, idolis, fuiſſe quaſi ad zelotypiam & æmulationem prouocatum ſicut amaſiis & maritis neglectis euenire ſolet.

ET EGO PROVOCABO EOS, &c. id eſt, reddam par pari, ſimiliter ad zelum, æmulationem & inuidiam concitabo eos, aſſumendo in populum meum eum qui non erat populus meus, & ſalutem ei afferendo.

ET IN GENTE STVLTA IRRITABO ILLOS, id eſt, ad iram eos prouocabo gentem ſtultam & ab eis contemptam in eorum locum ſubſtituendo: non reiectionem Iudæorum & vocationem ſalutémque gentium hîc prædici tradunt non ſolum Theodoretus hîc q. 41. Tertull. l. 4. contra Marcion. c. 31. Orig Homil. 2. in Exod. & 4. & in Ierem. Clemens 2. Strom. c. 4. Hilarius & alii, ſed etiam Apoſtolus loco citato, vnde ex hac aſſumptione natus eſt ille zelus & odium implacabile Iudæorum aduerſus gentes Chriſtianas, & non aduerſus idololatras, vt obſeruauit Origen. Homil. 1. in Pſalm. 36.

22. IGNIS SVCCENSVS EST IN FVRORE MEO. Nomine ignis pœnas quaſlibet eſſe ſignificatas, quia inſtar ignis affligunt, nonnulli volunt, inter quos videtur eſſe S. Gregor. 18. Moral. c 12. aliàs 13. vbi iſto hemiſtichio pœnas præſentis vitæ indicatas putat, pœnas verò futuras per id quod ſequitur, ET ARDEBIT, &c. Sed quia de eodem igne ſermo continuatur, videtur omnino ad literam ſignificari ignis illa quo conflagrabit mundus, & impii in inferno puniendi ſunt in æternum. Hîc ergo SVCCENSVS EST, id eſt, ſuccendetur, vel etiam in Dei prædeſtinatione iam ſuccenſus & paratus eſt diabolo & angelis, & conſortibus eius, idque IN FVRORE MEO, id eſt, per furorem velut cauſam eius, furor autem ille tribuitur Deo propter ſimilitudinem effectuum: eſt enim ſtabile, tranquillum & efficaciſſimum iudicium, ac voluntas acerbiſſimè puniendi, cuius effectus omnem humanum furorem ſuperant. Nam ARDEBIT VSQVE AD INFERNI NOVISSIMA. Hebraïcè, infernum inferiorem, id eſt, non ſolum in hoc mundo inuoluet peccatores, ſed pertinget vſque ad infimam terræ voraginem, DEVORABITQVE TERRAM CVM GERMINE SVO, id eſt, vniuerſam terræ faciem, cum omnibus arboribus vſque ad extrema germina deſolabit & in fauillam rediget, ET MONTIVM FVNDAMENTA, quamuis altiſſimè demerſa COMBVRET, quia vt dicitur 2. Petri 3. v. 10. elementa calore ſoluentur, ita ſcilicet vt omnibus mix-

tis

tis diſſolutis omnia in prima elementa redeant. Sed ne ſolas illas nouiſſimi temporis & futuras pœnas ſibi timendas eſſe crederēt, ac de præſentibus ſecuri viuerēt, adiicit,

23. CONGREGABO SVPER EOS MALA, etiam diuerſa præſentis vitæ ſupplicia in eos congeram, ET SAGITTAS MEAS, id eſt, plagas omnes meas quibus velut ſagittis configentur, COMPLEBO IN EIS, ſeu conſumam in eos, omnes quaſi exhauriendo: quas mox diſtinctè recenſet.

24. DEVORABVNT EOS AVES, fame ſcilicet mortuos, ſignificat enim eos ad illam pœnarum amaritudinem redigendos, vt & ſepulturâ careant, & auibus cadauera diſcerpenda relinquantur: hoc enim amariſſimum eſſe viuentibus; ſatis indicat exemplum Reſphæ 2. Reg. 21. v. 10.

DENTES BESTIARVM IMMITTAM, vt cōtigit illis idololatris in terra Iſraël 4. Reg. 17. v. 26. ATQVE SERPENTVM, vt in deſerto vbi ab ignitis ſerpentibus conſumpti ſunt.

26. DIXI: VBINAM SVNT? nempe peruicaces illi, qui ſibi nihil à me timebant, CESSARE FACIAM, &c. id eſt, penitus eos delebo, vt non ſuperſit eorum amplius memoria. Et ita quidem eorū delicta merebantur.

26. SED PROPTER IRAM INIMICORVM DISTVLI. Hebraïcè, *niſi timerem iram inimicorum*, ſupple exterminarem eos ſicuti dixeram. Loquitur humano more Deus, quaſi aliquid proponeret & mox eum pœniteret: cùm tamen in ipſo non ſit mutatio, ſed in effectibus tantum, ita enim exterius minatur, & mox exigentibus aliis circumſtantiis operatur contrarium, ſicut homo, qui mutat propoſitum ſuum.

30. QVOMODO PERSEQVATVR VNVS MILLE, q. d. vtinam ſaltem ex hoc agnoſcerent me & impietatem ſuam Iudæi, & non ex hoſtium fortitudine, ſed ex iudiciis meis prouenire afflictiones ſuas, quod videlicet vnus hoſtium perſequatur & fuget mille Iſraëlitas, & duo ex eis, decem millia, hæc enim tam monſtroſa inæqualitas euidens, argumentum eſt punitionis diuinæ, qua traduntur Iſraëlitæ in manus eorum, vnde toties repetitur illud in lib. Iud. quod Deus tradidit eos in manus hoſtium ſuorum.

31. NON ENIM EST DEVS NOSTER VT DII EORVM, qui nihil de peccatis, vel beneficiis cultorum ſuorum curant, vel præ imbecillitate obeſſe, vel prodeſſe non poſſunt, vel denique ipſis ſceleribus delectantur & coluntur: cuius rei, vel ipſi

INIMICI NOSTRI SVNT IVDICES, nempe Ægyptii, Amalecitæ, Amorrhæi plagis edocti & fracti, luculentum huiuſmodi iudicii ſpecimen etiam verbis dederunt Philiſtæi 1. Reg. 4. v. 8. & capite 6. & Achior Dux filiorum Ammon Iudith. 5.

32. DE VINEA SODOMORVM VINEA EORVM, id eſt, vinea Iſraëlitica ſimilis facta eſt Sodomiticæ & Gomorrææ, id eſt, infrugifera, imò peſſimorum fructuum ferax, vbi ſub ſimilitudine vineæ intelligit populum Iſraëliticum, quemadmodum poſtea Iſaias c. 5. dum queritur ſimili planè modo vineam domus Iſraël pro vuis dediſſe labruſcas, & Ierem. c. 2. v. 21. ego plantaui te vineam electam, quomodo ergo conuerſa es in prauum, LXX. in amaritudinem, vinea aliena. Itaque VVA EORVM VVA FELLIS, id eſt, fructus & opera eorum amariſſima ſunt inſtar fellis, quia plena iniquitate & malitiâ.

33. FEL DRACONVM VINVM EORVM, idem explicat alia comparatione, niſi per vinum intelligere velimus doctrinam, ac diſciplinam eorum aliis propinatam, vt intellexit Origen. Homil. 2. latiori in canticum 2 quam felli draconum comparat, quia virulentiſſimum eſt maximéque noxium. ET VENENVM ASPIDVM INSANABILE, cuius apud ſcriptores ita teſtata eſt malignitas, vt propterea morſus aſpidis prouerbio locum dederit, quia inſanabilis, vnde Paulum ab aſpide, ſeu vipera morſum, confeſtim moriturum putabant Actorum 28. verſu 6. Plerique veteres volunt Moyſen hîc reſpexiſſe allegoricè ad acetum & vinum myrrhatum quo vinea domus Iſraël Chriſtum in cruce potauit: de quo Ruffinus in expoſitione ſymboli: Cyrill. catecheſi 13. & Athanaſius libr. de paſſione.

34. NONNE HÆC CONDITA SVNT APVD ME, id eſt, nonne hæc apud me manent altâ mente repoſta? & velut in theſauro diligenter clauſa, vt ea ſuo tempore vlciſcar?

LIVS ERIT cõtra aduerſarios. Nam Hebraïcè eſt *eris*. nempe tu Domine adiutor illius.

8. PERFECTIO TVA ET DOCTRINA TVA. Apoſtrophe iſta ad Deum non ad Leui diri gitur: pro perfectione autem, & doctrina eſt Hebraïcè Tummim & Vrim quæ Exod. 28. v. 30. ponenda iubebantur in rationali Pontificis, vbi loco Tummim tranſlatum fuerat veritas: hîc autem perfectio, quia tota perfectio viri ſancti in eo ſita eſt, vt intelligat, & ardenter diligat veritatem. Itaque per illa verba Tummim & Vrim, ſeu perfectio & doctrina, indicantur veſtes Pontificis Ephod & rationale, & conſequenter ſynecdochicè dignitas Pontificia; Hæc ergò data eſt à te, Deus,

VIRO SANCTO TVO, Aatoni, vtpote quem ſanctum PROBASTI IN TENTATIONE, id eſt, tentationibus variis in deſerto, vel *in tentatione*, id eſt, loco illo qui propter iurgium filiorum Iſraël propriè appellatus eſt. Tentatio Exod. 17. v. 7. ſed tamen IVDICASTI, ſeu condemnaſti eum apud aquas contradictionis, ne terram promiſſionis ingrederetur. Cum ergò hæc de Aarone qui erat ex tribu Leui, dixiſſet, mox prophetico more ad totam tribum Leuitarum ſermonem vertit.

9. QVI DIXIT PATRI SVO ET MATRI SVÆ, NESCIO VOS, id eſt, qui zelo honoris Dei concitati omnemque carnalem conſiderationem & affectum exuentes, ſine diſcrimine patrem & matrem, fratres, filios, cognatoſque occiderunt, vt crimen adorati vituli punirent & expiarent, vt patet Exodi 32. v. 27. vnde Theod. q. 44. notat his verbis integritatem ſacerdotum exponi zelumque commendari, quibus omnia ad vitam ſpectantia contemnenda ſunt, vt integri in diuino verſentur miniſterio. Itaque

HI PACTVM TVVM SERVAVERVNT, quid hoc ſit, explicant ſequentia, q. d. ſeruauerunt pactum tuum quod non eſt aliud quàm iudicia & lex Dei, cuius obſeruatio erat conditio neceſſaria ad fœdus quod Exod. 24. v. 7. & 8. initum fuit inter Deum & populum. Propter hunc ergo ardentiſſimum honoris diuini zelum loco præmii tribuit Leuitis Deus ſacerdotium totius populi: hoc eſt enim quod adiicit,

PONENT THYMIAMA IN FVRORE TVO, id eſt, propterea commiſiſti eis vt offerant tibi placando ſacrificia thymiamatis, & holocauſtorum, ſub quibus reliquæ functiones intelliguntur.

11. BENEDIC DOMINE FORTITVDINI EIVS, generoſo ſcilicet & zeloſo animo quem in vindicta illa expetenda demonſtrauit, vnde aliqui reſpici hîc volunt vlterius ad ſimilem zelum Matathiæ, & fortitudinem Machabæorum, qui fœliciſſimè bella cum hoſtibus populi geſſerunt.

12. AMANTISSIMVS DOMINI, id eſt, Beniamin dilectus Deo habitabit in terra ſua ſecurè abſq; timore. Cauſã ſubiungit, qui QVASI IN THALAMO TOTA DIE MORABITVR, id eſt, quia Deus morabitur, & requieſcet inter humeros, id eſt, in medio tribu Beniamin, tanquã in thalamo ſuo, reſpicit enim ad Hieruſalem, & templum quę in tribu Beniamin fuerunt extructa. Itaq; illa verba (*morabitur & requieſcet*) ad Deum non ad Beniamin referenda ſunt, vnde Chaldæus praphraſticè vertit, *In terra eius habitabit maieſtas Dei*.

13. IOSEPH QVOQVE AIT, quia ſeorſim benedixerat tribui Leui, ne numerum duodenarium excederet: tribum Ephraim, & Manaſſe communiter ſub Ioſeph comprehendit.

DE BENEDICTIONE DOMINI TERRA EIVS, id eſt, benedicta à Domino, vt ex Hebræo liquet. DE POMIS CÆLI ET RORE, &c. vt ſcilicet ſit fœcunda fructuum, qui ex cæli influentia, rore, & abyſſo ſubiacente, ſeu aquis ſubter terram latentibus, & per fontes ex eius venis ſcaturientibus naſcuntur.

14. DE POMIS FRVCTVVM SOLIS, AC LVNÆ. Luna enim fructibus humiditatem confert, ſol eos calore ſuo maturat & coquit. Hanc autem benedictionem fertilitatis non ſolùm locis planis, ſed etiam montoſis apprecatur, vt ſcilicet fructus illi creſcant in

15. 16. VERTICE MONTIVM ANTIQVORVM, ET COLLIVM, quia à multis ſæculis, id eſt, ab initio mundi fundati fuerunt. Itaque Theodor. qu. 45. Hæc ergò benedictio Dei illius, qui apparuit IN RVBO Moyſi.

VENIAT SVPER VERTICEM NAZARÆI, Ioſephi ſcilicet, qui inter fratres fuit inſtar

Nazaræi, quia ab illis in Ægypto ſeparatus, & moribus ſanctus, & comâ in carcere intonſus, & corona regni Iſraël in poſteris Ephraim redimitus, quæ omnia in verbo Nazaræi indicantur.

17. QVAM PRIMOGENITI TAVRI PVLCHRITVDO EIVS. Primogenito eum comparat, quia primogenitura, regnum ſcilicet & duplex portio ad poſteros Ioſeph deuoluta eſt, vt indicatur 1. Paralip. 5. v. 1. & 2. tauro verò propter fortitudinem tribus Ephraim, itemque regnum quo cæteris tribubus vti taurus in armentis præcelluit, vtramque conſiderationem tangit hic Theodor. magis autem explicans fortitudinem iſtius tribus, CORNVA, inquit, RINOCEROTIS CORNVA ILLIVS, duo enim cornua rinoceros habere traditur, vnum aduncum in naribus, alterum exiguum paulò ſuperius, in quibus tota fortitudo eius ſita eſt, ita vt & elephantum laceret ac ſuperet, etſi corpore ſit multò minor. IN IPSIS ergò tribus Ephraim VENTILABIT, ſeu profligabit GENTES ſibi vicinas, à quibus inuadetur, VSQVE AD TERMINOS TERRÆ, nempe vel ſuæ, vel vicinæ Palæſtinæ, neque enim tribus illa imperium aliquod alicuius momenti extra terram promiſſam obtinuit. HÆ SVNT MVLTITVDINES EPHRAIM, quaſi diceret, hæc omnia implebuntur in poſteris Ephraim & Manaſſe, vbi iuxta paternam Iacob benedictionem prætulit Ephraim Manaſſi, inquit Theodoretus.

Myſticè per taurum eſſe figuratum Chriſtum, per cornua, cornua crucis, in quibus ventilauit gentes ſibi aduerſarias notat Aug. q. vlt. in Deut. & latiùs explicant Ambroſius lib. de benedict. Patriarcharum, & Tertullianus lib. contra Iudæos.

18. LÆTARE ZABVLON IN EXITV TVO ſiue ad bellum, vt vult Theodoretus, ſiue potiùs in mare per portus tuos. Tribus enim Zabulon pertingebat à mari Geneſareth, vſque ad mare mediterraneum.

ET ISSACHAR IN TABERNACVLIS SVIS, quia agriculturæ, & vt Hebræi tradunt, ſtudio diuinæ legis tribus illa intenta fuit, vnde addit:

19. POPVLOS VOCABVNT AD MONTEM, Sion ſcilicet vbi templum ædificatum fuit, vt ibi VICTIMAS IVSTITIÆ, id eſt, iuſtas & à Deo præſcriptas immolent.

QVI INVNDATIONEM, id eſt, affluentiam MARIS QVASI LAC SVGENT, id eſt, omnium diuitiarum, quæ ex mari per commercia & negotiationes colliguntur, participes erunt, quod maximè dicit propter tribum Zabulon: ſicut propter tribum Iſſachar id quod ſequitur; ET THESAVROS ABSCONDITOS ARENARVM, quia auro metallis & fructibus agriculturæ, quæ omnia ex *arena*, id eſt, ex terra eruuntur, plurimum ditandi erunt. Et hæc quidem ad litteram ſignificari indicant Theodoretus & Procopius. Sed quia præcipui Apoſtolorum ex tribu Zabulon & Iſſachar oriundi ſunt, & Chriſtus in eis tribubus multum docuit, videtur allegoricè Spiritus ſanctus in primis ſpectaſſe vocationem gentium, quæ per Apoſtolos facta eſt ex mari huius mundi ad verum montem Sion Eccleſiam Chriſti, quod latiùs proſequitur Rupertus.

20. BENEDICTVS IN LATITVDINE GAD, id eſt, benedictus latè, ſeu magnopere erit Gad, quod non tam propter terræ latitudinem ei aſſignatam videtur dictum, ſicut aliqui volunt, (neque enim latior fuit eius portio portione cæterarum tribuum) quam propter bellicam fortitudinem, QVASI LEO REQVIEVIT, in ſorte ſcil. ſua poſtquam inſtar leonis expugnaſſet Chananæam præcedens alias tribus, vt eſt Ioſue 4. v. 12. CEPITQVE BRACHIVM ET VERTICEM, animalis ſcil. quod venando prædatur, quo ſignificatur bellicoſus eius impetus in hoſtes & plena expugnatio ac direptio; vel *brachium & verticem* hoſtium, id eſt, omnes fortes eorum & principes.

21. ET VIDIT PRINCIPATVM SVVM, id eſt, & præſagiit, quòd princeps ſuus Moyſes legiſlator totius Iſraëlis in ſorte terræ ſuæ trãs Iordanem poſita ſepeliendus eſſet; quaſi indicans tribum Gad etiam hac de cauſa antè menſes aliquot poſtulaſſe, vt trans Iordanẽ in terra Seon, & Og ſibi portio hereditaria aſſignaretur, ſciebant enim ex decreto Dei Moyſem non poſſe tranſire Iordanem, ac proinde trãs Iordanem manſurum,

cepto condẽdo non habuiſſe curam boum, id eſt, non præcipuè ſpectaſſe boues, ſed aliquid ſublimius quod per boues figurabatur, nimirum, vt quemadmodum boues ex tritura ſua viuunt, ita prædicatorem ex Euangelio debere viuere, qui ſenſus non eſt litteralis, vt vult Abulenſis, ſed allegoricus, vt expreſsè eum vocat Tertull. 5. contra Marcion. c. 7. & indicat Theod. hîc qu. 31.

5. QVANDO HABITAVERINT FRATRES SIMVL, id eſt, cum ſimul vixerint, non enim omnino neceſſe erat, vt in eadem habitarent domo, vel vrbe, vel prouinciâ, quamuis ita ferè fieri ſoleat, & id quod vſitatum eſt, expreſſerit Scriptura, ET VNVS EX EIS ABSQVE LIBERIS MORTVVS FVERIT, nempe tam filio quã filia. Si enim filia fuiſſet ſuperſtes, illa erat heres patris, & per maritum ex eadem tribu ſibi coniunctum defuncti familia propagari poterat, vt ſatis indicatur Num. vlt. in filiabus Salphaad, vnde tunc non erat neceſſe, vt hoc fieret per fratrem defuncti. ACCIPIET EAM FRATER EIVS, idque etiamſi aliam haberet vxorem, vt exponitur apud Iuſtinum quæſt. 132. Verum fratrem intelligendum eſſe non cognatum ſatis conuincitur, ex praxi apud Iudęos Matth. 22. & Gen. 38. v. 8. vnde eſt hîc exceptio à lege Leuit. 18. v. 16. Si ergo deeſſent fratres, cognati proximi non tenebantur eam ducere, ſi nollent, niſi eo caſu quo vellent eſſe heredes bonorum eius, vt colligitur ex hiſtoria Booz, Ruth 4 v. 6 & ſeqq.

ET SVSCITABIT SEMEN FRATRIS SVI, prolem ſcilicet ei generando quæ fratris defuncti, non autem ſuperſtitis eſſe cenſeatur. Cauſa legis erat, vt ita familiæ diſtinctæ ſeruarentur, neque confunderentur hereditates: vt apud Iuſtinum quæſt. citata; vt charitas fraterna ſanciretur; vt memoria defunctorum retineretur tempore iſtius legis, qua magis temporalia bona quàm æterna exſpectabantur, vnde Iulius Africanus apud Euſebium libr. 1. Hiſtor. c. 7. vult hac lege quandam reſurrectionis imaginem carnalibus hominibus adumbrari, denique quia ſteriles ignominioſi habebantur, vt Tertull. libr. de Monogamia c. 7.

6. ET PRIMOGENITVM EX EA FILIVM NOMINE ILLIVS, ſcilicet defuncti fratris, APPELLAVIT, non vt idem omnino nomen defuncti gerat, ſed vt vocetur filius defuncti, & eius heres ſit, vt Auguſtinus libr. 2. Retractat. cap. 12. vbi retractat quod putauerat eum nomine defuncti eſſe appellandum. Primogenitus ergo vocabatur filius defuncti, reliqui erant ipſius generantis. Quod ſi frater nollet eam ducere,

7. TOLLET MVLIER CALCEAMENTVM DE PEDE EIVS SPVETQVE IN FACIEM EIVS, in extremam eius infamiam. Nam vtroque ſigno indicatur eum indignum eſſe qui inter ingenuos verſetur: mancipii eſt enim ingredi diſcalceatum, & vix in eius faciem ſpuitur.

Allegoricam huius rei ſignificationem latè tradit Origen. tract. 21. in Matth. & illam longè aptiorem Aug. l. 32. contra Fauſtum c. 10 frater enim eſt prædicator Euangelii qui prædicando ſuſcitat ſemen defuncto Chriſto, vt vocetur non nomine Petri, aut Pauli, ſed nomine Chriſti Chriſtianus: quod qui renuit facere, expuitur in eum, quia ab Eccleſia meritò dignéque contemnitur.

11. ET APPREHENDERIT VERENDA EIVS, ad adiuuandum virum ſuum aduerſus alterum. Talis enim violentia apprehenſio ita vehementer lædit, ac dolorem excitat, vt homo viribus deſtituatur & facilè ſuperari poſſit, vndè & canes pugnantes hac ratione facilè ſeparantur.

12. ABSCINDES MANVM ILLIVS, tum propter impudentiam, tum quia cauſa cęlis eſt, quæ, vel ſecuta eſt, vel ſequi nata erat, vtramque rationem tangit Procopius.

CAPVT XXVI.

1. CVMQVE INTRAVERIS TERRAM, indicat non eos ad hanc legem adſtringi niſi in Chananæa. Dabantur enim primitiæ ingratitudinem adeptæ terræ ſibi promiſſæ, vt eſt v. 3. & clarius 10.

2. TOLLE DE CVNCTIS FRVGIBVS TVIS PRIMITIAS, non ergo de quibuſdam tantum, quas mundas nonnulli vocant, ſed de omnibus omnino, quia omnes erant mundæ: qua quantitate, quoue tempore offerrentur diximus Num. 18. v. 12.

Ponesqve in cartallo, ſeu caniſtro. Intelligit partem aliquam quæ coram altari holocauſtorum iuxta verſum quartum in loco vbi erat tabernaculum, erat præſentanda. Nam omnes primitiæ ſæpenumerò non poterant in vno cartallo poni. Sequens autem profeſſio plena gratitudinis ſimul erat facienda.

5. Syrvs persequebatvr patrem mevm, id eſt, Laban habitans in Meſopotamia Syriæ perſequebatur Iacobum, cùm ab eo cum vxoribus in Chananæam fugeret Gen. 31. Factæ autem profeſſione iubet epulari, ſcilicet, ſiue ex ſacrificiis pacificis oblatis, ſiue ex aliis bonis, quæ in hunc vſum ex ſecundis decimis & primitiis ſeruabantur, iuxta ea quæ diximus ſuprà in verſum 22. & 23. cap. 14 Deuter.

12. Qvando compleveris decimam cvnctarvm frvgvm, id eſt, quando iam plenè ſolueris decimas omnes quæ in ſacros vſus erant impendendæ: duæ namque decimæ ſoluebantur quotannis, vnæ ſoſis Leuitis, alteræ in ſacris epulis conſumendæ ab ipſo offerente, cum Leuitis: ſed tertio quoque anno addebantur tertiæ decimæ in ſolos pauperes, tum Leuitas, tum aduenas pupillos, ac viduas diſtribuendæ, de quibus agitur hoc loco & Deut. 14. verſ. 8. vt ibid. diximus. Hæ non ferebantur Hieroſolymam, ſed comedebantur à pauperibus.

Intra portas, id eſt, in vnoquoque loco quo colligebantur. Profeſſio tamen quæ ſequitur, v. 13. debebat fieri in conspectv Domini, id eſt coram tabernaculo.

13. Abstvli qvod sanctificatvm est de domo mea, id eſt, ſeparaui à bonis meis quidquid Leuitis & pauperibus tribui velut ſanctificatum mandaſti, ſcilicet tertias haſce decimas.

14. Non comedi ex eis in lvctv meo, id eſt, non fraudaui pauperes quibus debebantur propter paupertatem meam preſſus videlicet inopia; vel etiam preſſus dolore & luctu, quod tantum deberem auferre bonis meis & aliis elargiri.

Nec separavi ea in qvalibet immvnditia, id eſt, ad quoſuis vſus turpes, aut profanos, ſed ad ſolam ſuſtentationem pauperū. Quamuis poſſet intelligi immunditia legalis, iam rerum ſeparatarum quàm ipſius ſeparantis, vt ſignificetur, ſe neque immundum legaliter fuiſſe, quando ea ſeparabat, neque res aliquo cõtractu pollutas obtuliſſe, ſed potius munda & præſtãtiſſima.

Nec expendi ex his qvidqvam in re fvnebri, faciendo ſcilicet ex eis conuiuia in exequiis mortuorum, quod tamquam res pia videri potuiſſet licitum. Quamquam Aug. q. 47. velit per hoc prohiberi parētalia, tamquam quæ à gentibus obſeruarentur.

Capvt XXVII.

2. Eriges ingentes lapides. Eoſdem illos lapides fuiſſe, ex quibus conſtaret altare de quo v. 5. tradit Ioſephus, & fauet ſatis v. 32. c. 8 Ioſue: etſi non deſint qui diſtinctos fuiſſe putent,

Et calce levigabis eos, lapides enim altaris erant rudes & impoliti. Itaque leuigantur calce, vt faciliùs lapidibus inſcribi poſſent.

3. 8. Omnia verba legis hvivs plane et lvcide, id eſt, clarè, atque diſtinctè, vt facilè legi poſſent. Nam quod nonnulli Iudæi hoc trahunt ad puncta quæ adſcribi iubeantur, friuolum eſt, cùm longo tempore poſt Moyſen nulla fuerint: dicit autem, *legis huius*, vt ſignificet non decalogum tantum, nec etiam totum Pentateuchum, ſed totum Deuteronomiū eis eſſe deſcribendū. Vnde Ioſue 8. clarè dicitur, eum ſcripſiſſe ſuper lapides Deuteronomium legis Moyſi, quod ille digeſſerat coram filiis Iſraël.

12. Hi stabvnt ad benedicendvm, Scilicet ſex tribus ad benedicendum, & ſex ad maledicendum, svper montem Garizim. Mons Garizim & Hebal duo vertice ſunt eiuſdem montis, quos ſola vallis diuidit, propè Sichem in tribu Ephraim. Notatione autem dignum eſt, lapides, quibus inſcripta lege fuerunt verba legis erectus fuiſſe in monte Hebal ad maledicendum deſtinato, vt ſignificaretur non legem ipſam, ſed gratiam Dei liberare à maledicto legis: dicuntur autem ſenæ tribus ſtetiſſe ad benedicendum & maledicendum, non quòd illæ benedicerent, vel maledicerent, ſed

quod ſacerdotes in mediâ valle interiectâ conſiſtentes iuxta arcam, vt colligitur ex Ioſue 8. benedicerent & maledicerent: tribus autem benedictionibus & maledictionibus proclamatis reſponderent & applauderent. Nam pronunciabantur à Leuitis, vt eſt v. 14. id eſt, à tota tribu, tam ſacerdotibus quàm aliis. Sacerdotes enim portantes arcam, ſtabant in valle media vnà cum tota tribu, & media pars populi verſus montem Garizim, media verò verſus Hebal: quibus mixti erant aduenæ & peregrini, prout hæc explicantur Ioſue 8. v. 33 Leuitę ergo proclamabant primò, vt videtur, benedictiones, etiamſi hîc non exprimantur, ſatis tamen indicatur illo loco Ioſue v. 34. deinde maledictiones, & ad ſingulas.

15. RESPONDEBIT OMNIS POPVLVS, id eſt, conſenſu ſuo approbabit, atque ita de nouo tranſibit in fœdus cum Deo. Quod autem dicitur, omnis populus, intelligendum eſt commodè, ſcilicet ad maledicendum, vel benedicendum deſtinatus. Nam ex v. 12. & 13. ſatis liquet, ſex tantum tribus, eaſque nobiliores reſpondiſſe benedictionibus: maledictionibus, ſex ignobiliores, quæ ſcilicet ex ancillis procreatæ fuerant, itemque ex Ruben qui patris thorum maculauerat, & Zabulon vltimo filio Liæ, prout hæc notat Theod. q. 34.

ET DICET, AMEN. Siue amen ſit ſubſtantiuum ſignificans idem quod veritas, vt Mercerus colligit ex verſ. 16. c. 65. Iſaiæ, *benedicetur in Deo Amen*, id eſt, in Deo veritatis, ſiue ſit aduerbium iuxta Hieron. Epiſtola 137. & alios qui vertunt, fideliter, ſeu; verè vtrouis modo eſt vox affirmandi aliquid, ſicut apud nos, verè, reuerà, planè, & ſimilia: maximè quando pręcedit orationem: quando autem ſequitur, eſt confirmantis id quod præceſſit, vt ibidem Hieronymus. Tranſit autem tunc plerumque in particulam recipientis in ſe, ſeu etiam optantis; ex quo factum eſt vt LXX. plerumque vertant, γένοιτο id eſt, fiat, ſicut patet ſæpius in Pſalmis, vt 71. verſ. vlt. & alibi. Hoc enim maximè locum habet in fine orationis, quæ funditur Deo. Hîc ergò vtroque modo accipi poteſt, vt ſit vel vox approbantium & confirmantium, id quod proferebant Leuitæ, & vt ait Theod. ibidem velut ſubſcriptio quędam tabellæ hanc vocem ab ipſis referentis, vel etiam optantium, vt ita fiat: ſic enim ſe magis obſtringunt ad obſeruationem legis. Nam tota iſta pompoſa ceremonia eò tendebat, vt rudi iſti populo legis obſeruatio altiùs imprimeretur, quòd maximè fit, quando maledictiones appoſitas non ſolùm approbamus, ſed etiam in nos recipimus, & quaſi prouocamus, ſi conditio non obſeruetur.

CAPVT XXVIII.

3. BENEDICTVS IN AGRO Dei dicere eſt facere, eſt enim Dei ſermo efficax & operatorius, & cauſa omnium rerum, vt diximus Geneſis 1. ad illa verba, fiat lux. Ipſe enim dixit & facta ſunt. Itaque eſſe benedictum à Deo nihil eſt aliud quàm benefacta, ſeu beneficia Dei in ſe recipere:

IN CIVITATE IN AGRO, id eſt, in rebus tam vrbanis quàm ruſticis.

4. IN FRVCTV VENTRIS, id eſt, in filiorum abundantia, prout hæc explicantur v. 11.

5. IN RELIQVIIS, id eſt, in fructibus qui aſſeruantur & reconduntur, ita vt noua meſſe adueniente magnâ copiâ ſuperſint.

6. BENEDICTVS ERIS INGREDIENS, ET EGREDIENS, id eſt, in omnibus actionibus tuis, Deo ſcilicet quæcumque feceris proſperante. Nam ingreſſus, & egreſſus ſignificant totam vitæ œconomiam.

9. SVSCITABIT TE DOMINVS SIBI IN POPVLVM SANCTVM, id eſt, efficiet Deus, vt ſis populus ſibi peculiariter adſtrictus & charus, oſtendendo hoc ſcilicet per effectus beneficentiæ & protectionis ſuæ, ita vt omnes populi etiam oculis videant,

10. QVOD NOMEN DOMINI INVOCATVM SIT SVPER TE, id eſt, te verè vocari, & eſſe populum Dei, quem ipſe diligat, curet, augeat, protegat atque deffendat: & hac de cauſa TIMEBVNT TE. Hinc præ bonorum abundantia.

12. FŒNERABIS GENTIBVS MVLTIS, id eſt, mutuum dabis, vt propriè ſignificat vox Hebræa, vel mutuum dare poteris; nam vſuris opprimere poſſe gentes multas, vt

Iudæi

Iudæi ſibi permiſſum his verbis intelligunt, non eſt benedictio Dei.

Et a nullo fœnus accipies, id eſt, mutuum, quia ſcilicet nulla re indigebis.

24. Det Dominvs imbrem terræ tvæ pvlverem, id eſt, loco pluuiæ deſcendat puluis aut cinis, ſcilicet in æſtus, & ariditatis magnitudine à ventis excitatus.

26. Et palpes in meridie. De cœcitate animi non corporis loquitur quam tantam fore, quaſi optando prædicit, vt in rebus maniſeſtiſſimis inſtar meridianæ lucis, nihil intellecturi ſint, ſed tamquam cæci palpaturi & erraturi: quod ad oculum videmus impleri. Cor enim ita obſcuratum gerunt Iudæi, vt toto mundo credente, de Chriſto ſuo cuius prophetias toto affectu legunt, & quem auidiſſimè exſpectant, nihil prorſus intelligant, & in multa præcepta etiam naturalia de vſuris, de dilectione proximi, &c. impingant. Hinc autem naſcitur alia pœna.

Et non dirigas vias tvas, id eſt, non proſperes actiones tuas. Directio enim viarum in Scriptura, ſignificare ſolet proſperitatem omnium actionum & euentuum. Hæc autem diſtinctè ſtatim explicat:

43. Advena ascendet svper te, &c. et erit in capvt, &c. id eſt, erit vbique primus, & imperabit tibi Tu verò ei ſubiectus, vnde Theod. qu. 34. & antè eum Orig. l. 2. in Epiſt. ad Romanos, & Cyprian. l. 1. contra Iudæos c. 21. volunt obſcurè hîc prædici vocationem gentium ad cultum diuinum, & Iudæorum reiectionem.

46. Et ervnt in te signa, et prodigia, id eſt, & calamitates ita magnæ ingruent in te, vt prodigioſæ habendæ ſint. Completæ ſunt hæ in captiuitate & calamitatibus illis ingentibus, quas à Babyloniis, Macedonibus, & maximè Romanis paſſi ſunt, vt notat Theodor. quæſt. cit. & ad illas nationes reſpicit verſus 49. & ſeqq. vbi gentem *In ſimilitudinem aquilæ venientem*, id eſt, rapaciſſimam, ac celerrimè violentiſſiméque irruentem aduenturam prædicit: vnde & Ezechiel. 17. v. 3. & Daniel. 7. v. 4. Nabuchodonoſor, & regnum Babyloniorum aquilæ comparatur, hinc & calamitates illæ.

53. Comedes frvctvm vteri tvi, &c. contigerunt eis ad litteram in obſidione Samariæ 4. Reg. 6. v. 29. & in obſidione Ieruſalem per Babylonios, Threnorum 2. v. 20. in Romana apud Ioſephum, quæ ſanè eſt extrema calamitatum, tum propter amorem matris naturalem erga fructum vteri ſui, tum propter horrorem à fœtu recenter nato comedendo, vt indicatur hîc verſu 57. vnde Threnorum 2. dicuntur paruuli ad menſuram palmæ comeſti, id eſt, etiam imperfecti, & per abortum abiecti. Et tales videntur vocari hîc illo verſu 57. *Illuuies ſecundarum*, nempe proles adhuc ſecundis ſeu ſecundinis, & ſordibus inuoluta, & ideo immundiſſima abominanda potiùs quàm ad cibum expetenda.

65. Dabit tibi Dominvs ibi cor pavidvm. Completur hoc in Iudæis apud Chriſtianos: nam à tenera ætate eos timere incipiunt, vnde etiam iniuriis affecti non audent reſiſtere, et deficientes ocvlos, ſiue præ lachrymis ac mœrore, ſiue præ exſpectatione malorum.

66. Et erit vita tva qvasi pendens ante te, id eſt, quaſi in dubio ſuſpenſa, ne quotidie auferatur. Vnde ex timore illo non credes vitæ tvæ, id eſt, deſperabis te poſſe diutiùs ſuperuiuere: quem ſenſum pleniorem facit verſus ſequens. Plerique tamen antiqui Patres, vt Irenæus l. 4. c. 33. Tertull. lib. contra Iudæos c. 11. Cyprian. lib. de Idolorum vanitate, Lactantius l. 4. c. 18. Cyrill. Catecheſi 13. Athanaſi. lib. de Incarn. verbi, Leo & alii iſta verba ad Chriſtum Dominum referunt, qui cùm eſſet vita mundi, pependit antè oculos Iudæorum in cruce, & non crediderunt ei: vnde Aug. lib. 16. contra Fauſtum cap. 22. etſi fateatur, & aliter illa verba ab aliquo intelligi poſſe; non video tamen, inquit, cur dubitare debeamus, hoc etiam de Chriſto ſcripſiſſe illum de quo Chriſtus ait: ille enim de me ſcripſit.

68. Redvcet te Dominvs classibvs in Ægyptvm. Impletum eſt hoc poſt expugnatam Hieroſolymam. Teſtatur enim Ioſephus lib. 7. de bello Iud. c. 16. eos qui erant maiores annis 17. vinctos eſſe miſſos in

Ægyptum operibus deputandos; reliquos ætate minores eſſe venditos: PER VIAM DE QVA DIXI TIBI, &c. via illa fuit deſertum Arabiæ, per quod non itur claſſibus. Vnde vel ſupplenda eſt copulatiua (&) vt ſignificetur eos, tam terra quàm mari eſſe in Ægyptum deuehendos: vel potiùs intelligit ſimpliciter, viam quæ ducit in Ægyptum, quæcumque illa fuerit; vetitum enim erat Iudaïcæ nationi in Ægyptum reuerti.

CAPVT XXIX.

1. HÆC SVNT VERBA FOEDERIS. q. d. ea quæ hactenus dicta ſunt, ſunt ea quę Deus voluit percuſſo inter ſe, & populum fœdere, à populo ſuſcipi ſub conditione pœnarum & præmiorum inferendorum obſeruatoribus & tranſgreſſoribus.

PRÆTER ILLVD FOEDVS, &c. Vnde iteratò videntur omnes illæ ceremoniæ repetitæ fuiſſe, quæ in primo fœdere ſanciendo in Horeb Exod. 24. v. 5. & ſeqq. adhibitæ fuerunt. Vnde etiam ex illa repetitione fœderis vocatum eſt Deuteronomium, quaſi ſecunda lex, etſi potiùs ſit eiuſdem legis & fœderis iteratio, quàm aliquid aliud: nam præter pœnas, & præmia, quæ hîc diſtinctiùs expreſſa ſunt, pauca hîc ſunt quæ non fuerint in eo fœdere: quod primùm initum fuit, vt Aug. qu. 49. in Deut. Antequam verò in iſtud fœdus tranſeant, iterata exhortatione compellat & excitat populum.

3. VOS VIDISTIS TENTATIONES MAGNAS, nempe plagas Ægyptiorum, quibus Deus tentauit, & omnibus patefecit animum Pharaonis potentiamque ſuam. Porrò enim etſi non tentet, vt inducat in tentationem, tentat tamen vt probet, vt alibi ſæpè dictum eſt. Illos autem dicit tentationes illas vidiſſe, quia plerique aſtantium pueri fuerant cùm ederentur.

4 ET NON DEDIT VOBIS DOMINVS COR INTELLIGENS, vt ſcilicet ſciretis, quid Deus per iſta moliretur, ex quo amore veſtro ea proficiſcerentur, qua gratitudine reſpondere deberetis.

ET OCVLOS VIDENTES ET AVRES, &c. Explicatio eſt præcedentis, nec enim de oculis corporis loquitur, cùm eos dicat ea ſigna vidiſſe: ſed de oculis & auribus cordis, quaſi dicat, non dedit vobis hactenus intelligentiam & obedientiam. Quod verò dicit, *non dedit vobis Dominus*, nullo modo increpans hoc diceret, inquit Auguſt. niſi ad eorum quoque culpam hoc pertinere intelligi vellet, ne quiſquam ſe ex hoc crederet excuſabilem. Simul enim oſtendit hîc Moyſes, & ſine adiutorio Dei eos intelligere & obedire non poſſe; & tamen ſi illud adiutorium Dei deſit, non ideo eſſe excuſabile hominis vitium: ſuo enim demerito caret, & iudicia Dei quamuis occulta ſint, tamen iuſta ſunt: vt ergò cor intelligens & obediens à Deo accipiant, inculcat eis continua illa beneficia Dei, & miracula quæ circa illos operatus eſt.

5. NON SVNT ATTRITA VESTIMENTA VESTRA, &c. NEC CALCEAMENTA, &c. immò cum paruulis quoque creuiſſe addit Iuſtinus dialogo cum Tryphone, cùm plerique Ægypto exeuntes paruuli fuerint: ſed vnde noua veſtimenta, & calceamenta naſcentes quotidie in deſerto aſſecuti ſunt? Ex veſtibus calceiſque non detritis morientium: quæ ſemel corporibus aptata paruulorum, cum creſcentibus iterum non atterenda creſcebant. Adde ab Ægyptiis ablatam fuiſſe *veſtem plurimam*. Exodi 12. v. 35. ab Amalecitis quoque cæſis auferri potuiſſe, denique ex lana & corio cęſorum animalium, ſi qua cæderentur veſtes texi, & calcei confici potuerunt.

6. PANEM NON COMEDISTIS, ſed manna loco panis. VINVM ET SICERAM NON BIBISTIS. Vnde ergò Exod. 32. v. 6. dicitur populus ſediſſe manducare & bibere, id eſt conuiuium celebrare? non enim hoc de aqua diceretur, inquit Aug. qu. 51. Itaque vinum iſtud vocatur adhuc inter impedimenta ex Ægypto exportata fuiſſe, eoque conſumpto in poſterum vino caruiſſe: niſi ſi quid forſan, quod rarò & in fine tantum contigit, aliquid emerint à vicinis gentibus.

10. 11. VOS STATIS HODIE CVNCTI, quia ad omnes omninò pertinebat fœdus, & in illud conſentire atque ita tranſire debebant. Itaque illud quod ſequitur, EXCEPTIS LIGNORVM CÆSORIBVS, &c. non habet vim exce-

ptionis, quaſi illi non ſtetiſſent præſentes, ſed præteritionis: q. d. vt nihil dicam de illis, qui ex infimo plebe preſentes ſunt. Vnde quod poſtea v. 15. addit ſe ferire fœdus *cum abſentibus*, per abſentes intelligit poſteros.

18. ET SIT INTER VOS RADIX GERMINANS FEL ET AMARITVDINEM, id eſt, ne aliquis ſit in toto iſto populo cuius animus idololatria corruptus inſtar amaræ radicis germinet fructus operum inſtar fellis amaros, ac deteſtabiles. Radix enim hîc non vitium ipſum, ſed hominem ſignificat, quia de familiis & perſonis agit. Vnde Chaldæus tranfert; Ne ſit inter vos cogitans peccatum, & ſuperbiam. Tranſtulit hunc locum Apoſtolus eodem ſenſu in Epiſtolam ad Hebræos c. 12. v. 15.

19. CVMQVE AVDIERIT VERBA IVRAMENTI HVIVS, id eſt, execrationum & maledictionum, quas fœderis ſui tranſgreſſoribus appoſuit Deus: hoc enim ſignificat Hebraïca proprietas: neque enim hîc vllum iuramentum interuenit. BENEDICAT SIBI IN CORDE SVO, id eſt, blandiatur ſibi promittatque *pacem*, id eſt, proſperitatem & impunitatem, ET AMBVLABO, id eſt, etſi ambulauerim in prauitate mea tranſgrediendo leges iſtas: ET ABSVMAT EBRIA SITIENTEM. Adagialis eſt locutio, cuius magna obſcuritas valde varias diuerſorum peperit interpretationes, Chaldæi, Lyrani, Abulenſis, Caïetani, Eugubini, Oleaſtri, Pauli Burgenſis, Rabbinorum. Occaſionem ex parte dedit quod textus Hebraïcus vtrouis modo exponi poſſit, *abſumat ebria ſitientem*, & *addat ebriam ſitienti*. Sequendo lectionem noſtram, commodiſſimus videtur ſenſus, vt contagionem tum peccati, tum pœnæ prouerbiali iſta locutione ſignificari velit. Ebrius enim, ſeu Hebraïcè irriguus ſignificat eum qui peccando iam ſatur eſt, ſitiens qui adhuc innoxius: quaſi diceret, ne ſi quis inter vos inueniatur idololatriâ corruptus, & ſibi de impunitate blandiens, talis velut ebrius iniquitate trahat ſecum alios innoxios in ruinam, tum idololatriæ quam eis perſuadeat, tum pœnarum quas accerſat. Similis itaque videtur illi alteri prouerbio apud Apoſtolum: *Modicum fermentum totam maſſam corrumpit*. Vnde cùm allegaſſet Apoſtolus loco ad Hebræos citato præcedentia huius loci verba, *neque radix amaritudinis*, &c. ſubiungit ſtatim, *& per illam inquinentur multi*, quaſi explicans quid ſibi velit illud, & abſumat ebria ſitientem. Hinc LXX. clariſſimè tranſtulerunt, *ne peccator perdat ſimul innocentiam*, magiſter ſcilicet diſcipulum: quod etiam tam de perditione quæ fit per contagium peccati quàm de ea quæ fit per pœnæ communicationem intelligi poteſt. Peccatores enim etiam innocentes pœnis ſuis inuoluere, & ſecum perdere temporaliter ſolent. Vnde etiam de pœnis mox adiungit.

20. ET DOMINVS NON IGNOSCAT EI, &c. SED TVNC MAXIME FVROR EIVS FVMET, id eſt, quàm maximè Deus in eum excandeſcat & eum puniat. Eſt enim metaphora ab homine vehementer irato ſumpta, cuius è naribus erumpit fumus: vnde & Iob de Behemoth c. 41. De naribus eius procedit fumus: & Pſalmus de Deo, Aſcendit fumus in ira eius. Ira verò Deo tribuitur quantum ad effectum eius ſcilicet pœnas, non affectum.

23. SVLPHVRE ET SOLIS ARDORE CONSVMENS, ſcilicet terram illam; quod fit, cùm ſolis ardore terra torretur. Terra enim inde ſulphuream ſalſamque naturam contrahit & ſterileſcit. Vnde Pſal. 106. dicitur Deus conuertere terram fructiferam in ſalſuginem. Sal enim ſua ſiccitate exurit ſolum. Hinc Sodoma igne cæleſti & ſulphureo exuſta conuerſa in mare ſalis, ſeu ſalſiſſimum, ex quo & terra ei vicina ſteriliſſima eſt: & Abimelech, vt agros Sichem redderet ſteriles, diſperſit in ea ſal, Iudicum 9. v. 45. Hoc ergò faciet Deus terræ eorum, quia

26. SERVIERVNT DIIS ALIENIS, QVIBVS NON FVERANT ATTRIBVTI, nempe in cuſtodiam, vel tamquam diis quos colerent. Vnde nec ab illis defenſi ſunt: ſæpè enim Deus Iſraëlitarum dixit eis quòd eſſent futuri populus ſuus, & ipſe eſſet eorum Deus: quia ergò ſeruierunt diis alienis, idcirco inflixit eis Deus.

27. OMNIA MAEDLICTA. Hæc verba pertinent adhuc ad gentes reddentes cauſam deſolationis Iudæorum: illa verò quæ ſe-

quuntur, QVÆ IN HOC VOLVMINE SCRIPTA SVNT, verba Moyſis intertexta explicationis cauſâ.

28. SICVT HODIE COMPROBATVR, ſcilicet quando gentes iſta poſt deſolationem Iudæorum dictura ſunt: loquitur enim de futuris temporibus.

29. ABSCONDITA DOMINO DEO NOSTRO. Emanuel Sa, & nonnulli Rabbini explicant hoc modo: abſcondita Deo reſeruantur punienda, nobis verò ea quæ manifeſta ſunt. Sed hic ſenſus nihil facit ad præſens propoſitum; veriſimilior igitur eſt, quaſi diceret: Ecce quæ abſcondita ſunt in theſauris Dei, & illi ſoli nota nobis ab eo manifeſtata ſunt, tota ſcilicet lex eius & voluntas, & iudicia, ſeu pœnæ præuaricantium eam, idque eo fine, vt faciamus vniuerſa verba legis huius. Similem enim titulum gratitudinis commendat Pſaltes Pſalm. 147. verſu vltimo & penultimo, Non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis.

CAPVT XXX.

4 SI AD CARDINES CÆLI FVERIS DISSIPATVS. Hebraice, in extrema cæli. Quomodo eadem verba transferuntur à noſtro 2. Eſdræ 1. v. 9. per quæ extrema non ſoli poli arcticus, & antarcticus, ſed quælibet extrema cœli plaga, id eſt, regiones extremis cœli plagis ſubiectæ intelliguntur. Sunt autem verba conditionata, quòd ſi eo diſpergantur reducendi ſunt, dummodo agant pœnitentiam, non quod eò ſint diſpergendi, vel pœnitentiam acturi: vnde nec Iudæi ſolidè inde colligunt Meſſiam ſuum adhuc venturum, qui eos ab extremis cardinibus vbi iam diſperſi ſunt, reducat, præſertim cùm Nehemias loco cit. Scripturam hanc impletam dicat in reditu ex captiuitate Babylonica: Nec Franciſcus Valeſius c. 26. ſacræ Philoſophiæ, eſſe antipodas: quia etſi nulli eſſent, verba tamen eſſent vera.

6. CIRCVMCIDET DOMINVS COR TVVM, purgando à vitiis tuis, vnde LXX. circumpurgabit cor tuum, & clariùs Chaldæus, auferet inſipientiam cordis tui. Omnia enim vitia ſunt quædam cordis inſipientia, ſicut è contrario in omni virtute eſt ſapientia. Monet autem Auguſt. quæſt. 55. in his verbis contineri euidentem pollicitationem gratiæ. Promittit enim Deus ſe facturum eſſe, quod iubere ſolet vt fiat. Cyprianus tamen lib. 1. contra Iudæos, putat hoc loco prædici circumciſionem cordis per Chriſtum afferendam, & vt Lactant. lib. 4. c. 17. per eundem, circumciſionem carnalem eſſe tollendam.

8. TV AVTEM REVERTERIS, id eſt, ſi reuerſus fueris, vel potiùs eſt exhortantis, cura vt reuertaris, & audias vocem Dei.

9. REVERTETVR ENIM DOMINVS VT GAVDEAT SVPER TE, non quod mutet iram in gaudium, ſed quod effectus mutet, pro diuerſitate diſpoſitionum humanarum, aptos effectus producens, pœnas vel præmia. Sic ergò iterum gaudebit Deus, quia ita ſe geret tecum ſicut homines cum iis quos diligunt; gaudent enim de proſperitate ipſorum, & illam gaudentes afferunt, cùm poſſunt.

SI TV AVDIERIS VOCEM DOMINI. Hîc explicat effectum veræ conuerſionis eorum qui Deum in eo ſitum eſſe, vt audiant vocem eius, hoc eſt, vt ſtatim addit, cuſtodiendo præcepta eius in toto corde.

11. MANDATVM HOC, nempe diligendi Deum, & reuertēdi ad Deum in toto corde, ex quo pendent omnia cætera quæ expoſui,

NON SVPERA TE EST, NEQVE PROCVL POSITVM, id eſt, non eſt difficile cognitu, neque ex remotis & inacceſſis locis, vt è cœlo, vel vltra mare accerſendum, vt illud audire, ſcire & facere queas.

14. SED IVXTA TE EST SERMO VALDE IN ORE TVO, &c. id eſt, lex Dei per accuratam hanc expoſitionem meam ita vobis inculcata, & in promptu poſita eſt, vt eam facile & ore recitare, & corde, id eſt, memoria complecti poſſis, vt afferendo ſolam bonam voluntatē etiam opere compleas. Nam rationem huius facilitatis reddens ſubiicit ſtatim,

15. CONSIDERA QVOD HODIE PROPOSVERIM, &c. Vnde Tertull. lib 4. contra Marcionem cap. 35 breuiter hunc locum explanans, non hîc, inquit, non illic eſt mandatum Dei, ſed regnum Dei intra vos eſt, hoc eſt, in veſtra poteſtate, ſi tantum facere

voluerítis. Hic igitur videtur eſſe litteralis huius loci ſenſus, de mandato ſcilicet legis, quem Apoſtolus ad Romanos 10. accommodat ad Chriſtum, & ad iuſtitiam per fidem accipiendam, vt ibi lauds, dicendum erit.

CAPVT XXXI.

1. ABIIT ITAQVE MOYSES ET LOCVTVS EST, id eſt, locutus eſt Moyſes, ſeu cœpit loqui hęc omnia quę dicta ſunt. Nam ad præcedentia non ad ſequentia referendum eſt. Sic enim Hebraïcè abire, ſurgere & ſimilia quaſi ornatûs cauſa addi ſolent verbis agendi aliquid, quod & linguis noſtris vulgaribus vſitatum eſt, ſimilis phraſis eſt hîc v. 16. &c. ſeq. v. 44. LXX, tranſtulerunt, conſummauit loquens omnia hæc. Hîc enim finitur Deut. ſequentia ſpectant ad Ioſue & ad ingreſſum terræ Chanaan.

2. NON POSSVM VLTRA EGREDI ET INGREDI; id eſt, eſſe dux veſter, partim propter ſenium, partim quia prohibitus ſum in Chananæam intrare, & vos eò ducere. Vnde

3. DOMINVS DEVS TRANSIBIT ANTE TE, tamquam ductor veſter, vt eſt v. 6. aperiendo viam & percutiendo hoſtes, vide dicta de illa phraſi in c. 27. Num.

9. SCRIPSIT ITAQVE MOYSES LEGEM HANC. Deuteronomium ſcilicet: ſcripſiſſe autem videtur tum Deuteronomium, tum Canticum ſequens, antequam ea populo pronunciaret: nam cap. ſeq. v. 48. dicitur quòd eadem die ſcilicet qua finiuiſſet loqui, iuſſerit eum Deus aſcendere in montem. Niſi fortè dicatur eadem quidem die iuſſum eſſe, ſed non eadem die aſcendiſſe.

10. 11. POST 7. ANNOS LEGES VERBA LEGIS HVIVS. Computantur illi anni non à die pronuntiationis huius vel ingreſſus in terram promiſſam, ſed à die cultus terræ. Hoc eſt, à diuiſione eius & pacifica poſſeſſione. Sex enim annis antè debebat coli terra, & ſeptimus erat annus quietis, quaſi ſabbatum terræ, vt dictum eſt alibi: leges autem etiam PARVVLIS, quia tanquam tabulæ raſæ & nullis peregrinis doctrinis aut moribus occupatæ firmiſſimè retinent quæ eis primum imprimuntur. Vnde maxima debet eſſe de paruulis ſollicitudo eorum qui populum regunt.

19. NVNC ITAQVE SCRIBITE CANTICVM ISTVD. Ergo iam compoſitum videtur fuiſſe antea, ac deſcriptum fuiſſe traditum, vt inſinuatur etiam v. 22 quod paulò poſt pronunciauit, vt eſt v. 30. VT SIT MIHI PRO TESTIMONIO, quo ſcilicet ipſimet propriam iniquitatem ſuam & rebellionem aduerſus me, & viciſſim iuſtitiam meam aduerſus ipſos fateantur. Et ſic ſi cauſam inter ſe quæſierint afflictionum ſuarum & malorum quæ ipſos comprehenderint;

21. RESPONDEBIT EIS CANTICVM ISTVD PRO TESTIMONIO, quia teſtificando reſpondebit eis cauſam non eſſe aliam niſi propriam iniquitatem & idololatriam, vt ita pœniteat eos, & ad me reuertantur.

SCIO ENIM COGITATIONES EIVS, ſcilicet Iſraëlis, QVÆ FACTVRVS SIT HODIE. Illud (*hodie*) commodè referri poteſt ad (*ſcio*) quaſi dicat, ego ex nunc antequam introducam eos in Chananæam, ſcio quid ibi facturi ſint. Niſi quis malit ſignificari, quòd etiam tunc ac toto itinere idola coluerint, Hebraice eſt enim *ego ſcio quæ facit* ſeu *faciunt hodie*. Et ſic LXX. referunt illud *hodie*, ad verbum, *facere*.

26. TOLLITE LIBRVM ISTVM, Deuteronomium iam deſcriptum, ET PONITE EVM IN LATERE ARCÆ, exteriori videlicet, non interiori Nam 2. Paralipom. 5. v. 10. diſertè dicitur, nihil aliud in arca fuiſſe niſi duas tabulas legis. Et hæc videtur ratio quòd dicatur in latere arcæ. Itaque ad latus arcæ videntur fuiſſe capſulæ quibus Deuteronomium, vrna habens manna, & virga Aaron includi potuerit, iuxta ea quæ docet Apoſtolus ad Hebræos 9. v. 4. Præcipit autem hoc Leuitis, quia ad illos tamquam totius Eccleſiæ vel ſynagogæ miniſtros ſpectat diuinorum librorum cuſtodia, legis prædicatio & explicatio; vnde quia ipſi velut capita Eccleſiarum totius Reipub. populum totum repræſentabant, adiecit, VT SIT TIBI CONTRA TE IN TESTIMONIVM.

CAPVT XXXII.

1. AVDITE CÆLI. De iſto conteſtandi modo, vide quæ diximus ſuprà cap. 4. verſ. 26.

2. CONCRESCAT VT PLVVIA, vapores enim vt poſſint pluere, neceſſe eſt priùs in ſtillas concreſcant frigore condenſari. Vnde Hebraïcè ponitur finis concretionis, STILLET VT PLVVIA DOCTRINA MEA. Vt ſcilicet quemadmodum pluuia in terram cadens eam humectando fœcundam efficit, ita doctrina mea hæc cæleſtis in aures animumque veſtrum deſcendendo, eum ad fructus bonorum operum ferendos præparet.

FLVAT IN ROS, &c. Idem omninò ſignificatur ſeq. hemiſtichio more Hebræis familiariſſimo: qui patet & v. 1. Nam & roris idem effectus eſt, qui pluuiæ: vnde quibuſdam locis vbi rariùs pluit, abundantia roris eſt terræ inſtar pluuiæ. Quia igitur doctrina eſt animo inſtar pluuiæ, hinc prophetæ & prædicatores in Scripturis eâdem metaphorâ vocantur nubes, vnde Iſaiæ 5. v. 6. Et nubibus mandabo ne pluant ſuper eam imbrem, ſcilicet ſuper vineam populi Iſraël.

3. QVIA NOMEN DOMINI INVOCABO. Hebræa & LXX. legunt, vocabo, quod à noſtro ſæpè inuocare transfertur: vocare autem ſeu inuocare nomen Dei, ſignificat non tantum eius auxilium implorare, ſed & Deum colere, & laudare. Colitur autem & laudatur Deus in primis profundè agnoſcendo eius gratiam ad benè viuendum eſſe neceſſariam, quæ inuocando acquiritur. Et hinc eſt quòd *nomen Dei inuocari ſuper aliquem*, in Scripturis ſit aliquem eſſe cultorem ſeruum ac populum Dei. Quia ergo Deum ego inuocabo & celebrabo, DATE etiam VOS MAGNIFICENTIAM DEO NOSTRO, id eſt, eum magnificum &glorioſum deprędicate: dare enim Deo laudem, gloriam, honorem, eſt eum laudare, glorificare, honotare, ſiue verbis, ſiue factis. Cauſa autem adiungitur, quia DEI PERFECTA SVNT OPERA, id eſt, quidquid Deus agit & egit in vniuerſo orbe, & in primis circa gubernationem tuam, ô Iſraël, ſiue beneſaciendo, ſiue caſtigando te, ex omni parte irreprehenſibile eſt; quia videlicet OMNES VIÆ EIVS, id eſt, opera ſunt IVDICIA, id eſt, iuſta, abſtracto poſito pro concreto, quod Hebræis familiariſſimum eſt.

De hac diuinorum operum irreprehenſibili perfectione neceſſariò ruditas populi præmonenda fuit, ne malorum quę ſibi acciderent, culpam fortaſſe Deo impingerent, dicendo id quod poſtea dixerunt apud Ezechielem, *non eſt æqua via Domini*.

5. PECCAVERVNT EI. LXX. legunt, *peccauerunt non ei*, quod Aug. qu. 55. exponit, peccando non nocuerunt ei.

NON FILIIS EIVS, quia peccando gratiam adoptionis filiorum abiiciunt, nec erga patrem, ſe tamquam filii gerunt, dum IN SORDIBVS peccatorum volutantur.

7. MEMENO DIERVM ANTIQVORVM, id eſt, beneficiorum quæ præteritis temporibus tibi, & maioribus tuis fuerunt præſtita; & ſi minus ea minoribus perſpecta ſint, INTERROGA MAIORES TVOS, qui tibi ea recenſere poterunt, quaſi diceret, ex illis addiſces ipſum habuiſſe paternam curam tui.

8. QVANDO DIVIDEBAT ALTISSIMVS GENTES, nempe in diuiſione linguarum poſt diluuium, cùm FILIOS ADAM ex Babel in totum mundum diſpergeret, & à ſe inuicem ſepararet,

CONSTITVIT TERMINOS POPVLORVM, id eſt, certos limites prouinciarum, atque terrarum conſtituit populis Chananæis, quos propter ſcelera delendos eſſe prænoſcebat; idque non ipſorum intuitu, ſed IVXTA NVMERVM FILIORVM ISRAEL, tantùm ſcilicet attribuens populis illis delendis, quantum ſufficeret ad habitationem Iſraëlitarum, qui nondum nati erant. His enim verbis probat id quod v. 6. præmiſerat, Deum tamquam patrem poſſediſſe ſibi populũ Iſraël. Vnde nimis remotè petitũ eſt, & incertum quod Lyranus hîc ſignificatum putat tot gentes in diſperſione illa fuiſſe ſeparatas quot intrarunt filii Iſraël in Ægyptum, ſcilicet ſeptuaginta. Septuaginta & ex iis plerique antiquorum Patrum legunt, *Iuxta numerum Angelorum Dei*, quaſi ſignificaretur, gentes immò homines ſingulos ſingulis Angelis cuſtodibus gubernandos eſſe

commiſſos, quod Origenes plerumque tam de malis Angelis quàm de bonis ſolet intelligere, vide ipſum Homil. 13. in Ezech. & Homil. 2. latiori in Canticum, & libr. 5. contra Celſum. Eundem ſenſum de Angelis qui præpoſiti ſint gentibus, ſequitur Cyprianus ſeu potius Ruffinus in expoſitione Symboli, Dionyſius Areopagita c. 9. de cæleſti Hierarchia, imò & Auguſtinus videtur illum indicare in Pſalm. 134. verſu 4 vbi dicit: Quamuis Deus omnes gentes condiderit, cæteras Angelis commiſit, ſibi iſtam ſcilicet Iſraëliticam, poſſidendam ſeruandamque deputauit, quò reſpicere quidam putant Eccleſiaſticum, quando dicit c. 17. v. 14. in vnamquamque gentem præpoſuit rectorem, & pars Dei Iſraël facta eſt manifeſta, quibus verbis vltimis tangitur id quod hîc adiungitur:

9. PARS AVTEM DOMINI POPVLVS EIVS. id eſt, populum Iſraël Deus ipſe ſibi velut populum peculiarem aſſumpſit, cui ipſe tanquam rex præeſſet. IACOB FVNICVLVS HEREDITATIS EIVS, id eſt, portio hereditaria, quia funibus ſolebant olim dimetiri hereditates, vnde Amos 7. verſ. vlt. Humus tua funiculo metietur, & Pſalm. 15. v. 6. Funes ceciderunt mihi in præclaris: explicans enim quid ſibi hoc velit ſequenti hemeſtichio: etenim, inquit, hereditas mea præclara eſt mihi. Non ergo negatur hîc quin Deus & alias gentes per ſe regat, ſed ſignificatur tantum quòd peculiariter populum illum tamquam regnum ſuum ad cultum ſuum ſibi dedicauerit. quamuis & in hoc opere Angeli adhibeantur, imò & iis præpoſiti ſint, vt patet de Michaële Danielis 12. v. 1. quod latius DIONYſ. explicat loco citato.

10. INVENIT EVM IN TERRA DESERTA, ſolitudine montis Sinaï, & Pharan; quia ibi cœpit populum illum, qui in Ægypto idolis ſeruierat, formare in Eccleſiam ſuam.

CIRCVMDVXIT EVM, per tot anfractus & flexus viarum per 40. annos, ET DOCVIT, tum lege data, tum afflictionibus variis. Nam & hæc magna documenta & amoris argumenta ſunt: ET CVSTODIVIT QVASI, &c. in omnibus aduerſitatibus aduerſus omnia cœli ac terræ & hoſtium incommoda. Quæ duo beneficia docendi & cuſtodiendi pulchrè explicat per adhibitam aquilæ comparationem.

11. SICVT AQVILA PROVOCATVS AD VOLANDVM PVLLOS SVOS. Hoc pertinet ad docendum populum ſuum. Nam per inſtructionem legis ac tentationes varias in deſerto id ſpectabat Deus, vt à terrenis ad cæleſtia volare diſcerent, & relictis murmurationibus in ſe fiduciam collocare.

ET SVPER EOS VOLITANS EXPANDIT, &c. ad cuſtodiendum eos ac tuendum ab incommodis deſurſum irruentibus: ET ASSVMPSIT EVM ATQVE PORTAVIT IN HVMERIS SVIS, Hebraïcè, *ſuper alas ſuas*; quæ ſunt quaſi humeri ac dorſum auium: explicat eandem protectionem ſuam alia comparatione. Nam aquila dicitur pullos ſuos in humeris ſeu dorſo poſitos transferre, quo à ſagittis quæ infernè iaciuntur, tuti ſint, neque lædi poſſint, niſi ſe transfixâ: quod egregiè præſtitit Angelus ductor Iſraëlitarum Exod. 14. v. 19. ponendo ſe inter caſtra Ægyptiorum & Iſraëlitarum.

13. CONSTITVIT EVM SVPER EXCELSAM TERRAM, vel celſitudine loci, quia altior eſt Iudæa quàm Ægyptus, vnde veniebant: vnde dicuntur deſcendere in Ægyptum Geneſ. 46. v. 3. & 4. vel potius *excelſam* ratione dignitatis, quia fructibus copioſiſſima. Hoc enim videtur poſtulare ſequens deſcriptio quaſi explicatio: nam ſuctio mellis de petra & olei de ſaxo duriſſimo indicat tantam eius fore fœcunditatem, vt quę natura ſua ſunt horrida & inepta cultui & fructui, vt petrę & ſaxa, abundent apibus & oliuetis omniq; ſuauitate: quod etiam indicatur illo frequenti elogio, quo illa terra dicitur fluere lacte & melle. Abundantia verò & præſtantia gregum ſignificatur per

14. ADIPEM AGNORVM ET ARIETVM FILIORVM BASAN, id eſt, qui paſcuntur in Baſan ſeu regione Baſanitide trans Iordanem. Illa enim ab vberrimis paſcuis commendata fuit, & ideo tradita dimidiæ tribui Manaſſe, vnde Hieronymus in c. 33. Iſaiæ dicit Baſan interpretari vberrimam & pinguem, & Pſalm. 21. verſ. 13. vbi nos legimus *tauri pingues*, Hebraïcè eſt Baſan.

SANGVIS verò VVÆ, Poëticâ catachreſi vocatur vinum, tum hîc tum Gen. 49. verſu 11. propter ſimilitudinem ſucci & coloris rubei: & hactenus quidem commemorata ſunt beneficia Iſraëli à Deo præſtita, nunc ſequitur prophetica prædictio ingratitudinis iſtius populi & quid Deo reddiderint pro beneficiis eius, vtitur autem verbis præteriti temporis pro futuris, quia ita certo futura prævidebat, ac ſi iam facta tranſiſſent. Itaque.

15. INGRASSATVS EST DILECTVS, &c. id eſt, incraſſabitur, impinguabitur, dilatabitur, ex opibus, deliciis, luxu, ſaturitate.

ET RECALCITRAVIT, id eſt, rebellis erit Deo, metaphoræ ſunt à beſtiis deſumptæ, quæ benè paſtæ & impinguatæ ſolent ex petulãtia recalcitrare, per hæc igitur vitium animi luxuriantis indicatur, quod ex ſaturitate oriri ſolet, nempe obliuio Dei: in quam ne ex iſta eadem cauſa inciderent, præmonuit eos Deus valde ſedulò, Deut. 8. v. 12.

19. VIDIT DOMINVS. Hæc eſt tertia pars huius cantici, tranſit enim ad pœnas, quibus Deus ingratitudinem illam populi vlturus eſt, vnde ait,

20. ABSCONDAM FACIEM MEAM AB EIS, id eſt, amicitiam, fauorem, & curam meam eis ſubtraham, nam & inter homines pater iratus non vult videre filium vel faciem ſuam ab eo videri, vnde Pſaltes, Oſtende faciem tuam & ſalui erimus. ET CONSIDERABO NOVISSIMA EORVM, otioſè quaſi ſpectando quem fructum tandem ex idolis ſuis percepturi ſint.

21. IPSI ME PROVOCAVERVNT, non ad iram: hoc enim ſignificatur per verbum quod ſequitur, IRRITAVERVNT, ſed ad æmulationem ſeu ad zelum. Patet vtrumque ex Apoſtolo ad Roman. 10. v. 19. & ex Hebraica proprietate. Significat ergo ſe quaſi riualem poſtpoſitum ei QVI NON ERAT DEVS, id eſt, idolis, fuiſſe quaſi ad zelotypiam & æmulationem prouocatum ſicut amaſiis & maritis neglectis euenire ſolet.

ET EGO PROVOCABO EOS, &c. id eſt, reddam par pari, ſimiliter ad zelum, æmulationem & inuidiam concitabo eos, aſſumendo in populum meum eum qui non erat populus meus, & ſalutem ei afferendo.

ET IN GENTE STVLTA IRRITABO ILLOS, id eſt, ad iram eos prouocabo gentem ſtultam & ab eis contemptam in eorum locum ſubſtituendo: non reiectionem Iudæorum & vocationem ſalutémque gentium hîc prædici tradunt non ſolum Theodoretus hîc q. 41. Tertull. l. 4. contra Marcion. c. 31. Orig Homil. 2. in Exod. & 4. & in Ierem. Clemens 2. Strom. c. 4. Hilarius & alii, ſed etiam Apoſtolus loco citato, vnde ex hac aſſumptione natus eſt ille zelus & odium implacabile Iudæorum aduerſus gentes Chriſtianas, & non aduerſus idololatras, vt obſeruauit Origen. Homil. 1. in Pſalm. 36.

22. IGNIS SVCCENSVS EST IN FVRORE MEO. Nomine ignis pœnas quaſlibet eſſe ſignificatas, quia inſtar ignis affligunt, nonnulli volunt, inter quos videtur eſſe S. Gregor. 18. Moral. c. 12. aliàs 13. vbi iſto hemiſtichio pœnas præſentis vitæ indicatas putat, pœnas verò futuras per id quod ſequitur, ET ARDEBIT, &c. Sed quia de eodem igne ſermo continuatur, videtur omnino ad literam ſignificari ignis illa quo conflagrabit mundus, & impii in inferno puniendi ſunt in æternum. Hîc ergo SVCCENSVS EST., id eſt, ſuccendetur, vel etiam in Dei prædeſtinatione iam ſuccenſus & paratus eſt diabolo & angelis, & conſortibus eius, idque IN FVRORE MEO, id eſt, per furorem velut cauſam eius, furor autem ille tribuitur Deo propter ſimilitudinem effectuum: eſt enim ſtabile, tranquillum & efficaciſſimum iudicium, ac voluntas acerbiſſimè puniendi, cuius effectus omnem humanum furorem ſuperant. Nam ARDEBIT VSQVE AD INFERNI NOVISSIMA. Hebraïcè, infernum inferiorem, id eſt, non ſolum in hoc mundo inuoluet peccatores, ſed pertinget vſque ad infirmam terræ voraginem, DEVORABITQVE TERRAM CVM GERMINE SVO, id eſt, vniuerſam terræ faciem, cum omnibus arboribus vſque ad extrema germina deſolabit & in fauillam rediget, ET MONTIVM FVNDAMENTA, quamuis altiſſimè demerſa COMBVRET, quia vt dicitur 2. Petri 3. v. 10. elementa calore ſoluentur, ita ſcilicet vt omnibus mix-

tis diſſolutis omnia in prima elementa redeant. Sed ne ſolas illas nouiſſimi temporis & futuras pœnas ſibi timendas eſſe crederẽt, ac de præſentibus ſecuri viuerẽt, adiicit,

23. CONGREGABO SVPER EOS MALA, etiam diuerſa præſentis vitæ ſupplicia in eos congeram, ET SAGITTAS MEAS, id eſt, plagas omnes meas quibus velut ſagittis confligentur, COMPLEBO IN EIS, ſeu conſumam in eos, omnes quaſi exhauriendo: quas mox diſtinctè recenſet.

24. DEVORABVNT EOS AVES, fame ſcilicet mortuos, ſignificat enim eos ad illam pœnarum amaritudinem redigendos, vt & ſepulturâ careant, & auibus cadauera diſcerpenda relinquantur: hoc enim amariſſimum eſſe viuentibus; ſatis indicat exemplum Reſphæ 2. Reg. 21. v. 10.

DENTES BESTIARVM IMMITTAM, vt cõtigit illis idololatris in terra Iſraël 4. Reg. 17. v. 26. ATQVE SERPENTVM, vt in deſerto vbi ab ignitis ſerpentibus conſumpti ſunt.

26. DIXI: VBINAM SVNT? nempe peruicaces illi, qui ſibi nihil à me timebant, CESSARE FACIAM, &c. id eſt, penitus eos delebo, vt non ſuperſit eorum amplius memoria. Et ita quidem eorũ delicta merebantur.

26. SED PROPTER IRAM INIMICORVM DISTVLI. Hebraïcè, *niſi timerem iram inimicorum*, ſupple exterminarem eos ſicuti dixeram. Loquitur humano more Deus, quaſi aliquid proponeret & mox eum pœniteret: cùm tamen in ipſo non ſit mutatio, ſed in effectibus tantum, ita enim exteriùs minatur, & mox exigentibus aliis circumſtantiis operatur contrarium, ſicut homo, qui mutat propoſitum ſuum.

30. QVOMODO PERSEQVATVR VNVS MILLE, q. d. vtinam ſaltem ex hoc agnoſcerent me & impietatem ſuam Iudæi, & non ex hoſtium fortitudine, ſed ex iudiciis meis prouenire afflictione ſuas, quod videlicet vnus hoſtium perſequatur & fuget mille Iſraëlitas, & duo ex eis, decem millia, hæc enim tam monſtroſa inæqualitas euidens, argumentum eſt punitionis diuinæ, qua traduntur Iſraëlitę in manus eorum, vnde toties repetitur illud in lib. Iud. quod Deus tradidit eos in manus hoſtium ſuorum.

31. NON ENIM EST DEVS NOSTER VT DII EORVM, qui nihil de peccatis, vel benefactis cultorum ſuorum curant, vel præ imbecillitate obeſſe, vel prodeſſe non poſſunt, vel denique ipſis ſceleribus delectantur & coluntur: cuius rei, vel ipſi

INIMICI NOSTRI SVNT IVDICES, nempe Ægyptii, Amalecitæ, Amorrhæi plagis edocti & fracti, luculentum huiuſmodi iudicii ſpecimen etiam verbis dederunt Philiſtęi 1. Reg. 4. v. 8. & capite 6. & Achior Dux filiorum Ammon Iudith. 5.

32. DE VINEA SODOMORVM VINEA EORVM, id eſt, vinea Iſraëlitica ſimilis facta eſt Sodomiticæ & Gomorrææ, id eſt, infrugifera, imò peſſimorum fructuum ferax, vbi ſub ſimilitudine vineæ intelligit populum Iſraëliticum, quemadmodum poſtea Iſaias c. 5. dum queritur ſimili planè modo vineam domus Iſraël pro vuis dediſſe labruſcas, & Ierem. c. 2. v. 21. ego plantaui te vineam electam, quomodo ergo conuerſa es in prauum, LXX. in amaritudinem, vinea aliena. Itaque VVA EORVM VVA FELLIS, id eſt, fructus & opera eorum amariſſima ſunt inſtar fellis, quia plena iniquitate & malitiâ.

33. FEL DRACONVM VINVM EORVM, idem explicat alia comparatione, niſi per vinum intelligere velimus doctrinam, ac diſciplinam eorum aliis propinatam, vt intellexit Origen. Homil. 2. latiori in canticum? quam felli draconum comparat, quia virulentiſſimum eſt maximéque noxium. ET VENENVM ASPIDVM INSANABILE, cuius apud ſcriptores ita teſtata eſt malignitas, vt propterea morſus aſpidis prouerbio locum dederit, quia inſanabilis, vnde Paulum ab aſpide, ſeu vipera morſum, confeſtim moriturum putabant Actorum 28. verſu 6. Pleriqque veteres volunt Moyſen hìc reſpexiſſe allegoricè ad acetum & vinum myrrhatum quo vinea domus Iſraël Chriſtum in cruce potauit: de quo Ruffinus in expoſitione ſymboli: Cyrill. catecheſi 13. & Athanaſius libr. de paſſione.

34. NONNE HÆC CONDITA SVNT APVD ME, id eſt, nonne hæç apud me manent altâ mente repoſta? & velut in theſauro diligenter clauſa, vt ea ſuo tempore vlciſcar?

q.d. etſi differtur vindicta mea, non tamen aufertur.

35. MEA EST VLTIO, id eſt, meum eſt vlciſci iniquitates iſtas, ſed tempore ſuo, VT LABATVR PES EORVM, id eſt, vt corruant in omnes calamitates, vnde Tertull. libr. 4. contra Marcionem cap. 16. dicit in his ſententiis doceri patientiam vltionis exſpectatricem.

36 IVDICABIT DOMINVS POPVLVM SVVM, &c. id eſt, iuſto iudicio eum caſtigabit, ita tamen, vt miſeriæ in ſeruos ſuos, qui plagis eruditi, & ad ſe reuerſi fuerint, memor futurus ſit, vel potius etiam IN SERVIS SVIS MISEREBITVR, quia efficiet, vt inter tot calamitates ſemper pauci ſuperſtites maneant in quibus ipſe glorificetur, & à quibus ei ſeruiatur. Nam pro ratione videtur ſubiungi, VIDERIT QVOD INFIRMATA SIT MANVS, quaſi diceret; nam videbit quòd manus bellatorum, ac defenſorum populi ſui prorſus infirmata ſit, ET CLAVSI in turribus, ac munitionibus ad defendendum, QVOQVE DEFECERVNT, RESIDVIQVE in vrbibus, fame miſeriiſque conſumpti ſunt. Itaque exprobrando apoſtaſiam populi ſui.

37. DICET EIS per prophetas ſuos; VBI SVNT DII EORVM, id eſt, vbi nunc ſunt idola quibus ſeruierunt, vt liberent eos?

40. LAVABO AD CÆLVM MANVM MEAM, id eſt, iurabo per memetipſum, vnde frequens illa phraſis in Scriptura. Terra ſuper qua leuaui manum meam, id eſt, quam iuraui me daturum, iuramenti autem formula eſt quæ ſequitur, VIVO EGO, &c. id eſt, per vitam meam iuro: quod iuramentum crebertime repetitur in Ezechiele. Res autem iurata eſt hæc:

41. SI ACVERO VT FVLGVR GLADIVM MEVM, id eſt, ſi ſemel parauero gladium vindictæ meæ, vt inſtar fulguris luceat, vibretur ac penetret, ad exequendum iudicium meum quod de oppreſſoribus populi mei conſtitutum eſt, reddam vltionem, &c. hęc enim non ſpectant ad populi caſtigationem, ſed potius conſolationem, quam Prophetæ poſt magna mala plerumque ſolent ſubiungere. Vtitur autem corporalium rerum metaphoris inducendo Deum tanquam bellatorem armatum aduerſus hoſtes Iſraëlitarum.

42 INEBRIABO SAGITTAS MEAS SANGVINE, id eſt, ſatiatiſſimè tingam eas cruore, indicat enim ſtragis magnitudinem, CRVORE inquam OCCISORVM hoſtium populi Iſraëlitici, ET GLADIVS MEVS DEVORABIT CARNES DE CAPTIVITATE NVDATI INIMICORVM CAPITIS, id eſt, gladius meus interficiendo graſſabitur in carnes inimicorum captorum nudati capitis, tantâ ſcilicet facilitate, ac ſi inimici eſſent capti, & capite galeâ nudato coram eo conſtituti, hîc enim eſt ordo verſiculi iſtius obſcuri, in quo illud *cruore inimicorum* iungendũ eſt cum *ſagittis*: illud verò *de captiuitate* &c. cũ *gladio*.

43. LAVDATE GENTES POPVLVM EIVS, eò quòd habeat tam potentem cauſa ſuæ defenſorem. Citat. Apoſtolus hunc locum ad Rom. 15. v. 10. ex LXX. *Lætamini gentes cum plebe eius*, quaſi ſignificatum eſſet, gentes cum populo Iudaïco de ſalute per Chriſtum afferenda lętaturos, Vnde Theod. qu. 42. ſic explicat, ſed non videtur hoc niſi ſenſu allegorico, quem Apoſtolus nonnunquam ſequitur, hîc indicari, nam ad litteram agitur de liberatione Iudæorum ab oppreſſoribus eorum, quæ ſanè figura fuit liberationis generis humani ab oppreſſione, ac tyrannide Diaboli.

CAPVT XXXIII.

2. DOMINVS DE SINAI VENIT, quia ex illo monte nobis decalogum promulgauit, totamque legem tradidit. Cùm verò populum inde digreſſum tæderet itineris ac laboris, morſi ſunt à ſerpentibus, & erecto ſerpente æneo ſanati, idque dum circuirent Idumæam, ſeu terram Edom, vt eſt Num. 21. v. 4. & ſeqq. & propter iſtud beneficium hîc dicitur. ET DE SEIR ORTVS EST NOBIS, nam Deut. 2. v. 2. dicuntur circuiſſe montem Seïr longo tempore.

APPARVIT DE MONTE PHARAN, Spiritum ſuum ſanctum impertiendo 70. ſenibus ad beneficium totius populi, hoc enim contigiſſe in ſolitudine & montibus Pharan ſatis colligitur ex Num. 10. v. 12. Aug. quęſt. 56. hæc omninò vult eſſe prophetiam

de Chriſto, quòd venturus ſit Iudæis ex Sinaï, id eſt, tentatione paſſionis, & crucis, *& ex Seïr*, id eſt, ex gentibus gratiam Iudæis in fine eſſe venturam, & ex monte Pharan, id eſt, fructifero quæ eſt Eccleſia gentium, ſed veriſimilius eſt primum ſenſum eſſe litteralem, vt ſatis inſinuat hîc Theod. qu. 44. alterum verò allegoricum, ad quem aſpexit Abacuc in ſuo Cantico dum Dominum ab auſtro, &c. venturum vaticinatur, quia Seïr, ſeu Idumæa eſt auſtralis Iudææ. ET CVM EO SANCTORVM MILLIA, quorum miniſterio, ac protectione Dei prouidentia nos regebat. IN DEXTERA EIVS IGNEA LEX, quia legem digito ſuo ſcriptam dextera quaſi manu tradidit Moyſi & promulgauit ignibus & fulguribus intermicantibus. Adde igneam meritò dici, vt Pſalmus 118. ait, Ignitum eloquium tuum vehementer, docet enim præcipuè charitatem & incendit corda in amore iuſtitiæ.

3. DILEXIT POPVLOS, nempe 12. tribus Iſraël, dum eos ſibi in peculiarem populum elegit, ac tot beneficiis cumulauit, nec mirum, quia OMNES SANCTI IN MANV, id eſt, poteſtate, gubernatione, ac protectione ILLIVS SVNT, ſiue vt ſancti fiant, ſiue vt ſancti maneant.

ET QVI APPROPINQVANT PEDIBVS EIVS, magiſterio ipſius ſe ſubiiciendo tanquam diſcipulos, ACCIPIENT DE DOCTRINA EIVS, vnde diſcipulatum ſuum ſignificans Paulus Actorum 22. v. 3. dicit ſe ſecus pedes Gamaliel eruditum, reſpicit autem ad modum quo lex data fuit: ſtabat enim populus ad radicem montis quaſi ad pedes Dei decalogum promulgantis, ſed quia tabulas reliquamque legem per Moyſen tradidit, hinc addit:

4. LEGEM PRÆCEPIT NOBIS MOYSES HEREDITATEM, id eſt, tanquam hereditatem multitudinis Iacob, immobiliter ſcilicet à nobis tanquam rem chariſſimam retinendam & ad poſteros tranſmittendam, vnde Pſal. 118. Hereditate acquiſiui teſtimonia tua in æternum. Aſſumit autem hîc Moyſes perſonam populi, & tanquam lege non minusquam cæteros obſtrictum ſe inter eos collocat, vt verum legiſlatorem decet.

5. ERIT APVD RECTISSIMVM REX, lex ſcilicet iſta Dei erit rex apud Iſraëlem quandiu rectitudinis, ac iuſtitiæ tenax eſſe voluerit per quod indicat, Deum ipſum, quia per legem ſuam populum ſuum regebat, Iſraëlitarum regem futurum: vnde cùm alium regem peterent, Deus ægrè tulit ſe à populo ſuo eſſe repudiatum 1. Reg. 8. v. 7.

CONGREGATIS PRINCIPIBVS POPVLI, id eſt, non ſoli populo, vel principibus ſolis, ſed omnibus inter ſe vinculo concordiæ & vnitatis conſtrictis veluti regno ſuo dominabitur lex illa tanquam Rex, his enim verbis, id inculcat ex quo poſt religionem, ac pietatem ſuprema Reipublicæ felicitas conſurgit, ſcilicet concordiam principum, ac populi.

6. VIVAT RVBEN ET NON MORIATVR, propter violationem ſcilicet paterni thori, deprecatur enim hîc maledictionem quæ ei meritò infligi potuiſſet. ET SIT PARVVS IN NVMERO, non tantus ſcilicet quantum eius primogenitura meruiſſet, vt dixi, Gen. 49. LXX. legunt oppoſito modo, *ſit multus in numero*, ſiue quia negationem in primo membro poſitam, etiam ſecundo repetendam iudicarunt, ſiue quia phraſim Hebraïcam, *ſit virorum eius numerus*, ita intellexerunt quaſi diceretur, ſit numeroſus, ſeu copioſus. Et ſic putant aliqui Moyſen deprecatum fuiſſe pœnam quam ei Iacob inflixerat, ſed præſtat ita accipere, vt hæc prophetia conformis ſit illi quæ eſt Gen. 49. Nam viri numeri Hebraïcè dicuntur facilè numerabiles, id eſt, pauci, ſicut patet Deut. 4. v. 27. ex Hebræo, vbi eadem planè phraſis eſt.

7. AVDI DOMINE VOCEM IVDÆ, orationem ſcilicet eius, dando ei vires & victoriam egredienti ad bellum.

ET AD POPVLVM SVVM INTRODVC EVM, id eſt, ſimul cum reliquo populo Iſraëlitico introduc eum in portionem terræ ei deſtinatam.

MANVS EIVS, Iudæ, PVGNABVNT PRO EO, populo ſcilicet ſuo. Nam iſta tribus vti erat robuſtiſſima, ita & princeps cæterarum & dux in bellando poſt mortem Ioſue, vt patet Iudicum 1. v. 2. Itaque Deus ADIVTOR IL-

LIVS ERIT cõtra aduerſarios. Nam Hebraïcè eſt *eris*. nempe tu Domine adiutor illius.

8. PERFECTIO TVA ET DOCTRINA TVA. Apoſtrophe iſta ad Deum non ad Leui dirigitur: pro perfectione autem, & doctrina eſt Hebraïcè Tummim & Vrim quæ Exod. 28. v. 30. ponenda iubebantur in rationali Pontificis, vbi loco Tummim tranſlatum fuerat veritas: hîc autem perfectio, quia tota perfectio viri ſancti in eo ſita eſt, vt intelligat, & ardenter diligat veritatem. Itaque per illa verba Tummim & Vrim, ſeu perfectio & doctrina, indicantur veſtes Pontificis Ephod & rationale, & conſequenter ſynecdochicè dignitas Pontificia; Hæc ergò data eſt à te, Deus,

VIRO SANCTO TVO, Aaroni, vtpote quem ſanctum PROBASTI IN TENTATIONE, id eſt, tentationibus variis in deſerto, vel *in tentatione*, id eſt, loco illo qui propter iurgium filiorum Iſraël propriè appellatus eſt. Tentatio Exod. 17. v. 7. ſed tamen IVDICASTI, ſeu condemnaſti eum apud aquas contradictionis, ne terram promiſſionis ingrederetur. Cum ergò hæc de Aarone qui erat ex tribu Leui, dixiſſet, mox prophetico more ad totam tribum Leuitarum ſermonem vertit.

9. QVI DIXIT PATRI SVO ET MATRI SVÆ, NESCIO VOS, id eſt, qui zelo honoris Dei concitati omnemque carnalem conſiderationem & affectum exuentes, ſine diſcrimine patrem & matrem, fratres, filios, cognatoſque occiderunt, vt crimen adorati vituli punirent & expiarent, vt patet Exodi 32. v. 27. vnde Theod. q. 44. notat his verbis integritatem ſacerdotum exponi zelumque commendari, quibus omnia ad vitam ſpectantia contemnenda ſunt, vt integri in diuino verſentur miniſterio. Itaque

HI PACTVM TVVM SERVAVERVNT, quid hoc ſit, explicant ſequentia, q. d. ſeruauerunt pactum tuum quod non eſt aliud quàm iudicia & lex Dei, cuius obſeruatio erat conditio neceſſaria ad fœdus quod Exod. 24. v. 7. & 8. initum fuit inter Deum & populum. Propter hunc ergo ardentiſſimum honoris diuini zelum loco præmii retribuit Leuitis Deus ſacerdotium totius populi: hoc eſt enim quod adiicit,

PONENT THYMIAMA IN FVRORE TVO, id eſt, propterea commiſiſti eis vt offerant tibi placando ſacrificia thymiamatis, & holocauſtorum, ſub quibus reliquæ functiones intelliguntur.

11. BENEDIC DOMINE FORTITVDINI EIVS, generoſo ſcilicet & zeloſo animo quem in vindicta illa expetenda demonſtrauit, vnde aliqui reſpici hîc volunt vlterius ad ſimilem zelum Matathiæ, & fortitudinem Machabæorum, qui fœliciſſimè bella cum hoſtibus populi geſſerunt.

12. AMANTISSIMVS DOMINI, id eſt, Beniamin dilectus DEO habitabit in terra ſua ſecurè abſq; timore. Cauſã ſubiungit, qui QVASI IN THALAMO TOTA DIE MORABITVR, id eſt, quia Deus morabitur, & requieſcet inter humeros, id eſt, in medio tribu Beniamin, tanquã in thalamo ſuo, reſpicit enim ad Hieruſalem, & templum quę in tribu Beniamin fuerunt extructa. Itaq; illa verba (*morabitur & requieſcet*) ad DEUM non ad Beniamin referenda ſunt, vnde Chaldæus praphraſticè vertit, *In terra eius habitabit maieſtas Dei*.

13. IOSEPH QVOQVE AIT, quia ſeorſim benedixerat tribui Leui, ne numerum duodenarium excederet: tribum Ephraim, & Manaſſe communiter ſub Ioſeph comprehendit.

DE BENEDICTIONE DOMINI TERRA EIVS, id eſt, benedicta à Domino, vt ex Hebræo liquet. DE POMIS CÆLI ET RORE, &c. vt ſcilicet ſit fœcunda fructuum, qui ex cæli influentia, rore, & abyſſo ſubiacente, ſeu aquis ſubter terram latentibus, & per fontes ex eius venis ſcaturientibus naſcuntur.

14. DE POMIS FRVCTVVM SOLIS, AC LVNÆ. Luna enim fructibus humiditatem confert, ſol eos calore ſuo maturat & coquit. Hanc autem benedictionem fertilitatis non ſolùm locis planis, ſed etiam montoſis apprecatur, vt ſcilicet fructus illi creſcant in

15. 16. VERTICE MONTIVM ANTIQVORVM, ET COLLIVM, quia à multis ſæculis, id eſt, ab initio mundi fundati fuerunt. Itaque Theodor. qu. 45. Hæc ergò benedictio Dei illius, qui apparuit IN RVBO Moyſi.

VENIAT SVPER VERTICEM NAZARÆI, Ioſephi ſcilicet, qui inter fratres fuit inſtar

Nazaræi, quia ab illis in Ægypto ſeparatus, & moribus ſanctus, & comâ in carcere intonſus, & corona regni Iſraël in poſteris Ephraim redimitus, quæ omnia in verbo Nazaræi indicantur.

17. QVAM PRIMOGENITI TAVRI PVLCHRITVDO EIVS. Primogenito eum comparat, quia primogenitura, regnum ſcilicet & duplex portio ad poſteros Ioſeph deuoluta eſt, vt indicatur 1. Paralip. 5. v. 1. & 2. tauro verò propter fortitudinem tribus Ephraim, itemque regnum quo cæteris tribubus vti taurus in armentis præcelluit, vtramque conſiderationem tangit hic Theodor. magis autem explicans fortitudinem iſtius tribus, CORNVA, inquit, RINOCEROTIS CORNVA ILLIVS, duo enim cornua rinoceros habere traditur, vnum aduncum in naribus, alterum exiguum paulò ſuperius, in quibus tota fortitudo eius ſita eſt, ita vt & elephantum laceret ac ſuperet, etſi corpore ſit multò minor. IN IPSIS ergò tribus Ephraim VENTILABIT, ſeu profligabit GENTES ſibi vicinas, à quibus inuadetur, VSQVE AD TERMINOS TERRÆ, nempe vel ſuæ, vel vicinæ Palæſtinæ, neque enim tribus illa imperium aliquod alicuius momenti extra terram promiſſam obtinuit. HÆ SVNT MVLTITVDINES EPHRAIM, quaſi diceret, hæc omnia implebuntur in poſteris Ephraim & Manaſſe, vbi iuxta paternam Iacob benedictionem prætulit Ephraim Manaſſi, inquit Theodoretus.

Myſticè per taurum eſſe figuratum Chriſtum, per cornua, cornua crucis, in quibus ventilauit gentes ſibi aduerſarias notat Aug. q. vlt. in Deut. & latiùs explicant Ambroſius lib. de benedict. Patriarcharum, & Tertullianus lib. contra Iudæos.

18. LÆTARE ZABVLON IN EXITV TVO ſiue ad bellum, vt vult Theodoretus, ſiue potiùs in mare per portus tuos. Tribus enim Zabulon pertingebat à mari Geneſareth, vſque ad mare mediterraneum.

ET ISSACHAR IN TABERNACVLIS SVIS, quia agriculturæ, & vt Hebræi tradunt, ſtudio diuinæ legis tribus illa intenta fuit, vnde addit:

19. POPVLOS VOCABVNT AD MONTEM, Sion ſcilicet vbi templum ædificatum fuit, vt ibi VICTIMAS IVSTITIÆ, id eſt, iuſtas & à Deo præſcriptas immolent.

QVI INVNDATIONEM, id eſt, affluentiam MARIS QVASI LAC SVGENT, id eſt, omnium diuitiarum, quæ ex mari per commercia & negotiationes colliguntur, participes erunt, quod maximè dicit propter tribum Zabulon: ſicut propter tribum Iſſachar id quod ſequitur; ET THESAVROS ABSCONDITOS ARENARVM, quia auro metallis & fructibus agriculturæ, quæ omnia ex *arena*, id eſt, ex terra eruuntur, plurimum ditandi erunt. Et hæc quidem ad litteram ſignificari indicant Theodoretus & Procopius. Sed quia præcipui Apoſtolorum ex tribu Zabulon & Iſſachar oriundi ſunt, & Chriſtus in eis tribubus multum docuit, videtur allegoricè Spiritus ſanctus in primis ſpectaſſe vocationem gentium, quæ per Apoſtolos facta eſt ex mari huius mundi ad verum montem Sion Eccleſiam Chriſti, quod latiùs proſequitur Rupertus.

20. BENEDICTVS IN LATITVDINE GAD, id eſt, benedictus latè, ſeu magnopere erit Gad, quod non tam propter terræ latitudinem ei aſſignatam videtur dictum, ſicut aliqui volunt, (neque enim latior fuit eius portio portione cæterarum tribuum) quam propter bellicam fortitudinem, QVASI LEO REQVIEVIT, in ſorte ſcil. ſua poſtquam inſtar leonis expugnaſſet Chananæam præcedens alias tribus, vt eſt Ioſue 4. v. 12. CEPITQVE BRACHIVM ET VERTICEM, animalis ſcil. quod venando prædatur, quo ſignificatur bellicoſus eius impetus in hoſtes & plena expugnatio ac direptio; vel *brachium & verticem* hoſtium, id eſt, omnes fortes eorum & principes.

21. ET VIDIT PRINCIPATVM SVVM, id eſt, & præſagiit, quòd princeps ſuus Moyſes legiſlator totius Iſraëlis in ſorte terræ ſuæ trãs Iordanem poſita ſepeliendus eſſet; quaſi indicans tribum Gad etiam hac de cauſa antè menſes aliquot poſtulaſſe, vt trans Iordanẽ in terra Seon, & Og ſibi portio hereditaria aſſignaretur, ſciebant enim ex decreto Dei Moyſem non poſſe tranſire Iordanem, ac proinde trãs Iordanem manſurum,

Per partem ergo ſuam intelligit generaliter partem trans Iordanem, non verò illam quę propriè fuit tribus Gad. Nam vallis contra Phogor, vbi Moyſes ſepultus fuit, potiùs ſpectabat ad tribum Ruben quàm Gad. QVI FVIT CVM PRINCIPIBVS POPVLI, quando tribus Gad cum cæteris principibus nouem tribuum tranſiuit Iordanem ad expugnandam Chananæam; qui in re FECIT IVSTITIAS DOMINI, implendo præceptum ſibi à Deo per Moyſem datum, vt cæteras tribus comitaretur, ET IVDICIVM SVVM CVM ISRAEL, id eſt, officium ad quod ex pacto Iſraël obſtringebatur, ſic enim iudicium ſæpiſſimè Hebraïca phraſi ſumitur pro eo quod vnicuique competit.

22. DAN CATVLVS LEONIS, propter fortitudinem totius tribus, quæ erat non ſolum numeroſiſſima, vt patet Num. 26. v. 43. ſed & bellicoſiſſima, ex qua Sampſon ortus eſt, ad quem hîc reſpici videtur, FLVET LARGITER DE BASAN, id eſt, diffundet ſe de Baſan in planitiem montibus ſubiectam. Per quod videtur Moyſes prophetare tranſlationem illius tribus ex meridie in ſeptentrionem, & eam eſſe multiplicandam in terra Baſan. Nam vna pars illius tribus migrauit è ſorte ſua in Lais, quam cum expugnaſſent vocauerunt Dan ex vocabulo patris ſui, vt narratur Iudicum 18. v. 27. & ſeqq. & illo loco incipit terra Baſan. Alii intelligunt de iſta tribu Dan ratione fluuii Iordanis, qui ex duobus riuulis Ior & Dan circa eam vrbem confluentibus Iordanes dicitur, & largius fluere incipit, ac irrigare regionem Baſanitidem.

23. NEPHTHALI ABVNDANTIA PERFRVETVR, propter fructuum affluentiam, nam Iordanes à ſeptemtrione in meridiem fluens totam illam tribum ſuis fluentis irrigat, & fœcundam reddit: ideoque PLENVS ERIT BENEDICTIONIBVS DOMINI, ſitum verò tribus indicat cum ait MARE ET MERIDIEM POSSIDEBIT, quaſi diceret, poſſidebit mare Geneſareth, tanquam terminum ſuum meridionalem. Nam lacus iſte claudit tribum Nephthali ad meridiem. Qui ergò per mare intelligunt mare mediterraneum vel etiam phraſi Scripturæ occidentem, non videntur ſenſum attingere; nullo enim reſpectu Nephthali attigit illud mare, vel occidentem poſſedit.

24. BENEDICTVS IN FILIIS ASER, id eſt, prę filiis, vt clarè legit Hebræus; ſic enim dicitur etiam Maria benedicta in mulieribus, id eſt, præ mulieribus, igitur propter illam Dei benedictionem SIT PLACENS FRATRIBVS SVIS, cæteris filiis Iſraël. Explicans autem in quo ſita ſit illa benedictio præ cæteris, TINGAT, inquit, IN OLEO PEDEM SVVM, quo ſignificat tantam in ſorte eius futuram oliuarum, & olei abundantiam, vt in eo pedes præ luxu lauare poſſit, quo ſenſu dicitur Iob 29. v. 6. lauiſſe pedes ſuos butyro, vnde & Gen. 49. dicitur pinguis panis Aſer.

25. FERRVM ÆTES CALCEAMENTVM EIVS, q. d. calcabis calceamentis ferrum & æs, quod propter abundantiam mineralium in terra Aſer dictum volunt, ſed quia eius rei nullum exſtat indicium (nam Sarepta vrbs non a fornacibus conflatoriis, vt quidam, ſed à ſylua quadam iuxta eam ſita nomen habere dicitur) verius dixerimus per hoc ſignificari, quòd Aſer calcabit pedibus, ſeu contemnet ferrum & æs, id eſt, vitam bellicam, vtpote quieti & agriculturæ deditus: & hoc reſpicit id quod addit: SICVT DIES IVVENTVTIS TVÆ, ITA ET SENECTVS TVA, id eſt, ſenectus erit tibi ita placida, fortis ac fœlix, ac ſi eſſes in iuuentute.

26. NON EST DEVS ALIVS, qui tibi abundantiã iſtam, & quietem largiatur, VT DEVS RECTISSIMI, Iſraëlis ſcilicet, qui propter veram fidem veramque religionem, & cultum veri Dei rectiſſimus vocatur. ASCENSOR CÆLI, Hebraïcè, qui inequitat cœlo, quia ſcilicet cælum inſtar equi magna facilitate mouet & regit, ille erit aduerſus hoſtes, AVXILIATOR TVVS, quo ſignificat auxilium eius fore celerrimum, in impedibile, potentiſſimum: cuius rei indicium eſt, quia MAGNIFICENTIA EIVS, ſeu per magnificam auxiliatoris iſtius potentiam & ſapientiam, DISCVRRVNT NVBES, & omnes cœli, nam & illi ſub Hebraïco nomine cõprehenduntur.

27. HABITACVLVM EIVS SVRSVM, in ipſis ſcilicet cœlis, qui per magnificentiam eius diſcurrunt, & ſupra cœlos in ſua ſublimiſſi-

ma æternitate, ET SVBTER, nempe ſub æternitate & cœlis BRACHIA SEMPITERNA, id eſt, aſſidua & indefatigabilis eius operatio viget: per cauſam enim ſignificat effectum, quaſi diceret, ſtabilis eius prouidentia & operatio mundum hunc inferiorem, quaſi brachiis quibuſdam indefatigabilibus complectur, agit, ac regit. Itaq; ſub tali præſidio,

28. HABITABIT ISRAEL CONFIDENTER, nullius hoſtis violentiam timens, ET SOLVS, nullis admixtus nationibus, quæ terram eius inundauerint.

OCVLVS IACOB, &c. id eſt, Iacobæi, ſeu Iſraelitæ videbunt, & conſequenter poſſidebunt terram frumento vinoque opulentiſſimam, CÆLIQVE CALIGABVNT RORE, quo ſignificat cauſam iſtius fœcunditatis, nempe tantam roris pluuiarumque abundantiam, vt cœli & aër obſcurentur: ſed Moyſes oculos Iſraëlis, ad primum totius benedictionis fontem retorquens.

29 BEATVS, inquit, ES ISRAEL, QVIS SALVARIS IN DOMINO, Domini ſcilicet virtute & beneuolentia. Nam ille eſt SCVTVM AVXILII TVI, id eſt, inſtar ſcuti auxilians tibi, nempe protegens te ab inimicis, ET GLADIVS GLORIÆ TVÆ, quo tibi ſcilicet paretur victoria, gloria, & imperium. Per ſcutum itaque defenſionem, per gladium verò inuaſionem & glorioſam hoſtium expugnationem à Deo proficiſci indicat.

NEGABVNT TE INIMICI TVI. Hebraïcè eſt, *mendaces fiant inimici tui* quo ſignificat, inimicos conatibus ſuis eſſe fruſtrandos, neque perfecturos ea quę ſibi promiſiſſe videbantur: eàdem phraſi dicitur Habacuc 3. v. 17. *Mentietur opus oliuæ*, id eſt deficiet: & ad hunc ſenſum aptè ſequitur, ET TV EORVM COLLA CALCABIS.

CAPVT XXXIV.

1. ASCENDIT ERGO MOYSES. Nempe eodem die quo canticum ſuum complesset, vt indicatur c. 32. v. 42.

SVPER MONTEM NEBO. Mons iſte variis nominibus appellatur, nunc Abarim, nunc Nebo, nunc Phaſga: ſed hæc videtur eſſe differentia, quòd Abarim ſit nomen plurium montiũ longo tractu procurrentium, quemadmodũ dicimus, Alpes, Piræneos. Cuius ſignum eſt quòd Num. 33. v. 47. & 48. vocantur in plurali montes Abarim, & diſtinguuntur contra Nebo ſeu Nabo, tamquam contra vnum montem pluribus colliculis diſtinctum in his montibus Abarim. Phaſga verò erat vnicus determinatus collis montis Nebo. Et hoc eſt quod hîc dicitur, IN VERTICE PHASGA, id eſt, aſcendit quidem in montem Nebo, ſed in illum eius verticem, qui dicitur Phaſga In hoc monte reconditum fuit à Ieremia tabernaculum, arca & altare incenſi, 2 Machab. 2. v. 4 & 5.

OSTENDITQVE EI DOMINVS OMNEM TERRAM GALAAD. Iſte terminus eſt ab oriente. Nam mons iſte omnium trans Iordanem altiſſimus per quinquaginta circiter milliaria ab Auſtro procurrit in Septemtrionem per duo regna Amorrhæorum & Baſan, ſed diuerſa ſortitur nomina; ab initio dicitur Galaad, deinde Seïr, prope Trachonitidem vocatur Hermon, deinde monti Libano iungitur, vnde in Ieremia Galaad dicitur principium ſeu caput Libani.

VSQVE DAN. Hîc eſt terminus Septemtrionalis terræ promiſſæ. Non enim intelligi videtur Dan tribus, quæ terram ſortita fuit ad occiduum mare, vltra tribum Iuda, ſed ciuitas Dan quæ poſtea Cæſarea Philippi dicta eſt, à Septemtrione terminat terram Iſraëlitarum. Nam loca iſti ciuitati adhærentia deſignans,

2. 3. ET VNIVERSAM, inquit, TERRAM NEPHTHALI Tribus enim illa, vnà cum tribu Aſer in extremo Septemtrione ſita fuit, vſq; ad montẽ Libanũ. TERRAMQVE EPHRAIM ET MANASSE. Hoc eſt centrum totius terræ ſanctæ. Nam quaſi in meditullio iſtæ duæ tribus erant collocatæ. ET OMNEM TERRAM IVDA, hic eſt limes à meridie: ſed quia terra iſtius tribus erat vaſtiſſima, hinc ſuis limitibus eam diſtinguit, qui ſunt MARE NOVISSIMVM, id eſt, mare mediterraneum, quod nouiſſimum dicitur quia vltra illud Iudæi numquam aliquid poſſederunt & quia eſt extremus terminus Palæſtinæ ab occidente, pro quo ſæpiſſimè idcirco in Scriptura ponitur. ET AVSTRALIS PARS, quia tribus Iuda tangit Idumæã, ET LATITVDO CAMPI IERI-

cuo, qui ſe ab oriente extendit iuxta Iordanem in tribu Benjamin, VSQVE SEGOR, quæ eſt prope mare mortuum in eadem tribu Iuda. Porrò nomina iſta per anticipationē impoſita ſunt, ſiue Moyſi iſtum reuelata fuerint, ſiue ab aliis totū illud caput adiectum.

5. MORTVVSQVE EST IBI MOYSES. Hoc loco apertiſſimè refellitur quorumdam dubitatio, imò opinio quòd Moyſes non ſit mortuus ſed inſtar Eliæ tranſlatus, vt apertè cenſuit Rabbi Moyſes, cuius verba citantur à Genebrardo; nam Patres aliqui Ambroſius, Hieronymus, Nyſſenus, magis videntur myſterium aliquod venari, quàm claram litteræ ſententiam exprimere. IVBENTE DOMINO, ſeu imperio Domini, inſinuando mortem obtigiſſe nulla præeunte infirmitate, ſed Dei voluntate, adeoque placidiſſimam quæ inſtar ſomni obreperet. Vnde infrà dicitur non calligaſſe oculus eius, nec dentes eſſe moti: ſignificatur enim firmæ fuiſſe valetudinis, & expers etiam incommodorum ſenectutis.

6. ET SEPELIVIT EVM, ſupple, Dominus, Angelorū ſcilicet miniſterio. Locum ignotum eſſe voluit, ne à Iudæis vir tantus diuinis honoribus afficeretur. Quæ cauſa fuit cur diabolus corpus illud propalari non occultari volens, altercatus dicatur à Iuda Apoſtolo, de Moyſi corpore. IN VALLE TERRÆ MOAB CONTRA PHOGOR, id eſt, fanum vel idolum Beelphegor, ergo ex monte Nebo in hanc vallem tranſlatus eſt. Cauſa videtur, vna, ne Ioſue & Eleazarus & Seniores, quos Ioſephus ſimul cum Moyſe veri ſimiliter aſcendiſſe montem tradit, ſepulchrum agnoſcerent: altera, vt quemadmodum viuus, ita & mortuus impio cultui iſtius idoli corporis ſui ſanctitate eſſet aduerſus: quam quidem aliqui volunt aliam fuiſſe cauſam illius altercationis diaboli nolentis illud corpus ibi quieſcere, cum Michaële Archangelo.

10. ET NON SVRREXIT VLTRA PROPHETA SICVT MOYSES. Quantum ad ea quæ hîc exprimuntur, ſcilicet quem noſſet Deus facie ad faciem, id eſt, qui cum ita familiariter verſaretur, item qui eſſet ſimilis Moyſi in patrandis ſignis atque portentis.

12. ET CVNCTAM MANVM ROBVSTAM; ſupple, vt faceret, id eſt, qui ſimilis eſſet Moyſi in manu robuſta ſeu in operibus validis & magnificis, & mirabilibus magnis quę fecit. Cum quo tamen benè conſiſtit vt alicui alteri Prophetæ Dauidi vel Iſaiæ maiora myſteria de lege noua fuerint reuelata.

Finitur hîc Pentateuchus in morte Moyſis; quæ contigit ſub finem anni quadrageſimi egreſſionis ex Ægypto, menſe non Septembri, vt Martyrologium quoddam referre videtur: nam menſe vndecimo iſtius anni quadrageſimi qui reſpondet circiter Ianuario noſtro adhuc viuebat Moyſes, & incepit explanare legem, Deut. 1. v. 3. ſed potius menſe vltim. Nam conſtat luctum de morte Moyſis duraſſe dies 30. vt eſt hîc v. 8. rurſum conſtat impenſum fuiſſe vnum vt minimum, vel plures dies ab exploratoribus, vt irent in Iericho, & hoſpitarentur in domo Rahab; deinde tres dies latuiſſe in montanis, Ioſue 2. tum tres alios dies apud Iordanem eſſe moratos, Ioſue 3. Qui omnes conficiunt 37. vel 38. dies, & ſi retrò computentur à decimo die menſis primi anni quadrageſimiprimi quo Iordanem tranſierunt, incidet mors Moyſis in ſecundum circiter vel tertium diem menſis vltimi.

Cùm autem per facile ſit vnum vel alterum diem qui hîc non expreſſus eſt interfluxiſſe, meritò vera videtur ſententia Ioſephi, qui tradit l. 4. Antiq. cap. vltim. Moyſen primo die menſis vltimi anni prædicti eſſe defunctum. Quod ſanè longè veriſimilius quàm id quod Chronicum Hebræorum & Rabbi Moyſes conſignant mortem eius die ſeptimo: vel quod Recentiores die quarto: vtrumque enim videtur impoſſibile iuxta computum quem iniuimus. Ex quo ſequitur mortem eius incidiſſe in annum mundi bis milleſimum quadringenteſimum nonageſimum tertium, vt facilè colligitur ex iis quæ diuerſis locis diximus. Nam à mundo condito vſque ad mortem Ioſeph fluxerunt anni 2309. iuxta dicta Geneſis vlt. A morte Ioſeph, vſque ad egreſſum ex Ægypto anni 144. de quo Exodi vlt. Ab egreſſu vſque ad mortem Moyſis anni 40. qui omnes ſimul ſumpti efficiunt annus 2493. ac tot annos complectitur hiſtoria Pentateuchi.

FINIS.

INDEX

INDEX

Eorum quæ hoc volumine continentur.

G. Geneſim ſignificat. E. Exodum. L. Leuiticum. N. Numeros. D. Deuteronomium. Prior numerus, Caput, Poſterior Verſum denotat.

A

AAron fuit primus Pontifex à Deo conſtitutus & à Moyſe conſecratus. N. 3. 2.
Filii Aaron conſecrati ſunt in ſimplices ſacerdotes. E. 29.
Aaronis filii Nadab & Abiu occiſi ſunt à Deo quod ignem alienum obtuliſſent. L. 10. 1.
Conſecratio Aaronis in Pontificem. E. 29. L. 8.
Quot diebus durauerit illa conſecratio. E. 29. 35.
Aaron ad miniſterium diuinum vocatus eſt à Deo. N. 3. 2.
In tribus conſiſtebat illa conſecratio. E. 29. 29.
Aaronis conſecratio norma fuit ſecundùm quam alii conſecrari debuerunt. ibid.
Aaron moritur. N. 20. 28.
Aaron vbi ſepultus? D. 10. 6.
Cur non intrauerit terram promiſſionis. N. 20. 28.
Abderitæ à ranis & muribus patriâ pulſi. E. 8. 7.
Abel naſcitur. G. 4. 1.
Abel & Cain gemellos fuiſſe fabulantur Rabbini. G. 4. 1.
Abel typus Chriſti, Cain Iudæorum. G. 4. 10.
Abel vbi occiſus? G. 4. 10.
Abraham naſcitur an. 27. Tharé. G. 11. 26.
Contrarium tenet Salianus & alij. G. 11. 4.
Poſterior eſt quàm Aran & Nachor. G. 11. 26.
Cur ex Chaldæa diſceſſerit? G. 11. 31.
Fabuloſum eſt quod ignem adorauerit. G. 11. 31.
Abrahæ obedientia. G. 12. 1.
Quot annorum fuerit cùm egrederetur ex Haran? G. 12. 4.
Comparatio ſeminis Abrahæ cum ſtellis & puluere. G. 1 . 5.
Abraham iuſtificatus per fidem. G. 15. 6.
Quâ iuſtitiâ iuſtificatus? ibid.
Explicatur ratio & modus talis iuſtificationis. ibid.
Computantur anni 400. afflictionis ſeminis Abrahæ. G. 15. 13. & ſeqq.
Abraham quomodo vſus Agar vxore. G. 16. 6.
Abram cur in Abraham mutatum. G. 17. 4.
Abraham dimiſit vxorem Agar, quomodo? G. 21. 14.
Abſtinentia ab immundis. D. 14. 1.
Abſtinentia à ſanguine & ſuffocato. L. 19. 26.
Abſtinentia à carnibus vnde orta. G 9. 4.
Vnde metienda ſit abſtinentia ciborum? G. 32. 32.
Abyſſus quid? G. 1. 2.
An à terra vſque ad cœlum empyreum primitus diffuſa? G. 1. 2.
Acerabula quid? E. 25 29.
Achates nomen gemmæ nigræ. E. 28. 19.
Adam ante Euam conditus G. 1. 27.
Error de creatione Adę ibid.
Adam cur dictus protoplaſtus. G. 2. 7.
Analogia primi & ſecundi Adam. ibid.
Adæ immortalitas in ſtatu innocentiæ qualis, & quomodo ab immortalitate Sanctorum poſt reſurrectionem differat? G 2. 9.
Comediſſe Adam de fructu vitę tenet Aug. ib.
Non fuit Adam in paradiſo formatus, ſed ad eum tranſlatus. G. 2. 15.
Præceptum abſtinendi à ligno vitę accipit & tranſgreditur. G. 2. 16 G. 3. 6.
Miſeriæ ex illa tranſgreſſione ſecutę. G. 2. 17.
Adæ ſapientia eluxit in impoſitione nominum animalibus. G. 2. 19.
Sopor ei immiſſus à Deo qualis. G. 2. 21.
Ex eius coſta fit Eua. G. 2. 21.
Nec ante coſtæ extractionem monſtroſus, nec poſt mutilus fuit. ibid.
Quomodo cum Eua caro vna? G 2. 24.
Refellitur error de eius ac Euæ cæcitate. G. 2. 25. G. 3. 7.
Confuſio eius & Euæ poſt lapſum vnde orta? G. 2. 25. G. 3. 10.
Citantur à Deo ad iudicium. G. 3. 9.
Culpam ſuam in Euam directè, indirectè in Deum retorquet G. 3. 12.
Quo ſenſu verum eſt Adam non fuiſſe ſeductum? G. 3. 13.
Grauiter punitur in pœna pręuaricationis. G. 3. 16.
Quandiu in paradiſo fuerit ante eiectionem. G. 3. 24.
Non niſi poſt eiectionem de paradiſo cognouit vxorem. G. 4. 1.
Adam poſteros ſuos inſtruit de futuro interitu mundi per aquam & ignem. G. 5. 5.
Adam non tam nomē perſonæ quàm naturę. G. 5. 1.
De numero filiorum & filiarum Adam Epiphanij coniectura refellitur. G. 5. 4.
Adam è delicto ſuo reſipiſcens finaliter ſaluatus. G. 5. 5.
Adorare pro honorare. G 39. 3.
Aduerſa fortiter ſubeunda. E. 4. 14.
Adulatores locuſtis ſimiles. E. 10. 15.
Adulterij explorādi modus in antiqua legē. E. 28. 19.
Ædificare domum apud Hebręos quid? E. 1. 21.

CCc

Arioli quinam? L. 19. 32.
Ariſtotelis error de mundi æternitate. G. 1. 1.
Armenia quid? G. 8. 4.
Armenij vnde orti? G. 10. 23.
Arula quid? E. 27. 8.
Aſer typus Chriſti G. 49. 19.
Aſina Balaam loquitur. N. 22. 28.
Ridicula ſententia Rabbi Salomonis de aſinò qui tulit Chriſtum in Ieruſalem. E. 4. 20.
Aſſumere nomen Domini in vanum quid? E. 20. 7.
Aſſur quid? G. 10. 11.
Aſſyriorum imperium. G. 10. 11.
Aſſyrii toti penè Aſiæ imperarunt. G. 14. 1.
Aſtarthe, vel Aſtaroth, Dea Syriæ & Paleſtinæ. G. 14. 5.
Hæc videtur eadem cum Iunone. ibid.
Aſtrologia iudiciaria improbatur G. 1. 14.
Aſylum pro quibus inſtitutum? E. 21. 13.
Athlas aſtrologus Promethei frater. Præfat. in Pentateuch.
Atrium tabernaculi quale? E. 27. 9.
Allegorica Atrii expoſitio. ibid.
Attributa diuina, vide Ignis.
Attributa diuina omnia in verbo (eſt) includuntur. E. 3. 14.
Aues ex qua materia productæ. G. 1. 20.
Aues in quaque ſpecie binæ productæ. G. 1. 20.
Auium immundarũ tropologia expoſitio, L. 11. 19.
Augurium prohibetur L. 19. 26.
Augurari pro experiri & explorare G. 44. 5.
Auiditas nimia cibi & potus. G. 25. 32.

B

BAbylon à quo condita. G. 10. 10.
Babylon cur extructa. G. 10. 4.
Eius altitudo. ibid.
Babyloniæ & Aſſyriæ Rex idem. G. 4. 1.
Balenarum creatio. G. 24. 50.
Rabbinorũ de duabus Balenis figmentũ. G. 1. 21.
Baſilides hæreticus; eiuſdem error de mundo condito. G 1. 1.
Baptiſmus, vide exitus.
Balaam famoſus diuinator. N. 22. 5.
Multa de Iacob & futuris temporibus vaticinatur. N. 24.
Bdellium nomen arboris. G. 2. 12.
Beelphegor Deus turpitudinis. N. 25. 3.
Bellum quomodo inferendum? Deu. 20. 10.
Belus qui fuerit? G. 10. 10.
Belus primus author idololatriæ. ibid.
Benedictio Iacob alterius rei typus. G. 27. 29.
Benedictio fuit actio ſacerdotalis. G. 14. 19.
Benjamin vbi natus? G. 35. 29.
Benjamin in figura S. Pauli. G 43 in fine. Itẽ 44. 21.
Benignitas quanta hominem deceat L. 22. 27.
Berſabée idem ac Puteus iuramenti. G. 21. 31.
Berſabée vrbs eſt in termino Paleſtinæ. ibid.
Beſtiæ à die ſexto creata. G. 1. 24.
An etiam venenatæ. ibid.
Beſtiæ venenatæ nil nocuiſſent in ſtatu innocentię. ibid.
Bethel vrbs. G. 28. 19.
Ea non eſt Ieroſolyma. ibid.
Bethleem & Ephrata nomina ſunt eiuſdem loci. G. 35. 19.
Boſar nomen ſolitudinis. D. 4. 34.
Bruchus genus locuſtæ. L. 11. 22.
Byſſus quod olim fuerit? G. 41. 42 E. 25. 4.
Byſſus retorta quid? E. 26. 1.
Byſſi à ſericó, goſſipo, &c. diſtinctio ibidem.

C

CAdes vrbs Arabiæ Petreæ. G. 14. 7.
Cades fuit duplex. N. 13. 27. N. 20. 1.
Cadmus Græcarum litterarum inuentor. Præfat. in Pent. n. 4.
Moyſe quot annis poſterior. ibid.
Cain naſcitur. G. 4. 1.
Cain & Abel gemellos fuiſſe fabulantur Rabbini. ibidem.
Cain typus Iudæorum. G. 4. 7.
Quodnam ſignum à Deo ei impreſſum, ne interficeretur. G. 4. 15.
Cain & Lot duarum ciuitatum genealogiam inchoant. G. 6. 1.
Caliga genus calcei. G. 14. 23.
Caluinus perperam infert omnes actiones humanas eſſe peccata G. 8. 21.
Fruſtra tyrannidem ait eſſe, inhibere vſum carnium. G. 9. 3.
Malè accuſat Abraham adulterii. G. 16. 2.
Calumniatur Ioſeph à Deo receſſiſſe. G. 41. 51. G. 44. 5.
Malè impingit eidem culpam mendacij. G. 43. 9.
Delirat dum ait mala fieri Dei conſilio & voluntate. G. 45. 8. G. 50. 21.
Malè aſſerit Apoſtolorum deceptũ eſſe. G. 47. 31.
Calumniatur Moyſen natum eſſe ex inceſtuoſo coniugio. E. 4. 1.
Bonum opus Moyſis, in malum malè vertit. E. 5. 22.
Ait imagines Dei & ſanctorum eſſe illicitas, E. 20. 6.
Caluitium interdicitur. D. 4. 10.
Caluitium quid? ibidem.
Calumniæ fortiter tolerandæ. G. 39. 19.
Caper emiſſarius. L. 16.
Fabulæ multorum de eodem. ibid.
Cappadocum ortus. G. 10. 13.
Carbunculus gemmæ nomen. E. 28. 2.
Carectum quid? E. 2. 3.
Carmeli montis vbertas. G. 49. 41.
Caro pro carnali homine vſurpata. G. 6. 3.
Carnes an fuerint ante diluuium prohibitæ. G. 9. 4.
Cur Noë non potuerit veſci carnibus cum ſanguine. ibid.
Cur Deus dederit facultatem veſcendi carnibus. G. 9. 3.
Caſtra Iſraëlitarum præſignant Eccleſiam. N. 5. 1.
Caſtrorum Iſraëlitarum ſitus. N. 2. 3.
Caſtrametatio quid? N. 33. 1.
Caſtitas quomodo ſeruanda. G. 39. 7.

Caſtus L. 1'. 18.
Cauponæ fornicariæ in biuiis olim extruebantur. G. 38. 14.
Ceneteth, hodie Tyberias nomen vrbis N 34 11.
Ceraſtes genus ſerpentis vaferrimi G. 49 16.
Cetura vxor Abraham non fuit Agar vt putarunt Hebræi. G. 25. 1.
Chaldæorum origo. G. 11. 22.
Chanı inuentor magiæ. E. 7. 11.
Cham cur minor dictus. G. 9. 22.
Chamos Idolum Moabitarum. N. 21. 29.
Chanaam dupliciter accipitur. G. 13. 12.
Chananæi vnde dicti. G. 9. 18.
Chananæi quales & vnde. G. 10. 6.
Charadrius nomen auis. L. 11. 19.
Cherubin in antiquo teſtamento quales fuerint. E. 25 18.
Cherubim in cuſtodiam paradiſi deputatus G. 3. 24.
Chœrogryllus genus animalis. L. 11. 5.
Christus cur virga vocetur? N. 24 17.
Chriſti aduentus duplex. G. 49. 10. L. 16. 8.
Chriſtus incarnatus. E. 4. 3.
Chriſti caro. D. 21. 9.
Chriſtus natus ex virgine, vide Ignis.
Chriſtus ſemen Abrahæ. G. 12. 3.
Chriſtus gentiles ad fidem adducens. G. 49. 11.
Chriſtus docens. Vide Nephibali.
Chriſtus Nazaræus. Vide Ioſeph.
Chriſtus & Barabbas. L. 16. 8.
Chriſtus Eccleſię ſponſus. G. 24. in fine. N. 12. 10.
Chriſtus ſaluator mundi. Vide Ioſue.
Chriſtus ſummus Pontifex. L 21. 13 N. 17. 8.
Chriſtus in Euchariſtia. Vide Aſer.
Chriſtus patiens. Vide Aries.
Chriſtus patiens extra hortos Ieruſalem. L. 4. 11.
Chriſtus in cruce pendens. N. 13. 23. D. 23. 27.
Chriſtus reſurgens. L. 2 14.
Chriſtus glorioſus. L. 16. 13.
Chriſtus per totam vitam ſuam figuratus. Vide Ioſeph, Iuda, Agnus Paſchalis, Moyſes.
Chus quid? G. 10. 7.
Cilicium olim vnde confectum. G. 37. 34.
Circumciſio non eſt in deſerto obſeruata. N. 5. 3.
Circumciſio quo inſtrumento facta. E. 4. 24.
Quinam circumciderentur olim. G. 17 10.
Circũciſio cur in membro pudendo facta. ibid. v. 11.
Circumciſionis lex. ibid.
Circumciſionis ſignificatio. ibid.
Non licebat ante 8. diem circumcidere. ibid. v. 12.
Circumciſio etiam ſeruos ligauit, & quos, ibidem.
Collatio circumciſionis cum baptiſmo. ibid. v. 14.
Non ſolis adultis dictum eſt *maſculus cuius*, &c. ibidem.
Arabes Circumcidunt ſe 13. anno ætatis. G. 17. 19.
Clamor in ſcriptura impudentiam ſignificat. G. 18.
Clamor Sanctorum ad Deum. E. 14. 15.
Coccus quid? E. 25. 2.
Cœlum à Deo in rerum exordio conditum. G. 1. 1.
Cœlum Empyreum à veteribus Patribus agnitum. ibidem.
Cur vocetur cœlum cœli, & cœli cœlorum. ibidem.
Cœlum ſyderum an ex aquis factum. G. 1. 6.
An ſit eiuſdem naturæ cum ſtellis. G 1. 14.
An quinta eſſentia ab elementis diuerſa. G. 1. 7.
Cœlum triplex, ſyderum, aëreum & empyreum. G. 1. 13.
Cœlorum ornatus ſydera, aëris & aquæ, aues & piſces, terræ animalia & plantæ ibid.
Coluber conuerſus è virga verus fuit. E. 4. 3.
Columna ignis præcedens Iſraëlitas, qualis. E. 13. 21.
Commodatum & conductum quomodo reſtituendum? E. 22. 15.
Concilium 71. virorum. N 11. 17.
Concupiſcentia rei alienæ quid? E. 20. 16.
Error Iudæorum de concupiſcentia vxoris alienæ. ibidem.
Quarumnam rerum ſit illicita concupiſcentia? ibidem.
Concupiſcentia refrænanda. E. 29. 15.
Confeſſio in lege antiqua neceſſaria ad culpæ remiſſionem, quænam. L. 5. 6.
Conſcientia mala ſemper inquieta. G. 42. 22.
Conſcientia bona. L. 2. 9.
Conſiliarij Regum olim Patres Regum appellabantur. G. 41. 43.
modus Conciliandi Principes. G. 41. 9.
Contentioſus vide Rixoſus.
Conuiuia in Exequiis minimè facienda. G. 26. 14.
Cor hominis eſt tabernaculum Dei. E. 25. 11.
Core, Dathan & Abiron ad infernum deuoluuntur. N. 16. 33.
Cornua Moyſis quid? E. 34. 29.
Correptio fraterna. L. 19. 17.
Coturnices volant aquilone flante. N. 11. 31.
Corus menſura Iſraëlitarum. N. 11. 32.
Crabrones vnde naſcuntur. E. 23. 28.
Craticula quid? E. 26. 4.
Creaturas rectè colimus. E. 3. 5.
Crimen de quò Ioſeph fratres ſuos accuſauit quale? G. 37. 2.
Crocodilus Deus Ægyptiorum E. 7. 18.
Cruſtula genus placentæ. E. 29. 2.
Crux Chriſti, vide Lignum.
Per Crucem vincimus diaboli tentationes. E. 17. 11.
Cubitus quid? E. 25. 10.
Cultus imaginum vnde introductus in Eccleſiam. G. 47. 31. E. 20. 3.
Cura Dei in homines. G. 28. 12.
Curioſitas rerum alienarum. G. 34. 1.
Cyprij vnde dicti? G. 10. 4.

D

DÆmon bonos perſequitur. E. 3. 16.
Dæmones cur piloſi dicantur? L. 17. 7.
Damaſcus conditor vrbis Damaſcenæ. G. 15. 2.
Dan oppidum Phœniciæ. G. 14. 15.
Dan idem ac iudicium. G. 30. 6.
Dan typus Antichriſti. G. 49. 16.
Debora quando mortua. G. 35. 8.
Decalogus quid? E. 20. 1.

Quot & quænam præcepta Decalogi Deum concernant, quot proximum ibid.
Decalogi expoſitio. E. 20. 1. & ſeqq.
an initium Decalogi ſit præceptum, & quale? ibid.
Decimæ Iudæorum. L. 27. 32. D. 14. 22. & 28.
Quandonam & quibus ex rebus darērur. D. 26. 12.
Decimæ ex optimis dandæ. N. 18. 28.
Depoſitum amiſſum an reſtituendum fuerit. E. 22. 12.
Deſideria carnalia abiicienda. E. 23. 18.
Deus trinus & vnus. D. 64.
Deus quomodo hominum recordetur. E. 2. 25.
Deus immutabilis eſt. E. 3. 14.
Deus æternus. ibid.
Digitus Dei, vel brachium Dei quid ſignificet? E. 8. 19.
Deus mundi Conditor, iſque ſolus, Præfat. in Pentat. n. 1.
Dictio *Deus* quid? G. 1. 3.
Dictio *Deus* Trinitati communis, Patri tamen appropriata. ibid.
Dei velle & facere eſt voluntas, poteſtas. ibid.
Dei dictum, factum, placitum, an & qualiter differant. ibid.
Quomodo dicatur Deus deſcendere, cum ſit immobilis. G. 11. 5.
Quot modis loquatur Deus hominibus. N. 12. 6. & 7.
Genitiuo *Dei* vtuntur Iudæi ad rem exaggerandam. G. 33. 10.
Dei dona à Deo homini, non homini ab homine ſunt. G. 41. 16.
Deus in rebus veris nunquam falſis apparet. E. 3. 2.
Cur in Scriptura Deus dicitur Deus Abraham, Iſaac, &c. E. 3. 6.
Duobus olim in locis Deus loquebatur. E. 29. 42.
Deus quandoque iratus exaudit. N. 11. 33.
in Deum cuncta referenda. D. 6. 7.
Deuteronomium quo menſe promulgatum. D 1. 7.
Dextera ſignum eſt fœlicitatis. G. 35. 18.
Dies pro anno ſumitur. G. 40. 4.
Dies ablactationis quis? G. 21. 16.
cur hoc Die potius facerent Hebræi conuiuium quàm dies natiuitatis prolis? ibid.
quinam Dies tubarum. N. 29. 1.
Dies artificialis & naturalis. G. 1. 5.
Dies artificialis an nocte anterior, an poſterior. ib.
Dies primus mundi dominicus. ibid.
Quænam in eo die fuerint creata. ibid.
Diei 2. opus. G. 1. 6.
Diei 3. opus. v. 9.
Diei 4. opus. v. 14. Quinti. v. 20. Sexti. 24.
Dies primos creationis mundi Auguſtinus Angelicas cognitiones intellexit. G. 1. 31.
Dies pro tempore diuturniore ſubinde vſurpatur. G. 1 3.
Dies ſeptimanæ cur Lunæ, Martis, &c. appellati. D. 12. 3.
Dies Azymorum quinam? E. 12. 5. L. 23. 9. D. 16, 3.
Hi non ſunt ab Hebræis Ægypto egredientibus ſolemniter obſeruati. E. 12. 14.
Quo die illi inciperent, in quem deſinerent. E. 12. 15. L. 23. 6. & ſeqq.
Quænam his diebus obſeruarentur. ibid.
Quibuſnam ex his licitum fuit operari. ibid. v. 16.
Diligere Deum ex toto corde, &c. quid? D. 6. 4.
Diluuium quoto anno mundi factum. G. 7. 11.
Qua tempeſtate anni inchoatum? ibid.
Quandiu durauerit? G. 8. 14.
Dipſas nomen ſerpentis. D. 8. 15.
Diſcumbere menſæ non ſemper modus fuit. G. 43. 33
Diuinatio quid? L. 19. 26.
Diuinatio eſt illicita. ibid.
Dodonæi vnde? G. 10. 4.
Dolus duplex eſt. G. 27. 35.
Domata quid? D. 22. 8.
Drachma quantum olim valuerit. G. 20. 16.

E

Ebrietatem pro ſatietate vſurpant Hebræi. G. 43. in fine.
Eccleſia vide Rachel. Item vide Tabernac.
Eccleſiæ perfecta membra, vide Tabernac. imperfecta, vide Atrium.
de Eccleſia, vide iterum. N. 2. 17.
Eccleſiaſtici quales debeant eſſe. N. 8. 7.
Edom quandoque Eſaü, quandoque montem Seir ſignificat. G. 36. 8.
Elamitæ iidem ac Perſæ. N. 24. 1.
Eleazar in ſacerdotem conſecratur. N. 20. 28.
Eleemoſyna. L. 12 in fine.
Eleemoſynæ præceptum. E. 23. 15.
Eleuatio manus ſignum fuit iuramenti. N. 14. 30.
Elizabeth quomodo cognata B. Virginis. N. vlt. in fine.
Emath nomen vrbis celebris. N. 13. 22.
Emath fuit duplex. N. 34. 8.
Enac pater Gigantum. D. 2. 10.
Enallage generis apud Hebræos frequens E. 1. 22.
Enos naſcitur de Seth G 4. 26.
Quo ſenſu per eum cœpit inuocari nomen Domini. G. 4. 26.
An eius poſteri Aſtrologiæ periti binas columnas erexerint quibus artem illam inſculpſerunt, ne aquis diluuij periret. ibid.
Eoles vnde dicti? G. 10. 1.
Ephod quid? E. 28. 6.
Quotuplex. ibid.
Ephrata, vide Bethleem.
Epicuri error de mundo ex fortuito atomorum concurſu. G. 1. 1.
Eſaü typus reproborum. G. 25. 23.
Eſaü cur ſit dictus. ibid.
Eſaü & Iacob naſcuntur. G. 27. 1.
Eſaü vendidit ius primogenituræ Iacob. G. 25. 31.
Excidit paternâ benedictione. G. 27. 27.
Vocula (&) exegeticè ſumitur. G. 13. 17. E. 17. 16. E. 24. 3.
Eua Adamo facta in adiutorium. G. 1. 17.

Cur non formata, ſed ædificata dicatur ex coſta. G. 2. 22.
Eius cum ſerpente colloquium. G. 3. 1.
Primum eius peccatum ſuperbia. G. 3 3.
Non ſenſit rebellionem carnis, niſi poſt peccatum Adæ. G. . 6.
Eua typus Mariæ. G. 3. 2.
A ſerpente decepta. G. 3. 13.
A Deo in pœnam præuaricationis grauiter afflicta. G. 3. 16.
Quandiu in paradiſo fuerit ante ejectionem. G. 3. 24.
Euangelium nemo erubeſcere debet. D. 25. 7.
Euangelij prædicatio, vide, Benedictio.
Euchariſtia rectè vocatur panis. E. 7. 12.
Puritas cordis in ſumenda Euchariſtia. E. 3. 5.
Euchariſtiæ cum manna pulchra comparatio. E. 16. 35.
Euchariſtiæ formam malè interpretantur hęretici. E. 12. 11.
de Euchariſtia vide. L. 2. 9. L. 24. 9.
Eugubini paradoxum de creatione piſcium. G. 1. 21.
Eunuchi non erant ex populo. D 23. 1.
Eunuchorum officium quale olim fuerit. G. 37. 36.
Eunuchi tribus non omnibus modis fiebant. D. 23. 1.
Euphrates fluuius. N. 22. 5.
Excæcatio N. 24. 3
Exercitus Pharaonis perſequens Iſraëlitas qualis? E. 14. 6.
Exercitus Pharaonis abſorbetur à mari. E. 14. 25.
Exitus filiorum Iſraël ex Ægypto liberationem generis humani ſignificat. E. 14. 25.
Exodus quot annorum hiſtoriam complectatur. E. 40. in fine.

F

FAbulæ gentilium ex doctrina Moyſis adulterata. Præfat. in Pentat.
Familia, domus, generatio, quomodo differant. N. 1. 20.
Explicatur vis vocis familia ibid.
Far quodnam frumenti genus. E. 9. 32.
Far pro frugibus citò matureſcētibus vſurpatur. ib.
Fertilitas terræ ſanctæ non fuit purè naturalis. L. 25. 20.
Feſtum Tabernaculorum id quod anni tempus inciderei. E. 12. 2. E 34. 22 L. 23. 34.
Feſtum primitiuorum. E. 23. 16. E. 34. 22.
Feſtum expiationis. L. 16. 1. L. 23. 27.
Cur inſtitutum. ibid.
De ſeptem feſtis Iudęorum. L. 23. 2. & ſeqq.
Sabbatum. ibid.
Feſtum Azymorum. ibid. v. 6.
Feſtum Pentecoſtes. ibid. v. 15.
Feſtum Tubarum. ibid. v. 24.
Feſtum Collectæ. L. 23 36.
Feſtum Neomeniæ. L. 2 . 37.
Cur inſtitutum. N. 28. 11.
Feſtum ſortium, encæniorum, recepti. L. 23. 37.
An aliqua feſta fuerint in deſerto obſeruata N. 9. 2.
Fides opera præcedere debet. E. 13. 9.
vox *Filius* ſicut etiam vox *frater* in Scriptura generaliter pro cognato accipitur. G 29. 5.
Firmamentum quo die conditum. G. 1. 6.
An ex aquis efformatum. ibid.
Omnes orbes cæleſtes comprehendit. ibid.
An ſit cælum aëreum, an æthereum ibid.
Cur appellatum fuerit cælum. G. 1. 8.
De quatuor *fluminibus* Paradiſi terreſtris. G. 2. 10
Quatuor illi fluuij quatuor Euangelia ſignificant. ibid. v. 11.
Fœderis Dei cum Abraham, myſtica expoſitio. G. 15. 9.
Modus firmandi fœdera. ibid. v. 10.
Fœminæ in Ægypto fœcundiores quā alibi. E. 1. 7.
Fœminarum fœcunditas poſt diluuium. E. 1. 7.
Fœminæ regiminis incapaces. E. 18. 21.
Fons aſcendens de terra in primo rerum conditu qualis. G. 2. 6.
Fornicatio nunquam fuit licita. G. 38 16.
Ad quod olim fuerint obligati fornicatores. E. 22. 17.
Qua pœna & quando mulctaretur fornicatio ſimplex. L. 21. 9.
Fulgur quid ſit? E. 9 23.
Fumus Sinaï montis cur excitatus cum daretur Lex Moyſi. E. 19. 13.
Furtum quid? E. 20. 16.
An licuerit occidere furem nocturnum. E. 22. 2.
An res ſuas liceat furi eripere, & quomodo? ibid.
A furore populi magnopere cauendum. E. 23. 2.

G

GAd typus Chriſti triumphantis. G, 49. 19.
Galatæ ex Gomer orti. G. 10. 2.
Galbanum quid? E 30. 34.
Galilæi cur gentes dicti? G. 14. 1.
Garizim nomen eſt montis. D. 11. 30.
de Gange variæ opiniones. G. 2. 10.
Ganges Indiæ fluuius. ibid.
Gehon fluuius è paradiſi fonte ortus. G. 2 13.
Dubitantur an ille ſit idem ac Nilus. ibid.
Geneſis primus Pentateuchi liber. G. 1. 1.
In eius expoſitione duo extrema vitanda. ibid.
Eius obſcuritas. ibid.
Gentes vnde ortæ. G. 10. 1.
conuerſio Gentilium, vide Iacob.
Gentiles & Iudæi repræſentantur per Zaram & Phares. G. 38. in fine. G. 48 14.
Genu excipere pro diligere vſurpatur. G. 30. 3.
Geſſen ſita eſt in inferiori Ægypto. G. 45. 10.
Gigantes humanæ naturæ monſtra quando cœperunt G. 6. 4.
Cur non niſi inter infideles prognati? ibid.
Eorum deformitas & tyrannis. ibid.
Eorum ſtatura, robur, peritia, ſuperbia. ibid.
Vbinam habitauerint. G. 14. 5.
A quo fuerint propagati. D. 2. 10.
Gladius cur ore deuorare dicatur. E. 17. 13.
Gomor menſura Hebræorum. E. 16. 14.
Gradus incipientium, proficientium, & perfectorum. E. 20. 21.

Græci à quo primum litteras didicerint. Præfat. in Pentat.
Græcorum ſapientes Moyſe poſteriores. ibid.
Græcorum & Germanorum origo. G. 10. 3.
Gratiæ pro omni re & beneficio Deo agendæ. E. 16. 21.
Gryps genus animalis. L. 11. 13.

H

Hœdus in lacte materno coqui non poterat. E. 23. 19.
Hæreſis, vide Lepra.
Hæretici non ſunt heredes vitæ æternæ. G. 25. 6.
Hæretici refelluntur putantes omnia loca æqualiter eſſe ſacra vel profana. G. 28. 17.
Errant aſſerentes votum non fieri de rebus non præceptis. ibid.
Hæretici immunda ſunt animalia. L 11. 3.
Haran vrbs Meſopotamiæ. G. 11. 31.
Haſtile quid? E. 25. 30.
Hebræi vnde nati? G. 9. 27.
Hebræorum perſecutio in Ægypto ſub quo & quando inceperit. E. 1. 9.
Hebræorum perſecutio durauit 100. annis. ibid.
Huius perſecutionis cauſæ. ibid.
Hebræi Ægyptios ſine iniuſtitia ſpoliarunt. E. 3. 22. E. 12. 36.
Hebræorum egreſſus ex Ægypto, vide Iſraëlitæ.
Hebron nomen vrbis. N. 13. 23.
Heliopolis ciuitas Ægypti. G. 41. 45.
Henoch viuus in paradiſum tranſlatus. G. 5. 24.
Henoch & Elias adhuc viuunt in ſuis corporibus. ibidem.
Henoch Gentibus, Elias Iudæis prædicaturus adueniet. ibid.
Herbarum productio ſecundo die mundi in ſtatu perfecto. G. 1. 11.
Hereditatem apud Iudæos quinam adirent. G. 27. 3
Hermiani hæreticorumque de mundi origine error. G. 1. 1.
Heuila duplex fuit. G. 25. 18.
Hin genus menſuræ Hebræorum. N. 15. 4.
Hobab malè putatur ſocer Moyſis. N. 10. 29.
Holocauſti deſcriptio. L. 1. 1. & ſeqq. L. 6. 9.
Materia holocauſti. ibid.
initeius. ibid.
Holocauſti genus duplex L. 1. 14.
Homerus Poëta vetuſtiſſimus Moyſe poſterior. Præfat. in Pentat.
Homicidij lex cæremonialis. D. 21. 1.
Homicidij lex moralis. E. 20. 13.
Homicidij leges iudiciales. L. 24. 17. N. 35. 31. L. 24. 19. E. 21. 20. & 22. Item 26. D. 25. 2 E. 21. 12. & 18.
Homo à Deo conditus & tanquam paterfamilias in domum, introducitur in mundum. G. 1. 26.
Eius dignitas adumbratur. ibid.
An imagine Angelorum an Dei conditus? ibid.
Quid ſit illa imago? ibid.
Homo non tam imago Dei quàm ad imaginē Dei conditus dicitur; quomodo differant illa duo. ib.
Imago Dei homini impreſſa in quo ſita. ibid.
An homini naturalis an gratuita. ibid.
Poteſtas hominis in beſtias per peccatum imminuta. ibid.
Hominum immundorum & peccatorum variæ ſpecies deſcribuntur. L. 11. 5. & ſeqq.
Hominis vita nequaquam ad 120. annos à Deo diluuium comminante coarctata eſt. G 6. 3.
Cur homini tam exigua corporis moles à Deo conceſſa. G. 6. 4.
Hor nomen montis. N. 34. 7.
Hordeum pro frugibus ſerotinis ponitur. E. 9. 31.
Horeb nomen montis in quo data eſt lex Moyſi. E. 2. 1.
Horeb & Sinaï nomina ſunt eiuſdem rei. ibidem.
Horeb adhuc hodie fundit aquam excuſſam per virgam Moyſis. E. 17. 6.
Hoſtia cur in ſacrificiis eleuaretur. E. 29. 24.
Hoſtiarum varia genera. L. 1. 1.
Hoſtiæ pars vna Deo, altera ſacerdoti cedebat. E. 29. 34. & 27.
Hoſtiæ pro peccato genus quadruplex. L. 4. 2. & ſeqq.
Hoſtia pro peccato à quo abſumi debuerit. ibid.
Differentia inter hoſtiam pro peccato & pro delicto.
Pro quibuſnam peccatis hoſtia offerretur. L. 5. 1. & ſeqq.
Hyacinthus tria ſignificat. E. 25. 2.

I

Iacob typus electorum. G. 25. 23. G. 27. 16. 19. & ſeqq.
Iacob id eſt ſupplantator ſeu plantam tenens. G. 25. 25.
Iacob à mendacio excuſatur. G. 27. 19. G. 33. 14.
Iacob figura Gentilium ad fidem venientium. G. 27. 19.
Iacob cur Iſraël appellatus. G. 32. 28.
Iacob luctans cum Angelo typus Iudæorū. G 32. 32
Iacob ingreditur Ægyptum cum 70. animabus quomodo verum? G. 46. 26.
Soluuntur tres ea de re difficultates. ibid.
Cur Iacob noluerit in Ægypto ſepeliri. G. 47. 26
Iapheth quis. G. 9. 1.
Interpretatio vocis *Idolum*. E. 20. 6.
Errores hæreticorum de ea. ibid.
in *Idumæa* primùm Reges, deinde Duces regnarunt. G. 36. 40.
Ieiunium quid? D. 14. 1.
quatuor Ieiunia à Iudæis ſeruabantur. E. 5. 19.
Ieiunium quarti menſis E. 32. 19.
Ieiunium quinti menſis. N. 14. 33.
Cur inſtitutum? ibid.
Ieſcha idem quod Sarai vxor Abrahæ. G. 11. 28.
Ignis conflagrationis. D. 32. 22.
Ignis deuorans victimas olim qualis, & vnde. L. 9. in fine.
diſtinctio Ignis ſacri à nō ſacro in ſacrificiis. L. 10. 1
Ignis in rubo afflictiones Hebræorum ſignificat. E. 3. 2.

Allegoricè B. M. V. illæſam virginitatem.
Ignis attributa diuina multa ſignificat. E. 19. 13.
vis *Imaginatiua*. G. 30. 37.
Imago & ſimilitudo an & qualiter differát G. 1. 26.
Imago Dei ad quam conditus homo, quænam. ibid.
Catholicorum Imagines non ſunt idola. G. 31. 19.
Vſus Imaginum minimè illicitus. E. 20. 6.
Imago pro prototypo ſumitur. E. 17. 15.
Imagines quænam in veteri teſtamento vetitę fuerint. E. 20. 6.
Immundi in antiquo teſtamento erant duplices, alii in ſe, alij ex contactu rei immundæ. L. 12. 2. L. 13. 14. L. 15. 2. L. 15. 19.
Immundi ex contactu rei immundæ. L. 11. 45. L. 11. 24. L. 11. 39. N. 1. 11 & 14. N. 19. 21.
Immundi in ſe primo erant puerperæ. L. 12. 2.
Leproſi. L. 15. 14.
Seminiflui. L. 15. 21.
Polluti ex coitu. L. 15. 16.
Menſtruatæ. L. 15. 19
Hemorroïſſæ. L. 15. 25.
Quomodo purgari debuerint puerperæ. L. 12. 2. & ſeqq.
Quomodo Leproſi. L. 13. 14. & ſeqq.
Quomodo Seminiflui. L. 15 16.
Quomodo menſtruatæ. ibid. v. 19.
Quomod Hemorrhoïſſæ. ibid. v. 9.
Immundus ex contactu rei immundæ lauare debebat veſtimenta ſua. L. 15.
Immundi ex tactu mortui vel morticini vel ſepulchri manebant immundi 7. diebus N. 19. 11.
Aliqui immundi quandiu tales debuerunt extra caſtra habitare. N. 5. 2. N. 23. 10.
Aliqui ſolùm debebant egredi caſtra, quando ibant ad requiſita naturæ. D. 23. 12.
Immunditia quænam eſſet peccatum. L. 11. per totum. L. 22. 8. L. 14. 43.
Quænam immunditia non eſſet peccatum. L. 15.
Qualis eſſet aqua qua immundi aſpergebantur. N. 19. 2.
Impoſitio manus ſupra victimam tria ſignificabat. E. 29. 9.
In apud Hebræos ſæpè pro *de* ponitur. E. 37. 8.
Incarnatio vide Scala.
Incenſum dupliciter ſumitur. N. 28. 2.
Incenſum quid? ibid.
Filiæ Lot Inceſtum cum patre commiſerunt. G. 19. 31.
Inceſtus interdicitur. L. 18. 6. L. 20. 11. & 12. 14. 17. 19 20. 21.
Inceſtuoſorum pœna in V. T. L. 20 20. G. 10. 5.
Indurati quàm ſint incorrigibiles. E. 8. 19.
Infernus pro Limbo ſumitur. G. 37. 10.
Infirmitatis propriæ conſideratio. D. 8. in fine.
Iniuriæ ſupplicium reſpondere debet. E. 21. 23.
Iniuriæ illatæ per occiſionem vel mutilationem quomodo reſarciendæ. E. 21. in fine. & 23.
Iniuriarum obliuiſci debemus. G. 42. 9.
Inſtrumenta quibus beneficia Dei conferuntur, rectè in Eccleſia aſſeruantur. E. 16. 33.
Inſula apud Iudæos quid? G. 10. 5.
Inuocare nomen Dei quid? D. 31 3.
Iob Moyſe fuit antiquior. G. 36. 33.
Iob non fuit Iobab de quo. ibid.
Iob ex Nachor fratre Abrahæ oriundus. ibidem.
Iocari cum fœminis etiam ſancti poſſunt, & quomodo. G. 26. 8.
Iones vnde orti? G. 10. 2.
Iordanis à Ior, & Dan, fontibus. G. 14. 15.
Iordanis deſcriptio. N. 13. 29. N. 34. 12.
Ioſeph naſcitur anno 14. ſeruitutis & 91. vitæ Iacob. G. 30. 26.
Factus eſt princeps Ægypti anno 30. ſuę ætatis. ib.
ſomnium Ioſeph figura fuit exaltationis Chriſti. G. 37. 10.
Ioſeph figura Chriſti venditi. ibid.
Ioſeph expreſſiſſima vitæ Chriſti figura. G. 37. in fine.
Ioſeph in adulterium trahitur & renuit. 39. 8.
Ioſeph typus Chriſti ad inferos deſcendiſtis. G. 39. 19.
Ioſeph typus Chriſti cæremonias Iudæis relinquintis & gentibus Euangelium annunciantis. ibid.
Ioſeph typus Chriſti in Cruce pendentis. G. 40. in fine.
Ioſeph iterum typus Chriſti. G. 41. in fine. G. 44. 21. G. 45. in fine. G. 47. 31. G 48. 22.
Cur fratres tribus diebus in carcerem detruſerit G. 42. 17.
A peccato excuſatur. G. 41. 51. G. 44. 5. & 15. G. 42. 9.
Ioſeph typus Iudæorum. G. 45. 4.
Ioſeph typus Chriſti Nazaræi G. 49. 26.
Ioſue & re & nomine typus Chriſti. ibid.
Ira quomodo Deo competat. E. 32. 10.
Ira internam commotionem, iurgium externam ſignificat. G 31. 36.
Iris etiam ante Diluuium fuit. G. 9. 13.
Signum eſt fœderis Dei cum hominibus & beſtiis, ibid.
Cur ſit partim cerulea, partim rubicunda? ibid.
Irregularitas, vide macula.
Iſaac ducitur à patre immolandus. G. 7. 19.
Typus fuit Chriſti. G. 17. 19. G 22 2. 9. 9. & 13.
Iſmaël. G. 16. 11.
Iſmaël & filii Cethurę à promiſſionibus excluduntur quæ fuerunt à Deo factæ Abraham. G. 28. 4.
Iſſachar. G. 30. 18.
Iter Iſraëlitarum in terram promiſſionis figura fuit noſtri in cœlum. E. 13. 17.
Iuda typus Chriſti. G. 49. 10. 11. 12.
Tribus Iuda fuit omnium fortiſſima. G. 49. 9.
Ex tribu Iuda Chriſtus eſt ortus, ibid.
Iuda idem eſt ac laus G. 29. 30.
Quid continuerit tribus Iuda. G. 4. 9.
Iudæi carnales. G. 39. 19
Iudæorum de duabus Balenis commentū. G. 1. 21.
Iudæorum fabulæ de ſigno impoſito à Deo Cain fratricidæ. G. 4. 15.

Quo

Quo ſenſu regnum Iudæorum vſque ad Herodem durauerit. G. 49. 9.
Iudæi friuolè putant dæmonem non poſſe producere animal minus grano hordei. E. 5. 2.
Iudæi moderni cur ita timidi? L. 26. 36. D. 28 65.
Iudæi malè adhuc Meſſiam expectant. ibidem. v. 44.
An Iudæi plures equos habere potuerint? D. 17. 16.
Durities & cæcitas Iudæorum modernorum. D. 28 29.
Iudex nulli fauere debet. E. 23. 3.
Conditiones boni Iudicis. E. 18. 21.
Iudicium quomodo exercendum. L. 19. 15.
Iudices mala probare prius debent quam credere. G. 18 20.
Iudicium homicidio olim duplex fiebat. N. 35. 4.
Iulianus inconſtantiæ Deum malè accuſat. E. 32 10.
Iurare per Deum & per creaturam quomodo differant. G. 43. 15
An licitum ſit iurare per creaturam. G. 42. 15.
Iurare per creaturam non eſt creaturæ diuinitatem aſcribere. ibid.
Quomodo iurandum. E. 23. 13.
Modus iurandi apud Hebræos. G. 14. 22. G. 24. 3 N. 32. 8
Iuſtificatio, vide Abraham.

L

Labri ænei deſcriptio. E. 30. 18.
Lagana, id eſt liba tenuia ſubacta aquâ & oleo friza. E. 29. 2.
Lameth ſeptimus à Cain eiuſdemque occiſor. G. 4. 15.
Lamech primus polygamus. ibid. v. 17.
Lamina genus veſtis. E. 28 36.
Lapis ſardius. E. 28. 17.
Lapis topazius. ibid.
Lapis ligurius, ibid.
Lapis vnctus à Iacob typus fuit Chriſti. G. 28. 17.
Larus genus animalis. L. 11. 16.
Latronum indoles qualis? G. 26. 29.
Lebetes ænei quales. E. 27. 3.
Leydenſes malè aſſerunt Iſraëlitas Deum in vitulo coluiſſe. E. 25. 5
Lepræ accurata deſcriptio. L. 13. per totum.
Leprarum ſpecies diuerſæ. L. 13. v. 1 & ſeqq.
differentia Lepræ antiquorum à noſtra. L. 13. 46.
Lepra typus Hæreſis. ibid. v. 47.
Leproſi an immundi, vide immundus.
Leproſi vnde dignoſcerentur tales. L. 13. 11.
Quomodo leproſi mundari debuerint. L. 14 per totum.
Leuare manum pro iurare. G. 14 22.
Leui nullam in populo ſortem habuit. G. 49. 7.
Leui id eſt cohæſio. G. 19. 30.
conſecrationis Leuitarum ritus. N. 8. 6.
Leuitarum munus in templo. N. 3. 7.
Quo die data Lex ab egreſſu ex Ægypto. E. 19. 11.
Lex in Horeb data Moyſi. E. 3. & Pentateuch.
cur cùm Lex daretur, fumus & fulgura excitata ſint. E. 19. 15.
Lex quandonam Iudæis data. E. 12. 40.
Lex celebrandi Paſcha quandonam Hebræos obligauerit. E. 13. 5. E. 12. 25.
Quoſnam obligauerit? E. 12. 43.
Legem ſeruantibus bona promittuntur. L. 26. 3.
Lia figura Synagogæ. G. 29. 17.
Lia figura vitæ actiuæ. ibid.
Iudæis licebat dare Libellum repudii. D. 24. 1.
Quibus de cauſis licuerit dare. ibid.
Viro non fœminæ competebat ius repudij. ibid.
Liberum arbitrium dominatur concupiſcentiæ. ibid.
Liberalitas Pharaonis id ſuos ſacerdotes. G. 47. 22.
Liber vitæ quid? E. 32. 32.
Liber bellorum Domini qualis. N. 21. 14.
Libidinis faces quantopere fugiendæ. G 39. 12.
Lignum ſcientiæ boni & mali vnde ſic dictum? ib.
Cuius ſpeciei iſtud lignum fuerit. ibid.
Ligno abſtulit Moyſes ſalſedinem ab aqua, an naturaliter? G. 15 25.
illud Lignum typus fuit Crucis Chriſti. ibid.
Lignum vitæ eiuſque efficacia ad protogandam vitam hominis G 2. 9.
Ea vis videtur fuiſſe naturalis. ibid.
An Adam de eo comederit ante lapſum ibid.
Linguæ quomodo à Deo mutatæ. G. 11 8.
Linguarum quænam prima? ibid.
Non fuit Flandrica, vt fabulatur quidam. ibid.
in quot Linguas prima mutata ſit. ibid.
Linus & Amphion Theologi Poëtæ vetuſtiſſimi Moyſe poſteriores Præfat. in Pentat.
Lites olim in portis dirimi ſolebant G. 23. 10.
Locuſtarum varia genera. L. 11 11.
Lot an peccauerit ſubdendo filias ſuas libidinibus Sodomorum. G 19. 8.
Diſceſſus Lot ex Sodoma myſticè exponitur. G. 19. 17.
Vxor Lot in ſtatuam ſalis verſa. ibid. 25.
Illa ſtatua adhuc hodie extat. ibid.
Lotio pedum Orientalibus vſitata. G. 18. 4.
Lucta Iacob cum Angelo cuius rei fuerit figura. G. 32. 32.
modus Lugendi mortuos apud Iſraëlitas. L. 19. 28.
Luminaria quarto die producta tanquam gemmæ in cœleſtibus annulis. G. 1.
Luminaria maiora qua ratione præſint diebus & noctibus. G 1.
Luna cur luminare magnum dicatur. ibid.
An ſit minus Mercurio. ibid.
Luna in quo ſtatu condita. ibid.
Lupanaria olim in biuiis extruebantur. G. 38. 14.
Lux primæ creationis qualis. G. 1.
Non tam fuit propria lux, quàm lumen. ibid.
In quo ſubiecto fuerit ſuſtentata. ibid.
Qualiter circa terram circumgyrata. ibid.
Lydia duplex. G. 8. 7.

M

Machabæi vnde dicti. E 15. 11.
Madian ſacerdos & princeps fuit alio nomine Raguel & Iethro. E. 2 5.
Ab hoc nominata eſt terra Madian quæ eſt pars Arabiæ non procul à mari rubro. ibid.
Maculæ hoſtiæ quæram. L. 22 18.
Magi ex vaticinio Balaam venerunt adoratum Chriſtum. N. 24. 17.
Magi Pharaonis eadẽ faciunt quæ Moyſes. E.7.18.
Quinam & quales fuerint olim malefici. E.22.18.
Quot manſiones Iſraëlitarum in deſerto. N. 9.18.
Manus leproſa ſynagogam, nitida gentilitatem ſignificat. E. 4. 6.
Maledictio diuina nunc pœna nunc beneficium eſt. G. 9.
Malo benè vti nouit Deus. G. 45. 5. & 8. E. 14. 4. E. 9. 16.
Mala non fiunt Dei conſilio aut voluntate. ibidem.
Manna quo die pluere cœperit. E. 16. 5.
Quale & cuius ſaporis. E. 16. 14. & 31.
An à rore diſtinctum & eiuſdem ſpeciei cum noſtro. ibid.
Manna typus Euchariſtiæ. E. 16. 55.
Mambre vbi ſita. G. 13 18.
Mandragora genus plantæ. G. 30. 11.
Mandragoræ deſcriptio & qualitates. ibid.
Quid tropologiè ſignificet. ibid.
Mare rubrum vnde dictum. E. 10. 9.
Diuiſio maris rubri. E. 14. 21.
Latitudo maris rubri. ibid.
Variæ de rubore maris ſententia. ibid.
Qua tempeſtate anni tranſierunt filii Iſraël mare rubrum. E. 14. 11.
Manichæorum dogma de auctore Pentateuchi. Præfat. in Pent.
Maria vnde deriuatum. E. 15. 20.
Materiatorum error de mundi origine. G. 1. 2.
Quid mare. G. 1. 6.
Matrimonium fratris cum ſorore tempore Abrahę fuit illicitum. G. 20 12.
Matrimonium amitæ cum nepote lege naturæ eſt illicitum. E. 2. 1.
Matrimonium filii cum matre illicitum eſt. L. 17. 7.
Item matrimonium cum nouerca. ibid.
In quibus gradibus conſanguinitatis vel affinitatis matrimonium olim liceret. ibid.
An matrimonium Seth & Cain cum prioribus fuerit licitum. L. 7. 9.
An Henricus 8. Rex Angliæ rectè potuerit repudiare Catharinam vxorem ſuam. L. 16. 17.
Quænam matrimonia iure naturæ ſint illicita. L. 17. 1.
Mendacium cum aliquando licitum fuerit. G. 25 19.
Mendacium officioſum. E 1. 20.
Præſtat mori quam leuiter mentiri. ibid.
Mendacem audire quandonam peccatum. E. 23. 1.
Melchiſedech fuit verus homo. G. 14. 18.
Melchiſedech ſacerdos. ibid.
Melchiſedech, id eſt rex iuſtitiæ. ibid.
Melchiſedech typus Chriſti. ibid.
Errores de eodem ibid.
Conditor fuit Ieruſalem. ibid.
Quo ſenſu ſancti ſint Mediatores hominum. D. 5. 5.
Menander hæreticus Simonis Magi diſcipulus. G. 1. 1.
Mercurius Triſmegiſtus diuinioris ſapientiæ apud Ægyptios Præfat. in Pent.
Menſis lunaris Iudæorum quot menſibus conſtet. G. E. 16. 1.
Menſis nouorum quis? E. 12. 1. E. 13. 1.
De menſibus Iudæorum. ibid.
Eorum conuenientia & diſconuenientia cum noſtris. ibid.
Quo menſe inchoarint Iudæi ſuum annum. ibid.
Menſes Ægyptiorum in quo à Iudaicis differant, ibidem.
Menſuræ Iudæorum quales. E. 16. 14.
Meſopotamia Chaldæam etiam comprehendit. G, 11. 31.
Eſt pars Syriæ latiſſimè ſumptæ. G. 25. 20.
Miniſtrorum Eccleſiæ qualitates. N. 8. 7.
Miſphat nomen fontis. G. 14 7.
Idem eſt quod iudicium. ibid.
Miſericordia in Scripturis ſæpè omne genus virtutis liberale comprehendit. G. 24. 27.
Miſſio tam ordinaria quàm extraordinaria quomodo probanda. E. 41. E. 28. 1.
Errores hæreticorum de miſſione. E 7. 9.
Mœchorum pœna in antiquo Teſtamẽto. L. 20. 10.
Mœchia quid? ibid.
Moloch idolum Ammonitarum. L. 20. 2.
Pueri variis ei modis conſecrabantur. ibid.
Monocerotis à Rinocerote diſtinctio. N. 23. 22.
Morticinum quid? L. 22. 4.
Morientes olim ſuos ad ſe vocare ſolebãt. G. 49. 1.
Moyſes Pentateuchi auctor. Præfat. in Pentat.
An & diſpertitur in 5. volumina ibid.
Moyſes ſummus Hiſtoricus, Poëta, Rhetor, Theologus. ibid.
Moyſes quot annis antiquior Lino, Amphione, Orphæo, Muſæo. ibid.
Moyſes quando natus. E. 2. 1.
Non eſt natus ex inceſtuoſo matrimonio. ibid.
Moyſes elegantis formæ fuit. E. 2 5.
Moyſes idem quod ſeruatus ex aqua. E. 20. 10.
Moyſes typus Chriſti. L. 2. 10. N. 20. 10.
Moyſes ſummus Pontifex. E. 2. 10
Peccauit occidendo Ægyptium. ibid.
Moyſes variis plagis afflixit Ægyptum, vide Plaga.
Moyſes 40. annis oues pauit. E 3. 1.
Fabula eſt Moyſen impoſitâ ori prunâ factum eſſe linguæ impeditioris. E. 4. 10.
Aduentum Meſſiæ implorat. ibid. v 13.
Cur illum voluerit Angelus occidere ibid v. 24.
Quo ſenſu Deus Pharaonis conſtitutus ſit. E. 7. 1.
Moyſes tres in monte quadrageſimas fecit. E. 33 31.
an Moyſes viderit Deum vt ut ſe eſt? E. 33 19.
Moyſes typus iuſtorum & cæcorum Iudæorum.

E. 40. 32.
Non intrauit terram promiſſionis. ibid.
Moyſes moritur. D. 34. 5. Quo anno? ibid. v. 12.
Mulieres amorem in odium facile vertunt. G. 39. 35.
Mulieres menſtruoſo laborare ſolent G. 31. 35.
Mulieres menſtruatæ, vide Immundus.
Mulieres indecenter veſte viri vtuntur. D. 22. 5.
Mundus an totus ſimul, an ſex diebus ſucceſſiuè conditus. G. 1. 1.
Variorum de mundi origine errores. ibid.
Mundus qua anni tempeſtate cõditus? G. 7. in fine.
Mundus finito Diluuio quot annis durauerat? G. 8.
Mundus in veſte ſacerdotali olim figurabatur. E. 28. 40.
Munus cur Hebræi benedictionem vocent? G. 33. 11.
Myrrha alia ſponte fluit & dicitur flos. E. 30.
Myrrhæ, alia exprimitur & dicitur ſtacte. E. 30. v. 23.

N

Nabaoth filius Iſmaëlis à quo Nabathæa pars Arabiæ. G. 25. 13.
Nazaræi quinam & quales? N. 6. per totum.
Nazaræorum de libris Moſaicis error. Præfat. in Pentat.
Nephtali Chriſtum docentem præfigurat. G. 49. 21.
Nilus fluuius vnde ortus? G. 2. 13.
Nilus quò magis exundat, eò terram fœcundiorem reddit. G. 4. 3.
Nilum Ægyptii primum rerum principium putant. E. 7. 17
Nilus in ſanguinem verſus. ibid.
Niniue à quo extructa G. 10. 12.
Noë typus Chriſti, & Arca Eccleſiæ. G. 5. 29.
Eius nominis etymologia expenditur. ibid.
Quoto anno vitæ Noë facta ſit à Deo comminatio diluuii? G. 6. 3.
Eius perfectio & vitæ integritas G. 6. 9.
Eius vxor qualis & cuius nominis? G. 7. 1.
Quotum annum ageret Noë finito diluuio? G. 8. 13
Malè fabulantur quidam de filiis Noë. ibid.
Quomodo Noë nudatus ſit ſumpto vino. G. 6. 21.
Diuiſio terræ inter filios Noë. G. 10. 1.
Filii Noë in 72. nationes diuiſi. 10. 32.
Quandonam & quomodo contigerit hæc diuiſio. ibid.
Noë excuſatus ab ebrietate. G. 9. 21.
Nomen Dei tetragrammaton quàm olim ſacrum. E. 6. 3.
Non licebat illud extra templum proferre. ibid.
Proferentibus extra templum pœna capitis impoſita fuit. ibid.
Nubes expanſa per diem ſuper Iſraëlitas. E. 13. 22.
Quid figurauerit? ibid.
Numeri trecenteſimi myſtica expoſitio. G. 14. 15.

O

Obduratus animus quid? E. 9. 12.
Obduratio animi quid? ibid.
Obduratio vnde oriatur. ibid.
Obduratus animus quomodo emolliatur? ibid.
Homo ſeipſum obdurat, non Deus. ibid.
Tribus modis Deus obdurare dicitur. ibid.
Non ſine cauſa Deus hominem obduratum relinquit. E. 10. 1. & ſeqq.
Obedientiæ illuſtre exemplum. G. 8. 13.
Obedientibus dulcis eſt Deus, inobedientibus terribilis. E. 13. 21.
Oblationes argenti, auri & æris pro tabernaculo. N. 7. 2.
Oblationes olim quibuſnam debebantur? N. 18. 9. 10. 11 & ſeqq.
Obolus quid. E. 30. 13.
Obſequium etiam crudeliſſimos mitigat. G. 27. 4.
Obſtetrices Hebræorum non Hebrææ, ſed Ægyptiæ fuerunt. E. 15
Occidere hoſtem non ſemper licet. E. 2. 11.
Occidere occidentem, propinquo occiſi licebat, & quando. N. 35. 19.
Occiſio quænam licita, quænam illicita? E. 20. 13.
Pœna ſtatuta in occidentes tam homines quàm animalia. E. 21. & 23.
Occurſus & occurrere pro adiutorio & adiuuare in Scripturis ſumuntur. G. 24. 12.
Officia & dignitates non leuiter aſſumenda. E. 1. 1.
Officia & dignitatum gradus in lege Moſaica quænam fuerunt. E. 18. 21.
Oleum cur in conſecrationibus ſoleat adhiberi. G. 28. 17.
Olei vſus in antiqua lege. E. 29. 21.
Olei effuſio eſt tacita Dei miſericordiæ inuocatio. L. 14. 17.
Oliua cuius rei ſignum. G. 8. 11.
Proprietates Oliuæ. ibid.
Onera quibus afflicti ſunt Hebræi in Ægypto. E. 2. 11.
Onycha quid? E. 30. 34.
Opus Plumarium quid? ibid.
Quid opus polymitum? ibid.
Quid opus Cherubim? ibid.
Opera quænam fuerint ſabbato prohibita. E. 20. 8.
Opera improborum qualia. D. 22. 32.
Orandum mane præſertim & veſperi N. 28. 5.
Orationis bonæ & piæ qualitates. E. 30. 35.
Orbis vniuerſus in Scriptura partem orbis ſæpè ſignificat. G. 45. 54.
Ordinatio miniſtrorum Eccleſiæ. N. 8. 7.
Origenes hiſtoriam Geneſeos ad allegoriam transfert. G. 1. 26.
Eius dogma de ſignificatione luminarium cœleſtium. G. 1. 14.
Eius error de creatione hominis per Angelos. ibid.
Item de diſcrimine imaginis & ſimilitudinis. G. 1. 26.
Item de diuerſitate ſexuum in protoplaſtis. ibid.
Item de paradiſo voluptatis quem ſpiritualiter intelligit ibid.
Oryx nomen animalis. D. 14. 5.
Oſculandi ſe mos antiquis vſitatus. G. 29. 12.
Oſtij tabernaculi deſcriptio. L. 1. 3.

P

PActum Dei cum Abraham quomodo perpetuum? G. 17. 7.
in Palæſtina pluit ſolum menſe Octobri. G. 27. 28.
Pallium Ioſeph humanitatem Chriſti adumbrat. ibid.
Panis ſubcinericius qualis fuerit G. 18. 6.
Panes propoſitionis. L. 24. 8.
Panis fermentatus ſacrificiis inidoneus. E. 23. 16.
Paphlagones & Phryges vnde orti? G. 10. 2.
in Parobolis ſenſus non verba attendenda. G. 27. 19.
Parabola quid? N. 23. 7.
Paradiſus quo die plantatus? G. 2. 8.
Paradiſus voluptatis quid? ibid.
Fuiſſe locum corporalem oſtenditur contra Philonem & Origenem ibid.
In qua plaga terræ ſitus? ibid.
Variæ de paradiſo ſententiæ coniecturales, nulla certa. ibid.
Quatuor flumina è paradiſo fluentia quænam? ibid. v. 10.
Paradiſi expoſitio allegorica. G. 2. 19.
Parentes quomodo honorandi? E. 20. 12.
Cur honorantibus parentes longa vita promittatur. ibid.
Partiendi res terrenas modus. G. 13. 9.
Paſcha quo tempore celebrandum. N. 9. 10.
Paſſiones quomodo vincendæ. L. 1. 9.
Paſtoris veri qualitates. G. 31. 36.
Paſtores quales eſſe debeant. E. 32. 22.
Ætas in Paſtore requiſita. N. 8. in fine.
Paſtoratus non leuiter aſſumendi. E. 5. 21.
Patriarchæ Iudices erant ſuarum familiarum. G. 38. 1. 4.
S. Pauli vita per Benjamin exprimitur. G. 43. in fine. Item 47. 26.
Paxillum genus inſtrumenti foſſorii. D. 23. 13.
Peccator ſimilis coruo emiſſo ex Arca. G. 8. 7.
Peccatorem Deus quomodo ad ſe reuocet. E. 5. 22.
Peccator, vide Lot.
Peccatum pro pœna ſumitur. G. 20. 9.
Peccata patrum quomodo in filiis puniantur. E. 20. 6.
Peccata ſuo tempore punit Deus. ibid.
Peccata contra legem naturalem commiſſa quomodo fuerint olim expianda. L. 4. 2.
Peccatum Sodomiticum. L. 19. 19.
quid Pelles Ianthinæ. E. 26. 14.
Pentateuchus à quo in 5. volumina diſpertitus. Præfat. in Pent.
Vnde deſumpta ſingulorum voluminum nomina ibid.
Hebræorum à Latinis & Græcis diſcrimen. ibid.
Pentateuchi auctor Moyſes. ibid.
Nazaræorum & Manichæorum ſuperare error. ibid
Pentateuchus Samaritanus. G. 2. 2.
Pentateuchus an à Moyſe ſcriptus. ibid.
Pentateuchi argumentum & quibus limitibus comprehenſum: ibid.
Cur eius primus liber dictus ſit Geneſis? ibid.
Perizoma quid? G. 3. 7.
Petra typus Chriſti. N. 20. 10.
Pharan ſolitudo horrida. N. 10. 12.
Ordo caſtrorum Iſraël ex Pharan abruntium. ibid.
Pharao typus Dei prædeſtinantis & reprobantis. G. 40. in fine.
Pharao induratus, vide Obduratio.
Pharao nomen commune Regibus Ægypti. G. 47. 26.
Phariſæi quinam & cur ſic dicti. N. 6. 1.
Philaſtrii hæretici de diſcrimine imaginis & ſimilitudinis error. G. 1. 26.
Phaſe quid? G. 12. 8.
Quo die celebraretur. ibid. v. 43.
Phaſe quinam debuerint celebrare, quinam non? E. 12. 43.
Phaſe qualia vaſa. G. 25. 29.
Philo platonizans hominis creationem Angelis tribuit, in vita ipſius in eoſdem purgato Deo refunderet. G. 1. 26.
Philoſophiæ humanæ nec nimis tribuendum, nec nimis derogandum. G. 1. 1.
Philoſophia ſcripturis accommodanda non è conuerſo. ibid.
Philoſophorum de mundi origine error. ibid.
Phuth quid ſit? G. 10. 6.
Pierides quid. G. 12. 8.
Pignus quodnam licite retineretur. E. 22. 29.
Pignoris quænam olim lex. D. 24. 10.
Pili caprarum quid. E. 25. 2.
Piſces cur reptilia dicti? G. 1. 10.
Eorum mira fœcunditas. ibid.
Bini in quaque ſpecie conditi, & cur? ibid.
Piſtrinum olim miſerū erat ſeruitutis genus. E. 15. 5.
de Plagis Ægypti. E. 7. per totum.
Plagæ Ægypti fuerunt decem. ibid.
à Plaga allegoricè homines carnales ſignificat. E. 7. 26.
Variæ de plagis Ægypti ſententiæ. ibid.
Plagarum aliquas ſolus Aaron, aliquas Moyſes ſolus, aliquas vterque ſimul excitauit. E. 9. 5.
Plaga vltima figura excidii orbis. E. 11. 14.
Plagarum nona & decima maximè atroces. E. 11. 8.
Quandiu decem illę plagę durauerint. ibid.
Platonis error de mundi origine. G. 1. 1.
Item de creatione hominis Dei Angelos. G. 1. 6.
Platonicorum error de correctione Angelorum. G. 9. 2.
Plumarius quid. E. 34. 33.
Pœnitentia qualiter Deo tribuatur. G. 6. 6.
Pœnitentia tribus modis olim agebatur. G. 37. 34.
Polygamia per Lamech inchoata. G. 4. 19.
Poſt diluuium licita ex diſpenſatione. ibid.
Polygamia olim licita fuit. G. 19. 2. Item. 30. 4.
Polymitarius quid. E. 34. 35.
Pontifex quo tempore conſecraretur. L. 21. 12.
Cur virginem ducere debuerit. ibid
An filius viuente patre Pontifex eſſe potuerit. ibid.

An Pontificis vxor debuerit eſſe ex ſtirpe Sacerdotali. ibid.
Ritus conſecrationis Pontificis. Vide Aaron.
Veſtes Pontificales. Vide Veſtes.
Pontifex quoties in anno Sancta SS. ingrederetur. N. 4. 5.
Pontificalis poteſtas. N. 7. 8.
Populus Iſraël cur & quoties numeratus. N. 1. 9.
Porphyrio genus animalis caſtiſſimum. L. 11. 18.
Poſteriora Dei quid. G. 31. 22.
Myſteriorum eorum expoſitio.
Præcepta quænam Moyſi tradita. G. 15. 10.
Præcepta iudicialia quomodo à ceremonialibus differant. G. 21. 1.
Prædeſtinatio non fuit ex meritis. D. 1. 4.
Prædicatio Euangelica. E. 27. in fine.
Prædicatio Euãgelica, vide Benedictio, item Tuba.
Prælati quomodo aduerſus quoſlibet dignitatem ſuam tueri poſſint & debeant. L. 16. 28.
Primitiæ dupliciter ſumuntur. E. 23. 2.
Primitiarum genus triplex L. 2. 14.
Primitiarum diuiſio. N. 5. 10. N. 8. 9. & ſeqq.
Primogenitum quid? E. 12. 1.
Primogenituræ ius quatuor effectus habebat. G. 25. 31.
Primogenituram Eſaü vendidit Iacob. ibid.
Principes tribuum quinam N. 1. 4.
Profectus vitæ Chriſtianæ. Vide Vita.
Profero pro offero vſurpatur G. 14. 18.
Progreſſus hominis Chriſtiani de virtute in virtutem. N. 33. in fine.
Prometheus Athlantis frater. Præfat. in Pent.
Fabula de Prometheo furante ignem de cœlo ad animandum hominis ſimulachrum à ſe ex molli luto animarum, vnde nata? G. 2. 6.
Promiſſio Dei eſt infallibilis N. 23. 19.
Promiſſio quandonam Abrahæ facta. E. 12. 40.
Promiſſiones factæ à Deo Abrahamo quomodo factæ. G. 13. 17.
Propheta quid. E. 7. 1. D. 1. 15.
Propitiatorii deſcriptio. E. 25. 17.
Propoſitio copulatiua nonnunquam pro diſiunctiua ponitur. E. 12. 5.
Protoplaſti eiiciuntur è paradiſo, & quanto ibi tempore fuerint. G. 3. 14.
An in Paradiſo concubuerint carnaliter? ibid.
Prouidentia, vide Cura.
Prouidentia Dei circa nos. E. 16. 4.
Prouidentiæ diuinæ narniæ G. 37. 28.
Proximus quomodo diligendus. L. 19. 18.
Proximus quis. ibid.
Pſeudoprophetæ vera prædicere poſſunt. D. 13. 1.
Puer Hebræis minorem ſignificat. G. 44. 20.
Pulchritudo cur vxoribus data. G. 29. 18.
Pulchritudine & donis corporalibus quomodo vtendum. G. 39. 6.
Pulmẽtum genus eſt cibi ſapidi & delicati. G 27. 4.
lex Purificationi quibus impoſita. L. 12. 4. & ſeqq.
Purpura quid. E. 25. 2.
Putei bituminis adhuc hodie extant. G. 14. 10.
Putiphar fuit præfectus Aulæ Pharaonis. G. 40. 4.
Pythagoras annis trecentis Moyſe poſterior. ibid.
Eius error de mundi origine. G. 1. 1.

Q

QVadrupedum quænam ſpecies aptæ ſacrificiis. L. 1. 1. & ſeqq.
Quercus Mambre qualis fuerit. G. 18. 4.
Variæ de eodem fabulæ. ibid.

R

RAbbinorum errores. G. 1. 1. E. 32. 4.
Rachel figura Eccleſiæ. G. 29. 30.
Rameſſes vrbs eſt in terra Geſſen. G 47. 1.
Loquaces homines repræſentantur per ranas. E. 8. 6.
Ranæ & locuſtæ varias nationes afflixerunt. E. 8. 7.
Raptus Dinæ per Hemor quo anno contigerit. G. 34. 1.
Quid Rationale. E. 28. 15.
Redemptio generis humani, vide Præfat. in Exod.
Reges Iſraël vnde aſſumpti G. 46. 24.
Reprobationis typus. D. 9. 4.
Reprobatus, vide Pharao.
Reſina eſt humor tenax adhærens arboribus. G. 37. 25. G. 43. 11.
Reſtitutio. E. 22. 2.
Retroſpicere, pro pœnitere vſurpatur. G. 18. 17.
Pulchra illius verbi expoſitio. ibid.
Riſus Abraham qualis? G. 17. 17.
Riſus Abrahæ & Saræ differentia ibid.
Ritus perpetuus quis. E. 12. 17.
Ritus obſeruatus in celebratione Phaſe. E. 12. 43.
Rixæ fructus eſt diſcordia amicorum. G. 21. 7.
Rixoſi, contentioſi detractores depinguntur. E. 8. 17.
Romani Aſia & Africa potituri prædicuntur. G. 9. 27.
Ruben ob inceſtum cum vxore patris primogenitura excidit. G. 49. 3.
Ruſticanæ vitæ laus G. 49. 41.

S

SAbbatum quid? G. 7. 2.
Sabbati celebritas in exordio mundi inſtituta. ibid.
Sabbati ſanctificatio quid myſticè ſignificet. ibid.
Sabbati cultus intermiſſus reſtauratur. E. 16. 22.
Sabbatum quomodo obſeruandum. E. 20. 8.
Cur inſtitutum. ibid.
Præceptum de Sabbato obſeruando quale. ibid.
Quænam opera Sabbato ſint prohibita. ibid.
Sacerdotes Aaronis olim ſine calceis ſacrificabant. E. 3. 5.
Idem hodie faciunt Saraceni. ibid.
Sacerdotes quam puri eſſe debeant. E. 3. 5.
Sacerdotes recenter conſecrati quænam ſacrificia tenerentur offerre. L. 9.
Sacerdos immundus offerre non poterat. L. 21. 4.
Sacerdotalis conſecrationis ritus. E. 29. 19. L. 8. in fine.
Sacerdotis boni virtutes & qualitates. E. 28. 30.
Sacerdotum ſanctitas. L. 21. 6.
Sacerdotum ſobrietas. L. 10.
Sacerdotum caſtimonia. E. 30. 18. L. 13. & 2.

Sacerdotalis gratia. N. 17. 8.
Sacerdorum antiquæ legis diuitiæ. N. 18. 21.
Sacerdotes publica pœna puniri non ſolent. N. 12. 4.
Sacerdotes ſimplices an Sanctum Sanctorum ingredi potuerint. N. 4. 5.
Sacrificium Melchiſedech quale. G. 14. 18.
Sacrificium pacificum. L. 3. 1.
Finis eius. ibid.
Eius materia ibid.
1. Eius ſpecies. ibid. v. 1.
2. v. 6.
Sacrificia Iudaïca inſtituta. Præfat. in Leuit.
Sacrificij Iudaici diuiſio. L. 1. 1.
Sacrificium cruentum quid? ibid.
Sacrificium incruentum. ibid.
Sacrificii cruenti tres ſpecies, prima. L. 1. 3. ſecunda. L. 3. 1. tertia. L. 4. 3.
Materia ſacrificiorum Iudaicorum. L. 1. 1. & ſeqq.
Sacrificium Minchæ. L. 2. 3. L. 6. 23.
Huius ſacrificii materia & tempus. ibid.
Eius diuiſio. ibid.
Sacrificia vbinam facienda. L. 7. 3.
Sacrificia in deſerto diebus feſtis & ſabbatis non fiebant. N. 4. 7.
Sacrificij quotidiani deſcriptio. E. 29. 28.
Sacrificio nullus Deo cultus acceptior ibid.
Sacrificium Moſaicum typus noſtri. ibid.
Sagum cilicinum quid. E. 26. 7.
Salis myſtica expoſitio. L. 2. 13.
Salem idem quòd Hieruſalem. G. 14. 18.
Saliatio fuit olim ceremonia ſacra. E. 18. 20.
Sanctificatis quis veſci potuerit. L. 22. 9.
Sancti an rectè à nobis inuocentur, vide Angelus.
Sanctum Sanctorum quid. N. 4. 5.
Sanctitas quid. L. 20. 26.
Sanctitas inſenſatis creaturis communicari poteſt. E. 2. 3
Sanedrim quid? N. 11. 17.
Sanguinis quis vſus in ſacrificiis. E. 28. 9.
Sapientes Pharaonis quales. E. 7. 11.
Sara de quibus cauſis putauit ſe non ſuſcepturam prolem ex Abraham. G. 18. 11.
Sara quomodo ſoror Abrahæ. G. 20. 12.
Sara typus noui Teſtamenti. G. 21. 12.
Saraceni cur feri & vagabundi. G. 16. 12.
Sardius lapis. E. 28. 17.
Satum eſt modius Hebraicus. G. 18. 6.
Scalæ expoſitio allegorica. G. 28. 12.
Scandalum L. 19. 14.
Schiſmatici. Vide Core.
Sciſſio veſtium olim fuit ſignum mœroris. G. 37. 34.
Scribæ & Legiſperiti orti ſunt ex tribu Simeon. G. 49. 7.
Scribarum conſilium aduerſus Chriſtum propheticè deteſtatur Iacob G. 49. 7.
Scriptura eadem poteſt habere plures ſenſus litterales. G. 47. 31.
Sculptile Scriptura in malam partem vſurpat pro ſtatua quæ pro Deo adorabatur. E. 20. 4.
Scyphi quid & quales. E. 25. 33.
Seculum quid. E. 21. 6.
Seir, id eſt Idumæa G. 32. 3.
Sem filius Noë ſeu or fratribus ſuis. G. 5. 29.
Sem quando natus. G. 8. 9.
Semen quid. L. 2. 1.
Variæ de illa voce opiniones. ibid.
Senex ex adoleſcentula gignere non ex vetula poteſt G. 25. 1.
Sententia Dei pro lege Dei ponitur E. 18. 15.
Sermo pro re vel negotio ſæpe vſurpatur. G. 24. 50.
Serpens æneus N. 21. 6.
Typus fuit Chriſti Saluatoris. ibid.
Serpentes Seraphim quinam. N. 21. 6.
de Seruis Iſraëlitarum E. 21. 2.
7. Anno dimittendi erant. ibid.
Seruum occidere an licuerit. E. 21. 13. E. 24. 10.
Serui Iudæorum quandonam libertate donabantur? L. 25. 44.
Quomodo redimi potuerint. ibid.
Diſtinctio quoad hoc ſerui Iudæi & Proſelyti, ibid.
Seth filius Adæ pater Enos. G. 4. 26.
Eius poſteri filij Dei dicti & cur. ibid.
Seth inchoat genealogiam ciuitatis Dei, & Cham diaboli. ibid,
Setim quale genus ligni. E. 25. 1.
Siclus olim idem valebat ac nunc florenus. G. 20. 16. G. 23. 16.
Siclus olim in duplici differentia fuit. G. 24. 22.
Simila quid? L. 6. 2.
Simonis Magi error de origine mundi. G. 1. 1.
Simoniacus fuit Eſaü vendendo primogenita cur non etiam Iacob emendo. G. 25. 33.
Sin deſertum, duplex. E. 16. 1.
Sinai & Horeb mons bijugus. E. 3. 1.
Sion fuit duplex D. 4. 48.
Smaragdus E. 28. 17.
Virginitatem ſignificat. ibid.
Sodomæ ſubuerſio quandiu durauerit G. 19. 25.
Quoto Abrahæ anno contigerit. ibid.
Sodoma abſorbetur. G. 19. 15.
Vbi ſita? G. 13. 11.
Sodomitæ quales. ibid.
Spem de vita æterna qualem habere debemus? G. 22. 16.
Spiritus ſanctus quandoque ſpiritus fidei quandoque ſpiritus furoris vocatur. E. 15. 10.
Spiritus ſanctus cur digitus Dei. E. 31. 18.
Spiritus Domini ſuper aquas primæ creationis quis. G. 1. 2.
Spoliatio Ægypti per Iſraëlitas quomodo iuſta. E. 12. 36.
Cuius rei ſignum. ibid.
Stactes eſt ſpecies myrrhæ. G. 43. 11.
Stellæ innumerabiles ſunt. G. 15. 5.
Fabuloſum eſt quoſdam numeraſſe. ibid.
Stellæ an eiuſdem naturæ cum orbibus quibus in ſunt. G. 1. 7.

Stoicorum error de origine mundi. G. 1 1.
Stola Græcis veſtem generaliter ſignificat G 41. 42.
Storax aut Styrax lachryma arboris concilians capillis eum odore flauedinem G. 34. 11.
Summus Pontifex controuerſiarum iudex fuit. D. 17. 8.
Super, pro iuxta vel prope ſumitur. G. 41. 1.
Superbia primum peccatum protoplaſtorum. G. 3. 5.
Eam mox ſubſecuta eſt triplex curioſitas. ibid.
Superiores inferiorum conſilia minimè temnere debent. E. 18. 17.
Superioris ardua cogitanda E. 18. 19.
Superhumerale genus veſtis ſacerdotalis. E 28. 6.
Suſpenſi apud Iudæos eodem die ſepeliebantur. G. 40 19.
Suſpenſi cur maledicti D. 2 . 21.
Synagoga . vide Lia & Manus.
Syria quadruplex eſt. G. 2 10.
Syrmienſis Synodi definitio de hominis creatione. G 1. 26.

T

Tabernaculum Hebræi duplex videntur habuiſſe. E. 16. 33
Tabernaculi materialis deſcriptio. E. 26. . E. 39. 101
Analogia Tabernaculi materialis cum ſpirituali. ibid.
Tabernaculum figura fuit Eccleſiæ. E. 26. 33.
Tabernaculum quando erectum. E. 40. in fine.
Tacere frequenter in ſcripturis pro ceſſare , vel quieſcere à defendendo, vel agendo. E. 14. 14.
Tactus rei ſacræ quandoque tangens ſanctificatur, quandoque non L. 6. in fine.
Talenti valor. E. 25. 39. E. 37. 24.
Temperantia in vtenda vxore. G. 30 16.
Temporalia à Deo ſperanda & petenda. G. 26. 12. Item 30. 2.
Tenebræ primæ creationis quandiu durauerint. G 1. 1.
Cur non conſtituerint noctem. ibid.
Tenebræ Ægyptiacæ quomodo palpabiles. E. 10. 21.
Vnde ortæ fuerint illæ tenebræ. ibid.
Cæcitatem cordis Ægyptiorum denotabant. ib. v. 24.
Tentatio non omnis mala eſt. G. 31. 42.
Tentationes quomodo ſeparandæ. E. 17. 31.
Quot modis homo à Deo tentari ſoleat. D. 13. 3.
Quoties populus Iſraël Deum tentauerit. N. 14. 22.
Tentorium tabernaculi quale. E 26. 15.
Terebinthum quid ? G 35. 4 G. 43. 11.
Terentius hæreticus mundum ab Angelis conditum ſomniat. ibid.
Terra primitus à Deo creata quid ? G 1. 1.
Terra mundi pauimentum, cœlum, tectum. ibid.
Terra à terendo dicta. ibid.
Terra viſionis quid & quænam ? G. 22. 2.
Terra lacte & melle fluens, id eſt fœcunda & fertilis. E. 3 8.
Terra ſancta qualis ? D. 31. 10.
Terræ ſanctæ deſcriptio. N. 34.
Teſtamentum. Vide Scala.
Teſtamentum vetus E. 20. 16.
Teſtamentum vetus timore potius quam amore obſeruatur. Præfat. in Leuit.
Differentia veteris Teſtamenti à nouo. E. 24. 7.
Mos Iſraëlitarum teſtandi aduerſus reos. L. 24. in fine.
Teſtimonium pro area ſumitur. N. 17. 4.
Quid falſum teſtimonium. E 20. 18.
Thales primus Phyſiologus Moyſe longè poſterior. ibid.
Thebais vbi ſit ? G. 45. 10.
Theriſtrum velum eſt æſtiuum quo tegitur facies. G. 38. 14
Thermutin filia Amenophis Regis Ægyptiorum. E. 2. 5.
Hæc Moyſen natantem excepit & ſeruauit. ibid.
Thus vbique gentium Deo adoletur. E. 30. 1.
Timor pro obiecto timoris ſumitur. G. 31. 42.
Timor Dei retraxit Ioſeph ab adulterio. G. 39. 9.
Timor defectu caloris impedit operationes externas. G. 45. 3.
Timor ſeruilis. E. 9. 10.
Timor præceptum ſeruari non facit, ſed amor. E. 20. 18. & 20.
Titulus quid ? L. 26. 1.
Tonſuræ Monachorum imperite ab hæreticis vellicantur. L. 16. 27.
Quomodo Iudæi olim comam tondere debuerint. ibid.
Torques aurea in proſperitate ornamentum, vinculum fuit in aduerſitate. G. 41. 42.
Torrens Ægypti. N. 34 5.
Traditiones male impugnant hæretici D. 4. 2.
Tragelaphus nomen animalis. D. 14. 5.
Trinitatis myſterium an & quale à Moyſe in exordio Pentateuchi odumbratur. G. 1. 1.
Tubæ argenteæ & corneæ vſus & differentia. L. 25. 9 N. 10. 2.
Duplex tubæ tonus. N. 10. 4.
Myſtica tubæ Iſraëliticæ expoſitio. N. 10. 9.
Tunicæ pelliceæ protoplaſtorum. G. 3. 26.
Tunica ſuperhumeralis E. 28. 31.
Turris gregis quænam fuerit. G. 35. 20.
Tympana antiquorum qualia. E. 15. 20.
Solent mulieres in Cantabria tympanis ludere. ibid.

V

Vacca rufa cuius rei ſignum. N. 19. 2.
Vacca rufa typus fuit Chriſti patientis. N. 19. in fine.
Vado pro morior ſumitur. G. 15 2.
Valentinus hæreticus mundum ab Æonibus conditum fabulatur. ibid.
Vas Hæbræis omne genus ſupellectilis ſignificat. G 24 53.
Vaſa quænam fuerint immunda ? N. 19 15.
Velum tabernaculi quale ? E. 26. 31.
Venatorum in Scriptura nullus iuſtus ibid.
Venditio Ioſeph fuit ex voluntate fratrum, bona inde conſecuta ex volũtate & decreto Dei. G. 45. 5.

Vendita bona Iſraëlitarum quomodo ad priorem dominum relaberentur? L. 25 10
Vendita bona quomodo potuerunt redimi? ibid. v. 14.
Ventus vrens quis? E. 10. 13.
Inſenſatas creaturas rectè veneramur. E. 3. 5.
Verbum Hebræi vſurpant pro negotio. G. 24 5.
Veritas in ſcripturis ſæpe ſignificat id quod debetur ex obligatione alicuius virtutis. G. 24. 27.
Vernaculus eſt ſeruus domi natus. G. 17. 12.
Vernaculus quiſnam? L 22 11.
Quid Veſpera dici 14. E 12. 5.
Veſtes ſacræ cur in ſacrificiis adhibitæ? E. 28 2.
Veſtes Iſraëlitarum in peregrinatione non ſunt attritæ. D. 29. 5
Veſtium ſacerdotalium ordo & qualitas. E. 28. 40.
Vexilla Iſraëlitarum in bello qualia? N. 2. 2.
Victima ſæpe in Scriptura ſumitur materialiter pro animali quod in ſacrificium Deo mactari ſolet, etiamſi interim ad alium finem mactetur. G. 43. 16.
Videre poſteriora Dei quid? G. 16 15.
Videre Deum facie ad faciem non eſt habere viſionem diuinæ eſſentiæ. G. 32. 30.
Viduę olim peculiari habitu veſtiebantur. G. 38 14.
Vindicta quomodo facienda? E. 28. 23.
Vindicta nullo modo expectanda. L. 16 18.
Vir cum quo luctans eſt Iacob, Angelus fuit non ſecunda perſona Trinitatis. G 32. 30.
Viri olim variis fuerunt nominibus appellati, ſicut & fœminæ. G. 3. 6.
Virga Aaron qualis & quis eius vſus. N. 20. 9.
Virga Aaron typus B. Virginis Mariæ. N. 17. 8.
Nota virginitatis. D. 22. 13.
Virtus, vide Scala.
Variæ virtutum ſpecies ſignificantur per gemmas. E. 26. 17. & ſeqq.
Viſio in qualibet lingua perceptionem cuiuſlibet ſenſus ſignificat. E. 20. 18.
Viſio Dei clara an in hac vita poſſibilis? E. 33. 20.
Myſtica expoſitio viſionis Abræ G 15. 9. & ſeqq.
Vita actiua, vide Lia.
Vita contemplatiua, vide Rachel.
Vita æterna quantis laboribus acquirenda? G. 29. 20
Vita æterna quomodo quærenda. Vide Lucta.
Vita hominis tentationibus aſperſa E. 13 17.
Vita contemplatiua & actiua. E. 21. 6.
Vita perfectorum. E. 30 9.
Alios ad vitam æternam eligit Deus, alios negligit. E. 9. --.
Vitæ Chriſtianæ profectus. E. 15 25.
Vitę humanæ conditiones L. 2 13.
Vitę humanæ diuerſi ſtatus. L. 3. in fine.
Laus vitæ ruſticę. G. 49. 41.
Quis fuerit auctor vini? ibid.
Vitis etiam ante diluuium fructifera ibid.
Vitia quomodo eleuantur? L. 14. 7.
Vitia nunquam vno impetu expugnantur. D. 7. in fine.
Vncini quid? E 28. 13.
Vocari pro eſſe Hebræis vſitatum. L. 23. 2.
Vocatio gentium G 13. 19.
Bona voluntas Deo ſufficit. G. 20. 12
Vota Iudęorum quędam redimi potuerunt, quædam non. L. 27. 1. & ſeqq.
Quędam vouere non licuit. ibid. v. 27.
Res Deo per votum conſecratę quo loco fuerint? ibid v. 2..
Votum exeidii quid? N. 21. 2.
Votum etiam ſi de rebus non pręceptis G 28. 22.
De variis votis mulierum N. 30. 4. & ſeqq.
De eorundem irritatione. ibid.
Summus Pontifex olim in capite, ſacerdotes inferiores in manibus vngebantur. E. 29. 7.
Vr ciuitas Chaldæorum.
Vrbes tabernaculorum erant in quibus oleum & cæteræ Ægypti diuitię recondebantur. E. 1. 11.
Vrbes refugii quænam? D. 19. initio
An vſura fuerit aliquando licita? D. 23 9.
Vulnera die tertio cur acriora quàm primo? G. 34. 25.
Vxores regum quomodo ad thorum admitterentur? ibid.
Vxores olim ſolebant muneribus emi. G 29 18.
Vxores Hebræorum anno ſeptimo poterant abire. E 20. 4.
Quomodo vxores potuerint olim dimitti? quomodo dimiſſæ debuerint dotari? item quomodo alteri iungi? vide caput 21. E.
Plures eiuſdem vxores ſeorſim habitabant? G. 24. 28.
Quas ob cauſas licuerit vxores dimittere? D. 24. 1.
Diſtinctio inter concubinas & vxores Patriarcharum. G 2. 6.
An Iſraëlitæ plures vxores habere potuerint? D. 17. 17.
An Iſraëlitę debuerint ducere vxores de tribu ſua? N. vlt. 7.

Z

Zabulon, id eſt habitaculum. G. 30. 20.
Zabulon typus Apoſtolorum. G 49. 14.
Zara & Phares gemelli cuius rei ſignum fuerint. G. 38. in fine.
Zelus Dei quis & qualis? E. 29 6.
Zenonis error de mundo ex materia Deo coæterna fabrefacto. ibid.
Zephiona vrbis nomen. N. 34. 9.
Zona ſacerdotalis. E. 28 39.

FINIS.

REVERENDISSIMI

REVERENDISSIMI DOMINI CORNELII IANSENII Epiſcopi quondam Iprenſis ANALECTA IN PROVERBIA, ECCLESIASTEN, SAPIENTIAM, HABACVC, SOPHONIAM.

LIBER *hic indubitatè ſacer & nunc & olim habitus eſt, vt pote quem non modò primordialis ille Spiritus ſancti afflatus, ſed etiam ſi quis adhuc ambigeret, Prophetæ atque Apoſtoli conſecraſſe videantur. Hinc enim mutuatus eſt Iſaias verſ. 7. cap. ſui 59. Pedes eorum ad malum currunt, &c. Prouerb. 1. Hinc Paulus v. 5. & 6. c. 12. ad Hebr. Noli negligere, &c. Prouerb. 3. Hinc Petrus verſ. 22. cap. 2. Epiſtolæ 2. Canis reuerſus ad vomitum. Prouerb. 26. Hinc Iacobus v. 6. c. 4. Humilibus dat gratiam, Prouerbiorum 3. Hinc ipſe Dominus verſum 19 cap. 3. ſuæ Apocal. Ego quos amo arguo & caſtigo Prouerb. 3.*

Inſcribitur Latinè Prouerbia Græcè Parabolæ, vel Parœmiæ, Hebaicè משלי. *Quæ quomodo inter ſe, & à ſententiis ſeu gnomiis, adagiis & ænigmatibus differant, non ita liquet. Hebraïcum* משלי *à* משל *deducitur, quod comparare ſeu aſſimilare ſignificat, itemque dominari, ſeu principari, vnde* משל *qualibet locutio metaphoram vel ſimilitudinem comprehendens vocatur, ſiue clara, ſiue obſcura, idque quod continuitate ſua vim magnam habeat, & quaſi dominetur in oratione. Vnde Græci ſimili de cauſa Axiomata, id eſt dignitates vocant. Affine eſt huic latiſſimæ ſignificationi vocis Hebraïcæ, Græcum Parabola, ſignificans ſermonem aliquem qui rei alicuius geſtæ vel gerendæ ſimilitudinem habet, ad cuius intellectum deducit; vt definit* [d] *Auctor quæſtionum apud Iuſtinum quæſt. 60. & Clemens Alexandrinus l. 6. Stromatum Vnde Aug. 1. de Trinitate c. 10. pro Parabolis legit ſimilitudines. Solet autem eſſe parabola obſcurior pauloque proxilior narratio, quæ quia metaphorica eſt, hiſtoriæ opponitur, vt apud Iuſtinum notatur, quales ſunt multæ propriiſſimè dictæ in Euangelio. Si enim conciſa eſt ſimilitudo, per modum figuratæ obſcurioriſve ſententiæ, non tam erit parabola quam adagium, parœmia, prouerbium. Quæ tria idem quidem, ſed ratione diuerſa ſignificant. Parœmia enim Græcè quaſi ad, vel præter viam dicta ſignificat, teſte Baſilio Homil. in initium Prouerbiorum Verbum ad viam, vſu vulgi tritum, vnde & adagium Varro quaſi ambagium vel circumagium dictum putat, vel fortè ab effectu, quaſi ad agendum præmonens, dicti ſcilicet celebritate & auctoritate. Eadem Prouerbii notio eſt, qua pro omnium hominum communi verbo vſurpatur. Omnibus his communis eſt quædam elegantia & moderata quædam obſcuritas, vt loquitur ſanctus Baſilius. Nam, ſi iſta deſint, erit communis ſententia, ſeu gnome. Si*

autem obſcuritas eſt immoderata, fiet ænigma. Eſt enim vt definit Auguſt. in Pſalm. 48. obſcura parabola quæ difficilè intelligitur: ſi enim facilè intelligatur, non erit ænigma. Ex quo fieri poteſt, vt ænigma poſt interpretationem, fiat prouerbium. Sed parabolæ, prouerbium, parœmia in Scripturis frequentiſſimè confunduntur, & latiore notione ſignificant quamuis celebrem grauemque ſententiam, maximè paulò obſcuriorem, contineat propriè parabolam, ſiue ſimilitudinem, ſeu verum adagium, ſiue non. Hinc Chriſtus, hæc in prouerbiis locutus ſum vobis, Græcè in parabolis, id eſt obſcuro ſermone Et Pſalmiſta, Aperiam in parabolis os meum, id eſt, obſcuriores & graues ſententias. Hinc quidam tranſtulerunt. Sententiæ Salomonis. *Prudentiſſimè autem hanc obſcuritatem in prouerbiis aliiſque parabolicis ſermonibus vbique affe-ctat Scriptura, quam quotquot antiquitùs aliquid de morum diſciplinâ poſteris tradiderunt, imitati ſunt ſymbolicis locutionibus omnia obumbrantes Ægyptii, Caldæi, Pythagoras, Triſmegiſtus, Poëtæ. Sic enim à myſteriis indigni arcentur, digni exercentur, quærendâ delectantur, inuentâ veritate edomantur, labore ſuperbia intellectus à faſtidio renouatur, cui facile inueſtigata plerumque viléſcunt, vt docet Auguſtinus ſæpius. Quæ cauſa videtur fuiſſe vt Hebræi antiquiores loco diſciplinæ dialecticæ, quæ in verborum inuolucris examinandis verſatur, iuuentutem ſuam in hiſce & ſimilibus prouerbiis, ænigmatibus ac ſermonibus Parabolicis, vſum magnum vitæ afferentibus enucleandis exercerent, vt docet Euſebius l. 11 de Præparat. Euangelicâ cap. 3. Et Auctor homiliar in Canticum apud Origenem in Prologum, logicam his tradi velit, cum dicatur cap. 1* Ad intelligenda verba prudentiæ, &c.

Auctor Salomon eſt, qui non tantùm ſententias ſuppeditauit, ſed librum ſaltem maxima ex parte compoſuit: Nulla enim de primis decem capitibus eſt ratio dubitandi.

Quem ordinem hic liber ſeruet cum Eccleſiaſte & Cantico, latiùs dixi in Præfatione in Eccleſiaſten.

CAPVT I.

PARABOLÆ Salomonis. Hic omnes auctores ſacros nominis ſui inſcriptione præceſſit, quem ſecuti ſunt Prophetæ, tametſi & hunc Prophetis annumeret Aug. l. 6. de ciuit. c. 20. quòd de Chriſto & Eccleſia prophetauerunt c. 9. Fecit autem iſtud, vt docet Baſilius homil. in initium Prouerbiorum, vt perſonæ ſplendore & amplitudine auditores facilius traheret, maximè paruulos & imperitos, quibus hæ parabolæ breuibus & obſcuriuſculis ſcribuntur ſententiis, vt & diligentiam eorum acuant, nec memoriam onerent, quæ etiam ratio eſt, vt tanti parentis, & REGIS ISRAEL nomen apponat, fructum autem vbertimum proponens totius operis.

2. AD SCIENDAM, inquit, SAPIENTIAM, non illam ſterilem, quæ nec eo nomine digna eſt, ſed bonis operibus fœcundam, non nudâ rerum ſpeculatione frigidam, ſed piæ voluntatis ardore ſuccenſam, non denique Philoſophicam, ſed Chriſtianam. Hæc eſt ſcientia & ſapientia Sanctorum, videre & guſtare, quàm ſuauis eſt Dominus. Sapientiam, inquit Baſilius, dignam pretioſam, & veram, quæ tota in moribus ſita eſt: hæc autem quia piç & ſanctæ vitæ perfectio eſt, hinc eius adiutoria & officia accuratiùs ſubiungit. ET DISCIPLINAM, ſapientiam doctricem, ſiue eam quç à peritis informantibus & inſtruentibus ſuſcipitur, ſiue illam ſeueriorem per caſtigationes à Deo vel hominibus immiſſas, quibus iuniorum exultantes paſſiones coërcentur, vt ad ſapientiam pertingant: Hebraïcum enim

מוסר frequenter hoc libro pro huiuſmodi ſeueriore inſtitutione, correptione & caſtigatione vſurpatur. Proinde Sapientia ad grandæuos atque perfectos, vtpote omnium laborum fructus, videtur pertinere; diſciplina verò ad iuniores & imperfectos. Et quia myſticæ illius ſapientiæ eſt illuminare, diſciplinæ verò animum ad diſcendum facilem reddere; hinc ſingula reddens,

3. AD INTELLIGENDA, inquit, VERBA PRVDENTIÆ, quod ſapientum proprium eſt; ET SVSCIPIENDAM ERVDITIONEM DOCTRINÆ, quod iuniorum & imperfectorum, libenter inſtructiones & correptiones auſcultare, vt ad ſolidam doctrinam intelligendi obſcuriora, agendique perficiant IVSTITIAM, IVDICIVM, &c. Hic eſt ſcopus fructus & explicatio iſtius ſapientiæ & diſciplinæ, quia ſcilicet talis eſt vt pariat iuſtitiam, omni ſcilicet generi bonorum operum incumbentem, ET IVDICIVM, quod rectè de bonis maliſque diſcernit: ſic enim ea duo diſtinguit Auguſt. in Pſal. 105. quoniam propriè ſumitur; nam in iudicio eſt veritatis cuſtodia, in iuſtitia fructus æquitatis, inquit Ambr. ſerm. 16. in Pſal. 118. videntur tamen ſubinde in Scripturis pro iiſdem vſurpari, vt etiam Auguſt. fatetur, ET ÆQVITATEM, id eſt, quidquid rectum eſt cum iudicio ſcilicet & iuſtitia factum. Vnde videtur vtrumque complecti & potius exactionis causâ adiici, quàm intentionis rectitudinem indicare, vt quidam volunt. Supplendum pro omnibus præcedentibus, *ſcripta ſunt*, vel ſimile.

4. VT DETVR PARVVLIS non tam ætate quàm ſenſu: Hebraicè enim ſignificat perſuaſu & intellectu faciles, quod 70. ſæpè hoc libro verterunt, INNOCENTES, intelligentes non illam innocentiam, quæ longâ virtutum exercitatione comparatur, ſed mali ignorantiam, quæ defectu vel experientię vel ætatis adhæret, vt notat S. Baſil. loco cit. Vt talibus ergo DETVR ASTVTIA, non illa in malum accepta verſutia, ſed prudentia, quæ agenda & maximè vitanda diſcernit. ADOLESCENTI, id eſt, paulò prouectiori ſiue ætate ſiue profectu, SCIENTIA ET INTELLECTVS, quæ prudentis operationis ſint fructus. Sed ne quis putet rudioribus tantum hunc librum eſſe ſcriptum, ſubiungit duo emolumenta etiam ſapientiorum. Primum,

5. AVDIENS SAPIENS SAPIENTIOR ERIT, id eſt, ille qui profectu mentis ignorantiam puerilem, & imperitiam iuuenilem ſuperauit, habebit adhuc quod hîc addiſcat, nempe vt peritior fiat. ET INTELLIGENS GVBERNACVLA POSSIDEBIT, hoc eſt, comparabit ſibi gubernandi rationem, peritiam ſcilicet & ſeipſum & alios gubernandi, ac dirigendi ad vitæ humanę portum, vt nullis vel ſuis cupiditatibus, doloribuſve, vel rerum humanarum tempeſtatibus cedat, nec corrumpatur proſperis, nec frangatur aduerſis, de quo latiùs D. Baſil. in hunc locum. Gubernacula enim non ſignificant hîc clauum nauis, ſed prudentes cogitationes, quibus gubernamur.

6. ANIMADVERTET PARABOLAM, hoc eſt, hiſce præceptis intelligendis & obſeruandis exercitatus quæuis obſcura dicta attendet ac penetrabit, quod more Heb. per ſequētia exponens, VERBA, inquit, SAPIENTVM ET ÆNIGMATA EORVM. Hactenus operis huius à fructibus commendatio, nunc de ſapientiæ comparandæ origine.

7. TIMOR DOMINI PRINCIPIVM SAPIENTIÆ. Principium hîc aliqui recentiores pro præcipuâ parte exponunt, timorem verò pro pietate Dei, reuerentia ſeu cultu, Græcis εὐσέβεια, ſed quia vult manuducere rudiores ad aſſequendam ſapientiam, principium pro vero initio exponendum eſt. Quo poſito nec timor pro pietate, ſeu cultu accipiendus videtur, etſi ſubinde ſic accipiatur: talis enim timor non eſt initium, ſed plenitudo ſapientiæ, vt alibi dicitur: non enim Deus verbis, ſed iuſtitiæ factis colitur, quæ ſapientiam ſupponunt. Itaque potius cum veteribus maximè S. Aug. tract. 9. in ep. Ioannis, & alibi crebrò, timor verus quo anima iudiciorum diuinorum terrore concutitur, accipiendus eſt; ille enim eſt cuſtos animæ infirmæ, ne præceps imperita ruat, cum autem per timorem continuerit ſe à peccato, fit conſuetudo iuſtitiæ, & incipit quod durum erat,

amare, dulceſcit Deus, & iam homo incipit iuſtè viuere, non quia timet pœnas, ſed quia amat æternitatem, inquit in Pſal. 127. quibus verbis exponit modum, quo in animam introducitur charitas, & indiuiduus comes eius ſapientia, quæ introducta timorem illum expellit, ſed alium caſtum, id eſt filialem inducit, reuerentiam ſcilicet, qua Dei non iudicis, ſed patris offenſa horretur, de quo timore dicitur: ecce timor Domini, ipſa ſapientia, & plenitudo ſapientiæ eſt timere Deum. SAPIENTIAM ATQVE DOCTRINAM STVLTI DESPICIVNT. Eſt oppoſitum præcedentium, quaſi diceret, qui pro ſtultitiâ & animi temeritate ſtultis propriâ, Deum non timent, omnis quoque ſapiētiæ cōtemptores fiunt, & communiter doctrinæ, quia ad ſapientiam poſſint pertingere.

His breuiter de Deo præmiſſis pergit ad officium erga homines, ſed quia ad parentes ſuos homo aperit oculos, & hæc vita ab eorum amicitia ſumit exordium, vt inquit Aug. lib. de 10. chordis c. 6. hinc præcepta ſua auſpicatur à parentum obſeruantia & obtemperantia.

8. AVDI FILI MI, &c. ET NE DIMITTAS LEGEM MATRIS TVÆ, quam tibi cum lacte inſtillauit.

9. VT ADDATVR GRATIA CAPITI TVO. Corona ſcilicet, vt 70. tranſtulerunt, quæ capitis gratia ac decor eſt. ET TORQVIS COLLO TVO. Qua alluſione ad puerorum vel etiam ad certantium ornamenta, excitat ad immarceſſibilem gloriæ coronam, & diadema ſpeciei de manu Domini accipiendum, ſed vt non modò intra domeſticos parietes, verũ etiã extra muniti ſint adoleſcētes, pernicioſiſſimũ iuuentutis ſcopum cauendũ docet, conſortium ſcil. improborum.

10. SI TE LACTAVERINT PECCATORES, id eſt, ſi perpetrando mala blandientes ingerunt, vel etiam perpetrata fauoribus extollunt, NE ACQVIESCAS EIS. Horum autem orationem, omnium facinarum impedimenta captioſiſſimè amolientem ſubiungit, vt caueatur.

11. VENI NOBISCVM, nempe adiutoribus futuris, INSIDIEMVR SANGVINI, id eſt vitæ hominum inſtruamus inſidias, nempe vt ſecretum pudorem abſtergat, ABSCONDAMVS TENDICVLAS, ſiue laqueos, CONTRA INSONTEM, qui vt nihil nobis nocuit, ita nihil timebit, FRVSTRA, id eſt, gratis & ſine cauſa, vel etiam impunè. Iunge cum, ABSCONDAMVS: impunitas enim eſt incentiua delinquendi. Ne autem impunitatem deſperet, occultari poſſe oſtendit.

12. DEGLVTIAMVS EVM SICVT INFERNVS VIVENTEM, nempe in integrum tollamus è medio, vt nullum eius ſuperſit veſtigium, quaſi vel in inferno inſtar Core abſorptus, vel in altiſſimam foueam, vt Ioſeph eſſet demerſus. Omnia hæc præcedentia in Hebræo per futurum leguntur, quomodo ſi legantur, maiorem habent perſuadendi efficaciam.

13. OMNEM PRETIOSAM SVBSTANTIAM, hæc ſpes lucri eſt, per compendium aſſequendi acerrimus improbitatis ſtimulus.

14. SORTEM MITTE NOBISCVM, quaſi diceret, ex æquo nobiſcū, tametſi rei gerendæ ducibus MARSVPIVM VNVM, &c. quidquid nacti fuerimus, in commune conferemus.

17. FRVSTRA AVTEM IACITVR RETE ANTE OCVLOS PENNATORVM, quaſi diceret, ideo ante oculos tuos doloſas improborum artes depinxi, vt eas vites, quemadmodum ea quæ nimis apparent retia vitat auis. In hunc ſenſum ſanctus Gregorius 16. moral. c. 11. quos eorum conatus eò magis deteſtari debes, quia

18. IPSI QVOQVE CONTRA SANGVINEM SVVM INSIDIANTVR, ita videlicet vt etiam frequenter temporali morte plectantur, ET MOLIVNTVR FRAVDES CONTRA ANIMAS SVAS, vt ſcilicet æternâ poſthac animarum perditione damnetur, & ſic omnia in caput eorum recidant, quæ non tantum prædonibus iſtis, ſed

19. SEMITÆ OMNIS AVARI ANIMAS POSSIDENTIVM RAPIVNT, id eſt, omnis auarorum fraudulentus acquirendi modus ipſorum auarorum, diuitias poſſidentium, animas tollit, & ad perniciem ac interitum ſempiternum rapit.

20. SAPIENTIA FORIS PRÆDICAT. Clancularijs illis ac ſeductorijs ſermonibus contrariam inducit orationem ſapientiæ grauiſ-

ſimam omni arte patulos ad ſe reuocantis. Recentiores nonnulli exponunt hanc ſapientiam eſſe ipſam honeſtatem aut veritatem, cui affingatur perſona. Sed frigidum hoc eſt. Veteres ferè ipſam diuinam ſapientiam aptiſſimè intelligunt: hæc enim foris prædicat, quia palàm & magnâ voce clamitat, non in penetralibus, non in deſertis, vt hæretici & clanculares ſeductores, nec foris tantum ſiue extra limitem domus, ſed & IN PLATEIS, neque hoc tantum, ſed

21. IN CAPITE TVRBARVM vbi frequentiſſima eſt turba, adeoque IN FORIBVS PORTARVM VRBIS, vbi iudiciorum agendorum causâ conſidet Magiſtratus, omneſque confluunt qui egrediuntur & ingrediuntur vrbem, nec illi inſuſurrat aut muſſitat verba ſua, ſed palàm audacter & confidenter dat vocem, prædicat, clamitat ad populum, ad turbas, ad Magiſtratum. Fecit hoc diuina ſapientia per legem ſcriptam in omnium cordibus, per cœli terræque conditionem, miramque adminiſtrationem, per legem in tabulis ſcriptam, per Patriarchas & Prophetas, per Apoſtolos, per ſe ipſum denique incarnatum, ac ſponſam ſuam Eccleſiam, totum orbem clamore impleuit.

22. VSQVEQVO PARVVLI DILIGITIS INFANTIAM, &c. Qua allocutione taxando notat gradatim ex dilectione infantiæ, id eſt, infantilium, nugacium ac fugacium bonorum, ad noxiorum appetitum, ac denique ad odium ſapientiæ perueniri.

23. EN PROFERAM VOBIS SPIRITVM MEVM, id eſt, totum promam quod mente conceptum teneo, vel etiam copioſiſſimè effundam ſuper vos ſpiritum meæ ſapientiæ, vt & vos eius participes eſſe poſſitis. Quod ſi & huic fueritis ingrati. OSTENDAM VOBIS VERBA MEA, id eſt, re ipſa declarabo quid euenturum ſit vobis.

24. QVIA VOCAVI ET RENVISTIS vocationi reluctando, EXTENDI MANVM MEAM, &c. ad indicandam viam, vel ad iuuandum, vel ad terrendam comminatione duritiam.

26 EGO QVOQVE IN INTERITV VESTRO RIDEO, q.d. par pari referam, deſpectui conſiliorum meorum deſpectui, riſui riſum. Quod non carnaliter accipiendum, ſed eo modo quo huiuſmodi tribui Deo ſolent, ſecundum effectum ſcilicet, quia inſtar ridentis non miſerebitur afflictis & clamantibus, ſed potius cum voluptate iuſtitiæ ſuæ ſic dictantis iudicium peraget. CVM VOBIS ID QVOD TIMEBATIS, ADVENERIT, interitus ſcilicet qui præceſſit, quem nomine calamitatis, tempeſtatis, &c. vehementiſſimè exaggerat: ille enim eſt timor impiorum.

28. TVNC INVOCABVNT ME ET NON EXAVDIAM, ſicut me vocantem non audierunt. MANE CONSVRGENT, id eſt, magno ardore me quærent, ET NON INVENIENT ME. Et vnde tanta Deo inclementia? quia videlicet non Deum, ſed ſe quærunt, qui non à malitia, ſed ab interitu & calamitate liberari deſiderant.

32 AVERSIO PARVVLORVM INTERFICIET EOS, id eſt, cauſa calamitatis & exitii eorum, eſt, quod præ impudentia ac puerilium rerum amore auerſi fuerunt à monitis ſapientiæ: Altera cauſa eſt, quod proſperitate corrupti nihil niſi temporalia dilexerunt. Quibus verbis duos fontes notat omnium peccatorum, auerſionem ab incommutabili bono, & conuerſionem ad commutabile; quemadmodum ſuprà duas reſpondentes pœnas irrogari docuit, ſubtractionem inuocatæ ſapientiæ, & calamitatem quam formidabant: & infrà verſu ſequente, ſimilia iuſtis præmia reſeruari, ſecuritatem ſcilicet ab omnibus malis, & bonorum omnium abundantiam.

CAPVT II.

1. FILI MI, SI SVSCEPERIS, &c, id eſt, ſi animo ſuſcipere decreueris, atque inſtar theſauri pretioſi in pectore abſcōdere.

2. VT AVDIAT SAPIENTIAM AVRIS TVA: INCLINA COR, &c. id eſt, ad hoc vt vtiliter & cum fructu deſiderato aures tuæ præcepta ſapientiæ excipiant, in primis neceſſarium eſt, vt inclines cor tuum, AD COGNOSCENDAM PRVDENTIAM, nempe vt propenſum incenſumque ſapientiæ deſiderium ad audiendum adferas. Rectè autem, inquit, INCLINA COR: demiſſus enim animus ſapientiæ imprimis capax eſt, cùm ſpiritus ſapientiæ & intelligentiæ ſuper humilem re-

quieſcat. Sed quia non ſufficit humili corde deſiderare ſapientiam, addit:

3. Si enim sapientiam invocaveris, id eſt, ſummis precibus à Deo poſtulaueris, & quaſi in te vocaueris: Nam vt docet Auguſtinus libro 2. de ſermone Domini in monte cap. 3. ipſa orationis intentio cor noſtrum ſerenat & purgat, capaciuſque efficit ad accipienda diuina munera. Cuius rationem addens, quia, inquit, in ipſa oratione fit conuerſio cordis ad Deum, & in ipſa conuerſione purgatio interioris oculi, cùm excluduntur ea quę temporaliter cupiebantur, vt acies cordis ferre poſſit ſimplicem lucem diuinitùs ſine vllo occaſu aut immutatione fulgentem, nec ſolùm ferre, ſed etiam manere in illâ cum ineffabili gaudio. Et quia nec deſideria, nec vota ſufficiunt, addit & ſtudium:

4. Si quæsieris eam quasi pecvniam, &c. tantâ ſcilicet diligentiâ, quantâ ab hominibus pecunia quæritur, tanto labore & perſeuerantiâ, quanto theſauri effodiuntur:

5. Tvnc intelliges, ſiue percipies, Timorem Domini, tamquam theſaurum, pro quo laboraſti: Timor enim Domini ipſe eſt theſaurus eius, inquit Iſaias capite 33. Eſt autem timor ille de quo Iob Timor Domini ipſa eſt ſapientia, & recedere à malo intelligentia: filialis nimium, quo Dei offenſa formidatur, qui ſapientię comes eſt indiuiduus. Meritò autem poſt vota & preces fuſas donum illud ſperandum eſt, quia nulla humana induſtria, nulli philoſophorum libri: imò nulla etiam ſacræ ſcripturæ lectio, nulla concio, ſed

6. Dominvs dat sapientiam. Vt enim, inquit Auguſtinus tractatu 3. in Epiſtola Ioannis, admonere poſſumus per ſtrepitum vocis, ſed quod Spiritus Sanctus intùs non docet, indocti redeunt, Magiſteria forinſecùs adiutoria quædam ſunt & admonitiones, cathedram in cœlo habet qui corda docet Et ex ore eivs prvdentia et scientia, qui illas oris ſui afflatu pectoribus piorum atque humilium inſpirat Si enim Dominus magnus voluerit, ſpiritu intelligentiæ replebit eum. Inter quæ ſi quod diſcrimen exigas, licebit cum Auguſtin. 12. de Trinitate capite 14. ſapientiam æternorum contemplationi deputare, ſcientiam actioni: ita tamen vt ſcientia magis in illis eniteat, quæ propter rerum ad virtutis vſum neceſſariarum documenta cognitione hiſtoricâ colliguntur: prudentia verò ad ipſam bonorum malorumque in agendo diſcretionem pertineat.

7. Cvstodiet, id eſt, theſaurizabit, ſiue tamquam theſaurum reconditum ſeruabit. Rectorvm salvtem, vt eam ſcilicet ipſis petentibus det; hæc autem ſalus eſt ipſa petita ſapientia: per ſapientiam enim ſanati ſunt quicumque placuerunt tibi Domine à principio Sap. 9. Poſt impartitam autem ſapientiam, Proteget gradientes simpliciter, id eſt, integrè, non duplici animo in Deum & mundum diuiſo viam mandatorum currentes.

8. Servans semitas ivstitiæ, ne ſcilicet vel errore, vel infirmitate ab eis declinent. Modum autem exponens quo Deus hoc in rectis corde operatur, ſubiungit:

9. Tvnc. Refer ad v 4 & 5. cum ſcilicet ſapientiam precibus & ſtudijs, &c. inuocaueris, intelliges ivstitiam, illo intelligendi modo, quem non litigantium diſputatio, ſed piorum charitas parit. Quos ſaluberrimos ſapientię effectus latiùs exequitur, oſtendens per eam vtrumque nobis præſtari, vt & declinemus à malo, v. 12. & ſeq. & faciamus bonum v. 20 vſq; in finem.

11. Consilivm cvstodiet te et prvdentia servabit te, qui ſapientiæ duo excubitores tamquam ex ſpeculo proſpiciunt tempeſtates futuras.

12. Vt ervaris a via mala, à prauo, ſcilicet viuendi inſtituto, & vt in eo fir- iùs ambules ſeruabit te, et ab homine qvi pervcrsa loqvitvr, hoc eſt, malæ vitæ conſortibus & ſuaſoribus, quibus nihil adoleſcentiæ eſt periculoſius. Depingit eos ſuis initijs & progreſſibus, vt facilè dignoſcantur: ſunt enim illi

13. Qui primò relinqvvnt iter rectvm, viam ſcilicet regiam veritatis honeſtatiſque luce fulgentem, ab ea verò lapſi ambvlant per vias tenebrosas, ſemper quidem animi cæcitate multiſque ſalebris,

ſæpe etiam erroribus plenas. Ita enim iuſtum eſt, vt qui lucem & iter rectum tenere cùm poſſent noluerunt, pluat Deus pœnales cæcitates ſuper illicitas eorum cupiditates, vt etiam cùm voluerint videre, non poſſint. Hinc profundiùs lapſi

14. LÆTANTVR CVM MALEFECERINT ET GLORIANTVR &c. tanta enim fit cæcitas hominum, vt de cæcitate etiam glorientur, Aug. *lib.* 3. *Confeſſ. cap.* 3. quod ſignum eſt confirmatæ improbitatis. Sed quia minus eſt à virorum ſeductione ſeruaſſe, addit aliud maximum ſapientiæ beneficium:

16. VT ERVARIS A MVLIERE ALIENA, ſupple ex verſu 11. prudentia ſeruabit te. Aliena & extranea mulier non eſt mulier alterius religionis, ſed viri, QVÆ MOLLIT SERMONES SVOS, id eſt, lenociniis verborum linit ac pellicit: nihil enim eſſe ſentio, inquit Aug. *ſoliloq. c.* 1. quod magis ex arce deiiciat animum virilem, quàm blandimenta fœminea, quæ

17. RELINQVIT DVCEM PVBERTATIS SVÆ, id eſt, primum coniugem, quem à pubertate vt ducem ſequendum acceperat.

18. ET PACTI DEI SVI OBLITA EST, tum fœderis nuptialis à Deo inſtituti, tum legis ac teſtamenti diuini, quo adulterium vetatur, & adultera diriſſimis pœnis plectitur. Quâ mariti ac Dei obliuione inſinuat nec adulterinis eius amoribus multùm eſſe fidendum. Cur ab ea iuſtus per ſapientiam liberandus eſt? INCLINATA EST ENIM AD MORTEM DOMVS EIVS ita vt tam illa, quàm is qui blanditiis illectus ad eam declinat, ad mortem tum æternam tum temporalem ex lege debitam declinet. ET AD INFEROS, cum quibus damnetur, SEMITÆ IPSIVS, id eſt, inſtitutum vitæ, per quod ambulat. Et ſicut qui in mortem incidit, inde numquam ſuis viribus liberatur, ita &

19. OMNES QVI INGREDIVNTVR AD EAM, id eſt, conſuetudinem cum ea habent, phraſi ſcripturæ vſitatâ, NON REVERTENTVR ad mentis ſanitatem, voluptate nimirum ineſcari: libidinis enim maximè inoliteę curatio eſt difficillima. Vnde Propheta Oſee c. 5. de idololatria ſub figura fornicationis loquens; Non dabunt, inquit, cogitationes, ſuas, vt reuertantur ad Deum ſuum, quia ſpiritus fornicationum in medio eorum. Proinde ſi quis inde reuerſus fuerit non ſibi tribuat; ſed qui gloriatur, in Domino glorietur.

21. QVI ENIM RECTI SVNT, corde & voluntate, quorum ſcilicet voluntas ipſi rectitudini, hoc eſt, immutabili regulæ diuinæ ſapientiæ & voluntatis adhæret, HABITABVNT IN TERRA, non morientium, ſed viuentium: iuſtitiam enim operari propter præmium vitæ huius, vel alterius boni temporalis. Iudaica eſt, non Chriſtiana iuſtitia: illis enim carnalium bonorum intuitu legem obſeruantibus carnalis etiam merces promittebatur ac reddebatur. Nam iuſtis ex hac terra rapi, ne malitia mutet intellectum, ſæpè magnum eſt beneficium, & mori lucrum. ET SIMPLICES; id eſt, perfecti & ſinceri, qui nempe ſimplicem æternorum bonorum dilectionem nullo carnalium bonorum intuitu quaſi duplicitate vitiant, PERMANEBVNT IN EA.

22. IMPII VERÒ DE TERRA PERDENTVR, hinc ſcilicet pręmaturè propter ſcelera abrepti: viri enim ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos, & poſtmodum æterno illo à terra viuentium exilio mulctati.

CAPVT III.

POſt expoſitos magnificos ſapientiæ effectus, accingit ſe hîc ad ipſa tradenda pręcepta, in quibus ſita eſt ſapientia.

1. NE OBLIVISCARIS LEGIS MEÆ: non ita tamen, vt memoriâ calleas, & vitâ negligas, ET PRÆCEPTA COR TVVM CVSTODIANT, vt nempè per amorem cordi infixa hæreant: ſic enim ex intellectu per voluntatem in vitam tranſeunt.

2. LONGITVDINEM ENIM DIERVM, &c. Hæc verba ita librata ſunt, vt & de temporali vitâ ac felicitate intelligi poſſint, & de æterna. Similes enim promiſſiones mirabilis Dei ſapientia ita per Scripturam veteris teſtamenti diſpoſuit, vt eis qui Deo carnaliter ſub lege ſeruiabant Iudæis, carnale præmium ingererent; eis verò qui ſub gratia Euangelii conſtituti iam intelligunt nihil præter Deum ipſum ſeruitutis eius præmium eſſe debere, ſpirituale præmium ſi-

gnificarent, atque ita vtrique inuenirent quod deſiderabant. Intellectus ergò Iudaïcus in hæc verba incidens, promitti ſibi intelligeret longam vitam; ET PACEM, id eſt, phraſi Heb. felicitatem terrenam; & verum intelligeret: hęc enim illis tunc legem quamuis carnaliter obſeruantibus promittebantur. Sed qui diuina miſericordia, intelligit huiuſmodi bona mortalem hominem atque infirmum magis impedire a veris creaturæ rationalis bonis aſſequendis quàm promouere, ideoque iis qui capiunt eorum non amorem ſed contemptum præcipi, vitam illam vbi nemo moritur quia nemo oritur, & pacem illam Dei quæ exuperat omnem ſenſum, ſibi promitti intelligit, & verum intelligit. Idem de comminationibus malorum ſentiendum eſt.

3. MISERICORDIA ET VERITAS TE NON DESERANT. Hæc duo frequenter Scriptura coniungit, ad deſcribendum completum iuſtitiæ officium; Nam miſericordia impendit beneficia gratuita, incitante benignitate; veritas verò, hoc eſt, iuſtitia & æquitas impendit debita ſiue ex promiſſione, ſiue ex iure. Quem ergo non deſerunt hæc, omne bonum præſtat & Deo, & ſibi, & proximo. CIRCVMDA EAS GVTTVRI TVO, vt inſtar torquis ſemper ob oculos verſetur, ac memoriam excitet. Et quia guttur, loquendi organum eſt, figuratim etiam indicat, loquendo ac docendo, aliis eſſe inſtillandas. DESCRIBE EAS, non in tabulis lapideis aut characeis, ſed IN TAB LIS CORDIS TVI, vbi ſcribuntur amore, qui cùm ſit viuax, otioſus eſſe non poteſt, ſed in opera prorumpit.

4. ET INVENIES GRATIAM CORAM DEO ET HOMINIBVS, hoc eſt, gratus eris illis, ET DISCIPLINAM, hoc eſt, doctrinam qua aliis verbo & vita exemplum præbes, Deo & hominibus probabitur. Ex hoc generali virtutum omnium pręſcripto aptiſſimo ordine ad peculiaria præcepta delabitur, ordinans actiones hominis. Primò ad Deum, vt cui ſpes, fides ac timor ſiue humilitas cuſtos charitatis ſit deferenda. Offerendæ etiam primitię & terrena bona; ſufferenda verò ab eo illata mala, ac deinde ſubiunctâ præclarâ ſapientiæ commendatione, tandem pari modo erga proximum mores componit. Sed quia ſine Dei gratiâ hęc impleri non poſſũt,

5. HABE, inquit, FIDVCIAM IN DOMINO EX TOTO CORDE TVO, ita vt fiducia in Deo nullius riuuli deriuatione minuatur, hoc eſt, in nullo alio quàm in Deo figatur, ſollicitudinem omnem proiiciendo in eum, non quaſi vti non poſſemus datâ à Deo prouidentia, ſed quod nulla prorſus in ea ſit fiducia collocanda: aliud enim eſt vti, aliud inniti ſuæ prudentiæ. Hoc eſt ergo quod ſequitur: ET NE INNITARIS PRVDENTIÆ TVÆ. Hoc enim quando incipit fieri, hæſitatur de diuino auxilio: maledictus autem homo qui confidit in homine, non tantum alio, ſed & ipſo; nam & ipſe eſt homo, ſicut hoc ponderat Auguſtinus. Ipſius ergo etiam propriæ prudentiæ ſucceſſus ex diuina fiducia ſperandus eſt, alioqui ipſe conſiliarios adducit in ſtultum finem. Vnde verò tanta fiducia capi poterit?

6. IN OMNIBVS VIIS TVIS, id eſt, actionibus, COGITA ILLVM tanquam principium & finem omnium actionum noſtrarum, principium vnde debent fluere, finis in quem debent tendere. ET IPSE DIRIGET, ſiue rectos faciet, GRESSVS TVOS, quibus ad æternitatem ambulas. Tunc autem recti ſunt cùm ex illo, per illum, & in illum tendunt, hoc eſt, cùm ex eius auxilio, ſecundùm eius volũtatem, ſiue per legem eius in illum ſolum vt finem religioſi cultus diriguntur. Directis autem ex diuino auxilio greſſibus.

7 NE SIS SAPIENS APVD TEMETIPSVM. Heb in oculis tuis, vt vel tibi tribuas quod Deo tribuendum eſt, vel iam ſecurus tibi in adepta ſapientia & perfectione complaceas. TIME DEVM, formidans, ne qui fieri potuit ex deteriore melior, fiat etiam ex meliore deterior, vt inquit Auguſtinus 10. *Confeſſ. cap.* 32. Itaque time Deum verens & profunda eius iudicia & offenſas: hoc eſt enim quod addit, ET RECEDE A MALO. Simili modo Apoſtolus cùm dixiſſet, Tu autem fide ſtas, tollens ſecuritatem, Noli, inquit, altum ſapere, ſed time. Hæc ergo ſi præſtiteris,

8. ERIT SANITAS VMBILICO TVO, id eſt, omnia tua infirma ſanabuntur: pars enim

nfirmior vmbilicus eſt, ET IRRIGATIO OSSIVM TVORVM, hoc eſt, vires animæ ſiue virtutes, quæ inſtar oſſium tota hominis fortitudo ſunt, ſicut adipe & pinguedine replebuntur; Medullarum enim irrigatio oſſium eſt ſanitas, vt eſt *Iob. 21. verſu 24.*

9. HONORA DOMINVM DE TVA SVBSTANTIA, non aliena, ſed tua iuſtis laboribus parta, offerendo nempe Deo in Sacerdotibus quod lege præſcripſit: de illis enim agit. ET DE PRIMITIIS FRVGVM TVARVM DA EI, dando ipſis vt Dei miniſtris, vt tali intuitu Deus ipſe in illis honoretur. Primitiarum enim oblatio ſignificat omnia eſſe à Deo, cui in primitiis tota quaſi maſſa in gratiarum actionem conſecratur.

10. ET IMPLEBVNTVR HORREA, &c. quia largitio eſt fons benignitatis, & totum communicans rurſum impletur, quemadmodum ad vbera quæ ſuguntur, ſolet lac copioſius accedere, vt inquit Clemens Alexand. lib. 3. pædagogi. Nec tamen tantùm in proſperis Deum colas, ſed

11. DISCIPLINAM DOMINI, quia te flagellis corripit, vt vel corruptam te ſecando ſanet, vel ne corrumparis proſperitate, præmunit. NE ABIICIAS, per murmura vel impatientiam; NEC DEFICIAS, id eſt, ne diſſoluaris ac enerueris ab operatione bona & ſpe per puſillanimitatem, CVM AB EO CORRIPERIS:

12. QVEM ENIM DILIGIT DOMINVS, CORRIPIET, vt emendet quod prauum eſt. Artis ergo eſt iſta correptio, non crudelitatis, amantis non damnatis, medici non tortoris, vt loquitur *Aug. in pſalmos.* Medicus enim non amat ægrotantem ſi non odit ægritudinem, vt liberet ægrotum perſequitur febrem, vt eſt *ſerm. 237. de tempore.* ET QVASI PATER IN FILIO COMPLACET SIBI, illo æterno prædeſtinationis beneplacito, quo ei hereditatem decreuit, quem quia nemo inemendatus & coinquinatus adire poteſt, hinc talem filium erudit, putrida ſecat, fluxa caſtigat, contemnit eius voluntatem, vt conſulat ad vtilitatem, & hoc totum quia pater eſt, quia hereditatem parat, feriendo pius eſt, & caſtigando miſericors, vt eſt *ſerm 94. de tempore.* Quos enim Deus abiecit vt reprobos, iram eius ferunt tantò grauiorem, quantò eis hîc minùs iraſcitur.

14. AVRI PRIMI ET PVRISSIMI FRVCTVS EIVS, hoc eſt, fructus ſapientiæ melior eſt negotiatione auri primi, id eſt, puriſſimi. Hebraïcè enim eſt, pro auro prouentus eius.

16. LONGITVDO DIERVM, æternitas ſcilicet, hoc enim proprio modo dicit Scriptura longum quod æternum eſt, nam quidquid finem habet, breue eſt, inquit *Aug. in pſal* 120. IN DEXTERA EIVS ſiue manu, ſiue parte, id eſt, latere dextro, vt his quaſi comitibus ſtipata incedat ſapientia, ET IN SINISTRA EIVS DIVITIÆ ET GLORIA, temporalis ſcilicet fœlicitas, vel huius vitæ ſufficientia, quæ bona exiſtimantur ab hominibus, inquit idem, quæ in ſiniſtra ſunt tamquam minoris momenti, adeoque præ muneribus dextræ contemnenda. Quanquam poſſet quis non ineptè per diuitias & gloriam intelligere aliorum ſpiritualium chariſmatum affluentiam & conſcientię gloriationem, quæ per ſapientiam afferuntur: Nam de ſolâ ſæculi huius longâ vitâ, diuitiis, gloriâ, hoc accipere minùs conſentaneum eſt, cùm potiùs paupertas & ignominia & perſecutio maneat eos qui hîc verè pii, id eſt, ſapienter viuunt, vt in tot Martyrum immaturâ morte & ignominiis manifeſtum eſt.

17. VIÆ EIVS, hoc eſt, præcepta ſapientiæ, VIÆ PVLCHRÆ, ſunt enim præcepta ipſiuſmet veritatis, in qua quia nihil omninò falſum, nihil diſſonum, nihil vitioſum eſſe poteſt, tam pulchra eſſe neceſſe eſt, vt præ pulchritudine luceant & illuminent oculos. ET OMNES SEMITÆ EIVS PACIFICÆ, id eſt, pacem menti ac tranquillitatem conciliant: colligunt enim diſperſos animæ amores in vnum amorem Dei, quo creſcente creſcit & pax, quo perfecto perfecta eſt pax, quia nullâ amplius ſæculi vel proſperitate vel aduerſitate turbatur, eo quòd nec illam amet, nec iſtam timeat.

18. LIGNVM VITÆ EST HIS QVI APPREHENDVNT EAM, quia inſtar ligni vitæ præſtat animæ rationali, vt alimento eius viuificata in labem mortemque nequitiæ non vertatur, atque ita perditam immortalitatem fœlicitatemque reſtituit, ſed paulatim ordine ac termino quem Deus præfixit.

Poſt has miras Sapientiæ dotes, mirabilio-ra eius opera attexit, vt magis magiſque animos ad amorem eius inflammet.

19. ᵃ DOMINVS SAPIENTIA FVNDAVIT TERRAM. Hæc apertè de diuina ſapientia intelliguntur, de qua omnia à v. 13. poſſunt intelligi, atque à veteribus qui aliquid de his attigerunt, intelliguntur, Greg. 12. Moral. c. 4. Beda & aliis, vt ſine vllâ perſonæ mutatione omnia cohæreant: idque eò magis, quod hominis ſapientiæ non ſit aliud quàm inuentio & participatio æternæ & immutabilis ſapientiæ ſeu veritatis: Tunc autem eam inuenit homo & participat, ita vt & ipſe ſapiens fiat, cùm ei mens eius amore charitatis affigitur. Dominus itaque ſapientia fundauit terram, ita vt immobilis inſtat fundamenti, nullo tamen fundamento nixa perſiſtat. Fundauit itaque, vt alibi, ſuper nihilum, quod admirabile opus ipſe Deus inculcat Iob. 38. Super quo baſes illius ſolidatæ ſunt, aut quis demiſit lapidem angularem eius? STABILIVIT CÆLOS PRVDENTIA, id eſt, eâdem ſapientiâ cælos naturæ indiſſolubili ſoliditate perenni motuum ac gyrorum conſtantia ſuper immobiles cardines, idque ipſum in nihilo firmauit.

20. SAPIENTIA ILLIVS ERVPERVNT ABYSSI, ex occultis voraginibus per fontes & flumina in apertum prorumpentes. ET NVBES RORE CONCRESCVNT, hoc eſt, vagus & fluxus ille vapor frigore in pluuias veluti in guttas roris cogitur: Quibus quatuor operibus mirabilibus totam vniuerſitatem viſibilem, terram, cælum, aquam & aërem complexus eſt.

22. ET ERIT VITA ANIMÆ TVÆ: vita enim vigor & ſanitas animæ eſt ſapientia, mors ſtultitia. ET GRATIA FAVCIBVS TVIS, hoc eſt quod ſuprà dixit, torques collo tuo, quamquam figuratè ſignificet ſapientiam etiam per doctrinam quæ ore & faucibus traditur, in vtilitatem aliorum promptu-ram.

23. TVNC AMBVLABIS FIDVCIALITER, magnâ ſcilicet cum fiduciâ tamquam de diuino fauore & protectione ſecurus. ET PES TVVS NON IMPINGET, quia non in tenebris ſed lumine ſapientiæ ambulabis, cuius proprium eſt non impingere: omnis enim offenſio fit, quia ab eius luce diſceditur.

24. SI DORMIERIS, ſiue ſomno oculorum, ſiue mortis, NON TIMEBIS, quia timoris cauſas non habebis: ſecuritas enim conſcientię omnem timorem excludit, quia non mala, ſed bona ipſi exſpectanda ſunt, præſtante hoc ipſum charitate. Ex quo fit vt etiam ipſa morte irruente, in pace in idipſum, imò lætitia dormiant & requieſcant, vt quibus non vltio, ſed corona iuſtitiæ repoſita eſt. His ergò duabus ſententiis motum & quietem hominis, hoc eſt, omnem vitæ & mortis diſpenſationem complexus eſt. Sic ergo ſapientia munitus

25. NE PAVEAS REPENTINO TERRORE, hoc eſt, ſubito malorum terribilium, hominum potentium occurſu:

26. DOMINVS ENIM ERIT IN LATERE TVO, inſtar ſatellitis ad cuſtodiam: quamuis inter innumeros hominum impiorum ac dæmonum laqueos & perſecutiones ambules. TAMEN CVSTODIET PEDEM TVVM NE CAPIARIS, id eſt, laqueis eorum inuoluaris, ita nempe vt vel viuendo eas vincas, vel ſi miſericordiùs & magnificentiùs Deus te cuſtodire velit, vt eas vincendo moriaris.

Interpoſito hoc ſapientiæ elogio, pergit ad ea præcepta quæ ſpectant proximum.

27. NOLI PROHIBERE BENE FACERE, &c. teporem ſcilicet verbo vel exemplo iniiciendo, vt tua vitia aliorum conſortio obſcurentur, ſed ipſe potiùs eum inuitare, ſi non vis præcedere.

28. CRAS DABO TIBI. Hilarem enim datorem diligit Deus, quia inuitus eſt qui dando lentus eſt. Hæc duo præcepta ad bonum informant, duo ſequentia arcent à malis.

31. NE ÆMVLERIS HOMINEM INIVSTVM, inuidendo eius vel potentiæ vel proſperitati, nec zelo iſto incitatus IMITERIS VIAS EIVS, ad hoc ſcilicet vt ſimili fortuna potiaris; nam etſi in oculis hominum præſtent iniuſti, apud Deum diſpar eſt ratio: quod pulchra quadam membri oppoſitione declarat:

32. QVIA ABOMINATIO DOMINI EST OMNIS ILLVSOR, hoc eſt, Deus deteſtatur, & à ſua familiaritate arcet omnes qui proſperis excæcati, & ſe ſeducunt, & ſibi diſſimili-

bus illudunt. Et cvm simplicibvs, &c. id eſt, candore & animi integritate præditis familiaritatem init, & ſecreta communicat.

33. Egestas. Heb. maledictio, cuius effectus eſt egeſtas, A Domino in domo impii, ſiue citò, ſiue ſerò: habitabvla avtem ivstorvm benedicentvr benedictione temporali, quantùm expedit, ſpirituali quantùm digni ſunt ex præcedente Dei miſericordiâ.

34. Ipse delvdet illvsores, hoc eſt, aliorum ex felicitate temporali contemptores, Deus viciſſim deludet, riſu dignam oſtendens eorum vanitatem, et mansvetis dabit gratiam. Iacobus & Petrus Apoſtolus pro (manſuetis) legunt (humilibus) hoc eſt pro animi manſuetudine & humilitate patienter ferentibus aliorum inlentiam. Poſt gratiam autem huius vitæ,

35. Gloriam sapientes possidebvnt, tamquam hereditariam à Deo ſibi repoſitam poſſeſſionem: stvltorvm exvltatio, quâ hîc in ſæculo temporali flore vigent, ignominia, erit ſcilicet, quia æterna ignominia terminabitur.

Capvt IV.

Nam et ego filivs fvi patris mei tenellvs, hoc eſt vt ipſe de ſe loquitur 3. *Reg.* 3. puer paruulus, ignorãs egreſſum & introitum meum, ſed ad expedienda vel aggredienda negotia rudis, ergo & rerum imperitus, quod addit, quia nihil magis ad ſpem percipiendæ ſapientiæ erigit, quàm cùm eos quos in ſapientia callere miramur, aliquando paruulos & indoctos fuiſſe meminerimus. Vnigenitvs. Et tamen Salomoni fuerunt tres fratres, 1. *Paralip.* 3. inter quos primogenitus fuit, vt ex 2. *Reg.* 12. *verſ.* 24. clarè colligitur. Vnigenitus ergo vel pro primogenito exponendum eſt, permiſcentur enim illa ſubinde; vel vnigenitus, Heb. vnicus, id eſt, inſtar vnici ac vnigeniti à matre dilectus, vt 70. indicant, atque in deliciis habitus; per quod indicat nec ſibi impedimenta addiſcendæ ſapientiæ defuiſſe, ætatis teneritudinem, & comitem eius imperitiam, & matris indulgentiam.

4. Et docebat me, quantumuis tenellum, atqve dicebat, pater ſcilicet; nam Hebræa virilem perſonam deſignant.

5. Posside sapientiam, hoc eſt, tamquam verum & legitimum bonum tuum acquire, ſeu cura vt poſſideas ſapientiam & prudentiam, ideoque ne obliviscaris animo, neqve declines opereue a verbis oris mei.

6. Principivm sapientiæ, posside sapientiam, hoc eſt principium & caput vnde inchoandum eſt hoc vt poſſidere & comparare tibi coneris ſapientiam, et in omni possessione tva, ſiue per omnem poſſeſſionem, omnium ſcilicet poſſeſſionum aliarum diſpendio, acqvire prvdentiam, inſtar Euangelici negotiatoris, qui venditis omnibus ſuis comparauit eam. *Acquire* autẽ eodẽ Heb. verbo exprimitur quo ſuprà ſæpius *poſſidere* tranſtulit, & propriè ſignificat emere & comparare, ſcilicet ad poſſidendum. Hîc ergo ſeipſum exponit.

9. Dabit capiti tvo avgmenta gratiarvm, ſiue addet gratiam capiti, &c. vt ſupra dixit *c.* 1. *verſ.* 9. Quod quid ſit exponit, et corona inclyta proteget te, id eſt, ſapientia capiti tuo inſtar diadematis, quo tamquam vitiorum domitor coronaberis, ornamentum erit, & ſimul contra malorum incurſum munimentum. Hoc in ipſo Salomone luculenter patuit, qui omni etiam ſeculari gloria enituit, & contra aduerſantia inuictus perſtitit, quamdiu indiuulſus adhæſit ſapientiæ.

10. Avdi et svscipe verba, intimo ſcilicet corde, quod toties hîc & infrà inculcat, vt ſignificet, non tantùm ſe de rebus magnis, vnde totius vitæ & æternitatis momenta pendeant, locuturum; ſed etiam ſe perſpectum habere, quàm ſit difficile, lubricam ætatem inter tot illecebras, tantam malorum exemplorum turbam, tantam bonorum raritatem, tantam hominum fragilitatem, adeoque ignorantiam ad ſectandam virtutem inducere.

12. Qvas cvm ingressvs fveris, incipiendo eas vſu & exercitatione terere, non arctabvntvr gressvs tvi, quia non inuenies eas amplius anguſtas & difficiles, ſicut antea, cùm eas prius ingredereris. Inci-

pientibus enim mirum in modum ardua ſunt præcepta ſapientiæ; & arcta via quæ ducit ad vitam, propter innumerabilium cupiditatum pertinacem reniſum: quibus extirpatis paulatim per cæleſtem amorem dilatatur cor, fiuntque omnia lata & facilia, vt fiat illud quod dicit Pſal. Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum. Vnde addit, ET CVRRENS NON HABEBIS OFFENDICVLVM, in quod impingas, vel quod te remoretur, eò quod amor dilatauit, complanauit, æqualem ac facilem viam fecit: Vt enim inquit Auguſtinus, Ab amante non laboratur, vel ipſe labor amatur.

16. NON ENIM DORMIVNT NISI CVM MALEFECERINT, id eſt tanto malè agendi, adeoque aliis nocendi ac ſupplantandi ſtudio accenſi ſunt, vt non poſſint ſecurè ſe ad quietem componere, niſi vel aliquod flagitium in corrumpendis ſemetipſis, vel facinus in opprimendis aliis deſignauerint. Illa eſt enim natura ſollicitudinis vt ſomnum auferat. Et cur hoc? quia ſcilicet

17. COMEDVNT PANEM IMPIETATIS &c. quia malitia & iniquitate tamquam cibo & potu paſcuntur.

18. IVSTORVM AVTEM SEMITA QVASI LVX &c. quaſi dicat, viuendi ratio iuſtorum auroræ ſimilis eſt, quæ ſuccedentibus lucis incrementis aucta tandem ad meridiem pertingit: ſic enim poſtquam per primam conuerſionem lux orta eſt iuſto, ita vt tamquam in aurora hæſitanter & titubanter quid iuſtum, quid iniuſtum intelligat; paulatim iens de virtute in virtutẽ illuminatur magis ac magis, donec ad illum perfectum æternitatis diem perueniat, qui, vt inquit Auguſtinus in *Pſal.* 83. nec ortum, nec occaſum habet, cui non cedit heſternus, quem non vrget craſtinus, vbi inſtar perfectæ diei, id eſt, meridiei ſplendentis ac feruentis lux videndi & ardor amandi in ſummo eſt.

19. VIA IMPIORVM TENEBROSA. Imò tenebræ & caligo, vt inquit Hebræus, hoc eſt nihil niſi error & ignorantia quæ per peccandi conſuetudinem & ipſe paulatim denſiores fiunt, donec ad ipſas tenebras exteriores inferni perueniant. Vnde etiam NESCIVNT VBI CORRVANT, quia nec peccata, in quæ ruunt, agnoſcunt, nec in quæ mala tenebrarum ac pœnarum peruenturi ſint.

23. OMNI ſiue diligentiſſima CVSTODIA SERVA COR TVVM, mentẽ ac voluntatem, imitatione ſcilicet naturæ, qua cor animalis tamquam vitæ totius originem multiplici vallo, membranis coſtiſque muniuit. QVONIAM EX IPSA VITA PROCEDIT. Quidquid enim in actionibus rectum, ſanum ac viuum eſt, ex voluntatis origine rectitudinem habet. Hæc autem cuſtodia fit, vt docet Auguſtinus in *Pſal.* 140. duas portas eius claudendo, cupiditatis ac timoris; per quas quidquid terrenum appetitur vel timetur, ingreditur. Vide eum latiùs. Sed obtenta cordis rectitudine, aliorum etiam membrorum vſus corrigendus eſt, in primiſque linguæ. Itaque

24. REMOVE A TE OS PRAVVM, ne praua quæcumque & maximè detractoria, vt ſequitur, loquatur.

25. OCVLI TVI RECTA VIDEANT, id eſt, in rectum aduerbialiter, ea ſpectando quæ ante te ſunt, non huc illuc torquendo. Oculi enim ſtultorum in finibus terrę. Significatur ergo modeſtus quidem oculorum vſus, ſed magis tamen præcipuè mentis oculos debere in rectum actionum tuarum maximéque totius vitæ ſcopum defigi, non obliquis intentionibus deprauari. ET PALPEBRÆ TVÆ PRÆCEDANT GRESSVS TVOS. Quod fit, vt inquit S. Gregor. 3. *art. Paſtoral. curæ*, cùm operationem noſtram conſilia recta præueniunt: Citiùs enim corruit, qui quò pedem operis ponere debeat per palpebram conſilii non attendit. Quod in eadem metaphora pedum & itinerantium perſiſtens, clariùs attexit:

26. DIRIGE SEMITAM PEDIBVS TVIS &c. ſapientiæ nempe examine proſtituendo tibi rectam viã, per quam ambules: ſic enim fiet vt omnes actiones per ſapientiam directæ immobiliter ſine errandi periculo in iuſtitia firmentur. Ita verò rectam & regiam æquitatis viam in omnibus tene,

27. NE DECLINES AD DEXTRAM VEL SINISTRAM. Admodum variis modis hoc ab Interpretibus exponitur; ſed nullus melior:

quàm ſcriptura ſui interpres: ſtatim enim addit; AVERTE PEDEM TVVM A MALO, quaſi dicat, Tunc non declinabis neque exceſſu quaſi in dextram, neque defectu quaſi in ſiniſtram à regia via, ſi auerteris te ab omni peccato. Vt enim S. Hier. in c. 30. Iſaiæ hunc locum exponit, ab vtraque parte quidquid ſupra modum eſt, in vitio eſt. Quia verò variis modis fit iſte deflexus à medio, hinc diuerſos ex iis prout inſtituto ſuo conueniebant, atripuerunt Interpretes; quibus quidem ſenſus loci, ſed inadæquatè exponitur. Auguſtinus itaque *Epiſt.* 47. Ne declines, inquit, in dextram, id eſt, ne bona opera tibi aſſignes non Deo, vel ne te dicas eſſe ſine peccato; nec in ſiniſtram, ne de gratia ſecurus liberè te peccatis tradideris. Alii, ne proſperis efferaris, vel frangaris aduerſis. Alii ne amicorum ſtudio vel inimicorum odio nimirum tribuas. Nazianzenus *Orat. De moderatione in diſput. ſeruanda*, ne ſegnitie vel acrimonias excedas. Alii, aliter. AVERTE PEDEM TVVM A MALO, hoc eſt, à viis obliquis adeoque peruerſis, quæ ſiniſtræ ſunt, vt ſequitur: rationem enim ſubdit:

28. VIAS ENIM QVÆ A DEXTRIS SVNT, hoc eſt, virtutis vias, quæ iuſtos ad Dei dextram ducunt, NOVIT DOMINVS, approbando eas tamquam rectas & regulæ ſuæ conformes: Nouit enim Dominus vias iuſtorum, quia ipſe eas gratia ſua fecit in homine, vt Auguſtinus loco citato. Non tamen approbat Deus, vt in ipſis viis quæ à dextris ſunt, hoc eſt, in virtutis via declinetur ad dextram vel ſiniſtram, vt verſu ſuperiore dictum eſt; hæc enim multùm differunt, nam vt Nazianzenus dicit, nemo debet eſſe ſapientior quàm conueniat, nec lege exactior, nec luce ſplendidior nec, amuſſi rectior, neque præcepto diuino ſublimior.

29. IPSE RECTOS FACIET CVRSVS TVOS; gratiæ ſuæ beneficio eos dirigendo & faciendo: hæc enim eſt ratio cur eos nouit Dominus. ET ITINERA TVA IN PACE PRODVCET, pacificando hic effrænes animi tui motus, donec æterna illa & incommutabili Dei pace potiaris.

CAPVT V.

2. NE ATTENDAS FALLACIÆ MVLIERIS, figendo vel oculos in fallacem eius formam, vel aures in verba ad fallendum compoſita.

3. FAVVS ENIM DISTILLANS LABIA MERETRICIS, quia ſcilicet verba dulciſſima & grata inſtar faui qui fluit melle, profundunt. ET GVTTVR EIVS NITIDIVS, id eſt, mollius, atque lenius, OLEO Nã ſicut oleum mollitie & nitore præſtat; ita omni ſuauitate & lenitate omnia verba ſua condiunt, vt demulceant. Sed quia cum amaritudine digeri ſolet quod cum dulcedine bibitur;

4. NOVISSIMA ILLIVS AMARE QVASI ABSYNTHIVM, quia doloribus remorſuum ac pœnarũ replent animã loco mellis, & loco lenitatis ACVTA QVASI GLADIVS BICEPS, ſiue vtraque parte ſcindens, quia ſæpè temporali, ſemper æterna morte interficiunt animam. Has enim metaphoras exponens,

5. PEDES EIVS, inquit, DESCENDVNT IN MORTEM, id eſt, vitæ eius ratio ad mortem ac damnationem æternam rectà tendunt, vt eodem neceſſe ſit eos pergere, qui cum ea verſantur. VAGI SVNT GRESSVS EIVS, quia vt *cap. 7. verſ.* 10 *&* 11. pulchrè deſcribitur, nihil magis proprium eſt huiuſmodi mulierum, quàm huc illuc extrà domum vagari: qua greſſuum inſtabilitate & morum inconſtantia adumbratur, qua ita variis libidinum deſideriis ac motibus æſtuant, vt earum vitæ ratio ſit inueſtigabilis ſiue cognitu perdifficilis; Nunc enim volunt, nunc nolunt; nunc amant, nunc oderunt; nunc zelant, nunc abominantur. Plerique veteres hæc de hæreſi intelligunt, quæ inſtar comptæ mulieris eloquii dulcedine paruulos ſenſu ſolet decipere. Alii de carne ſuis illecebris illiciente: Quæ veriſſima quidem ſunt, ſed ſenſu, vt videtur, tropologico.

9. NE DES, hoc eſt, ne fortè ſi vel foribus domus eius appropinques, contingat inde vt des (pendet enim ſententia à præcedentibus) ALIENIS mulierculis nullo veræ beneuolentiæ aut coniugii vinculo coniugatis. HONOREM TVVM, quia & fama, quæ diuitiis multis præſtat, tali probro polluitur, & ho-

nor ille imaginis Dei, templi Dei, membri Chriſti, contaminatur. ET ANNOS TVOS, deterendo ætatis florem, frangendo valetudinem, breuiando annorum curriculum huiuſmodi commercio: Quæ animo ita ſunt belluino & crudeli, vt nulla vel honoris tui, vel opum, vel valetudinis, vel viræ, vel ſalutis æternæ perditæ commiſeratione moueantur, imò deceptum derideant.

10. NE FORTE IMPLEANTVR EXTRANEI VIRIBVS TVIS, dum meretrices, paraſiti ac leones ditantur facultatibus tuis, quibus in ſæculo valebas ac robuſtus eras: quas mox *labores* vocat, quia laboribus & ſudore comparantur.

11. ET GEMAS IN NOVISSIMIS &c. ſerò tandem magno gemitu pœnitendo: idque duabus de cauſis; quòd nempe CONSVMPSERIS CARNES TVAS, innumeris ſcilicet morbis per immodicam intemperantiam irruentibus, & quòd ſalutaria conſilia contempſeris. Vnde exclames:

14. PENE FVI IN OMNI MALO, id eſt, omni ferè malorum genere obrutus fui iſto viuendi inſtituto, nempe vitiis morum, inopia, ignominia, morbis, denique æternę damnationis vinculis obnoxius: idque (quæ non parua calamitatis portio eſt) in oculis totius Eccleſię, vbi tot probitatis exempla nihil mihi profuerunt.

15. BIBE AQVAM DE CISTERNA TVA. S. Hier. *in c. 4. Amos*, exponit de doctrina veritatis quę ex Eccleſia Catholica bibenda eſt, non ex hæreticis, ſubſcribit ei Salonius. Auguſtinus verò 2. contra Creſcon. c. 14. vult ſignificari ex aqua Spiritus ſancti eſſe bibendum, quæ Eccleſiæ propria eſt, & cuius nullus alienus eſt particeps. Origenes *homil. 12. in Num.* de ſcientia Trinitatis atque aliarum rerum. *Baſil. in Pſal.* 14. de propriarum & non alienarum facultatum vſu. Sed hi ſenſus myſterium non litteram videntur ſequi: quam de vxore exponendam eſſe expreſsè docet Chryſ. *hom. 1. in Matth. item in Pſal. 9.* paulò poſt initium: cui Beda adhæret. Senſus ergo eſt, ſi æſtu concupiſcentię vraris, BIBE AQVAM DE CISTERNA TVA, id eſt propriæ non alienæ vxoris vſu ſitim extingue. Sic autem bibe, vt

16. DERIVENTVR FONTES TVI FORAS, vt nempe proles ex legitimo concubitu, ſicut fontes ſiue riuuli ex ciſterna prodeant & in plateis conſpiciantur: quod ex meretriciis amoribus vix contingit.

17. HABETO EAS SOLVS, quaſi dicat ſic caſtè erſi cum vxore viuas, vt nulla ei data adulterii occaſione habeas eas aquas ſiue proles ſolus, ſic nempe vt nemo prçter te tamquam ſpuriarum prolium pater ſit. NEC SINT ALIENI PARTICIPES TVI, vt ſcilicet proles aliorum tibi adſcribantur, & hæreditaris tuę, tuorumque laborum participes ſint, vt in adulteriis fieri ſolet. Sic autem viuendo.

18. SIT VENA TVA BENEDICTA, hoc eſt vxor tua à Deo fœcunditate donabitur ac benedicetur: Probrum enim & maledictio erat olim ſterilitas.

19. CERVA CHARISSIMA, ſcilicet ſit tibi vxor tua: quod dicit vel propter puritatem congreſſus coniugalis, vt vult Chryſoſt. *in Pſal. 9.* vel quod inſtar ceruarum, quę tranantes mare caput in dorſum præcedentis inclinant, onera coniuges ſua inuicem ferre debeant; vt indicat Auguſt. *lib. 83. qq. q.* 71. vel quòd illa animalia ab hominibus in deliciis habeantur: Innocens enim & mitis eſt natura ceruorum, inquit Ambroſ. prefatione *in Pſal.* 43. VBERA EIVS INEBRIENT TE, &c. id eſt, eius ſolius amplexibus ſatieris. Quæ omnia non eò tendunt, vt virum doceat voluptatem ex coniugali toto venari, ſed legitimâ coniuge eſſe contentum: ſi quid autem præter congreſſum ſolius prolis causâ appetendum, etiam in coniuge fiat, ſecundùm, veniam, non ſecundùm imperium permitti, hoc eſt, delictum illud propter honeſtatem nuptiarum condonari, non iuberi.

21. RESPICIT DOMINVS VIAS HOMINIS, &c. Terrorem hunc contrà ſecretum & latebras fornicatorum opponit. Oculus enim adulteri obſeruat caliginem, dicens, Non videbit me oculus, &c. Iob. 24. quaſi dicat, ſi tot mala non timeas, ſaltem oculos Dei omnia videntis recordare. At ſi videt Deus, cur ergo tam impiis non ſtatim manus & vincula inicit? Reſpondet:

22. Iniquitates suæ capiunt impium, quia captiuum tenent, & ita pœnæ obnoxium Deo ſemper ſiſtunt, vt effugere non poſſit, ne quidem per pœnitentiam, niſi ipſe Deus illam det. Et funibus peccatorum suorum constringitur, quibus vt firmiſſimis vinculis nectitur, cùm exire voluerit, inquit Hier. in *cap.* 5. *Iſaiæ*. Vnde & funes vocantur peccata, quia vnum alteri addendo ac ſemper torquendo texuntur: quod quomodo fiat ſimilitudine catenæ exponit luculenter Aug. 8. *Confeſſ. c* 5.

Caput VI.

1. Defixisti apud extraneum manum tuam, &c. id eſt, ſi contigerit te fidem date extraneo pro amico, manuum defixione & contactu, vt in ſtipulationibus fieri ſolet; qui ritus etiam *cap.* 23. indicatur, Noli eſſe cum his qui defigunt manus, & qui vades ſe offerunt pro debitis. Quibus verbis deterret non ab amici dilectione, quæ vt mutuum, ita magis ſponſionem in neceſſitate poſtulat; ſed ne præcipiranter ac temerè fiat, ne hac ſpondendi temeritate vel paupertate prematur familia, vel litibus exagiteiur. Quorum vtrumque caueri debet, vt ſapientiæ cum tranquillitate vacetur. Hoc autem loco in primis monet, vt ſi fideiuſſio facta eſt, ſe quàm citiſſimè liberet, verum debitorem ad debiti ſatisfactionem, vt æquitas poſtulat, excitando. Hinc

3. Temetipsum, inquit, libera à ſponſionis vinculo, quia incidisti in manum proximi tui creditoris, qui te loco veri debitoris obſtrictum tenet. Sponſionem hanc intelligit S. Greg 3. *part. Paſtoral. curæ*, & Beda, à Prælato pro animabus ſuæ curæ creditis fieri Deo, qui amicus eſt in ſponſione, ſed extraneus in exigenda ratione. Singula apud ipſos vide latiùs.

6. Vade ad formicam, &c. Pulcherrimâ hac formicarum conſideratione, de quibus mira tradunt Auctores. Baſil. 9. Hexameron, Ariſtoteles, Plinius, &c. literaliter ad laborem pro honeſtis rebus aſſequendis hortatur, ſiue ſint temporalia vitæ ſubſidia, ſiue bonorum operum merita, ſiue aliud quid: Non enim neceſſe eſt, vt quidam volunt, de ſolis diuitiis parandis accipere. Hinc eſt enim quod S. Auguſtinus ex hoc loco monet *lib. cont. Adimant. cap.* 24. & in *pſalm.* 66. in æſtate id eſt rerum tranquillitate ſapientiæ eſſe ſtudendum, vt in aduerſis inde viuamus, & difficultatibus reſiſtamus. Hinc Cyrillus Hieroſol. *Catecheſi* 6. Baſil. *in Hexam. Homil.* 9. & alii ſignificari volunt in hac vita veluti æſtate meritorum cumulos eſſe congerendos vt inde in futurum viuamus: omnium enim eſt eadem ratio, opus videlicet diligentiâ.

7. Quæ cum non habeat ducem, qui exemplo præeat, nec præceptorem, qui præcipiendo penſum exigat, nec principem, qui caſtiget ignauiam.

8. Parat in æstate cibum sibi, memor hyemis futuræ.

11. Et veniet tibi quasi viator egestas, hoc eſt, quaſi curſor, vt eſt *Prouer. cap.* 24. qui ſcilicet celeriter te ex improuiſo opprimat. Et pauperies quasi vir armatus, à cuius tyrannide & poteſtate oppreſſus te expedire nõ potes. Quia verò multam malitiam docuit otioſitas, & hoc hominum otioſorum genus pauperie preſſum per prærupta vitiorum deſerto Deo ſe ſoleat præcipitare, hinc deſcribit ſuis coloribus verum.

12. Apostatam, id eſt, qui inſigni impietate Deum deſerit, non tantùm à religione, ſed vel à bonis moribus in ſcelera deficiendo. Hic itaque eſt vir inutilis, id eſt, nullius planè frugis vel ſpei, graditur ore perverso, aliud ore promens, aliud corde premens. Hinc etiam vel nocendi vel illudendi ſtudio, vt ab improbis fieri ſolet ſimulantibus amicitiam, tegentibus verò riſum vel hoſtilitatem.

13. Annuit oculis, terit pede, digito loquitur, id eſt, ſociis improbitatis vel oculo, vel pede, vel digitis, ſubſannandi vel nocendi ſigna præbet, apertis interim verbis benignitatem præ ſe ferens. De quo & Pſalmus, Oderunt me gratis, & annuunt oculis. Hanc ergo eius duplicitatem exponens,

14. Pravo, inquit, corde machinatur malum, et omni tempore iurgia seminat, ſpargendo ſcilicet iurgiorum cauſas

vnde naſcantur. Ea eſt enim eorum natura, vt ex leuiſſimis cauſis ſuſpiciones for... leſcant. Hoc autem vt contingat, neceſſe eſt dum coram præferunt amicitiam, abſentibus detrahunt, verbis blandiuntur, geſtis & factis apud alios illudant & nocent. Quàm autem ſit deteſtabilis hęc diſcordiæ ſeminatio, comparatione ſex grauium peccatorum, quibus tamen eſt deteſtabilior, exaggerat.

16. Et septimvm detestatvr anima eivs, præ cæteris omnibus: reliqua enim vel vitæ temporali, vel aliis bonis nocent; ſeptimum autem fraternam ipſam charitatem omnium virtutum maximam ex profeſſo oppugnat.

17. Ocvlos svblimes, quibus animi arrogantia exprimitur.

18. Cor machinans cogitationes pessimas, ſtudioſè ſcilicet excogitans nocendi artes & modos. Cordi autem ſic medius datur inter ſex vitia; ſicut & inter partes corporis locus, vt fons eſſe deſignetur, vnde omnia profluant. Pedes veloces ad cvrrendvm in malvm, præ malefaciendi ardore vel conſuetudine.

22. Cvm ambvlaveris, gradiantvr tecvm, id eſt, ita animus tuus ex legis Dei meditatione ſuſpenſus ſit, vt quidquid agas, ſiue ambules, ſiue cubitum concedas, ſiue euigiles, ſemper de ea ſollicitus cogites, ne aliis intentus ab eius præſcripto abripiaris. Rationem enim addens,

23. Qvia, inquit, mandatvm lvcerna, vt ad eius lumen tamquam in nocte huius ſæculi ambules. Et lex lvx, illuminans oculos, vt videant quid agendum ſit. Si enim pedes vacillant ſine lumine, & manus errant, quantò magis ad verbi diuini lumen erigenda ſunt animi noſtri veſtigia & mentis inceſſus, vt inquit Ambroſ. *Serm.* 14. *in Pſal.* 118. Nam citrà huius lucernę ductum, vbi putas quod luceat, ibi gurges eſt; & vbi putas ſolidum eſſe & ſiccum, ibi lubricum eſt, inquit idem: quod maximè locum habet ſi rationibus humanis velis conſcientiam dirigere. Et via vitæ, ad quam tamquam via ducit. Increpatio disciplinæ, quâ diſciplinatè & ordinatè ſiue per ipſam legem, ſiue per homines, ſiue per flagella Dei vitia increpantur, vt emendentur.

25. Non concvpiscat pvlchitvdinem eivs cor tvvm. Qui enim vel viderit ad concupiſcendam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Vitandum ergo monet in primis curioſum pulchritudinis aſpectum, vt ſi, ſecundùm Auguſtini præſcriptum oculi etſi iaciantur in aliquam, figantur tamen in nullam. Ne capiaris nvtibvs illivs. Oculus enim meretricis laqueus eſt peccatoris, inquit Ambr. *lib.* 1. *de Abel. cap.* 4. Quâ de cauſâ ſi neſcis, non ita certum eſt, inquit, ferrum ex ſilice ignem excutere, quàm oculum ex oculo amorem, cùm ſe mutuò petunt. Pretivm enim scorti vix est vnivs panis, res nempe viliſſima, quia quod ex ea petitur, momentaneum; & tamen cùm tam abiecta ſit, viri pretiosam animam capit, vtpote quã à creatore abreptã morti æternæ obnoxiã ſibi & diabolo captiuã facit.

28. Avt ambvlare svper prvnas, quantumuis eas celeri gradu ſuperſiliant, vt non combvrantvr plantæ eivs, quibus etſi non vulnus lethale infligatur, certè vel bullæ cruſtulatione turgeſcunt.

29. Sic qvi ingreditvr ad mvlierem proximi, non tantùm concubitum eius, ſed vel colloquium, vel contactum, vel familiaritatem frequentans, non erit mvndvs, à nominis & famæ maximéque variis cogitandi & concupiſcendi illecebris & inquinationibus. Hanc enim vel ſolam familiaritatem ſeuerè prohibens Eccleſiaſticus, eâdem ignis ſimilitudine: Colloquium, inquit, illius quaſi ignis exardeſcit, ex tenui ſcilicet cogitationum ſcintillulâ in incendium erumpens. Cum aliena muliere ne ſedeas omninò, nec accumbas cum ea ſuper cubitum. Mira eſt enim huius ignis natura, cùm enim alius vrendo torqueat & auertat, hic vrendo allicit, ſed poſt vſtionem liuor & plaga. Cvm tetigerit eam, vel ſolo manuum tactu: ſicut enim ad tactum caudę ſerpentis caput repentè conuertitur, quantumuis diſtet: ita vitioſus contactus, etiamſi vel manu fiat, à capite vſque ad extremos vngues ad conſenſum voluptatis pertrahitur totum corpus,

pus, inquit Baſil. *lib. de Virginibus* Poteſt tamen illud (NON ERIT MVNDVS) exponi, non erit immunis à pœna, prout innocentem eſſe, ſæpe apud Hebræos ſonat, vt ſcilicet, ſicut ignis ſine graui læſione tangi non poteſt, ita nec ſine graui animi ſupplicio pollui. vxor alterius. Nam vt ait Ambroſ. in Apologia Dauid poſteriore, Qui vritur corde, comburitur corpore.

NON GRANDIS EST CVLPA, &c. lethifera quidem, ſed veniâ dignior, tum quia fit, vel quando fit, VT ESVRIENTEM IMPLEAT ANIMAM, id eſt, neceſſitatis cauſa, tum etiam quia, vt infrà ſequitur, per reſtitutionem læſus placari poteſt.

32. QVI AVTEM ADVLTER EST, PROPTER CORDIS INOPIAM, &c. nullius ſcilicet prætextu, ſiue voluptatis, cùm & adulter ferè vxorem habeat, vel neceſſitatis adulterium excuſante, ſed ſolâ animi cæcitate & impotentiâ abreptus, PERDET ANIMAM SVAM, quod egregiè ponder[illegible]. Chryſoſt. homil. 5. in Iſaiam.

35. NEC SVSCIPIET PRO REDEMPTIONE DONA PLVRIMA, quia non ita ſordidi animi ſolet eſſe maritus, vt pro compenſatione adulterii quemadmodum furti pretium pecuniarum velit accipere, ſed ſolo ſanguine adulteri hoc crimen à maritis expiari conſueuit. Ex quibus omnibus colligi vult, quantò ſit furtò grauius adulterium.

CAPVT VII.

3. LIGA EAM IN DIGITIS TVIS, vt ſcilicet ſit tibi inſtar ſigni quod memoriam excitet, & inſtar annuli, quo amorem, vt eam etiam operando, quod digitis fieri ſolet, poſſis perficere. Nam & annulus inter cætera erat etiam amoris maximè nuptialis ſymbolum. Itaque ſit tibi vt iuueni amare lubet, DIC SAPIENTIÆ, SOROR MEA ES, id eſt, ama ſapientiam, & coniunge eam tibi caſto amore, vt quaſi ſoror tibi ſit familiaris, ET PRVDENTIAM VOCA AMICAM TVAM, quam tibi ſcilicet vt ſponſam aſſumas, amator factus formæ illius, quam ideò ſororem appellauerat, vt eius amplexus caſtiſſimos eſſe ſignificaret. Ad hoc autem tibi conducet hoc ſapientiæ connubium, vt ipſa ſuis amoribus implicatum tamquam zelo tuæ caſtitatis incitata CVSTODIAT TE A MVLIERE EXTRANEA, à qua quàm difficile paruuli, ſenſu ſcilicet, id eſt, inſipientes, qui ſapientiæ connubio deſtituti ſunt, liberentur apto exemplo oſtendit, in quo graphicè libidinis occaſiones, ſcilicet otium, locorumque ac temporum ſuſpectorum frequentationem, meretricum ingenium & mores, peccantiumque pœnas ac damna depingit.

10. GARRVLA, loquacitas enim proſtitutis agnata eſt, ita vt quædam meretrix cùm ſecretum celaſſet, tamquã prodigium aliquod ſimulachro digna viſa fuit, vt auctor eſt Plinius. VAGA, vagatio enim matronis indecora eſt ac interdicta; impudicitiæ verò & proſtitutionis non leue indiciũ.

14. VICTIMAS PRO SALVTE DEVOVI, ſiue voueram antea, pro tuâ ſcilicet ſalute. Hebr. pacificas, quia ſcil. pro ſalute ac beneficio obtento vel obtinendo offerri ſolebant. HODIE REDDIDI VOTA MEA, offerendo ſcilicet victimas quas vouerã, ex quibus quia carnes ferri poterant, & inſtrui ſolemne conuiuium lætitię causâ, hinc addit,

15. IDCIRCO EGRESSA SVM IN OCCVRSVM TVVM, &c. Nempe vt tecum, cuius cauſa hæc facta ſunt, lętitiæ & genio indulgeam.

16. INTEXVI FVNIBVS, vel byſſinis ſiue pretioſis ad ornatum, vel aliis in quibus lectus ſuſpenditur ad mollitiem.

17. ASPERSI CVBILE MEVM MYRRHA, &c. id eſt, fragrantibus aromatum odoribus ad delicias.

19. NON EST ENIM VIR IN DOMO, cuius inſidias timeas.

20. SACCVLVM PECVNIÆ SECVM TVLIT, magnam ſcilicet pecuniæ ſummam ad itineris impenſas, ideoque diu commoraturus eſt. IN DIE PLENÆ LVNÆ REVERSVRVS EST, id eſt, die ſtatutâ, vt habent Hebræa, quem noſter particulari deſcriptione expreſſit.

22. STATIM EAM SEQVITVR QVASI BOS DVCTVS AD VICTIMAM, ſcilicet non reſiſtens, ſed laſciuiens tamquam ad paſcua ducendus, nec diſcernens, an ad pabulum, an ad macellum ducatur. ET IGNORANS QVO

AD VINCVLA STVLTVS TRAHATVR, quia & peccati iterandi deſiderio & arctiſſimâ conſuetudine, & pœnæ æternæ & temporalis nexu tamquam vinculis indiſſolubilibus implicatur Hoc autem tamdiu ignorat.

23. DONEC TRANSFIGAT SAGITTA IECVR EIVS, id eſt, donec peccato perpetrato ictum lethalem vel mariti furore, vel diuina ſententia vibrata, eiuſque perpetuo vibrandi timore accipiat.

26. FORTISSIMI QVIQVE INTERFECTI SVNT AB EA, multi enim poſt confeſſionum victoriarumque calcata certamina, poſt magnalia & mirabilia, & ſigna vſquequaque monſtrata noſcuntur cum his omnibus naufragaſſe, vt eſt lib. de ſingularitate Clericorum apud Cyp. Vnde rectè monet Hieronymus Nepotianum: Nec de præterita caſtitate confidas; nec Sampſone fortior, nec Dauide ſanctior, nec Salomone poteris eſſe ſapientior.

27. VIÆ INFERI DOMVS EIVS, id eſt, viæ quæ tendunt ad eius domum, rectà ad inferos tendunt, adeoque ad ipſiſſimum cubile æternæ mortis. Totum autem hunc locum à verſu 6. vſque ad finem, S. Amb. lib. 1. de Cain & Abel, cap. 4. latè exponit de voluptate eiuſque illecebris, quibus virtuti aduerſatur. Beda verò in hunc locum, de hæreſi: quos videat qui volet.

CAPVT VIII.

Mulieris impudicæ orationi contrariam inducit orationem Sapientiæ quaſi alterius mulieris, quæ miris laudibus tùm doctrinæ ſuæ, vſque ad *verſ.* 12. tum mirabilium operum ſuorum quæ in hominibus operatur, vſque ad *verſ.* 23. vel quę iam olim cum Deo condendo mundum operata eſt, vſque ad *verſ.* 32. tum denique præmiorum pollicitatione ac pœnarum interminatione homines ad ſe inuitat.

Sapientiam hanc plerique recentiores communem faciunt creatæ & increatæ ſapientiæ per proſopopœiam; ſed miro conſenſu omnes Veteres qui contra Arianos decertarunt, de Sapientia ſecunda Trinitatis perſona exponunt: quod de verſu 22. & ſeqq. dubitare nemo poteſt. Aliqua tamen ſunt, quę plerique veterum textui 70. inhærentes, de ſapientia ſecundùm humanitatem exponunt, alia verò ſecundùm diuinitatem, ſecundùm quam nos omnia conformiter interpretabimur.

1. NVNQVID NON SAPIENTIA CLAMITAT? Abruptum exordium eſt, quaſi occurrendo obiectioni, qua quis impudicitię ſuæ aliiſve delictis ignorantiam veritatis poſſet oſtendere: ſapientia enim vbique clamitat eo modo quo latiùs cap. 1. verſ. 21. diximus.

2. IN SVMMIS EXCELSISQVE VERTICIBVS, montium ſcilicet impendentium, SVPER VIAM, per quam viatores tranſeunt, vt ex illis verticibus veluti ex ſcopulo in viam proſpectans paſtor ab erraticâ viâ reuocet, & ad iter rectum hortetur. IN MEDIIS SEMITIS STANS, vbi ſcilicet multæ ſemitæ vt in biuio vel triuio, concurrunt, & itinerantes reddunt ancipites.

3. IVXTA PORTAS CIVITATIS, vbi apud Iudicum ſubſellia turba ad iudicium confluebat. Significat ergo ſapientiam vbique ſe interponere, monere & vellicare.

10. ACCIPITE DISCIPLINAM MEAM ET NON PECVNIAM, id eſt, præ pecunia, ſicut hoc exponũt ſubiunctá verba, eâ phraſi, qua dicitur: Miſericordiam volo & non ſacrificium: ſequitur enim, & ſcientiam Dei plus quam holocauſta. Quamquam & ipſius pecuniæ electio ſiue ſtudium prorsùs poſſet dici prohiberi; ſtudium enim pecuniæ & ſapientiæ ſe mutuò interimunt.

12 EGO SAPIENTIA HABITO IN CONSILIO, quidquid enim prudẽter & ſolerter & cum conſilio etiam ab hominibus cogitatur aut geritur, non poteſt eſſe ſine humana ſapientia, cuius illa differentia & nutrix & promotrix & amatrix eſt. Sapientia enim Dei eſt ipſa veritas Dei, à qua omnis cogitatio vera formatur. ET ERVDITIS INTERSVM COGITATIONIBVS, ſupple, ſuggerendo quid ſapientes vel cogitandum vel agendum ſit. Nam è cõntrario Spiritus Sanctus auferet à ſe cogitationibus quæ ſunt ſine illa.

13. TIMOR DOMINI, quo Deus vt pater profundâ reuerentiâ timetur, & quem vt præſtantiſſimum fructum ego ſapientia in animabus operor, ODIT MALVM, quo Deus

ac ſapiens offendi poſſet. Neque mirum, quod alios omnis mali oſores efficiat, quia ego ipſa DETESTOR ARROGANTIAM, tamquam omnium peccatorum & malorum initium, ET VIAM PRAVAM, actiones ſcilicet ipſas exteriores à ſuperbia deprauatas, ET OS BILINGVE, quod apud hos vna lingua, apud illos vtitur alia, nempe non immutabilem veritatem, ſed mutabiles hominum voluntates intuendo vel alias rationes humanas: ex quo fit vt etiã ille bilinguis dictus ſit, qui aliud loquitur ore quã corde.

14. MEVM EST CONSILIVM, &c. quia & prudentiam in intelligendo, & iuſtitiam in agendo, & fortitudinem in perferendis difficultatibus ego ſapientia inſpiro.

15. PER ME REGES REGNANT, &c. quantumuis mali: Non eſt enim poteſtas niſi à Deo: nam etiam talibus dominandi poteſtas non datur, niſi ſumma Dei prudentia, quando res humanas iudicat talibus Dominis dignas, vt Auguſt. 5. de ciuit. c.19. Sed quo tandem modo tantorum operum ſapientia effectrix homini conſiliabitur, occurrit ipſa;

17. EGO DILIGENTES ME DILIGO, ET QVI MANE, &c. quaſi dicat, amantibus & vigilanti ſtudio me quærentibus, ego me vt amicam magis magiſque inſinuo. Ille autem amat ſapientiam, qui diuinæ veritatis lucem in omnibus ſuis operibus quærit, & amat & ſequitur. Nec inueniet me nudam & incomitatam, quia

18. MECVM SVNT DIVITIÆ, OPES SVPERBÆ, id eſt, eminentes atque magnificæ, quas dono cui meipſum dedero. Simili phraſi de Eccleſia dicitur, Ponam te in ſuperbiam ſæculorum. Hę autem opes & gloria non tam ſunt temporales (quas tamen ipſas non donat niſi diuina ſapientia) ſed ſpirituales, quia, vt inquit Iſaias cap. 33. Diuitiæ ſalutis ſapientia & ſcientia, timor Domini theſaurus eius. Hinc prò opibus ſuperbis Hebræus habet, opes durabiles: vnde & noſter quaſi exponens adiicit, ET IVSTITIA, quas opes ſtatim præfert auro argento, modumque eas acquirendi ponens,

20. AMBVLO, inquit, ſcilicet in ipſo homine quem inhabito, quod nihil aliud eſt quàm ipſum hominem ambulare faciam, vt expreſsè Hebręus habet. IN VIIS IVSTITIÆ, nempe

21. VT iſto modo opibus illis, quibus me dixi affluere, THESAVROS EORVM REPLEAM.

22. DOMINVS POSSEDIT ME, tamquam filium ſuum. Poſſeſſio enim, vt notat S. Hieronym. *Epiſt. ad Cypr.* ſignificat, quòd ſemper in Patre filius fuerit. IN INITIO VIARVM SVARVM, id eſt, in ipſo exordio operationum ſuarum, quibus creaturas condendo quaſi ad extrà progreſſus eſt, imò poſſedit me, ANTEQVAM QVIDQVAM FACERET A PRINCIPIO, nempe ab æterno. Perſpicuè ſuam diuinitatem, & cum Patre æqualitatem ſignificat. Neque obſtat quod 70. & ex iis Patres ferè legunt, Dominus creauit me, vt habetur Eccleſ. 24. Ab initio & ante ſæcula creata ſum: & Prior omnium creata eſt ſapientia: nam in ſimilibus locis æternitas adiuncta creationi, ſatis indicat non propriè dictam creationem ex nihilo, quam impoſſibile eſt eſſe antequam quidquam faceret Deus, ſed generationem & productionem eſſe intelligendam, aſſumendo ex verbo nobis vſitato id quod diuinę productioni conſonat abiectis imperfectionibus, ſicut hoc in infinitis locutionibus ad Deum tranſlatis vſu venit. Atque hęc quidem interpretatio de ſapientia: quatenus Deus eſt, litteralis videtur: quod S. Hieronym. Tertull. lib. contr. Hermogenem cap. 18. Athanaſius ad Decret. Nycenæ Synodi, non obſcurè indicant. Sed quia ex mente Auguſtini eiuſdem loci plures eſſe poſſunt ſenſus litterales, plerique tam Gręci quam Latini Patres textui Græco inhærentes, qui legit, Dominus creauit me, de incarnata ſapientia exponunt. Vnde Ambroſius lib. 1. de fide cap. 7. Caro Dominum agnoſcit, diuinitas Patrem. DOMINVS ergo *creauit me*, id eſt, fecit & condidit me ratione humanitatis, INITIVM VIARVM SVARVM, quia ipſe Chriſtus nobis via eſt factus, vt eo duce nobis ad virtutem perfectam & ad immortalitatem pateret ingreſſus, vt volunt Fulgent. lib. aduerſus obiectiones Arianor. & Auguſtin. lib. de

Trinitat. cap. 12. S. Athanaſius tamen, etſi frequenter in hunc ſenſum exponat, aliquando tamen interpretatus eſt, CREAVIT, id eſt, præfecit me tamquam principem operibus ſuis, ſcilicet inſtaurandis ac reficiendis, ſicut dicitur creari præfectus. Reliqua pergunt exponere de diuinitate.

23. AB ÆTERNO ORDINATA SVM, id eſt, ipſa æterna mea generatione ordinata & conſtituta ſum princeps & opifex omnium rerum cōdendarum. Vnde Hebræus habet, Ab æterno principatum habui. Legunt Veteres ex 60. Fundata ſum: quo Fulgentius & Salonius ſignificari volunt natiuitatem ex Patre eſſe immutabilem, Athanaſius verò Serm. 3. cont. Arian. Chriſtum hominem fundamentum eſſe ordinatum, cui nos velut lapides pretioſi ſuperædificemur.

24. NONDVM ERANT ABYSSI, ET EGO IAM CONCEPTA ERAM, & PARTVRIEBAR, non quaſi eſſet progreſſus in generatione Filii à conceptu ad partum: ſed ſicut cogitare ac dicere in diuinis idem ſit, ita concipi & parturiri, gigni & naſci: quamquam etiam inſinuari videatur diuinam ſapientiam inſtar prolis conceptæ in Patre latuiſſe geſtientem quodammodo per mundi fabricam in lucem prorumpere.

25. ADHVC TERRAM NON FECERAT, ET CARDINES ORBIS TERRÆ, ſcilicet quando parturiebar. Per quos cardines fundamenta illa immobilia intelliguntur, quibus orbis ſtabiliter impoſitus eſt, nempe vel centrum, vt quidam, vel vt alii, ipſi poli, vel denique 4. notiſſimæ orbis plagæ. Nec ſolùm æternitate iſta omnia anteceſſi, ſed etiam

27. QVANDO PRÆPARABAT CÆLOS, ADERAM, non vt ſpectatrix, vtpote ipſa ars & ſapientia omnipotentis artificis: QVANDO CERTA LEGE ET GYRO VALLABAT ABYSSOS, non mare; nam de eo poſtea ſeorſim dicet, ſed immenſam illam ignis, aëris, aquarumque profunditatem, quæ cœlo veluti gyro ac circulo in rotundum efformata atque immobili lege circūſcribitur: Hic ergo ad ſingula paulatim delabitur.

28. QVANDO ÆTHERA FIRMABAT SVRSVM, vniuerſum aërem & ignem ſtabili diſpoſitione ſurſùm versùs communiens, ET LIBRABAT FONTES AQVARVM, ita eos in altum ſuſpendens, vt poſſent opportunè foras prorumpere: Fontium enim artificium in eo ſitum eſt, vt libratione quadam & commenſuratione ad certam tam altitudinem ſcaturire ac prorumpere poſſint.

29. QVANDO CIRCVMDABAT MARI TERMINVM SVVM, pauxillum ſcilicet fluitantis arenæ, quo furentis illius elementis fluctus tamquam firmiſſimis vectibus & oſtiis coërcerentur ac frangerentur. De quo magnificè Iob cap. 38. v. 8. QVANDO APPENDEBAT FVNDAMENTA TERRÆ, ſcilicet ſuper ipſam ſtabilitatem ſuam, vt eſt Pſalm. 103. quaſi ipſa ſtabilitas eſſet terræ fundamentum. Hoc eſt ergo quod Iob ait, ſuper nihilum cap. 26. Dei enim omnipotentia loco baſium eſt. Cùm itaque hæc fierent,

30. CVM EO ERAM: & videns omnia bona valdè, DELECTABAR LVDENS CORAM EO, id eſt, tanta facilitate, ſapientia, operandi dexteritate ac delectatione omnia condebam vt ludenti ſimilis viderer, delectabar autem PER SINGVLOS DIES, quibus illa omnia creabantur, imò OMNI TEMPORE. Eodem enim beneplacito quo aliquid faciendum decernit & facit, etiam de facto immutabiliter gaudet: Neque tunc tantum inter fabricandum orbem, ſed

31. LVDENS eram ſiue gaudens IN ORBE TERRARVM, nempe iam perfecto. Quo ſignificat eum ita diuinæ ſapientiæ placuiſſe, vt eum factum eadem facilitate & delectatione adminiſtret atque conſeruet. Sed præ omnibus tamen operibus DELICIÆ MEÆ ESSE CVM FILIIS HOMINVM, opere ſcilicet præſtantiſſimo diuinitatis meæ imagine abſolutiſſimoque omnium operum compendio, quem propterea ita in deliciis habui, vt propter eum carnem aſſumpſerim.

34. BEATVS HOMO QVI AVDIT ME, obtemperans præceptis & monitis meis, ET QVI VIGILAT AD FORES MEAS QVOTIDIE, vt vel me ad ipſum egrediente, vel me ipſum in penetralia ſapientiæ introducente, de omnibus ſecretis inſtruatur. Qua allegorica locutione magnam vigilantiam & conſtantiam exigit, ad eorum imitationem qui humano diluculo per ſingulos dies magna

diligentia & ſæpè patientia, ſubinde & repulſam paſſi fores eorum frequentant à quibus conſilium, doctrinam aut auxilium expectant.

CAPVT IX.

Commemoratis præcedenti capite operibus ſapientiæ quibus mundus eſt conditus, hîc ea proſequitur quibus eſt inſtauratus, conſtructionem ſcilicet Eccleſiæ, quæ quia in fine capitis ſuperioris de domo ſapientiæ mentio facta fuerat, ſimilitudine magnificæ domus depingitur.

1. SAPIENTIA ÆDIFICAVIT SIBI DOMVM. Locus hic non niſi de Chriſto & Eccleſia, mox vt fuerat pronuntiatus, conſuetis intelligi ab iis, qui Chriſtum ſapientiam eſſe nouerunt, inquit Auguſt. 17. de ciuitate Dei cap. 20. Vnde magna conſenſione hunc locum Patres amplexi ſunt. Eſt tamen aliqua differentia, qua quidem per *domum* corpus ipſum Dominicum intelligant, quod ſibi ipſa ſapientia ædificauit, vt S. Ignatius Epiſt. ad Smyrnenſes, Ambr. lib. de fide cap. 7. Vtroſque videtur aptè conciliare Auguſt. loco citato, ſapientiam ſibi domum ædificaſſe, corpus quidem ſuum, ſed cui tamquam capiti Eccleſiam vt membra ſubiunxit; ita vt totum hoc quod ex capite & membris coaleſcit, vna ſit domus ſapientiæ. EXCIDIT COLVMNAS SEPTEM, quibus tantâ ſtabilitate muniretur, vtpotæ inferi non præualerent aduerſùs eam. Sunt autem hæ columnæ Apoſtoli atque Doctores, qui ſeptenario numero vt perfectionis ſymbolo, & quia ſeptenaria Spiritus ſancti gratia ex ſæculo exciſi atque dolati ſunt, exprimuntur.

2. IMMOLAVIT VICTIMAS SVAS, Martyres, inquit Aug. vel ſeipſum, vt vult Greg. 17. Moral. c. 17. cui fauet Hebræus, qui habet, victimam illam, ſcilicet ſingularem in cruce oblatam, omnium antiquarum victimarum terminum atque compendium. MISCVIT VINVM, germinans virgines & inebrians homines vſque ad mortis contemptum. Eſt autem ſanguis Domini ſub ſpeciebus vini propoſitus. Vnde vinum aquæ miſcendum eſſe tacitè innuitur; & hinc colligit Cyprianus Epiſt. ad Cæcil. POSVIT MENSAM, altare, vnde vinum illud & panis accipitur.

3. MISIT ANCILLAS, Apoſtolos & prædicatores nomine ancillarum expreſſos, quia Sapientia mulieris ſchemate introducta eſt, cuius maieſtatem decebat famulatus. Denique fœmineus, eò quòd nõn armis, ſed ſpiritu & manſuetudine Chriſti diſcipuli orbem ſubegerunt. VT VOCARENT AD ARCEM ET MŒNIA CIVITATIS, dum enim æternam vitam denuntiant, ad alta nos mœnia ſupernæ ciuitatis vocant, inquit Greg. loco citato. Ad mœnia ergo, id eſt, à terrenis ad excelſa, vel ad mœnia, id eſt, vt & ipſi ſint arx & mœnia: Vocantur enim fideles, vt ſint lapides viui, ex quibus & portę & mœnia & cætera cœleſtis ciuitatis ſtructura conſurgit.

4. SI QVIS EST PARVVLVS, id eſt, qui facilè omni vento doctrinæ circumfertur propter ignorantiam, ET INSIPIENTIBVS LOCVTA EST. Hebr. deficientibus corde, per quod infirmitas affectûs innuitur. Vocat ergo eos potiſſimùm Sapientia, qui vel ignorantia, vel infirmitate delinquunt.

6. RELINQVITE INFANTIAM, qua res nugaces ac caducas inſtar paruulorum magni facitis, & æternis anteponitis. VIVITE ET AMBVLATE, &c. Significatur ergò primùm animo moribus præteritis eſſe valedicendum, tum vitâ diuinitùs infuſa denique per vias iuſtitię rectas eſſe gradiendum. Cur autem paruulos potiſſimum & inſipientes aduocauerit, rationem quaſi reddit.

7. QVI ERVDIT DERISOREM veritatis, id eſt, contemptorem ſapientiæ præ animi tumore quo ſe ſuo Doctore feliciorem & ſanctiorem putat. Qui talem erudit, INIVRIAM SIBI FACIT, quia ſibi gratis & ſine fructu odium eius & ignominiam acceſſit. ET QVI ARGVIT IMPIVM, nempe in malitia peruicacem, IPSE SIBI MACVLAM GENERAT, non tantum quia fama eius à recalcitrante laceratur, ſed & ipſemet intempeſtiuâ & imprudenti correptione labem imprudentiæ ſibimet inurit. Quod intelligendum eſt, quando fructus ipſiuſmet correpti quęritur; nam propter alios etiam tales coram aliis arguendi ſunt, vt ſaltem cæteri timorem habeant. Itaque

8. Noli arguere derisorem, talem iam dictum, ne oderit te, non quaſi tui amore ceſſandum ſit declinando moleſtiam odientis, ſed ne concepto tui odio alter deterior efficiatur. Tunc enim ceſſare non eſt cupiditatis occaſio; ſed conſilium charitatis. Argue sapientem, qui ſaltem eo gradu ſit ſapientiæ, vt correptionem non pertinaciter reiecturus ſciatur, etiamſi in ipſa hora contrà redargutionem veluti medicinæ amaritudinem aliquantulum reluctetur. Et diliget te, ſi non nunc quod vtcumque prouectorum eſt, ſaltem poſtea, cùm animo ſedato ac compoſito beneficium ſe accepiſſe perpendet. Nec in te ſolum redundabit dilectionis eius vtilitas, ſed

9. Da sapienti occasionem, ſiue corripiendo, ſiue aliam diſcendi opportunitatem offerendo; et addetur ei sapientia, ſicuti è contra inſipienti accreſcit ex correptione malitia & ſtultitia. Sapiens enim ex leuiſſima quaque, occaſione, atque adeò ex ſtultitia alterius proficiendi occaſionem lætus arripiet, tamquam inuento beneficio quod quærebat.

10. Principium sapientiæ, vnde inchoandum eſt vt ad eam perueniatur, est timor Domini: Scientia Sanctorum, id eſt, hæc ſapientia ſanctis viris propria, quæ à timore Domini principium capit, non eſt arida illa philoſophorum ſpeculatio nata potiùs ad inflandos quàm ædificandos animos, ſed prudentia; non illa quidem ſæcularis ſiue priuata, ſiue œcumenica, ſiue politica, ſed Chriſtiana, quæ nempe totius humanæ vitæ ſcopum Deum, & æternam ſalutem intuendo, hoc eſt, amando, de eligendis mediis bonis maliſque diſcernit.

13. Mulier stulta, &c. Hæc à multis de meretrice intelliguntur: de qua ſi cum S. Hier. in c. 13. Oſee v. 14. placet literaliter accipere, textus ſatis apertus eſt ex eis quæ in c. 7. diximus. Plerique Veteres de blanditiis, vel carnis, vel malæ doctrinæ, vel hæreſeos, vel generaliter vanæ ſapientiæ exponunt, vt nominatim D. Aug. tract. 97. in Ioan. Et hoc percommodè, quia ſic Inſipientia ſub perſona mulieris, Sapientiæ ſimiliter introductæ opponetur: illeque ſenſus reliquos aliorum ſua generalitate comprehendit. Hæc igitur mulier, quia de ſe infirma eſt, nullo conſtanti veritatis robore ſubnixa, hinc clamosa et nihil sciens, quia cùm ſit ignara veritatis tumultuosâ garrulitate eloqui, nitore ac dicendi illecebris, ſcientiam veritatis ſolet promittere:

14. Sedit in foribus domus, otium ſectans super sellam, &c. quia docendo auctoritatem aſſumit, idque apud paruulos & vecordes: ſapientum enim vel ipſam præſentiam reformidat.

17. Aquæ furtivæ, id eſt, furtim guſtatæ, dulciores. Quo ſignificat, ea libentiùs ac dulciùs audiri, quæ palam in Eccleſia dici creditque prohibentur: Nitimur enim in vetitum. Ex quo fit vt prohibita & occulta vt rara dulciùs guſtentur: nam, vt inquit Auguſt. ipsâ occultatione condiunt quodammodo nefarii Doctores ſua venena curioſis, vt ideò ſe exiſtiment aliquid diſcere magnum, quia meruit habere ſecretum, & ſuauiùs hauriant inſipientiam, cuius prohibitam quodammodo furantur audientiam.

18. Et ignoravit, is nempe qui huiuſmodi blandis inuitationibus conſenſerit, quod ibi sint gigantes, id eſt, dæmones ſeu inferi, prout eadem Hebræa vox tranſlata fuit in ſimili materia & ſenſu *cap. 2. verſ.* 18. Ignorauit ergo quod in talium cœtu inferorum regnum ſit atque ſocietas. Et convivæ eius, qui ſcilicet cum hac muliere conſuetudinem quaſi conuiuæ ineunt, in profundis inferni commorabuntur. Vbi iſtius conuiuii fercula breuiter tangit Greg. Exhibetur miſeris mors ſine morte, finis ſine fine, defectus ſine defectu, quia & mors ſemper viuit, & finis ſemper incipit, & defectus deficere nequit.

Capvt X.

Parabolæ Salomonis. In præcedentibus ferè cohortationem ad ſapientiam complexus fuit; hæc verò tituli repetitio ea iam deſignat ſequi, vnde totus liber nomen accepit, ſententias videlicet grauiores quæ more Hebr. ferè perpetuis antitheſibus decurrunt, magnamque in originali textu ſæpè continent elegantiam, ſiue ex

breuitate, ſiue ex verſuum forma, ſiue ex alluſione quæ in Latinis perit.

3. NON AFFLIGET DOMINVS FAME ANIMAM IVSTI. Hoc ſi de corporis fame generaliter velis intelligere, multis exemplis & in primis Lazari mendici redargueris; Nec mirum; egeſtas enim multis eſt via perueniendi ad æternam ſalutem, qui ita infirmi ſunt, vt vel tenui rerum affluentiâ corrumperentur. Etſi ergo communiter verum ſit hoc de temporalibus vitæ ſubſidiis, prout S. Cyprian. *tract. De operibus & eleemoſina* intelligit, longè tamen verius eſt, ſi cum Beda & S. Baſil. *homil. 2. de ieiunio, in fine*, de fame interioris hominis exponatur, quâ anima iuſti non affligitur, vt cui Deus mentem inhabitans perpetua eſt refectio. Conſule quæ dicta ſunt ad *cap. 3. in init.* ET INSIDIAS IMPIORVM SVBVERTET, quas nempe ad animæ eius interitum ſtruunt, nam vita iuſti temporalis ſæpè manibus impiorum traditur.

4. EGESTATEM OPERATA EST MANVS REMISSA, id eſt, ſegnis per ignauiam, MANVS AVTEM FORTIVM DIVITIAS PARAT, non tantùm huius vitæ, ſed in primis eas quibus interior homo ante Deum diues eſt. Commendat itaque generaliter diligentiam, quod certiſſimum ſubſidium eſt ad quaſcumque diuitias comparandas; conformiter ad ea quæ diximus *cap. 6. verſ. 6.*

4. QVI NITITVR MENDACIIS, PASCIT VENTOS, id eſt, inquit Auguſtinus *con. Creſcon. cap. 7.* fit eſca ſpiritualibus malis, ita vt (paſcit) ipſe ſumat, pro, cibum præbet; ſed quia ſequens pars, IDEM AVTEM PERSEQVITVR AVES VOLANTES, ſignificat eum ſequi res inſtabiles, quæ inſtar auium è manibus elabuntur, & fallunt, paſcere ventos aptè ſumi poteſt, vt ſit idem quod, ſectatur ventos, hoc eſt, res vanas atque fallaces, quaſi inſequens eos inſtar paſcentis.

6. BENEDICTIO DOMINI, quæ omnium rerum affluentiç cauſa eſt, SVPER CAPVT IVSTI, à Deo ſcilicet deſcendet: OS AVTEM ſiue faciem & caput IMPIORVM OPERIT INIQVITAS, accerſendo ei ſupplicium & ignominiam. Quo ſenſu pars poſterior verſus priori contraria maledictionem Dei in caput impii deſcenſuram eſſe ſignificat.

8. SAPIENS CORDE PRÆCEPTA SVSCIPIT, libenter ſe ſinens corripi, inſtrui ac moneri, vt qui malit auditor eſſe quàm doctor. STVLTVS CÆDITVR LABIIS, quia ita grauis eſt ei docentis vel corripientis admonitio, vt eius labiis quaſi virgis cædi videatur. Poteſt tamen etiam de labiis propriis ipſius ſtulti intelligi, quibus cæditur quia læditur. Nam vt S. Ambroſius lib. 1. Offic. cap. 2. Verberamur vocis noſtrę verbere, cùm loquimur ea, quorum ſono cæditur animus noſter & mens conſauciatur.

9. QVI AMBVLAT SIMPLICITER, id eſt, verbis quod actionibus præ ſe ferens, ſine ſimulationibus, occultis intentionibus & mentis reſeruationibus, AMBVLAT CONFIDENTER: non enim timet in verſutia deprehendi. Habet enim quaſi arcem quandam fortitudinis ſimplicitatem ſuam, nec ſuſpectus eſt pati quod ſe feciſſe non meminit, inquit Gregorius 12. Moral. c. 21. QVI AVTEM DEPRAVAT VIAS SVAS, huiuſmodi occultis artibus, intentionibus, doloſiſque reſtrictionibus, tandem aliquando deprehenſus, MANIFESTVS ERIT: & ſic ei meritò continget, vt qui credere ei volentes arte fefellerit, credi ſibi volens non credatur.

10. QVI ANNVIT OCVLO, fraudulentiâ ſcilicet oculorum beneuolentiâ atque adulatione amicitiam ſimulando, tempore opportuno DABIT DOLOREM, quia plagas quas meditatur, inferet: ſic enim Pſal. 34. verſ. 19. oculorum nutu doloſus innuitur. ET STVLTVS, id eſt, qui nutibus eiuſmodi aut adulationibus credit, LABIIS VERBERABITVR, id eſt, fictis aſſentantium & ſimulantium ſermonibus ita lædetur ac ſi cæderetur. Nam, vt inquit Auguſt. plus perſequitur lingua adulatoris quàm gladius perſecutoris.

11. VENA VITÆ OS IVSTI, id eſt, fons vitæ, vt habet Hebręus: ex quo per ſalutis monita, conſilia atque doctrinam in auditores vita promanat. ET OS IMPIORVM OPERIT INIQVITATEM, vtpote quam in ſe velut fons malorum concluſam tenet, vt in alios fundat perniciem.

12. ET VNIVERSA DELICTA OPERIT CHARITAS, non tantùm delicta diligentis, ſed in primis eius quem diligit; quia illa extenuat,

tegit atque condonat. Eſt enim charitas patiens & benigna, vnde fit vt iniurias alterius non magni faciat: & conſequenter vbi ODIVM SVSCITAT RIXAS, charitas è contrà operit & mitigat ſuſcitatas.

13. ET VIRGA IN DORSO EIVS, &c. quia plagis dignus eſt propter agendi loquendique temeritatem.

14. SAPIENTES ABSCONDVNT SCIENTIAM, ſiue id quod ſciunt: habent enim linguam in corde, quia nihil temerè, ſed magnâ circumſpectatione ponderatum efferunt. OS AVTEM STVLTI CONFVSIONI, id eſt, dedecori & ignominiæ, PROXIMVM EST, quia vt alibi dicit Scriptura, Vrbs patens & abſque murorum ambitu, captu ſcilicet & expugnatu vndequaq; facilis, vir qui non poteſt cohibere in loquendo ſpiritum ſuum.

15. SVBSTANTIA DIVITIS ſiue diuitiæ ſunt ei VRBS FORTITVDINIS EIVS, qua ſcilicet inflatus, fortem ſe & munitum putat. Hoc enim habent diuitiæ, vt qui eis affluunt, ſæpè plus ſoleant in diuitiis quàm in Deo confidere: Vermis enim diuitiarum ſuperbia. Quod ſciens Apoſtolus 1. ad Timoth. 6. Præcipe inquit, diuitibus huius ſæculi, non ſuperbè ſapere, neque ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Deo viuo. PAVOR PAVPERVM, id eſt, cauſa pauendi, EGESTAS EORVM, quia frangit eorum animos, vt Deo nimiâ puſillanimitate diffidant. Itaque videtur vtrumque extremum velle vitari & auream mediocritate potiùs contentum viuere, iuxta illud; Diuitias & paupertatem ne dederis mihi.

16. OPVS IVSTI AD VITAM, laborat enim non vt affluat & luxurietur in diuitiis, ſed vt viuat frugaliter hic & poſtea in æternum. FRVCTVS AVTEM, ſiue prouentus, qui IMPIO vel laboranti, vel otianti obtingit, impenditur AD PECCATVM.

18. ABSCONDVNT ODIVM, &c. quo verſu duo mala notat, in quorum alterutrum neceſſe eſt eum cadere, qui odio vel rancore aduerſus proximum laborat; nimirum, vt ſi velit odium amicitiæ ſimulatione abſcondere, incidat in mendacium; ſin autem malit contumeliis iaculandis prodere, in ſtultitiam.

19. IN MVLTILOQVIO NON DEERIT PECCATVM, ſiue mendacii, ſiue detractionis, ſiue alterius indiſcretæ læſionis, ſiue vanitatis, ſiue deniquè verbi otioſi. Multiloquium autem eſt, vt inquit Auguſtinus 1. cont. Creſcon. cap. 1. ſuperflua locutio. Vitium ſcilicet loquendi amore contractum, id eſt, cùm non prodeſſe, ſed loqui amas. Nam vt, inquit Ambroſius multi loquuntur, cùm tacere neſciant. Abſit autem vt multiloquium deputetur quando neceſſaria dicuntur, quantalibet ſermonum multitudine ac prolixitate dicantur, vt Auguſtinus 1. Retract. cap. 1. QVI AVTEM MODERATVR LABIA SVA, PRVDENTISSIMVS EST, quia qui non offendit in verbo, hic perfectus eſt vir. Nam linguæ in lubrico poſitæ facillimus lapſus eſt.

20. ARGENTVM ELECTVM LINGVA IVSTI; quia veritate, circumſpectione, opportunitate, atque vtilitate verba iuſti commendantur, & inſtar argenti pretioſa ſunt. COR AVTEM IMPIORVM PRO NIHILO, id eſt, nullius pretii: quantò magis verba quæ inde prodeunt?

22. BENEDICTIO DOMINI DIVITES FACIT, NEC SOCIABITVR EI AFFLICTIO; id eſt, benedictio Domini affert diuitias & felicitatem: diuitias, inquam, illas quibus omnis paupertas repellitur; & felicitatem, quam nulla interpellat miſeria: quę duo ſi non adſint, vmbra potiùs erit diuitiarum & felicitatis, quàm vera felicitas; hæc autem nihil eſt niſi beata immortalitas.

23. QVASI PER RISVM STVLTVS OPERATVR SCELVS, vt quod putęt eſſe parui momenti, imò iucundum & riſu dignum. SAPIENTIA AVTEM quâ iuſtus pollet, EST VIRO PRVDENTIA, quia parit viro prudentiam, id eſt, intelligentiam ei dat, qua ſciat non voluptati ducendum peccatum, ſed tamquam à facie colubri eſſe fugiendum: Sed quia inter ridendum non deſinunt impii ſtimulante conſcientiâ, ſupplicia & ignominias tam huius vitę quâ futurę pertimeſcere, hinc addit:

24. QVOD TIMET IMPIVS, &c.

QVASI TEMPESTAS TRASIENS, &c. quæ quò maiore fragore & terrore ingruit, eò citiùs finitur, & in lutum deſinit. Vnde apud

apud Iob, Vidi eos qui ſeminant dolores & metum, eos flante Deo periiſſe & ſpiritu iræ eius eſſe conſumptos. IVSTVS AVTEM QVASI FVNDAMENTVM SEMPITERNVM, quia fundatus ſupra petram fundamentalem, quem proinde propter ſoliditatem & humilitatem nulli tribulationum venti vel flumina poſſunt concutere.

26. SICVT ACETVM DENTIBVS, ET FVMVS &c. quibus moleſtiam adferunt, ſtuporem & lachrymas, nec officio ſuo fungi ſinunt. SIC PIGER HIS QVI MISERVNT EVM, quia nec ipſemet cauſam curat ſibi commiſſam, nec alios, dum ſibi fiditur, curare permittit.

29. FORTITVDO SIMPLICIS VIA DOMINI, id eſt, lex Dei & vita tota cordis ſinceritate ex legis normâ tranſacta ingentem fiduciam & fortitudinem ei adferet eademque via Domini neglecta, EST PAVOR HIS QVI OPERANTVR MALVM, cùm enim ſit timida nequitia, dat teſtimonium condemnationis ſuę, ſemper ſæua præſumit perturbata conſcientia.

32. LABIA IVSTI CONSIDERANT PLACITA, id eſt, ſemper præ oculis habent, vt ea loquantur, quæ Deo & hominibus placent, non quia hominibus placere velint, ſed quia prouident bona non ſolùm coràm Deo, ſed etiam coràm hominibus.

CAPVT XI.

1. STATERA DOLOSA, maior vel minor ęquo, ABOMINATIO EST APVD DEVM, quia ſpecie æquitatis exercere iniquitatem eſt duplex iniquitas. ET PONDVS ÆQVVM VOLVNTAS EIVS. Quę ponderandi æquitas non tantum in pecuniariis menſurationibus, quas litera huius loci tangit, ſed non minùs in iudiciorum quorumlibet ponderatione obſeruanda eſt, vt notat Beda. Qui enim aliter cauſas diuitum, amicorum notorum, aliter pauperum, inimicorum ignotorum ponderant, aliter ſuas, aliter alienas, ponderis iniqui reus eſt cuius vt omnibus in rebus appetendis æquitas attingatur, tectiſſimè Aug. 2. de baptiſmo cont. Donatiſt. c. 6. Non adferamus, inquit, ſtateras doloſas, vbi appendamus quod volumus & quomodo volumus, pro arbitrio noſtro dicentis hoc graue eſt, illud leue; ſed afferamus diuinā ſtateram de ſcripturis ſanctis, & in illis quid ſit grauius appendamus, imò, appenſa à Domino recognoſcamus.

2. VBI FVERIT SVPERBIA, IBI ERIT ET CONTVMELIA, tam ea quâ ſuperbi à Deo & hominibus afficiuntur, (opprobrium enim abundantibus & deſpectio ſuperbis) quàm ea qua ſuperbi præ animi tumore ſolent alios probos laceſſere & contemnere. VBI AVTEM HVMILITAS, IBI ET SAPIENTIA, quia quæ ſapientibus abſconduntur, reuelantur à Deo paruulis, & in primis vt ſcientes ſe ex ſe nihil eſſe, neminem deſpiciant, nemini ſe præferant.

3. SIMPLICITAS IVSTORVM DIRIGET ILLOS, proſperando actiones eorum, vt non impingat in infortunia. ET SVPPLANTATIO PERVERSORVM, qua prauorum conſiliorum machinationibus alios conantur deprimere. VASTABIT ILLOS, quia diuino iudicio incidere ſolent in foueam quam fecerunt. Quod aliis verbis eodem ſenſu, *verſ.* 5. & 6. repetit.

7. MORTVO HOMINE IMPIO NVLLA ERIT VLTRA SPES, ſiue earum rerum adipiſcendarum quibus hîc amore inhærebant, ſiue earum quæ in futuro exſpectandæ erant, vt veniæ peccatorum, æternæ vitę, &c. ET EXSPECTATIO SOLLICITORVM, id eſt, anxie rebus terrenis incubantium, vel etiam adhuc inhiantium. PERIBIT.

8. TRADETVR IMPIVS PRO EO. Idem ſibi vult hic verſus, quod 3. 4. & 5. talionem ſcilicet impio à Deo parari.

9. IVSTI AVTEM LIBERABVNTVR, non dolum dolo, & ſimulationem ſimulatione retundendo, vt quaſi par pari referant, ſed SCIENTIA, qua detectis eorum fraudulentis ſermonibus à laqueis talium hypocritarum ſe nouerunt expedire.

11. BENEDICTIONE IVSTORVM, qua ciuibus tum conſilio, tum doctrina, tum fauſtâ precatione benedicunt, EXALTABITVR CIVITAS. Contrà verò ORE IMPIORVM SVBVERTETVR, quia eorum maledicentia & praua conſilia ruinam adferre ſolent: quod pulchrè & latè exponit Eccleſiaſticus *cap.* 28. *verſ.* 15, *& ſeqq.*

12. QVI DESPICIT AMICVM, propter næuos aliquos, quos in eo obſeruat. INDIGENS CORDE EST. Recordari enim debet vitiis nec ſe carere, vel ſi fortè carere ſe putet, antequam careret ſe voluiſſe tolerari: VIR AVTEM PRVDENS TACEBIT, non ſuperbè deſpiciendo, ſed diſſimulando ſi quid aduerterit: Amicitia enim neſcit ſuperbiam, inquit Ambr. 1. Offic. cap. 21. nihilque magis proprium eſt amantium, quàm vt alter alterius onus portet.

13. QVI AMBVLAT FRAVDVLENTER, non verum agens amicum, ſed amicitiæ prætextu alios explorans, REVELAT ARCANA: ſecretum enim integrum & inuiolatum cuſtodire non leue eſt amicitiæ veræ argumentum, vt ſtatim ſequitur.

15. LAQVEOS, fideiuſſionis.

16. MVLIER GRATIOSA, quę caſtimoniç & omnis honeſtatis gratia pollet, INVENIET GLORIAM, quia eò apud omnes ſolet eſſe maior eius reuerentia & admiratio, quò ſexus infirmior eſt. ET ROBVSTI HABEBVNT DIVITIAS, prout cap. ſup. verſ. 4. diximus. Vnde videtur ſignificare, ſicut in vxore honeſtatis & pudicitiæ comes eſt gloria, quæ etiam in virum redundat: ita ſtrenuitatis ac laboris viri opulentia.

17. BENEFACIT ANIMÆ SVÆ VIR MISERICORS placendo Deo, vt alibi dicitur: hoc eſt, qui verè plenuo eſt affectu miſericordiæ in primis animæ ſuæ benefacit: quod tunc fit, ſi non putet ſe eleemoſynis à Deo impunitatem flagitiorum emere, vt inquit Aug. Enchir. c. 76. ſed à peccatis abſtineat: nec ita conſanguineis beneficentiam impendat, vt exteros negligat; hoc enim ſignum eſt non miſericordis, ſed humani & carnalis affectus, QVI AVTEM CRVDELIS EST, exutus ſcilicet viſceribus veræ miſericordiæ, non tantum exteris non impendit, ſed ETIAM PROPINQVOS ABIICIT.

18. IMPIVS FACIT OPVS INSTABILE, fallax nempe & euanidum, cui inniti non poteſt ſolidè vt aſſequatur ſcopum beatitudinis quem quærit: SEMINANTI IVSTITIAM MERCES FIDELIS, corona ſcilicet iuſtitiæ, quam ei reddet iuſtus Iudex, quia eam promiſit qui non mentitur Deus. Modum autem quo iuſtus hoc aſſequitur, exponit verſ. ſeq. nempe per CLEMENTIAM, id eſt, iuſtitiam, ſpecie pro genere poſita.

20. ABOMINABILE DOMINO COR PRAVVM, hoc eſt, dolis ac duplicitate diſtortum, quod aliud intùs cogitat, aliud exteriùs manifeſtat. Prauum enim cor opponitur ſimplici, cùm ſimplicitatis merito caret quidquid arte elicitum & fraude compoſitum eſt, vt ait Ambr. 3. offic. c. 9. de tali ergo prauo corde videtur intelligendum quod ſequitur.

21. MANVS IN MANV NON ERIT INNOCENS MALVS, hoc eſt, etſi manus ad manum fuerit, prout idem transfertur c. 16. v. 5. hoc eſt, etſi malus quieſcat ab omni externo opere, vt fit quando quieſcit manus in otio, & nullus eam laborum vſus exercet, vt exponit S. Gregor. 25. Moral. cap. 3. tamen non erit innocens quia intùs corde & cogitatione delinquit, SEMEN AVTEM IVSTORVM SALVABITVR, quia tam animo quàm externis operibus iuſtus ſimplex atque ſincerus eſt.

22. CIRCVLVS AVREVS IN NARIBVS SVIS, ſubaudienda eſt particula ſimilitudinis, ſicut, quam Hebræi ſolent omittere, ita MVLIER PVLCHRA ET FATVA, id eſt, vt 70. verterunt, ita mulieri vecordi ſeu fatuæ pulchritudo, quia neutri congruit, neutra à ſordibus cohibet, neutra eis benè vti nouit; ſed ſicuti ſus circulum aureum, ita hæc pulchritudinem ſuam voluptatum cœno conſpurcat, prout interpretatur Clemens Alexand. lib. 3. Pædag. c. 11.

23. DESIDERIVM IVSTORVM OMNE BONVM, omnium ſcilicet bonorum ſumma atque complexio Deus ipſe: nam omne bonum ſignificat nulla vel vmbra mali adulteratum, de quo Iſaias cap. 3. Dicite iuſto quoniam benè. Contrà verò PRÆSTOLATIO IMPIORVM FVROR, quia nihil eos mouet niſi vindicta peccatorum. Itaque tam deſiderium quàm præſtolatio, pro re deſiderata & exſpectata intelligenda ſunt.

24. ALII DIVIDVNT PROPRIA, per liberalem in pauperes erogationem, ET DITIORES FIVNT, Deo compenſante eleemoſynas etiam temporali affluentia: ALII

RAPIVNT NON SVA, ET SEMPER IN EGESTATE SVNT, dicente Domino per Prophetam Aggeum cap. 1. Intuliſtis in domum, & exſufflaui illud. Deo enim iniuſtitiam vindicante fieri ferè ſolet, vt qui merces colligit, mittat eas in ſacculũ pertuſum.

25. ANIMA QVÆ BENEDICIT, IMPINGVATVR. Hoc eſt quod ſimilibus verbis dicit Apoſtolus, Qui ſeminat in benedictionibus, id eſt, affluenter, de benedictionibus & metet: videtur enim rationem dare verſûs ſuperioris. Vnde benedicere eſt benedictionem in alios effundere. Benedictio autem ſcripturæ phraſi pro munerum elargitione ſubinde accipi ſolet, vt Gen. 33. Suſcipe benedictionem quam attuli tibi. ET QVI INEBRIAT, abundanti elargitione ſatiando & quaſi irrigando egenos, INEBRIABITVR, quia viciſſim à Deo affluenti bonorum vel terrenorũ vel cęleſtium copia cumulabitur.

26. QVI ABSCONDIT FRVMENTA, MALEDICETVR IN POPVLIS, tamquam inſtitor cauponæ humanarum calamitatum, vt ait Baſil. hom. contra auaros: qua maledictione ſæpè ira Dei in tales prouocatur, quia maledicentis in amaritudine exauditur deprecatio, vt eſt Eccleſiaſt. 4. S. Greg. exponit de abſcondentibus talentum prædicandi. 3. part. *Paſtoral. cura.*

27. BENE CONSVRGIT DILVCVLO, id eſt, non inanem adhibet diligentiam, ſed magno fructu & mercede cumulandam: QVI QVÆRIT BONA, continua nempe bonorum operum ſectatione

28. QVI CONFIDIT IN DIVITIIS CORRVET, quia fragili ſplendore nititur, qui exigua calamitate ſolet marceſcere; IVSTI AVTEM QVASI VIRENS FOLIVM GERMINABVNT, quia radix ipſorum Deus vera vita iuſtorum in eis ſtabiliter viuit; vnde creſcunt euntes de virtute in virtutem.

29. QVI CONTVRBAT DOMVM SVAM, patrimonium ac bona quibus familia ſuſtentari debet diſſipando ac decoquendo. POSSIDEBIT VENTOS, quia omnibus breui exitio nihil ſupererit. ET QVI STVLTVS EST, tali neceſſariorum vitę ſubſidiorum dilapidatione, eò deueniet vt SERVIAT SAPIENTI, qui res familiares tueri ſciat.

30. FRVCTVS IVSTI LIGNVM VITÆ, quia confert & ipſi operanti & aliis in quos exercet beneficentiam & miſericordiam ſuam, vitam & immortalitatem: ET QVI SVSCIPIT ANIMAS, infirmitates eorum ſiue ſpirituales, ſiue temporales ſimul ferendo, ille SAPIENS EST.

CAPVT XII.

2. QVI BONVS EST &c. Pendent à præcedenti verſu: quaſi dicat, qui humili iſta bonitate præditus eſt, quâ diſciplinam anterioris increpationis ſiue caſtigationis libenter admittat, vt vexatio det intellectum, gratiam à Deo impetrabit, quâ fiat etiam vtilis ad emendationem iſta animaduerſio. QVI AVTEM CONFIDIT IN COGITATIONIBVS SVIS, putans præ animi tumore ſe vel monitis non egere, vel ſufficere ſibi ad emendandum ſi tantùm velit, magis magiſque IMPIE AGET.

4. MVLIER DILIGENS, non quæ diligat virum, ſed præſtans diligentia & animi fortitudine, vt Hebræus innuit, qua ſcilicet ea quæ morum ſuorum honeſtatem ſpectant, familiæ moderationem liberorumque educationem ſedulò adminiſtrat CORONA EST VIRO SVO, vt cui honorem, decorem & lætitiam adferat. Quæ verò vel ſuæ honeſtatis neglectu, vel familiæ moderandæ ſocordia viro pudori eſt, inſtar *putredinis* eſt in medullis *oſſium*, quæ intimo quodam & acerbiſſimo dolore cruciare ſolet.

5. COGITATIONES IVSTORVM IVDICIA. Quia, vt inquit Gregorius lib. 19. Moral. cap. 13. Ipſe eorum intimus motus cordis quaſi quędam libra eſt iudiciarię poteſtatis, quia quid Deo, quid proximo debeant, iuxta tabulas diuinæ legis in foro cordis examinant. CONSILIA IMPIORVM FRAVDVLENTA, quia fraudulentis artibus ſua ſectantes compendia omnem æquitatis & iuris euerſionem moliuntur. Hinc communiter

6. VERBA IMPIORVM INSIDIANTVR SANGVINI, quia ad aſſequendum ſcopum illum, ſimulatis ſermonibus, doloſis conſiliis, falſis teſtimoniis etiam necẽ aliorum machinantur: os autem IVSTORVM LIBERABIT EOS ab inſidiis eorum, nempe ſeipſos

cauendo, alios cautionem docendo & in iudiciis tuendo.

7. VERTE IMPIOS, ET NON ERVNT, quia ſi ſubuerteris eorum gloriam & poteſtatem, nihil eis ſupererit; neque tantùm in hac vita, vbi perit eorum memoria cum ſonitu, quod, vt notat Beda, in tot idololatriæ religionibus, hæreticorum conciliabulis, adde imperiorum pompis comprobatum eſt, ſed maximè in futura, vbi eis nihil niſi terribilis quædam exſpectatio iudicii Dei eſt reliqua. DOMVS AVTEM IVSTORVM PERMANEBIT. Hæc domus Eccleſia eſt, cuius vnuſquiſque iuſtus eſt membrum, quod haud ſecus atque ipſa Eccleſia, in æternum non commouebitur.

8. DOCTRINA SVA, quam aliis docendo communicat, NOSCITVR VIR, quia rerum pondus verborumque prudentia reddit eum ſuſpiciendum & admirabilem, vt præclarè oſtenditur Sap.8.v.12. & Iob. 29. v. 21. & ſeqq. QVI AVTEM VANVS ET EXCORS EST, ex quo nihil niſi futile ſtultiloquium effluit, PATEBIT CONTEMPTVI.

10. NOVIT IVSTVS IVMENTORVM SVORVM ANIMAS, quia vt Chryſoſt. Homil. 29. in Epiſt. ad Rom. ita mitis eſt, vt hanc manſuetudinem etiam ad animalia bruta extendat, nempe ne illa vel immoderatus labor opprimat, vel inopia pabuli affligat: VISCERA AVTEM IMPIORVM CRVDELIA, etiam in homines, quantò magis in bruta? quamquam illi qui in beſtias ſæui ſunt, vt in Nerone obſeruatum eſt, qui lanienis animalium delectabatur, etiam in homines crudeles eſſe ſoleant.

11. QVI SVAVIS EST IN VINI DEMORATIONIBVS, hoc eſt, libenter compotationibus vacat, IN SVIS MVNITIONIBVS RELINQVIT CONTVMELIAM. Græcè, ignominiam, quia decoctis facultatibus egeſtatem ignominioſam familiæ ſuæ relinquit.

12. DESIDERIVM IMPII MVNIMENTVM EST PESSIMORVM, hoc eſt, impius deſiderat muniri munimentis impiorum, quæ non ſunt alia quàm ſui ſimilium ad imperiates ſatellitium, fraudes & impoſturæ, diuitiæ, poteſtas, gloria: ſed quia hæc fragilia ſunt, RADIX IVSTORVM PROFICIET, quia cùm Deo immutabili nitatur, iuſtus inſtar arboris fructiferæ ibit de virtute in virtutem, & actis altè in Deo radicibus magis magiſque fulcietur.

14. DE FRVCTV ORIS SVI &c. Hic verſus opponitur 13. quia ſicut viro malo ſermones per quos aliis inſidiatur, ſæpè ſunt laqueus & interitus, ita contra iuſtorum oratio non tantùm iis quos inſtituit, ſed & ſibi emolumentum & fructum parit, paſcendo effectum ſuum, & cumulando meritum: Qui enim ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ fulgebunt, &c.

16. FATVVS STATIM INDICAT IRAM SVAM, quia vt eſt ad iraſcendum facilis, ita ad eam euomendam procliuis præ animi impotentia & paſſionis illius ſubita vehementia: QVI AVTEM DISSIMVLAT INIVRIAM, ita eam conferendo ac ſi non ſenſiſſet, CALLIDVS EST, id eſt, prudens, idque non quia opportuniùs imprudentem inimicum opprimet, vel ei vicem reddet, vt fecit Abſalon; iſta enim improborum eſt verſuria: ſed quia euitatâ paſſionis illius ignominioſæ notâ diſcet paulatim animum ſuum vera fortitudine comprimere, & ebullientes illos motus ratione frænare. Hæc eſt enim natura iræ, vt pauliſper dilata langueſcat & pereat, prolata verò magis magiſque ferueat.

17. QVI QVOD NOVIT, LOQVITVR, nihil aſſerens pro teſtimonio niſi quod certa cognitione & veritate compertum habet, INDEX IVSTITIÆ EST, quia Iudici præmonſtrat quid iuſtum & æquum ſit, iuſtamque ſententiam quaſi præformat: QVI AVTEM MENTITVR, TESTIS (ita diſtinguit textus originalis) aliter nempe loquendo quàm nouerit, ſiue intra ſiue extra iudicium, EST FRAVDVLENTVS, quia & ipſe fraudes ac dolos ſolet nectere, fraudiſque atque iniquitatis quæ committitur in iudicio, eſt auctor.

18. EST QVI PROMITTIT, ET QVASI GLADIO PVNGITVR CONSCIENTIÆ, verbum quod correſpondet voci, promittit, apud Hebræos temeritatem quandam efficiendi notat, etiam abſque promiſſione: Ex quo fit vt duplex ſenſus commodus exſculpi queat: Primus quidem benè, vt ſignifi-

cetur plures eſſe qui timerè vel Deo vel hominibus promittant aliquid, cuius mox ducantur pœnitudine, & promiſſi dolore velut gladii punctione crucientur: *Linguam vero ſapientum eſſe ſanitatem*, quia multi præuio conſilio & ponderatione promittunt, vt poſt factum nullo animi dolore lacerentur. Alter ſenſus huic vicinus eſt & multùm cohærens textui; Eſt qui temerè multa effutit nulla habita ratione honoris, vel famæ, vel offenſionis aliorum, vnde poſtea conſcientia velut gladio torqueatur: lingua autem ſapientum ſanitas, quia non tam lædit quàm vulneribus aliorum temeritate inflictis medetur. Hinc de temerariis ſermonibus pergens diſſerere, ſubdit;

19. QVI AVTEM TESTIS EST REPENTINVS, temerè proſiliens ad teſtandum, CONCINNAT LINGVAM MENDACII, quia cùm non ſoleant cohærere mendacia, memor eſſe cogitur qui ea protulit, vt palliando & aptando vnum mendacium ex altero, ſibi conſtent.

21. NON CONTRISTABIT IVSTVM QVIDQVID EI ACCIDERIT, non peccati, ſed calamitatis & infortunij. Quia ſicut cælum altius eſt nubibus & pluuiis, ita mens iuſtitiæ ſerenitate perfuſa, triſtitiæ nubibus eſt ſublimior, inquit Chryſoſtomus Homil. 1. in Epiſt. 2. ad Corinth. Vnde & Paulus, Superabundo gaudio in omni tribulatione noſtra: cuius cauſa eſt patientia, quia fit vt omnia ipſis cooperentur in bonum. IMPII AVTEM REPLEBVNTVR MALO, quia eùm intus conſcientiæ carnificina, & extra ærumnis & calamitatibus flagellentur, nihil ſolatis habent reliquum, quo dolorum acerbitati medeantur.

23. HOMO VERSVTVS, hoc eſt, prudens & circumſpectus, CELAT SCIENTIAM, cauens ne eam promiſcuè effundat: idque ne vel infirmioribus auditoribus non conueniat, vel ſubinde margaritas ante porcos proiiciat, vel certè ne glorioſæ alicuius vanitate capiatur. ET COR INSIPIENTIVM PROVOCAT; id eſt, non continet, ſed effundit omni occaſione in publicum STVLTITIAM, nempe ſuam, quanrò magis ſcientiam ſi quam habet, vas enim vacuum magis etiam ſonat.

24. MANVS FORTIVM DOMINABITVR. Hic verſus facilè intelligitur ex dictis c. 10. ac alibi. Nam vt ſedulitas & diligentia parit opulentiam non tantùm facultatum, ſed maximè virtutum; ita eadem animum & ſibi, & vitiis, & aliis rectè imperantem facit: ignauia verò & hominum & vitiorum & diaboli ſeruum.

26. QVI NEGLIGIT DAMNVM PROPTER AMICVM, nullâ habitâ ratione vel lucri captandi, vel emergentis iacturæ, vt amicis neceſſitatibus obuiam eat, IVSTVS EST: ITER AVTEM IMPIORVM, qui non modò damna propter amicos non negligunt: ſed ex eis ipſis ſua ſectantur compendia, quaſi ſterilis eſſet amicitia & inutilis qua non diteſcant vel temporale ſubſidium inueniant, DECIPIET EOS, quia vel hîc ſordida illa amicitiæ cultæ mercede fruſtrabuntur, vel quàm vilem fructum ex re honeſtiſſima ſibi pepererint auiditate ſuâ, in futuro cognoſcent.

27. NON INVENIET FRAVDVLENTVS LVCRVM, tum quia opum deſiderio temporalium iuſtitiam perdit, tum etiam quia plerumque diuitiæ fraudulentorum & auidè ſectantium manus fugiunt. Deus enim exſufflat illud: ex quo etiam fit, vt malè parta malè dilabantur, & de malè quæſitis non fiat tertius hæres. SVBSTANTIA VERÒ HOMINIS, id eſt, veræ hominis diuitiæ, AVRI PRETIVM, quia pretioſæ vt aurum: Non enim conſiſtunt in abundantia ſed iuſtitia, ſiue diteſcat, ſiue non, nec in fraudulenta corrogatione diuitiarum, ſed miſericordi erogatione. Hic videtur ſenſus editionis vulgaræ, à qua non multùm abeunt LXX. Interpretes quos exponit Ambroſius 1. Offic. cap. 3. Poſſeſſio pretioſa vir mundus: vbi indicatur ipſa animi munditia eſſe pretioſa, poſſeſſio. Et meritò, inquit, pretioſa, cuius fructus non caducus & temporalis, ſed ſtabilis atque æternæ ſalutis eſt.

CAPVT XIII.

1. FILIVS SAPIENS, DOCTRINA PATRIS. Putat Beda ſignificari filium ſapientem eò poſſe proficere, vt inſtitutores ſuos & patrem docere poſſit: vt quaſi actiuè ſumatur. Malim quaſi paſſiuè ſumatur, vt in-

dicetur filium eſſe effectum atque effigiem inſtitutionis paternæ, quam obtemperanter accepit & obſeruauit. Quo ſenſu in idem redibit, ſiue doctrina ſit caſus rectus, vt effectus cauſæ nomine appelletur: ſiue ablatiuus, vt per doctrinam patris ſapiens factus dicatur, ſiue denique legas, vt alibi in quarto caſu, *doctrinam*, vt ſubaudiatur ex ſequenti hemiſtichio, *audit*. Proinde rectè reſpondet ſequens antitheſis; QVI AVTEM ILLVSOR EST, nempe inſipiens filius, NON AVDIT, &c. Verſus ſequens ſimilis eſt verſ. 13. cap. 12.

4. VVLT ET NON VVLT PIGER, id eſt, totis diſtrahitur deſideriis diem optando & nihil operando conſumens, vult virtutes non vult labores, vult mercedem non vult opus, eligit hæc & mox perpenſis difficultatibus ad alia non tam agenda quàm deſideranda conuertitur. Quę hæſitatio & ignauia, quia omnem vitæ fructum impedit & intercipit, hinc rectè ſubiungitur: ANIMA AVTEM OPERANTIVM IMPINGVABITVR. Difficultates enim pro adipiſcendis rebus præclaris, non inertia fugiendę, ſed vel ſolertia diſſipandæ vel animi fortitudine deuorandæ ſunt.

5. IMPIVS AVTEM CONFVNDIT, ſiue pudore afficit, tum ſe, tum alios quos mendaciis onerat, ET CONFVNDETVR, deprehenſa vt ſæpè fieri ſolet, impoſtura.

7. ET QVASI DIVES CVM NIHIL HABEAT. Poſſunt facilè varii ſenſus huic verſui aptari, ſi de vulgaribus diuitiis intelligatur. Putant enim quidam ſignificari nonnullos eſſe animo ditiſſimos, etiamſi cenſu ſint pauperes, quia virtutibus opulenti ſua ſorte qualiſcumque ſit, contenti viuunt. Contrà, alios eſſe ſemper pauperes, quantumuis affluant, quia auaritia eſt inſatiabilis. Alii malunt ſignificari, quoſdam eſſe animo ita affectos, vt prę faſtu ſe pro diuitibus gerant, cùm ſint pauperrimi: vbi contra nonnulli cùm ſint diuites, paupertatem ſimulant. Docet hunc ſenſum admitti poſſe Auguſtinus *Serm. 212. de tempore*, ſi accipiamus, illius notatam eſſe ſuperbiam, huius verò humilitatem. Alioqui, inquit, omninò non eſſe credendum, quod de iſtis diuitiis, quibus inflantur ſuperbi, curauerit ſcriptura nos admonere, vt eas vel pro magno habeamus, vel non habere timeamus. Ipſe ergo exponit de diuitiis veris quibus homo interior coram Deo diues eſt: plenus, inquit, fortitudine, opimus pietate, abundans charitate. Eſt ergo ille quaſi diues, qui (quod hypocritis proprium eſt) ſibi iuſtus videtur cùm ſit iniquus: & eſt quaſi pauper, cùm ſit in multis diuitiis, quia pauper eſt ſpiritu, nihil ſcilicet ſibi aſcribens, ideoque tam diues vt ipſius ſit regnum cœlorum. Ad hunc ſenſum adductus eſt Auguſtinus propter ſequentem verſum.

8. REDEMPTIO ANIMÆ VIRI, DIVITIÆ, non pecuniariæ, ſed SVÆ, id eſt, homini propriæ. Anima enim viri non auro & argento, ſed iuſtitiâ redimitur: quę & ipſum aurum non corrogat, ſed erogat, & peccata ſua animamque redimit eleemoſynis pauperum. Ita indicat cod. ſerm. c. 9. Vnde & Hier. Epiſt. 28 ad Lucinium, Melior intelligentia eſt, inquit, vt diuitias proprias (ita ipſe legit pro *ſuis*) agnoſcamus theſauros abſconditos, quos nec fur poteſt effodere nec latro violentus eripere. Quod enim reconditur in pauperum ventribus, in terram quidem digeritur, inquit Auguſtinus ibid. ſed tutiùs in cœlo ſeruatur. Hinc & Ambr. in Pſal. 37. de hoc loco. *Redime animam tuam*, Vilis eſt pecunia cùm conditur, pretioſa cùm diſpergitur. QVI AVTEM PAVPER EST, INCREPATIONEM NON SVSTINET, id eſt, inquit Auguſtinus ibid. c. 10. qui iuſtitiâ eſt pauper non habens intus ſpiritûs plenitudinem & ornamenta ſpiritualia, non ſuffert minas (ita legit) id eſt, ſi ad peccatum impellitur, tamdiu negat donec diues minari incipiat, quia caret diuitiis eorum qui pro veritate omnes minas ſæculi contempſerunt. Sin verò de pauperibus illis vulgatis intelligere malis, de his etiam frequenter verum eſt, quòd ſplendorem & faſtum potentium veriti minas eorum non ſufferant, ſed facilè ad quidlibet impellantur.

9. LVX IVSTORVM, quæ ſunt lux mundi ita lucens coram hominibus vt videant opera eorum bona, &c. Hæc lux doctrinæ atque iuſtitiæ, LÆTIFICAT, tum ipſos quibus

ipſa ſecuritas conſcientiæ eſt quaſi iuge conuiuium, tum alios qui eam intuentur & imitantur. Lætificat porrò non VT LVCERNA IMPIORVM, quæ mundo gloriâ ſæculari ſplendet & claret, & mox extinguitur; ducunt enim in bonis dies ſuos & in punćto ad inferna deſcendunt: ſed lætitia ſempiterna ſuper capita eorum.

10. INTER SVPERBOS SEMPER IVRGIA SVNT, quia ſummo conatu nititur alter alteri præcellentiam præripere, in opinionibus, in diſputationibus, in conſiliis, in honoribus, &c. Vnde neceſſe eſt, vt collidantur. Hinc Aug. c. 8. de Paſtorib. Diuerſis locis ſunt ſectæ diuerſæ; ſed vna mater ſuperbia omnes genuit. Non ergo mirum ſi ſuperbia parit diſſenſionem, Et Epiſt. 120. ad Honoratum c. 16. Ideò in vnicornibus ſuperbi intelliguntur, quia ſuperbia odit conſortium, & quantum in ipſo eſt, ſolus cupit eminere omnis ſuperbus. QVI AVTEM AGVNT OMNIA CVM CONSILIO, quod ſuperbi aſpernari ſolent putantes ſe præ cæteris ſolos ſapere: REGVNTVR SAPIENTIA.

11. SVBSTANTIA FESTINATA MINVETVR, quia ita præcluſit iuſtitia ditescendi vias, vt vix eò celeriter niſi fraudibus perueniri queat: quæ autem malis artibus comparantur, malè quoque dilabuntur. QVÆ AVTEM PAVLATIM COLLIGITVR MANV, pugillum ſcilicet pugillo addendo induſtria iuſtiſque laboribus, MVLTIPLICABITVR, Deo etiam temporaliter iſti ſedulitati benedicente.

12. SPES QVÆ DIFFERTVR AFFLIGIT ANIMAM. Spem & deſiderium pro rebus ſperatis ac deſideratis accipe, quarum dilatio naturaliter triſtitiam ingerit, acceleratio verò lætitiam: quamdiu enim mens deſideriis agitur, inquieta eſt; lætitia verò de adeptione eſt quies eius. Hac ergo nota ſatis ſententia monet in benefaciendo non eſſe animos miſerorum importuna dilatatione cruciandos, ne tam dona noſtra commendare quàm inuiti dare videamur, & odium pro gratulatione referamus. Alia in Deo eſt ratio, qui de induſtria vitam æternam differt iuſtis, quia vt S. Auguſt. tract. 4. in Epiſt. Ioan. differendo extendit deſiderium, deſiderando extendit animum, extendendo facit capaciorem.

13. QVI DETRAHIT ALICVI REI, perperam reprehendendo cùm reprehenſione careat: hoc enim ferè ſonat detractio: IPSE SE IN FVTVRVM OBLIGAT, vel ad pœnam ſi conuicatur, vel ad defenſionem ſuæ detractionis, ira vt loquendi temeritati, vt fieri ſolet, accedat tuendi propugnandique pertuicacia: QVI AVTEM TIMET PRÆCEPTVM, quo prohibemur calumnias ſtruere ac detrahere, IN PACE VERSABITVR coram hominibus & Deo, in hac vita ac futura.

14. LEX SAPIENTIS, quam velut omnium actionum ſuarum normam ſequitur & aliis ſequendam preſcribit, FONS VITÆ, vtpote cuius obſeruatio & ipſi & omnibus eam ſequentibus vitam æternam confert, & æternæ mortis ruinam arcet.

15. DOCTRINA BONA, à quâ aliquis benè inſtitutus dicitur boniſque præceptis & moribus imbutus, DABIT GRATIAM, quia eum hominibus Deoque commendat, vt hic eum gratiæ ſuæ liberalitate, illi fauore & amore proſequantur: IN ITINERE CONTEMPTORVM VORAGO, hoc eſt, vitam viuendique modum eorum qui rectam inſtitutionem doctrinamque contemnunt, abſorbet tandem aliquando ſempiternus interitus.

17 NVNCIVS IMPII, ſiue impietatis, Heb. impius; nempe qui vel impio mittenti ad impietatem obſequitur, vel impia legatione perfungitur, vel etiam ipſe impiè & infideliter etiam bonam legationem obit, propter impietatem ſui miniſterii CADET IN MALVM: LEGATVS AVTEM FIDELIS, illis omnibus modis quos tetigimus, SANITAS, ſiue ſalutaris eſt; & ſibi qui mittitur, & Domino à quo mittitur, & iis ad quos mittitur.

22. BONVS RELINQVIT HÆREDES FILIOS ET NEPOTES, &c. Hęc ſi de ſpiritualibus bonis & hæreditate ſumantur, conſtantior eſt & clarior veritas ſententiæ. Vir enim bonus & ſapiens erudit multos in iuſtitia, quam in filios quos gignit verbo veritatis trāsfundit. Vnde contingit vt Deus auferat ab eis talentum qui in terram defodiunt, ac det aliis qui ex Dei donis antè conceſſis vſuram iam

dictam fecerant: Omni enim habenti dabitur, &c. Si tamen de temporalibus opibus intellexerimus, etiam illæ ſæpè iuſto iudicio auferuntur indignis tam ipſis quàm eorum poſteris qui vti neſciunt, ac dantur iis qui in vſus pietatis effundendo. Dei benedictionem etiam filiis & nepotibus impetrant. Cui ſenſui cohæret quod ſequitur:

23. MVLTI CIBI IN NOVALIBVS PATRVM, &c. id eſt, magnam ſubinde vbertatis atque opum affluentiam ex agris ſuis aſſidua diligentia innouatis & excultis parentes colligunt, ſed quia diuitiis potiùs per auaritiam accumulandis quàm erogandis incumbunt, imprudenter & ſine iudicio aliis ſiue liberis ſiue extraneis colligunt, qui in eorum bonis luxuriabuntur. Qua ſententia monet Sapiens, vt parentes non tam patrimonio amplificando, quæ poſſeſſio eſt fragilis & diſſolutionis occaſio, quàm virtuti liberis ſuis tradendæ incumbant. Vnde etiam ſubdit:

24. QVI PARCIT VIRGÆ, ODIT FILIVM SVVM.

25. IVSTVS COMEDIT ET REPLET ANIMAM SVAM, quia eis contentus eſt quibus natura, id eſt, paucis quæ Deus dederit. Vnde non tam videtur ſignificari, iuſtum quocumque cibo eſſe contentum, quàm cum partis bonis animæ deſiderium ſatiare, neque ſiti inexplebili auaritiæ & cupiditatis ardere: quod ex antitheſi magis elucet: VENTER AVTEM IMPIORVM INSATVRABILIS, quia tam eis deeſt quod habent, quàm quod non habent. Verumtamen eſt etiam ſignificari poſſe quod iuſtus obuio cibo contentus ſit, impii verò ferculorum & gulæ nullum habeant modum: itemque quod iuſtus ita bonis ſuis vtatur, vt naturæ ſuæ ſatisfaciat; auari verò præ mordaci parcitatis curâ nec ventrem latrantem ſatient.

CAPVT XIV.

1. SAPIENS MVLIER ÆDIFICAT DOMVM SVAM. Cùm enim familiæ cura ferè mulieribus incumbat, prudens eius adminiſtratio, ſanctaque filiorum educatio & diſciplina, frugalitas & cultûs modeſtia familiam, ſi quid aliud, promouet & rectè componit. Vnde & Apoſtolus inter cæteras conditiones mulierum requirit, vt ſint prudentes, domus curam habentes. Hinc quidam, fœminarum, inquit, Philoſophia & œconomia hęc decet in primis, reliquæ autem ſcientiæ mirum eſt ſi non dedecent. INSIPIENS EXTRVCTAM QVOQVE MANIBVS DESTRVET, tum inertia diſciplinæque familiaris neglecta, tum imprudenti opum profuſione & luxu. Vnde Tertull. lib. de habitu mulierum capite vltim. Breuiſſimis loculis patrimonium grande præfertur, ſaltus & inſulas (id eſt ſaltuum & inſularum pretia) tenera ceruix fert, &c.

3. IN ORE STVLTI VIRGA SVPERBIÆ EST, quia ſuperba & aculeata lingua ſibi & aliis nocet, & veluti virgâ ſeu baculo ferit: LABIA AVTEM SAPIENTIVM CVSTODIVNT EOS, nempe & ipſos ſapientes dum cauent ne labantur in lingua, & alios quos à ſtultorum tuentur maledicentiâ.

4. VBI NON SVNT BOVES, nempe ſtrenui quibus terra colatur, IBI PRÆSEPE VACVVM EST, & communiter horreum, vt quidam transferendum putant. Sermo eſt parabolicus, quo ſignificatur ex negligentia Paſtorum, quos & Apoſt. 1. ad Cor. 9. bobus comparat, horreum Dominicum, id eſt, Eccleſiam Dei viui doctrinâ veritatis veriſſimo animorum cibo & ſegete bonorum operum deſtitui, animarumque lucro priuari. Sic exponit Gregorius l. 7. Regiſtri Epiſt. 30.

6. QVÆRIT DERISOR SAPIENTIAM, ET NON INVENIT. Deriſores alii præcepta ſapientię per vitam peſſimam apertè contemnunt, qui cùm Deum inuocant, iuſto Dei iudicio non exaudiuntur, vt habetur c. 1. Prouerb. Alii ſapientiam ſedulò inueſtigant, ſed propriâ induſtriâ eam conantur aſſequi; vel ibi quærunt vbi inueniri non poteſt. Tales fuerunt Philoſophi acerrimi beatæ vitæ inueſtigatores, & in primis hæretici, qui ſemper diſcunt, & nunquam ad ſcientiam veritatis perueniunt. DOCTRINA PRVDENTIVM FACILIS, quia vt ex Sap. 6. facilè videtur ſapientia ab his qui quærunt eam, nempe in ſimplicitate cordis & in illis ſemitis vbi quærenda eſt.

7. VADE CONTRA VIRVM STVLTVM, hoc eſt,

eſt, ſi lueris acriùs contra hominem inſipientem contendendo ac diſputando, nihil in ipſo deprehendes, niſi os imprudens & infræne, quod neſciens prudenter tacere, quælibet loquitur. Alii (CONTRA) accipiunt iuxta Hebræam proprietatem pro (ex aduerſo) longè ſcilicet ab eo diſcedendo, ET NESCIT LABIA PRVDENTIÆ, quia linguâ procax eſt & imprudens.

8. SAPIENTIA CALLIDI, &c. id eſt, viri prudentis hæc eſt vera ſapientia, non multa ſubtiliter indagari & contemplari; ſed vitæ ſuæ rationes exploratas habere, vt ſciat quęnam vitæ via ſit deligenda, & quò per illam tenderę debeat. De quo pulchrè S. Bernardus, Attende homo vnde venis, & erubeſce: vbi es, & ingemiſce: quò vadis, & contremiſce. Hæc omnia quia errando neſciunt ſtulti hinc addit, ET IMPRVDENTIA STVLTORVM ERRANS.

9. STVLTVS ILLVDET ſeu ridebit PECCATVM, tum ſuum, tum alienum: ſuum quia lætatur cùm malefecerit: alienum, quod non tantum non tegit miſeratione, ſed ſubſannando diuulgat. ET INTER IVSTOS MORABITVR GRATIA, id eſt, beneuolentia, qua peccantibus miſericordi dilectionis affectu compatiuntur, & inſtruentes eos in ſpiritu lenitatis conſiderant ſeipſos, ne & ipſi tententur.

10. COR (ſupple. eſt) QVOD NOVIT AMARITVDINEM ANIMÆ SVÆ, textus enim originalis habet, Cor cognoſcens &c & IN GAVDIO, &c. quam copulam, &, vulgatus omittit. Vnde ſenſus ſimpliciſſimus videtur eſſe, Animus ipſe hominis, ſolus magnitudinis mœroris ſui, itemque gaudii conſcius eſt: neque enim facile eſt animi ſui affectus ita aliis apetire quomodo ſentiuntur. D. Gregorius tamen 6. Moral. cap. 10. alium ſenſum adfert: Cor quod nunc experientia ſuam amaritudinem agnoſcit, quapropter admiſſa peccata cœleſtiſque patriæ deſiderium ingemiſcit, poſtea ęternis gaudiis potietur, ita vt nemo ab illo dolore cordis alienus & extraneus particeps illius conſolationis futuræ ſit.

12. EST VIA QVÆ VIDETVR, &c. qualis eſt via in primis hæreticorum in ipſa via errantium, itemque eorum qui terrena felicitate corrupti ex ipſa ſucceſſuum proſperitate coniiciunt neceſſe eſſe vt recta ſit via quam tenent, vtpote cui Deus tam impensè fauet. Huiuſmodi autem reuocandos eſſe ab iſto profanæ fallaciſque amore felicitatis, ſignificat dum addit,

13. RISVS DOLORE MISCEBITVR, &c. id eſt, ipſa lætitia huius ſæculi talis eſt vt etiam dum durat, aliquo mœrore non vacet: vel certè ita inconſtans eſt ac mutabilis, vt extremum eius mox luctus excipiat, vel temporalis vel ſempiternus. Quod amplius exponens ſubiicit,

14. VIIS SVIS REPLEBITVR STVLTVS, quia digno conuerſationis impiæ & delicioſæ præmio, hoc eſt, ſupplicio ſaturabitur: ET SVPER EVM ERIT VIR BONVS, quia abundantius iuſtuę præmium accipiet, magiſque fructu viarum ſuarum replebitur. Propenſior enim Deus eſt ad remunerandum quàm ad plectendum.

15. INNOCENS CREDIT OMNI VERBO. Innocens in malum, & aſtutus in bonum ſumitur pro prudente, tum hîc tum alibi: INNOCENS ergo, id eſt, rerum inexpertus & imperitus nondumque hærens ſoliditati veritatis, quibuſlibet ſermonibus temerè fidem accommodat. Nam vt ait Auguſtin. 4. Confeſſ. cap. 14. ſicut auræ linguarum flauerint à pectoribus opinantium, ita anima infirma fertur & vertitur, torquetur ac retorquetur, & obnubilatur ei lumen, & non cernitur veritas. ASTVTVS verò neglectis hominum & opinionibus & ſermonibus conſiderat motus animi ſui & GRESSVS SVOS, vt nempe cum lege Dei, ipſaque veritate conſentiant.

17. IMPATIENS præ iraſcendi ſeueritate & animi impotentiâ OPERABITVR STVLTITIAM, quia dictis & factis multa deſignat, quorum eum pœniteat ſimul ac furor ille breuis deferbuerit. Sed contra VIR VERSVTVS, qui vindictæ occaſionibus inhians iram ſuam callidè diſſimulando comprimit, ODIOSVS EST, quia eſt impatiente illo longè perníciosior.

18. PARVVLI, nempe ſenſibus, hoc eſt, illi qui ſapientia carnis & huius mundi guber-

nantur, nihil cœleſte & homine dignum ſapientes, ſed patua atque terrena, POSSIDEBVNT STVLTITIAM, hæreditario quaſi iure. Sapientia enim huius mundi quantumcumque videatur ſpecioſa, ſtultitia eſt apud Deum. EXPECTABVNT ASTVTI SCIENTIAM, id eſt, prudentes toto affectu deſiderabunt & ſectabuntur illam ſcientiam ſanctorum qua à morte declinent.

24. CORONA SAPIENTIVM DIVITIÆ EORVM, quia diuitiæ ſapientium propriè ſunt virtus, ipſaque in primis ſapientia, qua veluti corona regia inſigniuntur. Nam prgditum eſſe ſapientia regium eſt. FATVITAS STVLTORVM IMPRVDENTIA: quaſi diceret, non eſt illa fatuitas à qua quidem naturâ dicuntur fatui vel moriones: ſed eſt imprudentia in vita inſtituenda, quia neglectis vtilibus, ſtabilibus & æternis, vana, fluxa & pernicioſa ſectantur.

26. IN TIMORE DOMINI FIDVCIA FORTITVDINIS, ſiue, fiducia de habenda fortitudine eſt in timore Dei. Nam vt ait Greg. ſicut in via ſæculi timor debilitatem, ita in via Dei timor fortitudinem gignit. Mens enim in timore Domini conſtituta non inuenit extra quod metuat, quia dum recto metu omnium conditori coniungitur, poteſtate quadam ſupra omnia ſubleuatur. ET FILIIS EIVS timentis Deum ERIT SPES. Parentum enim pietas in poſteros ſolet redundare, vt promiſſionibus & exemplis innumeris in ſcriptura Deus teſtatus eſt.

28. IN MVLTITVDINE POPVLI DIGNITAS REGIS, quia in populo ſalus, robur, & imperium Regis magis quàm in aliis munimentis Regis conſiſtit: Antiqua enim ſententia eſt, Principes non pecuniarum ſed amicorum defectu perire. Indicat proinde tacitè populum regi eſſe conciliandum: quod fit clementia & bonitate quę animos alliciunt, eoque imperandi modo qui à tyrannide eſt longiſſimus. ET IN PAVCITATE PLEBIS IGNOMINIA PRINCIPIS, eſt enim ſignum alienati à principe animi quod propter vitia maximéque tyrannidem fieri ſolet, quam optimi quique fugiunt.

30. VITA CARNIVM SANITAS CORDIS, id eſt, animus ab omni ægritudine & perturbatione ſanus & liber, ipſi carni vitam vigoremque communicat: contra verò PVTREDO OSSIVM INVIDIA, quia peſtis illa præ cæteris etiam ipſum corpus tabefacit: intactis enim oſſibus vorat medullas. Vide Baſil. Hom. de inuidia. S. Greg. 5 Moral. c. vlt. carnes & oſſa metaphoricè accipiens, ſignificari putat mentis innocentiam etiam infirma noſtra roborare; per inuidiam verò etiam fortia facta virtutum perire.

31. QVI CALVMNIATVR EGENTEM, calumniis aliiſque iniuriis opprimendo, EXPROBRAT, id eſt, probro & dedecore afficit, FACTORI EIVS, non tantum quia ipſius tutelæ quæ violatur, peculiariter derelictus eſt pauper, vel quia Deus author eſt paupertatis iudicio ſuo, ſed quia iniuria in Deum peculiariter redundat: quod enim vni, inquit, ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Dei ergo conſideratione deterret potentes ab oppreſſione pauperum.

CAPVT XV.

2. LINGVA SAPIENTIVM ORNAT SCIENTIAM, quia aptè proferendo auditorumque capacitati & affectibus ſermonem attemperando efficiunt, vt eis ipſa ſcientia pulchra videatur & grata ſit. Hoc autem fit inter cætera, dum non nuda ſcientia, ſed verbis idoneis quaſi veſtibus induta promitur. Vnde ratio non debet eſſe ita nuda, vt frigeſcat, nec tam inculta vt ſordeſcat, nec tam leuiter ornata vt diſpliceat. OS FATVORVM EBVLLIT STVLTITIAM, quia loquacitate importuna profundit id quo fatui pleni ſunt.

4. LINGVA PLACABILIS, id eſt, placans eloquij dulcedine, quæ nempe iræ mitigandæ tollendique diſſidij ac pacis conciliandæ ſtudioſa eſt, LIGNVM VITÆ, quia vt lignum vitæ corporis morbos arcebat, ita hæc animorum ægritudines, vt mœrores, langores & iracundiam mitigat, animoſque velut infuſo vigore recreat. QVÆ AVTEM IMMODERATA EST, ſiue verborum multitudine, ſiue clamorum inſolentia, ſiue increpandi vehementia, CONTERET SPIRITVM, quia ingrata cùm ſit, animos contriſtat, & frequenter exulcerat.

5. IN ABVNDANTI IVSTITIA VIRTVS MAXIMA EST, id eſt, robur & firmitas aduerſus tentationes, adeoque calamitates huius vitæ & futuræ: Græcè enim eſt, fortitudo: COGITATIONES AVTEM IMPIORVM, qui in terra terreniſque rebus affectus ſuos immergendo ibi quaſi radices agunt & firmitatem quærunt, ERADICABVNTVR, Deo eos cum omnibus munimentis ſuis extirpante: quod non diſſimili ſententia clariùs exponens addit,

6 DOMVS ſiue domui IVSTI PLVRIMA FORTITVDO, ET IN FRVCTIBVS IMPII, qui ſunt mala eorum opera, CONTVRBATIO, quia conturbationis temporalis & æternæ ſunt cauſa. Vtrumque luculenter exponitur in lib. Sap. cap. 1. v. 1. & 2.

7. LABIA SAPIENTIVM DISSEMINABVNT SCIENTIAM, ſpargendo ſemen vnde eruditionis in aliis operumque bonorum meſſis conſurgat. COR STVLTORVM DISSIMILE ERIT, id eſt, non diſſeminabit ſcientiam, ſed ſtultitiam. Sed quia Hebræus etiam exponi poteſt, non erit firmum, vt 70. tranſtulerunt, hoc ſecutus Gregorius 3. p. Paſtor. curæ c 19. cor ſtultorum vocat diſſimile, quia mutabilitate varium & inconſtans.

8. VICTIMÆ IMPIORVM ABOMINABILES, quas mente in impietate perſeuerantes offerunt Cor enim non manus intuetur Deus. Hinc VOTA IVSTORVM PLACABILIA, id eſt, preces & orationes eorum Deo placent.

10. DOCTRINA MALA DESERENTI VIAM VITÆ Poteſt actiuè doctrina exponi & paſſiuè: Priori modo ſenſus eſt, doctrina malorum qui viam veritatis deſeruerunt, eſt mala & pernicioſa & ipſis & aliis: dicendo enim & non faciendo ſe condemnant, vitaque à lingua diſſentiente fidem dictis abrogant, ſuoque exemplo ad imitationem impellunt. Poſteriori, ſeuerior inſtitutio & correptio malorum mala eſt ipſorum iudicio, ideoque illam auerſantur & oderunt: ſed QVI INCREPATIONES ODIT, MORIETVR.

11. INFERNVS ET PERDITIO CORAM DOMINO, id eſt, ſtatus eorum qui in infernum perditionemque deſcendunt hominum cognitioni abditiſſimus, ſolaque fide cognitus, Deo tamen quaſi oculis intuenti præſens & notus eſt: quantò magis anfractus animi humani, quem etiam nos homines multis coniecturis indagamus. Simili locutione Iob hoc expreſſit; Mundus eſt infernus coram illo & nullum eſt operimentum perditionis. Quo loquendi modo generaliter ſtatus mortuorum etiam iuſtorum iudicari poteſt, quia olim omnes ad inferiora deſcendebant; maximéque quia Infernus Hebraïcè ſæpè pro ſepulchro ſumitur.

15. OMNES DIES PAVPERIS, MALI, id eſt ærumnis & miſeriis pleni ſunt, vulgi præſertim & carnalium iudicio: ſed tamen etiam talibus SECVRA MENS, nullius ſceleris ſiue in homines, ſiue in Deum commiſſi conſcia, QVASI IVGE CONVIVIVM, quaſi enim continuatio refectionis eſt ipſa tranquillitas ſecuritatis, inquit Greg. 12. Moral. c. 21. Quem vide latiùs.

19. ITER PIGRORVM, quod inſtituere cogitant vt virtutem colant, videtur ipſis QVASI SEPES SPINARVM, plenum difficultatibus & aſperitatibus, quas formidoloſis ſuſpicionibus ſibi ante oculos ponunt, quaſi tranſitu eſſet impoſſibile. Sed VIA IVSTORVM ABSQVE OFFENDICVLO, quia in Domino confiſi & ſpe æternorum omnia tranſilientes, tritam & facilem viam virtutis inueniunt, accedente præſertim exercitatione & vſu. Ita ferè Gregor. 31. Moral. c. 12.

23. LÆTATVR HOMO IN SENTENTIA ORIS SVI, quam rogatus conſilium aptè rebuſque accommodatè profert, maximè ſi ſucceſſus eam commendet. Nec mirum: cùm enim rectè dans conſilium, vtilitatem ſpectet petentis atque deſideret, SERMO OPPORTVNVS aſſequendo ſcopo EST OPTIMVS; dignuſque proinde de quo ſapiens lætetur. Non ergo lætatur ſapiens de ſententia oris ſui; quia ſibi eſt honorifica, vt nonnulli exponunt, hoc enim non eſt de ſententia oris ſui, ſeu de veritate, ſed de animi ſui vanitate lætari.

24. SEMITA VITÆ, quæ eſt via virtutis & mandatorum Dei, SVPER ERVDITVM. Variis modis hoc exponitur ſupplendo elepſim Alii, euehit eruditum ad ſuperna. Beda, ſupernè erudito aperta eſt, quia ſcilicet ſemitis eius inſinuatur: quaſi dicat, de-

quod impium ad impietatem, ſed quod eum ad vltionem propter ſemetipſum ordinauerit, vt in eius ſupplicio oſtendat ſuam iuſtitiam & diuitias gloriæ in vaſa miſericordię.

10. DIVINATIO IN LABIIS REGIS, &c. id eſt, quantumuis extra iudicia erroribus ac temeritatibus ſunt Reges obnoxii, tamen quando ex officio iudicium promunt, inſtar diuini oraculi habendum eſt: Dei enim vice funguntur, vtpote per quem reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt, vt proinde eorum decreta quodammodo ipſius Domini ſint iudicia. Atqui

11. IVDICIA DOMINI, quibus res humanas adminiſtrat, præcepta condendo, ac decernendo præmia atque ſupplicia, ſunt PONDVS ET STATERA, id eſt, iuſtiſſimo ac exactiſſimo æquitatis libramine diſpoſita: ET OPERA EIVS OMNES LAPIDES SACCVLI, id eſt, inſtar lapidum illorum quibus olim accuratè pondera diſtinguebantur, & in ſacculo aſſeruabantur, iuxta illud Deuter. 25. Non habebis in ſacculo tuo diuerſa pondera. Omnia enim opera Dei cùm ſint in pondere, & numero, & menſurâ diſpoſita, tam exactè ſunt iuſta, vt nihil eis ſicut nec ponderibus poſſit addi vel detrahi: atque ita ſicuti pondera commmutationem, ita Dei opera ſunt norma omnium actionum.

12. ABOMINABILES REGI, &c. Officium Regum indicat duobus ſequentibus verſibus, non facta, oſtendens quid eis in tegni adminiſtratione ad perpetuandum imperium diſplicere debeat, ſua nimirum ſuorumque impietas; quid placere, ſcilicet veritas: duobus aliis verſibus declarat effectus indignationis & fauoris Regis, nempe quod ita Regum veluti denunciata per præconem ſententia mortem mox affuturam præſagiat: quantò enim poteſtas maior eſt, tantò ira periculoſior: Contrà verò quod fauor eius lætitiam & quaſi vitam adferat, atque inſtar imbris ſerotini diu ſcilicet expectati, ſeroque frugibus infuſi, ſit gratiſſimus.

18. CONTRITIONEM, quâ quis vel per pœnas, vel per aperta peccata (quę occultorum ſolet eſſe pœna) confringitur, ita vt nullâ poſſint defendi imaginatione iuſtitiæ, PRÆCEDIT SVPERBIA, quia initium omnis peccati ſuperbia: ET ANTE RVINAM EXALTATVR SPIRITVS, quæ ſpiritûs exaltatio & ipſa quidem ruina eſt, ſed in occulto, quam ſequitur ruina in manifeſto, dum illa ruina eſſe putatur, vt ait Auguſt. 14. de ciuit. c. 13. Quis enim, addit, exaltationem ruinam putat, cùm iam ſit ibi defectus, quo eſt relictus excelſus? Quis autem ruinam eſſe non videat, quando fit mandati euidens atque indubitata tranſgreſſio?

20. ERVDITVS IN VERBO, id eſt, in re ſuâ: verbum enim hebraiſmo frequenter quoduis negotium ſignificat. Qui ergò maturâ prudentique conſideratione res ſuas penitùs perſpectas habuerit ac perpenderit, REPERIET BONA, quia felicem exitum ſortietur. Sed quia non ſufficit rebus agendis humana prudentia & diligentia, ſed firma fiducia in adiutorem Deum neceſſaria eſt, ideò QVI SPERAT IN DOMINO, BEATVS EST.

21. QVI SAPIENS EST CORDE, vera illa ſapientia, quę ex Catholicę veritatis cognitione & iuſtitiæ dilectione conſurgit, meritò APPELLATVR PRVDENS, quantumuis careat aliarum ſcientiarum diſciplinis: nam hoc nomen alteri nemini rectè dari poteſt. ET QVI DVLCIS ELOQVIO, quo eandem illam ſapientiam in alios propagare ſtudet, MAIORA PERCIPIET, quia habenti, id eſt, bene vtenti, dabitur, & quia Doctorum veracium quàm diſcipulorum maius eſt præmium. Hinc ergo fit quodt ſequitur, vt

22. ERVDITIO POSSIDENTIS eam fit FONS VITÆ ſcaturientis, tam in ipſum ſapientiæ poſſeſſorem per vitã bonam, quàm in alios per doctrinam ſanam: cùm DOCTINA STVLTORVM, nihil ſit aliud niſi FATVITAS. Hoc enim docent quod didicerunt.

26. ANIMA LABORANTIS LABORAT SIBI, vt victui ſufficiant neceſſaria, QVIA COMPVLIT EVM OS SVVM. quotidiana neceſſitate cibum poſtulans, & ad laborem quodammodo cogens etiam inuitum. Hoc eſt ergo quod Eccleſiaſticus dicit, omnis labor

hominis in ore eius: eò enim labor refertur, vt ori neceſſarius victus ſuppetat. Significatur ergo & neceſſarium laborem æquanimiter eſſe ſubeundum, & pro ſuperfluis animum & corpus non eſſe macerandum, cùm tam pacis natura contenta ſit.

27. VIR IMPIVS FODIT MALVM quia inſtar rimantium theſauros ſtudioſiſſimè quærit malum, vt illud excogitet ac deſignet ſepultas etiam obliuione iniurias iterum effodiens: ET IN LABIIS EIVS IGNIS ARDESCIT, quo diſcordiæ, lites & bella inflammantur. Nam vt eſt Iacobi 3. Lingua ignis eſt, vniuerſitas iniquitatis, & inflammat rotam natiuitatis noſtræ, &c. Hoc eſt ergo quod clariùs exprimit verſu ſequenti vbi

28. VERBOSVS delatorem ſignificat, qui vltro citroque in animis Principum ſuſpiciones ſeminando & alendo, inuicem ſuſpectos diuellunt.

30 QVI ATTONITIS OCVLIS COGITAT PRAVA, fixis nempe oculis intentoque animo vias noſcendi ex iracundiâ præconceptâ excogitans, ille nactus occaſionem MORDENS LABIA, vt irati ſolent, PERFICIT MALVM. Significat ergo tales qui huiuſmodi geſtibus iram produnt, præ cæteris cauendos eſſe.

31. CORONA DIGNITATIS, ſeu dignitatem, ornamentum & grauitatem afferens, eſt SENECTVS, non quælibet, ſed in iuſtitia exercitata: Nam vt eſt Eccleſiaſt. 25 Gloria ſenum timor Dei: alioqui enim inter tres ſpecies quas odiuit anima ſapientis, eſt ſenex fatuus & inſenſatus.

32. MELIOR EST PATIENS VIRO FORTI, hoc eſt, qui irâ non exardeſcit ad iniurias, ſed eas æquanimiter patitur, præſtantior eſt viribus eo qui bellica præcellit fortitudine, quia non alios, ſed ſeipſum ſuperat, vt indicat Greg. latius 3. p. Paſtor. curæ, admonitione 10. Melior ergo non tam ſanctiorem quàm robuſtiorem ſignificat. Idem ſignificari videtur ſequenti hemiſtichio; nam pro *animo* Græci habent *ira*: quamuis ad omnes animi perturbationes extendi poſſint. Quare cùm ira ſit celerrima, præcipuam in moderādo poſtulat fortitudinem.

33 SORTES MITTVNTVR IN SINVM, SED A DOMINO TEMPERANTVR, id eſt, reguntur. Quantumuis enim caſu & fortuitò exire videantur, ita tamen diuinitùs diſpenſantur, vt nihil ei ſit fortuitum, ſed per eas ſuum occultum iudicium exequatur. Ex quo malè colligas ſortibus omnia peragi licere, quòd Deus eas regat; regit enim eas, ſed frequenter non ita vt expedit præſenti negotio, ſed illis ipſis puniendis, qui ſortibus vtuntur.

CAPVT XVII.

2. SERVVS SAPIENS DOMINABITVR FILIIS STVLTIS, quia natura domini ſunt, vt Philoſophus docet, qui præcellunt ſapientia, cuiuſcumque conditionis ſint; quia ſapientiæ eſt imperare ac regere. Ex quo fit, vt quemadmodum ſeruus ſapiens ſemper dominari dignus eſt, ita ſæpè à patre ſtultis liberis moderandis præſtituatur, ſiue manens ſeruus, ſiue manumiſſus, ſiue etiam propter merita in partem hæreditatis adſcitus, vt ita inter fratres hæreditatem diuidat, diuiſionem vel moderando vel participando.

7. NON DECENT STVLTVM VERBA COMPOSITA Hebr. verba auctoritatis aut dignitatis, nempe verba grauia, grauiterque de rebus grauibus compoſita. NEC PRINCIPEM LABIVM MENTIENS, quia ſicut inſipientia dicentis pondus & auctoritatem detrahit verborum grauitati, ita mendacium Principi, cuius verba inſtar oraculi eſſe debent.

8. GEMMA GRATISSIMA, id eſt, res auidè exſpectata & obtenta, maximéque, æterna beatitudo, eſt inſtar gemmæ pretioſæ, propter quam aſſequendam vel retinendam, QVOCVMQVE SE VERTIT, prudenter rationes humanas & vitam inſtituit intelligens non eſſe condignas paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.

11. SEMPER IVRGIA QVÆRIT MALVS: ANGELVS AVTEM CRVDELIS MITTETVR CONTRA EVM, ad ſumendum, ſupplicium ſiue in hoc ſæculo ſiue in altero.

12. EXPEDIT MAGIS VRSÆ OCCVRRERE, animali per ſe feroci, RAPTI FŒTIBVS, in

quos quia amote eſt vehementi, vt quos informes editos lambendo formauerit, illis ſublatis fit longè ferocior; QVAM FATVO CONFIDENTI IN STVLTITIA SVA, quam ſcilicet ſapientiam eſſe arbitratur. Vrſa enim tantùm corpori nocet, ſtulti verò ſi veſaniam correptione vel diſputatione retuderis, nihil intactum relinquit, pacem animi & conſcientiam perturbat, famam denigrat, bonis ſpoliat, corpus interimit: talium enim fatuorum ira eſt implacabilis, vt in hæreticis eſt manifeſtum.

14. QVI DIMITTIT AQVAM, CAPVT EST IVRGIORVM, id eſt, qui caput ſeu initium ſtat iurgiis & contantionibus, ſimilis eſt ei qui aggere perrupto aquam laxat: vterque enim ingentium malorum & damnorum ex leui principio orientium eſt cauſa, quę poſtea cohiberi non poſſunt: & qui huiuſmodi iurgiorum cauſa eſt, ſi vult prudenter agere, antequam ignominiam inde patiatur, iudicium ſiue litem etiam conteſtatam abrumpit vt contentionem ſopiat: Origenes enim habet, antequam miſceatur lis, dimitte.

16. QVID PRODEST STVLTO HABERE DIVITIAS, CVM SAPIENTIAM EMERE NON POSSIT? diuitiis ſcilicet ſuis, vt eis per ſapientiam rectè vtatur: illa enim abſente, opes non ſanant, ſed augent ſtultitiam: nec tam vtiles quam pernicisſæ ſunt, quia inſtrumentum aptiſſimum perditionis eius. Neque enim fieri poteſt vt aliter diuitiis quàm ſtultè ſtultus vtatur.

17. QVI ALTA FACIT DOMVM, & verſ. 19. QVI EXALTAT OS SVVM quorum vtrumque eſt effectus ſuperbiæ, QVÆRIT RVINAM. Quo parabolico ſermone nihil aliud videtur indicare velle, niſi illud Euangelicum. Qui ſe exaltat humiliabitur. Hinc ergo vlterius fit, vt qui præ ſimili faſtu euitat diſcere, aliorum inſtitutionem fugiens & ſpernens, vt qui ſe ſatis peritum putet, vel autodidactos eſſe deſideret, incidat in errores & calamitates.

18. STVLTVS HOMO PLAVDET, &c. intellige iuxtà ea quæ dicta ſunt initio cap. 6.

20. QVI PERVERSI CORDIS EST, ET QVI VERTIT LINGVAM, id eſt, qui peruerſæ linguæ eſt. Cordis autem linguæque peruerſitas multiformis eſt: illa elucet præcipuè in ſimulationibus, fraudulentis machinationibus ac dolis: hęc in adulationibus, detractionibus, doctrinis ac mendaciis.

24. IN FACIE PRVDENTIS LVCET SAPIENTIA, &c. Hoc eſt, coram prudente nihil lucet niſi ſapientia, quia ſolam illam præclaram & amore dignam cenſet: Stultus contrà oculos & amores in fines ſeu limites prædiorum quibus inhiat, defixos habet. Ita nonnulli. Communior tamen eſt ſenſus & magis obuius, quòd ſapientia & ſtultitia, tametſi in corde ſint, externis tamen iudiciis erumpant: ita vt illa vultui ſapientis quandā maturitatem ac maieſtatem afferat, hæc inconſtantiam in corporis geſtibus & vagā voluptabilitatem in oculis.

27. PRETIOSI SPIRITVS VIR ERVDITVS, quia vir ſapiens ſpiritum ſuum, ſiue id quod animo ſentit, non totum profert nec temere effundit, ſed magna cum circumſpectione differt & reſeruat in poſterum, quaſi aliquod pretioſum opportuno tempore & loco proferendum. Totus ergo verſus ſilentium commendat ac taciturnitatem, quæ ita adhæret ſapientię, vt etiam ſtultus ex ea obſeruata exiſtimationem viri ſapientis adipiſci poſſit, vt mox ſequitur.

CAPVT XVIII.

1. OCCASIONES QVÆRIT, &c. id eſt, qui ſine iuſtis cauſis pertæſus eſt amicitiæ, quærit prætextus quibus ſe excuſet, & quibus probet ſe iuſta ratione diſcedere, comminiſcens calumnias, iniurias ſibi factas &c. Imò quærit occaſiones, quia ſtudioſè illas captat vt poſſit amicitiam abrumpere, etſi non ſufficiant. Sed OMNI TEMPORE ERIT EXPROBRABILIS, quia amicitiam ne grauiter quidem læſus temere debet abrumpere, quantò minus pertęſus?

3. IMPIVS CVM IN PROFVNDVM VENERIT PECCATORVM, per firmatam peccandi conſuetudinem, ex qua velut profundo quodā barathro vix emergi poteſt, CONTEMNIT, tum ipſa peccata, quia pudorem exuit, vt indicat Athanaſius initio ſerm. 4. contra Arianos, tum ſalubria aliorum monita, tum

denique Deum ipſum, vt exponit S. Bernardus de gradibus humilitatis gradu 11. quia videlicet cæcitas dat illi ſecuritatem.

4. A QVA PROFVNDA ſunt VERBA EX ORE VIRI, nempe ſapientis, quia non in labiis, ſed in corde nata, prudentiaque & ſenſu grauida non ab omnibus facilè penetrantur. ET FONS SAPIENTIÆ, quod eſt ipſum cor viri ſapientis, eſt TORRENS REDVNDANS, quia copioſam perennemque ſapientiæ doctrinam in auditorum vtilitatem effundit.

8. VERBA BILINGVIS. Heb. ſuſurronis, vt & vulgatus textus transfert eandem omninò ſententiam cap. 26. verſ. 22. Itaque verba ſuſurronis, id eſt, detractoris clanculum inſuſurrantis maledicentiam alienis auribus, SIMPLICIA videntur & innoxia, quia, vt inquit Bernardus ſerm. 24. in Cantic. eò perſuaſibiliora ſunt quò maledicta corde inuito & magis condolentis affectu quàm malitiosè creduntur ex eis proficiſci: quos ibidem deſcribit his verbis: Alii quodam ſimulatæ verecundiæ fuco maledicentiam quam retinere non poſſunt, adumbrare conantur. Videas præmitti alta ſuſpiria, ſicque quadam cum grauitate & tarditate, vultu mœſto egredi maledictionem, &c. ET IPSA PERVENIVNT, &c. id eſt, periculoſa & acerbiſſima infligunt vulnera, vt ſunt viſcerum.

9. QVI MOLLIS &c. quia, vt inquit Greg. 3. part. Paſtor. curæ admonit. 35. qui certa bona diſtrictè non exequitur, diſſolutione negligentiæ manum deſtruentis imitatur: quod non tantùm in virtute, ſed in omni rerum adminiſtratione locum habet.

10 TVRRIS FORTISSIMA NOMEN DOMINI, id eſt, Dominus, quia ad ſe per piam fiduciam confugientes inſtar arcis inexpugnabilis defendit, hoc enim indicat quod ſequitur: AD IPSAM CVRRIT IVSTVS ET EXALTABITVR, id eſt, quaſi in loco alto ac tuto collocabitur, ſed hoc pro iuſtis; nam vt ſequitur,

11. DIVITES huius ſæculi quaſi munitam vrbem & murum validum quo defendantur, imaginantur diuitias ſuas.

14. SPIRITVS VIRI &c. id eſt, animus virilis & patiens ſuſtentat imbecillitatem, etiam corporis, quia non tantùm corpus vegetius reddit, ſed dolores & calamitates tolerantiùs ter, ideoque leuius fert: Sed contrà ſpiritus ad iraſcendum facilis, impatiens non tantum nihil ſuſtinet, ſed ita ipſe moleſtus ac grauis eſt, vt nec ab aliis tolerari queat.

16. DONVM HOMINIS DILATAT VIAM EIVS, &c. quia muneribus omnia ſunt peruia, non modò priuatorum ædes, ſed & palatia Principum; adeoque ſi ſpiritualiter de Chriſtiana libertate intelligamus, etiam cælum ipſum.

17. IVSTVS, PRIOR EST ACCVSATOR SVI quàm alterius, qui nempe ab ipſo arguendus eſt; nam vt Ambroſius 1. Offic. cap. 17. ille iuſtus, qui nec ſibi parcit, & occulta ſua latere non patitur. Oculos ergo primò ad ſe conuertit, & ſuam conſiderans atque accuſans priùs fragilitatem, ſic demùm VENIT AMICVS EIVS, quem corripiendum & arguendum eſſe iudicat, ET INVESTIGABIT EVM amicum, ſi quid in eo redargutione dignum reprehenderit. Ita ferè intelligit Beda.

18. ET INTER POTENTES QVOQVE DIIVDICAT, quorum lites difficiliùs ſopiuntur. Exponit ergo ſortium vtilitatem, præſertim cùm ius incertum eſt, ad quas præſtat recurrere, quàm perpetuas alere contentiones.

19. FRATER QVI ADIVVATVR A FRATRE &c. id eſt, concordia fratrum inexpugnabilis eſt, IVDICIA ſeu animi ſenſa quæ iunctis viribus & animis tuentur, inſtar vectium quibus vrbium portæ muniuntur, fortiſſima ſunt & firmiſſima.

22. INVENIT BONVM, non vulgare, ſed eximium, quia perrarum; ſic & ſequenti verſu: Gratia enim ſuper gratiam, vt eſt Eccleſiaſt. 26. mulier ſancta & pudorata. ET HAVRIET IVCVNDITATEM A DOMINO, ſolidam ſcilicet, ſtabilem & perennem: quæcumque enim aliunde hauritur, vana eſt, ac temporis fluxu perit.

QVI AVTEM TENET ADVLTERAM, impœnitentem & in adulterio perſeuerantem: non enim iam eſt adultera quæ ab illo crimine per Dei gratiam eſt ſanata: STVLTVS ET IMPIVS EST, quia præterquam quod conniuendo ſibi ſuſpicionem colluſionis accerſit,

rit, etiam patronus eſt turpitudinis eius. Vnde ſine crimine talem retineri non poſſe cenſet Auguſt. 1. Retract. c. 19. vbi propter hunc locum retractat quod alibi dixerat. Idem cenſet Hieronymus in c. 19. Matth.

24. VIR AMABILIS AD SOCIETATEM, id eſt, vir ex animo deditus ad colendam amicitię ſocietatem, morumque facilitate ad id idoneus, MAGIS AMICVS ERIT QVAM FRATER, quia frequenter magis amat: Pręfertur ergo amicitia conſanguinitati; nam ab hac beneuolentia tolli poteſt, ab illa non poteſt.

CAPVT XIX.

1. MELIOR EST PAVPER QVI AMBVLAT IN SIMPLICITATE SVA, doli ſcilicet expertem vitam agens: paupertati enim familiarius adhæret quædam animi ſimplicitas & ſine dolo ſinceritas: QVAM DIVES TORQVENS LABIA SVA, vt dolos ac verſutias communiſcatur & loquatur; propter quod meritò INSIPIENS EST.

2. VBI NON EST SCIENTIA ANIMÆ, quæ eſt in rebus ad animæ ſalutem ſpectantibus eligendis vitandiſque prudentia, NON EST BONVM, quia ibi cæcitas, temeritas atque error dominatur: ET QVI FESTINVS EST PEDIBVS, pręcipitanter & magis affectu quam iudicio, ſiue ſcientia animæ ad opus proſiliens, OFFENDET, quia impinget in errores & peccata: Nam vt ſequitur,

3. STVLTITIA HOMINIS SVPPLANTAT GRESSVS EIVS, quia inſipientia erratorum in agendo cauſa eſt: ET CONTRA DEVM FERVET ANIMO SVO: quia ex eadem inſipientia iraſcens peccatum ſuum tacitè vel expreſsè in Deum retorquet: Quod iis omnibus contingit, qui vel prædeſtinationi, vel fato, vel ſideribus peccata imputant, vel quod Deus hominem condiderit fragilem, vel tentatorem immiſerit, vel non prohibuerit, vel peccandi occaſionem obtulerit: Omnes enim iſti quaſi per cannam ad Deum accuſandum perueniunt, vt loquitur Auguſtinus in Pſalmum 11.

7. QVI TANTVM VERBA SECTATVR, captando ſtudioſè, ſiue in loquendo, ſiue in audiendo verborum ornatum ac dictionis elegantiam, NIHIL HABEBIT, quia fructu ſolido fruſtrabitur; de vaſe enim ſollicitus cibum negligit: QVI AVTEM POSSESSOR EST MENTIS, id eſt, prudens rebus ipſis & veritati inhiando, INVENIET BONA.

10. NON DECENT STVLTVM, id eſt, imprudentem & improbum, DELICIÆ, ſed magis diſciplina: illis enim magis magiſque inſolefcendo corrumpitur, hac corrigitur. NEC SERVVM DOMINARI PRINCIPIBVS, quia ſeruilem conditionem & indolem cùm euecta fuerit, intolerabilis arrogantia comitari ſolet. Inſolens enim impij ſeruitus.

11. DOCTRINA VIRI PER PATIENTIAM NOSCITVR, quia vt ait Gregor. 3. part. Paſt. curę admon. 10. tantò minùs quiſque oſtenditur doctus, quantò minùs conuincitur patiens: neque enim poteſt veraciter bona docendo impendere, qui neſcit æquanimiter aliena mala tolerare. ET GLORIA EIVS EST INIQVA PRÆTERGREDI, vel diſſimulando ſe ſcire, vel negligendo ſi ſciuerit.

13. ET TECTA IVGITER PERSTILLANTIA, LITIGIOSA MVLIER: quia ex vtriſque habitatio fit moleſta & incommoda. Ne igitur probæ vxoris delectum ſibi quis tribuat, monendo adiicit:

14. DOMVS ET DIVITIÆ DANTVR A PARENTIBVS, quorum ſollicitudine & labore non ſine Deo tamen parantur: A DOMINO AVTEM PROPRIE VXOR PRVDENS, quia & prudentiam per gratiam infundit, & quibus vult eam copulat: Quod quia tranquillitatis vitæ coniugalis non leue eſt adiumentum, precibus & probitate promerendum eſt, vt eſt Eccleſiaſt. 26. v. 3.

15. PIGREDO IMMITTIT SOPOREM, ex quo membrorum langor oritur, & ad labores ſubeundos maior ineptia: ET ANIMA DISSOLVTA, id eſt, à labore ſoluta & remiſſa propter ignauiam, ESVRIET, vitæ tranſigendæ commodis deſtituta. Idem fit in ſtudiis probitatis, quia vt Greg. paulatim etiam rectè ſentiendi vigilantia (quam piger habet) amittitur, dum à bene operandi ſtudio ceſſatur. Vide latius 3. part. Paſt. cur. adm. 16.

19. QVI IMPATIENS EST, efferueſcendo per iracundiam in vindictam, SVSTINEBIT

DAMNVM, in facultatibus, vel famâ, vel corpore, & ſemper in anima: ET CVM RAPVERIT, ſeu eripuerit, & liberauerit ſe ab vno incommodo, in aliud aliquando incidet. Beda tamen indicat de paupertate accipi poſſe, hoc ſenſu, Qui in paupertate ferendâ impatiens eſt, incommodum ſuſtinebat; paupertas enim non eſt mala niſi inuita: & cùm furto rapuerit aliquid ad leuandam inopiam, aliud malum longè grauius apponet.

22. HOMO INDIGENS MISERICORS EST, quia expertus eſt paupertatis moleſtias. Hinc illa apud Poëtam:

Non ignara mali miſeris ſuccurrere diſco.

ET MELIOR EST PAVPER, nempe miſericors, qui ſaltem animo in beneficentiam paratus eſt ac pronus, QVAM VIR MENDAX, diues ſcilicet, vt addunt 70. qui auaritiæ ſuæ inopiam prętexit, mentiens ſibi deeſſe quod largiatur. Itaque paupertas copioſæ auaritiæ præfertur.

23. TIMOR DOMINI AD VITAM, nempe æternam euehit: ET IN PLENITVDINE COMMORABITVR, omnium ſcilicet bonorum abundantia, ABSQVE VISITATIONE PESSIMA, vllius calamitatis: Proinde tria affert quibus completur tota fœlicitas, vitam æternam, bonorum abundantiam, & in vtriſque ſecuritatem.

24. ABSCONDIT PIGER MANVM SVAM SVB ASCELLA, id eſt, ſub ala: hic enim eſt pigrorum geſtus: NEC AD OS, &c. quo extrema quorumdam deſidia indicatur. Parabolicè autem ſignificat ſegnitiem prædicatorum, qui manum ad os nolunt admouere, quia nolunt voci ſuæ opere concordare: dicunt enim & non faciunt. Ita Greg. 22. moral. c. 10.

28. TESTIS INIQVVS DERIDET IVDICIVM, tum humanum, quo quod iuſtum eſt diſcerni debet, quia ſuo teſtimonio æquitatem peruenerit; tum diuinum, quod videtur contemnere: ET OS IMPIORVM DEVORAT INIQVITATEM, quia velut gratiſſimo cibo paſcitur, deuorat autem quia non maſticat eam perdendens quantum ſit iniquitatis malum, ſed talibus iuſtitiæ.

29. DERISORIBVS PARATA SVNT IVDICIA, quibus, Deo iudicante, iuſtam accipient mercedis retributionem: ET MALLEI PERCVTIENTES, &c. quibus omnis ſupplicIorum æternorum apparatus indicatur.

CAPVT XX.

1. LVXVRIOSA RES VINVM, &c. quia fornicatio, vinum & ebrietas auferunt cor, vt inquit Propheta Oſee. c. 4. v. 11.

5. SICVT AQVA PROFVNDA SIC CONSILIVM, &c. quia cognitu & penetratu difficile eſt, accedente ſilentio, quo qui virilis eſt animi, illud occultat: SED HOMO SAPIENS EXHAVRIET ILLVD, quia ſuppeditat ei ſapiens abſtruſiſſimas vias quibus illud eliciat & deprehendat, ſicut Salomon contendentibus mulierculis veritatem etiam inuitis extorſit.

6. MVLTI HOMINES MISERICORDES VOCANTVR, quia tales vel à ſe ipſis vel ab aliis eſſe prædicantur: VIRVM AVTEM FIDELEM qui re ipſa præſtet quod præfert nomine, veroque miſericordiæ non vanitatis vel alterius praui finis intuitu miſeretur, QVIS INVENIET?

7. IVSTVS QVI AMBVLAT IN SIMPLICITATE SVA, hoc eſt, totius iuſtitię ſinceritate atque integritate: hoc enim ſimplicitas ſæpè ſignificat in ſcripturis iuxta Hebræi proprietatem. BEATOS POST SE FILIOS DERELINQVET: iuſtitia enim parentum ſæpè filiis prodeſt, maximè ſi non tam ſint filii carnis, quàm ſpiritûs patrum ſuorum imitatores; de quibus ſtabilem veritatem habet ſententia.

8. REX QVI SEDET IN SOLIO IVDICII. nempe per ſe non iudicum inferiorum interuentu cauſas cognoſcens & facinora in Repub. commiſſa, DISSIPAT OMNE MALVM INTVITV SVO, quia minùs corrumpitur, ſeueriùs plectit, magiſque terrori eſt illa maieſtas delinquentibus. Aptiſſimè de Chriſto Domino intellexeris, ſicut Aug. cap. 13. *de corrept. & gratia*, qui cùm ſederit, ita diſſipabit omne malum, vt ne veſtigium quidem remanſurum ſit.

9. QVIS POTEST DICERE, &c. ſi enim dixerimus quia peccatum non habemus, &c. veritas non eſt in nobis. Significatur ergo

iuxta Aug. ſine mendacio neminem gloriari poſſe, ſeſe in huius vitæ tentationibus ita ab omni peccato eſſe immunem, vt nunquam peccet. Quod ſi quis forte à peccato iuſtificatus eſt, nec ille poteſt dicere &c. quia neſcit homo an amore, an odio dignus ſit, ita vt temerarium ſit illam animi puritatem etiam cùm adeſt, ſibi aſcribere.

10. PONDVS ET PONDVS &c. maius ad emendum minus ad vendẽdum, quia apertiſſima eſt iniquitas à qua alieni non ſunt ij qui in iudicando aliter penſant ea quæ ſunt proximi, aliter ſua, vt latiùs extendit Greg. *in Ezechiel.* Vide dicta, ad cap. 11. v. 1.

11. EX STVDIIS SVIS, quibus delectatur, INTELLIGITVR PVER, nempe qualis adultus futurus ſit, ſcilicet an RECTA ET MVNDA EIVS OPERA SINT futura, vel potiùs ex ſtudiis pueri, ſi recta, munda & pudica ſint in pueritia, coniicere licet ſimilem etiam in adulta ætate futurum. Probitatis enim ſemina in iſta ætate coli cœpta certam ferè frugẽm proferre in adultis ſolent. Sed cui tandem iſta ſtudiorum probitas quæ elucet in pueris tribuenda eſt?

12. AVREM AVDIENTEM ET OCVLVM VIDENTEM DEVS FECIT VTRVMQVE, ipſe enim pietatem obediendi & perſpicaciam intelligendi quorum vult cordibus infundit: frigidum enim eſt hæc de auribus & oculis corporeis, vt multi, intelligere.

13. APERI OCVLOS TVOS, ad vigilantiam & diligentiam te excitando, ET SATVRARE, id eſt, ſaturaberis PANIBVS. Per quos parabolicè ſignificat effectum quem parit induſtria & vigilantia, non illa carnalis tantùm, ſed maximè ſpiritualis, quæ incumbit ad parandum cibum animi qui non perit.

14. MALVM EST, &c. Notus eſt ille ſolemnis mercatorum mos rem emendam vituperantium, emptam atque vendendam laudantium, maximè apud ignaros. Improbari ille videtur à Sapiente, quia ſine mendaciis & fraudibus vix fieri poteſt. Vnde & illi parabolicè improbantur qui ſua vbique magni faciunt, & buccis crepantibus venditant, quæ in aliorum perſonam tranſlata paruipendunt & extenuant.

15. EST AVRVM, &c. LABIA SAPIENTIÆ, ſeu eloquentia cum ſapientia & eruditione coniuncta, theſaurus eſt longè præſtantior auro, gemmis, vaſiſque pretioſis.

16. TOLLE VESTIMENTVM EIVS QVI FIDEIVSSOR EXTITIT ALIENI, id eſt, ignoti, & huic PIGNVS AVFER PRO EXTRANEIS, pro quibus ſe obſtrinxit. Deuteronomij 24. iubetur, vt veſtimentum pignoris loco ablatum, ante ſolis occaſum reſtituatur: Quo priuilegio fideiuſſor fortaſſis non eſt gauiſus, ne facilè ſe aliis ſpontaneum vadem offerat, maximè pro extraneis: minor enim plerumque neceſſitas eſt fideiubendi. Simili rigore indicat tractandos eſſe à Deo, qui quæſito vltroque ſuſcepto animarum regimine ſe pro illis obſtrinxerunt tamquam rationem pro animabus reddituri: talium enim minor eſt excuſatio quàm eorum qui coguntur.

17. SVAVIS EST HOMINI PANIS MENDACII, ſeu mendacio comparatus, id eſt, opes mendaciis & fraudibus partæ, quia exiguo plerumque labore comparantur: ſed POSTEA IMPLEBITVR OS EIVS CALCVLO, quo dentes frangi ſolent. Qua parabola ſignificat huiuſmodi panem, imò quidquid mendaci ſuauitate paſcit animum, vt quælibet peccata & in primis ipſa mendacia, quamuis ad tempus oblectent, amariſſimo dolorum ſenſu, ſiue conſcientiæ, ſiue ſupplicii æterni eſſe concoquenda.

19. ET QVI REVELAT MYSTERIA, &c. Superiori verſu dixit non ſolis viribus, ſed gubernaculis, id eſt, gubernandi rationibus ſeu conſiliis bella eſſe tractanda; hîc explicat quales caueri debeant conſiliarii, nempe primò, QVI REVELANT SECRETA, ſecundò QVI AMBVLANT FRAVDVLENTER, id eſt, ſpecie boni conſilii fallunt alium, tertiò QVI DILATANT LABIA SVA, id eſt, qui nimia garrulitate quælibet effutiunt: vix enim poteſt garrulitas cum ſecreto conſiſtere: nam vt quidam ait, eſt quædam ſermonis dulcedo quæ irrepit & blanditur, & non aliter quàm ebrietas ſecreta producit.

20. IN MEDIIS TENEBRIS. Quo perſpicuo calamitatis ſymbolo ſignificatur eum diuino iudicio in mediis cœcitatis tenebris, & obſtinatis, & ignominiæ eſſe relinquendum:

lux enim & lucerna in ſcripturis & vitæ claritatem & poſteritatem & proſperitatem ſignificat, vt patet 3. Reg. 15. v. 4. & Iob 29. v. 3. & alibi.

24. A DOMINO DIRIGVNTVR GRESSVS VIRI, id eſt, actiones eius rectæ fiunt per Dei gratiam, cùm eſſent prauæ, & reguntur ne iterum deprauentur: QVIS AVTEM HOMINVM INTELLIGERE POTEST VIAM SVAM? vt vel ſciat ſine Deo illuſtrante quid faciendum ſit, vel quò nitendum ſit, vt beatitudinem veram aſſequatur, vel cum ſcierit viam, vt per illam ambulet, & ambulando perueniat. Neceſſe eſt enim vt gratia & cœco viam oſtendat, & voluntatem ambulandi det, & vires gradiendi, & ſucceſſum perueniendi.

25. RVINA EST HOMINI DEVORARE SANCTOS, &c. eos perſequendo, bonis ſpoliando, ipſaque bona ſanctis dedicata vendicando, ET POST VOTA RETRACTARE, id eſt, poſtea de votis ex bonis illis faciendis tractare: de talibus enim infrà dicit Hoſtiæ impiorum abominabiles, quia offeruntur ex ſcelere. Retractare enim non ſemper ſignificat reſcindere, ſed etiam iteratò verſare & tractare. Quamquam poſſet vltima pars ſententiam continere ſeparatam, vt ſignificet duo eſſe mala, ſanctos deuotare, & vota reſcindere.

26. DISSIPAT IMPIOS REX SAPIENS, diſſoluendo ſapientia & viribus eorum factiones, ET INCVRVAT SVPER EOS FORNICEM triumphalem, eos debellando, vel carcerem, quo generaliter eorum impiorum ſupplicia deſignantur, quibus eos afficit. Hic Hebr. habet, *rotam*, quam plerique intelligunt vſitatum illud tormenti genus, quo Ioſephus ait tertium ex Machabæis eſſe peremptum.

27. SPIRACVLVM HOMINIS, quo ſpirat & viuit: Hebr. enim habet *animam*, eſt LVCERNA DOMINI, quia diuinitùs accenſa lumine tam naturæ quàm gratiæ: ipſe enim illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: QVÆ INVESTIGAT OMNIA SECRETA VENTRIS, id eſt, intima in animo latentia. Nam vt Greg. 3. part. Paſt. curæ adm. 13. diuini afflatus illumina cum in mentem hominis venerit, eam ſibimetipſi illuminans oſtendit, quæ ante Spiritus ſancti aduentum cogitationes prauas & portare poterat & penſare neſciebat.

30 LIVOR VVLNERIS ABSTERGET MALA, &c. id eſt, vibices plagarum quarum dolor vel cutem ſtringit, eam liuidam faciens, vel ipſa viſcera peruadit, improbos emendare ſolent: vexatio enim dat intellectum. Quamquam Greg. 23. *Moral. c.* 1. per *liuorem* ſignificari velit corporeæ percuſſionis diſciplinam; per *plagas in ſecretioribus ventris*, dolorem pœnitentiæ & compunctionis internæ; quibus duobus culpæ emendantur.

CAPVT XXI.

1. SICVT DIVISIONES AQVARVM, quos riuulos vocamus, ſicut, inquam, illi ſic ſe habent, vt facto coloni manu alueo huc illuc ad quamcumque terram irrigandam ſponte fluant; ITA COR REGIS, quod nullis humanis legibus coërceri poteſt, IN MANV DOMINI eſt, &c. quo ſignificatur Diuinæ poteſtas operationis, qua non tantum priuatorum hominum, ſed etiam Regum cordibus ita dominatur, vt ipſi ſponte operentur quidquid ipſe voluerit, ſiue eis fauendo, ſiue puniendo, vt ſic humiliter agnoſcant quantum ſua & poteſtas & voluntas à Deo dependeant.

4. EXALTATIO OCVLORVM, &c. Conſtructio videtur inuerſa, qualis eſt etiam c. 20. v. 27. hoc ſenſu: dilatatio cordis ſeu tumor animi quo turgent ſuperbi velut vento diſtenti, parit exaltationem oculorum: arrogantiæ enim proprium eſt ſupercilium attollere, vt deſpiciant cæteros: LVCERNA IMPIORVM, qua in hoc ſæculo ſplendent & faſtu glorioſi ſunt, nihil eſt niſi PECCATVM quoniam omne quod eſt in mundo, id eſt, dilectoribus mundi, concupiſcentia carnis eſt & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.

5. COGITATIONES ROBVSTI, ſeu viri fortis & diligentis, SEMPER IN ABVNDANTIA, quia ad abundantiam ſedula induſtria cogitandi laborandique perducit, ſiue præſentis vitæ honeſtæ tranſigendæ commoda ſiue opulentiam futuræ ſpectes: cuiuſmodi

diligentiæ commendatio frequenter hoc libro occurrit. Et quia pigrorum eſt, neglecto labore, mendaciis & rapina ſibi opes parere, hinc tales v. 6. condemnat, & v. 7. eos ab opulentia & gloria quam iniquitate pepererunt, vel hîc vel in futuro eſſe detrahendos.

8. PERVERSA VIA VIRI ALIENA EST, à natura ſcilicet humana; quia iuſtè viuere proprium eſt humanæ conditionis, proinde peruerſa actio contra naturam. Ex quo fit vt naturalis dicatur homini iuſtitia, quia gratia naturam corrigit, vt eſt apud Aug. *de ſpiritu & litter. c.* 27. QVI AVTEM MVNDVS EST, animo & opere, RECTVM OPVS EIVS, ea rectitudine quæ homini in prima conditione collata eſt per gratiam.

9. MELIVS EST SEDERE IN ANGVLO DOMATIS. Doma tectum eſt ſeu ſolarium planum, Orientalibus in vſu, vt docet Hierón. in Epiſt. ad Suniam & Fretellam. Vnde Petrus dicitur conſcendiſſe in ſuperiora, vt oraret, Græcè ἐπὶ τὸ δῶμα. Significatur ergo hîc ſatius eſſe in loco abiecto morari obnoxium cœli iniuriis, quàm cum difficili vxore in frequentibus & amplis ædibus. Inſinuat ergo magno delectu vxorem eſſe ducendam, neque tam dotem ſpectandam quàm mores.

15. GAVDIVM IVSTO EST FACERE IVDICIVM, id eſt, quod iuſtum & æquum eſt, quia ipſa iuſtitia quam præ omnibus diligit, eſt ei præ cæteris rebus omnibus delectabilis. Sed hoc ipſum eſt PAVOR impiis: oderunt enim etiam facere iuſtitiam, quia illam tamquam difficilem & tædio plenam imaginantur, & patiuntur illâ, quia malè ſibi conſcij nihil ab ea expectant, niſi ſupplicium.

16. IN CŒTV GIGANTVM, &c. vide dicta cap. 9. verſ. vlt.

18. PRO IVSTO DATVR IMPIVS, Hebr. propitiario (eſt) iuſto impius. Quo ſignificat contingere, vt in communibus vrbium & prouinciarum ſuppliciis Deus ſumpta de impiis pœna quaſi iam propitius & placatus iuſtis parcat, ne iuſtis eam pœnam inferat, quam etiam pro ſuis qualibuſcumque peccatis merentur, vt videre eſt 2. Reg. 21. de expiata ira Dei per necem filiorum Saül.

20. THESAVRVS DESIDERABILIS, non auri & argenti quæ iuſto non ſunt deſiderabilia, ſed iuſtitia, ſapientia ac Deus ipſe deſiderabilis ſuper aurum & lapidem pretioſum multum. ET OLEVM, miſericordiæ & vnctionis ſpiritualis, IN HABITACVLO IVSTI eſt, quia illis anima eius eſt plena: ET IMPRVDENS HOMO DISSIPABIT ILLVD, quia non contentus eſt carere iuſtitia & miſericordia, niſi illam etiam in iuſtis perſequatur.

22. CIVITATEM FORTIVM ASCENDIT SAPIENS. Hoc eſt quod dicitur Sap. 6. v. 1. Melior eſt ſapientia quàm vires, etiam in bello, vbi quantumuis valeat copioſus exercitus, prudentia tamen & militaris peritia expugnat quod viribus eſt inexpugnabile: hoc enim indicat quod ſequitur, DESTRVXITQVE ROBVR FIDVCIÆ EIVS, ſcilicet ciuitatis.

24. SVPERBVS ET ARROGANS VOCATVR INDOCTVS: hæc eſt enim pœna ſuperborum, vt cùm cæteris prudentiores haberi velint, tamquam indocti & ſtolidi rideantur: Nam vt ſequitur, cùm ſuperbia ſit mater iracundiæ qua ſuam excellentiam facilè lædi putat, fit plerumque vt imprudenter ex ira impingat.

25. DESIDERIA OCCIDVNT PIGRVM, quia nihil operando vanis & irritis deſideriis opum alienarum ſeipſum excruciat, & nihil obtinet, vbi contrà iuſtus ſedulò laborando ita abundat, vt etiam in alios ſine ceſſatione poſſit effundere. Vide dicta cap. 15. verſu 4.

28. VIR OBEDIENS, tum legi Dei, tum hominibus propter Deum: quia, dum alienæ voci humiliter ſubditur, ſe ipſum in corde ſuperat, vt vult Gregor. ſed etiam quia ſuperior eſt interitu & omni malo quod impendet teſtibus iniquis, qui vel hominibus vel Deo cui ſe ſeruituros eſſe conteſtati ſunt, mentiuntur.

31. EQVVS PARATVR AD DIEM BELLI. Num ergo fruſtrà paratur exercitus, vt hoſtibus reſiſtatur, totumque á Deo expectandum eſt? Nequaquam. Significat enim conatus hominum non eſſe ſuperfluos, ſed caſſos & irritos, niſi Deus aſpiret; vt ſic diſcat homo de ſucceſſu ſuorum conatuum

quantumcumque efficacium, imò, vt exiſtimant, infallibilium, magis in Domino quàm in ſeipſis fidere.

CAPVT XXII.

MELIVS EST NOMEN BONVM, quod à virtute & veritate ortum ſuum habet, QVAM DIVITIÆ MVLTÆ, quarum acquirendarum ſtudium frequenter ſordidum eſt, vſus turpis, poſſeſſio incerta, fructus ad veram beatitudinem nullus, niſi boni nominis mater virtus acceſſerit. *Svper* ARGENTVM ET AVRVM GRATIA BONA, id eſt, fauor & beneuolentia, qua quis apud homines, imò etiam apud Deum virtute gratioſus eſt: hæc enim gratia longè maiores vires habet in animo aliorum, ſiue aliquid ab illis impetrandum ſit, ſiue flectendi ſint ad virtutem & honeſtatem, quàm vlla diuitiarum opulentia. Itaque contra vulgi errorem hæc ſunt dicta, quo ſplendorem illum externum ſuſpiciunt.

2. DIVES ET PAVPER OBVIAVERVNT SIBI, in hac vita, vt mutuis ſeſe auxiliis iuuarent, ſine quibus humana ſocietas non poſſet conſiſtere, vt pulchrè deducit Chryſoſt. hom. 34. in 1. ad Corinth. Vnde & Auguſt. Hom. 13. natus eſt ille, natus eſt & iſte; inuenerunt ſe, occurrerunt ſibi, & quis fecit illos ambos? Dominus diuitem quidem fecit vnde pauperem adiuuaret, pauperem vnde diuitem probaret. Et alibi, pauper & diues duo ſunt ſibi contraria (ita quidam exponunt illud, obuiauerunt ſibi) ſed iterùm duo ſunt ſibi neceſſaria: Nullus indigeret, ſi inuicem ſe ſupportarent; & nemo laboraret, ſi ſe ambo iuuarent: diues propter pauperem factus eſt, & pauper propter diuitem: Pauperis eſt rogare, diuitis erogare. VTRIVSQVE OPERATOR EST DOMINVS, qui eos diuerſarum conditionum peculiari prouidentia iam dicta formauit.

3. CALLIDVS VIDET, &c. Callidus pro prudente, & innocens pro inſipiente & rerum imperito ſumuntur: quorum ille per ſapientiam cauet mala quæ videt imminete vel hîc, vel in futuro; iſte verò vel cœcitate ea non videns, vel ſtoliditate non curans malè mulctatur.

4. FINIS MODESTIÆ, &c. Hebr. clariùs, merces humilitatis, ſeu humilis & dimiſſi animi eſt TIMOR DOMINI, ad quem perducit. Vtrique verò retribuenda eſt æterna fœlicitas, quæ conſtat DIVITIIS illis inexhauſtis diuinitatis, ET GLORIA viſionis, ET VITA æterna.

5. ARMA ET GLADII IN VIA PERVERSI, non tantum quibus alios violenter opprimit, ſed etiam quibus ipſe à Deo oppreſſus punitur, CVSTOS AVTEM ANIMÆ SVÆ LONGE RECEDIT AB EIS, armis ſcilicet & gladiis, quia mentem & manus à proximi læſione refrænat, & vindictam vitis ſanguinum debitam euadit.

8. ET VIRGA IRÆ SVÆ, id eſt, poteſtate qua iracundè in aliorum oppreſſione abuſus eſt, CONSVMMABITVR, ſeu conſumetur, Deo vindictam veluti meſſem crudelitati ab ipſo ſeminatæ retribuente. Quamquam VIRGA IRÆ SVÆ, poſſit exponi pro punitione ipſius: quaſi diceretur, baculo ſupplicii ſui: ira enim frequenter pro ſupplicio accipitur.

11. QVI DILIGIT CORDIS MVNDICIEM, quæ eſt animi caſtitas totiuſque vitæ ſinceritas, PROPTER GRATIAM LABIORVM, quæ eſt veracitas loquẽdi ab omni fuco, ac dolo aliena, HABEBIT AMICVM REGEM, non tantum Deum, ſed etiam hominem, ſi talis eſt qualis eſſe debet, inimicus adulatorum.

12. OCVLI DOMINI CVSTODIVNT, id eſt, aſſeruant & habent penes ſe, SCIENTIAM: quia ipſius prudentia omnia etiam occultiſſima petuadit: ET SVPPLANTANTVR VERBA INIQVI, quibus etiam confidenter, quaſi à nullo arguendus fallit: Deus enim tempore ſuo damnatâ verborum iniquitate veritatem aperiet.

13. DICIT PIGER: LEO EST FORIS, &c. Significatur parabolicè ignauos ſuæ ſegnitiei cauſas, & pericula pretexere: eaque mirum in modum exaggerare, vt merito à ſubeundis laboribus deterreri videantur.

14. FOVEA PROFVNDA OS ALIENÆ VXORIS, cuius oris blanditiis, vel oſculis vir ad ruinam pertractus, vix ex peccato illo vnquam ex profunda fouea, vel puteo poteſt emergere, ſicut hoc clarius exponitur c. 23. v. 27.

CVI IRATVS EST DOMINVS INCIDET IN EAM foueam. Ex quo fit vt ſuperbi, quibus Deus reſiſtit, hac turpitudine præ cæteris puniri ſoleant: quod ipſum tamen Deus facit miſericorditer iraſcendo: Audeo enim dicere, inquit Aug. 14. de ciuit. c.13. ſuperbis eſt vtile cadere in aliquod apertum manifeſtumque peccatum, vnde ſibi diſpliceant, qui iam ſibi placendo ceciderãt.

20. ECCE DESCRIPSI TIBI EAM, ſcilicet doctrinam, TRIPLICITER, id eſt, vt quidam volunt, in Lege, Hagiographis, & Prophetis, vt alii, in Prouerbiis, Eccleſiaſte, & Cantico. Sed de hoc libro tantùm loqui videtur. Alii ergò tripliciter, id eſt, per litteram, tropologiam, & anagogiam. Sed TRIPLICITER potiùs exponendum eſt, multipliciter & accuratè, ſeu multis diſſimilibuſque ſententiis: numerum certum pro incerto ponendo, & ternarium pro perfectione: Hoc enim videtur ſignificare cùm dicit, IN COGITATIONIBVS, ſeu conſiliis, ET SCIENTIA, id eſt, non temerè, ſed multâ præuia meditatione, & accurata rerum multarum peritia.

21. VT OSTENDEREM TIBI FIRMITATEM ET ELOQVIA VERITATIS, id eſt, firmitatem ſeu certitudinem eloquiorum veritatis, RESPONDERE EX HIS ILLIS QVI MISERVNT TE, præficiendo te alicui muneri: quaſi dicat, vt imbutus ſapientia non tibi ſoli profis, ſed etiam in aliorum vſum legitimè miſſus docendo & prædicando poſſis effundere. Alii tamen *miſerunt te*, accipiunt pro, miſerunt ad te, nempe ad petenda conſilia.

27. QVID CAVSÆ EST, &c. id eſt, cur permittes, & obnoxium te facies temerè fideiubendo, vt creditor etiam extremè neceſſariam ſupellectilem ſibi vindicet, & te omnibus bonis exuat? Vide de his c. 6.v. 1. & cap. 20. verſ. 1.

28. NE TRANSGREDIARIS TERMINOS ANTIQVOS, non tantùm agrorum limites ex auaritia perturbando, ſed maximè doctrinam veterem & ſtatuta mutando. Ex qua terminorum tranſgreſſione, quæ mala naſcantur, infelicia hæc tempora ſatis docent.

CAPVT XXIII.

1. DILIGENTER ATTENDE QVÆ APPOSITA SVNT ANTE FACIEM TVAM, non tantùm cibos, ne illorum deliciis excedas, ſed etiam atque in primis interrogata quæ proponuntur, ne quod imprudentius dictum tibi excidat.

2. ET STATVE CVLTRVM IN GVTTVRE TVO, id eſt, refræna guttur, ne vel edendo, vel bibendo, vel loquendo: temperantiæ, prudentiæve limites tranſeas: Hoc enim nullibi fit faciliùs, quam vbi cibi potuſque lautitia gulam excitat, vel auctoritas ad ſingula ſermonem extorquet, vel faſtus adulationem, vel veritas indignationem: SI TAMEN HABES, &c. id eſt, ſi tamẽ motuum ac deſideriorum animæ tuæ compos es: quaſi dicat, ſi non es compos, ne acceſſeris eò.

3. NE DESIDERES DE CIBIS EIVS, Principis ſcilicet, IN QVO EST PANIS MENDACII, id eſt, in quibus epulis eſt cibus fallax: exquiſitis enim dapibus falluntur conuiuæ, vel quia intemperantiam cabunt, vel quia non rarò magnates fallaci illo fauore ſecreta conuiuantium expiſcantur. Myſticè S. Auguſt. tract. 84. & 47. in Ioan. intelligit de menſa ſacri altaris. Quid eſt, inquit, ad eam aſſidere niſi humiliter accedere? & quid eſt conſiderare quæ apponuntur tibi, niſi dignè tantam gratiam cogitare? Hæc ille, ſcilicet vt probet ſeipſum homo, & potius, quaſi cultro gutturis infixo abſtineat, ſi ſe indignum eſſe deprehenderit, ne iudicium ſibi manducet & bibat. Illud autem, *ne deſideres de cibis eius*, aptiſſimè de doctrina hæreticorum intelligi poteſt.

5. NE ERIGAS OCVLOS, &c. videndo vt concupiſcas opes: aliter enim auarus, aliter contẽptor opes videt. QVIA FACIENT SIBI PENNAS, &c. quia fruſtrantur ſæpenumerò manus quantumuis auidè ſectantium, Deo nempe aliis eas ſubtrahente quaſi in cœlum, aliis iterum largiente cùm vult.

6. NE COMEDAS CVM HOMINE INVIDO, qui ſcilicet inuidet tibi cibum & potum ſuum: hoc eſt ergo, cum homine parco, auaro & ſordido qui ſingulos hauſtus & morſus numeret.

7. Qvoniam in similitvdinem ario-li et coniectoris æstimat qvod ignorat; metiens enim alios ex animo ſuo putat conuiuas in menſa mentiri beneuolentiam, ſi quid hila ius dixerint, aut fecerint, ſicut ipſe ad comedendum & bibendum te inuitat inuito, ſimulato, & alieno animo.

8. Cibos, qvos comederas, evomes. Animo ſcilicet quia cùm intellexeris, deteſtando ſordes eius, euomere te poſſe deſiderabis, & ei reddere: et perdes pvlchros sermones tvos, ſi quid fortè veſtiùs ad exhilarandum dixeris, vel gratias agendo, quaſi beneficium eius agnoueris.

11. Propinqvvs enim illorvm, qui pupillis ex lege tutor, vel curator præfici ſolet, fortis est, nempe Deus, qui peculiariter pupillorum ac viduarum vindex, tutor ac curator eſt. Tollit itaque opinionem, qua talium oppreſſores contra eos veluti auxiliis deſtitutos ſoliti ſunt audaciùs inſoleſcere.

21. Et vestietvr pannis dormitatio, id eſt, otium, quod eos qui opipara conuiuia ex collatis ab vnoquoque carnibus & ſymbolis inſtruunt, ſequi ſolet: veſtietur pannis laceris ſcilicet qui certiſſimum paupertatis indicium ſunt.

23. Veritatem eme. Quomodò cùm ſuprà dixerit, Quid proſunt ſtulto diuitiæ, cùm ſapientiam emere non poſſint? Eme ergò, hoc eſt, ita ſedulò indagandæ, & impetrandæ ei incumbe precibus, laboribus, vigiliis, ſumptibus, vt omnium rerum potiùs diſpendium ſubeas quàm veritatis. Sic etiam noli vendere sapientiam, quidquam eâ habendo nobiliùs aut carius: quidquid enim venditur, vilius æſtimatur pretio eius; & contrà quidquid emitur, carius. Quamquam Hebr. non tantum emere, ſed & poſſidere & acquirere ſignificet.

29. Cvi væ? &c. in hac vitâ morbi ac dolores varii in corpore & animo, nec ipſi tantùm, ſed & parentibus eius, tum quia filiorum vitiis & malis cruciantur, tum quia pro illis quos non coërcuerunt, puniuntur. Cvi rixæ? iurgia & pugnæ, ebrietatis comites. Cvi foveæ? in quas præceps ruit cæca ebrietas. Cvi sine cavsa vvlnera? quia nullo honeſto propoſito, nullo emolumento, ſed temerè inflicta per lites. Cvi svffvsio ocvlorvm? lippitudo ex humorum abundantiore defluxu. Quamquam hæc omnia ad animam transferre non ſit difficile. Væ enim eſt æterna damnatio, rixę remorſus conſcientiæ, fouea infernus, vulnera quibus à variis vitiis ſauciatur, ſuffuſio oculorum animi cæcitas & hebetudo.

33. Ocvli tvi videbvnt extraneas mulieres, indecorè in eas coniectis oculis et cor tvvm loqvetvr perversa, imaginationibus, ac deſideriis volutando quod oculi vident.

34. Et qvasi sopitvs gvbernator, qui cùm & ipſe & omnia ſua iactentur tempeſtatibus, & in præſentiſſimo verſentur periculo, nihil tamen aduertit, amisso clavo: ſopita enim eſt ratio cuius imperio parêre debet quidquid in homine eſt.

35. Qvando evigilabit? An ergò hæc omnia per ſomnum dicta, vt dormiens oportet euigilare? non eſt neceſſe, ſed eius qui per interualla expergefactus, & ardore, & ſiccitate cruciatus diluculum poſcit, vt pocula poſſit repetere: lxx. enim habent: Quandò diluculum fiet? quo ſcilicet pleniùs euigilem. Vide myſticum ſenſum de omnibus qui deliciis huius ſæculi ebrij & inſenſibiles ſunt, apud Greg. 3. part. Paſt. curæ adm 33.

Capvt XXIII.

7. Excelsa stvlto sapientia, quia terrena, & carnalis eſt omnis eius cogitatio: nihil autem excelſius videtur eſſe homini carnali, & inacceſſum quam præcepta ſapientiæ. Itaque perſeuerans in ſuâ ſtultitiâ, in porta non aperiet os svvm, id eſt, obmuteſcet in iudiciis publiciſque conſeſſibus in porta olim haberi ſolitis, ſi quid prudenter de rebus arduis diſſerendum erit.

11. Erve eos qvi dvcvntvr ad mortem, ſiue aliorum iniuriis, ſiue etiam naturæ incommodis, fame, vel ſiti inferendam. Quamquam S. Ambr. in Pſal. 118. octonario 8.

tio 8. etiam de reis per iuſtitiam plectendis videatur intelligere, quandò ſcilicet indulgentia non nocet publico, eripe, inquit, intercesſione, eripe gratiâ tu Sacerdos, aut tu Imperator eripe ſubſcriptione indulgentiæ.

15. NE INSIDIERIS ET QVÆRAS IMPIETATEM, &c. id eſt, ne curioſè in eius vitam inquiras, vt impietatem & grande aliquod ſcelus quod carpas, inuenias, neve iſta curioſitate inueſtigandi, quietem conſcientiæ eius turbes.

16. SEPTIES ENIM CADET IVSTVS, ET RESVRGET, quia frequenter in leuiora labitur, ſed facilè mox per pœnitentiam reſipiſcit: IMPII AVTEM CORRVENT IN MALVM, ita videlicet vt vix vnquam ſurgant: lapſus enim eorum lethalis eſt Gregor. lib. 6. in lib. 1. Reg. etiam ad lethiferos iuſti lapſus extendit, quia ex illis reſurgit humilior. S. tamen Auguſt. 11. de ciuit. cap. 31. quod ſepties cadat iuſtus, non de lapſibus, ſed de ſeptenis, id eſt, frequentibus tribulationibus ad humilitatem perducentibus intelligit: iuxtà quem illa verba, *Ne inſidieris*, &c. exponenda erunt conformiter hoc modo, ne ſtruas inſidias, vt vel tentatione, vel tribulatione concitatâ coneris eum ad impietatem perducere: quantumuis enim deprimatur, reſurget fortior.

19. NE CONTENDAS CVM PESSIMIS, &c. Pro *contendere* & *æmulari*, eadem Heb. ſunt verba quæ Pſalm. 36. verſ. 1. Noli æmulari in malignantibus, &c. Senſus ergò eſt, Ne æmulando eorum felicitatem contendas eos æquare, vel ſuperare in earum rerum adeptione, quibus florent, nec zelo imitationis aduerſus eos conciteris: fluxa enim & caduca eſt eorum felicitas, & ſplendor ſine *ſpe futurorum* extinguendus.

21. ET RVINAM VTRIVSQVE QVIS NOVIT? detrahentis, & eius qui ei fauendo commixtus eſt, inquit Beda. Poſſet tamen intelligi ruina vtriſque, Dei ſcilicet & Regis, id eſt, ruina ab vtroque ſuis detractoribus repentè, & inexpectatò immiſſa.

24. QVI DICVNT IMPIO, IVSTVS ES, &c. Hæc de quibuſuis vera ſunt. Iudices tamen in primis peccant qui iuſtificant, id eſt, in-ſtum declarant impium pro muneribus: Vnde iiſdem accipiendum videtur quod ſequitur.

26. LABIA DEOSCVLABITVR, QVI RECTA VERBA RESPONDET, id eſt, qui minis & muneribus non inflexus quod rectum & æquum eſt, iudicat & partibus reſpondet, velut oſculo fauoris, ac beneuolentiæ indicio labris bonorum virorum impreſſo ſibi eos demerebitur.

27. PRÆPARA FORIS, in agris ſcilicet, OPVS TVVM, idem enim ſignificatur quod ſequenti hemiſtichio, nempe vt vitæ neceſſaria prius diligenter parentur ex agricultura; ſub quâ tamen innocentiſſima comparandi victus ratione, omnis iuſtus lucrandi modus intelligitur: VT POSTEA, paratis iam iis quæ vitæ tranſigendæ ſumptuique ferendo ſunt neceſſaria, ÆDIFICES DOMVM TVAM, ne alioqui tibi dicatur illud euangelicum, hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare: quod illis contingit, qui vel imprudentiâ, vel vanitate abrepti, nondum familiâ benè conſtitutâ magnificas ædes moliuntur, ac deſerunt imperfectas, deficientibus neceſſariis.

30. PER AGRVM HOMINIS PIGRI TRANSIVI, &c. Luculenta parabola ex agricultura petita, vbi ſilueſcunt omnia, niſi accurata adſit diligentia, docet quantopetè otium ſit fugiendum in excolendis non tantum agris & vineis, ſed in primis in colendo agro cordis: ad hoc enim iudicandum additur:

32. EXEMPLO DIDICI DISCIPLINAM. Pulchrè hoc declarat Gregor. lib. 20. Moral. cap. 20. Per agrum hominis pigri, &c. tranſire; eſt cuiuſlibet vitam negligentiis inſpicere eiuſque opera conſiderare: quod vrticæ & ſpinæ replent, quia in corde negligentium per pruriencia terrena deſideria & per punctiones pullulant vitiorum; quia ſcriptum eſt, in deſiderio eſt omnis otioſus. MACERIA LAPIDVM DESTRVCTA ERAT, id eſt, diſciplina patrum ab eius corde diſſoluta. Verſum vltimum & penultimum vide cap. 6. verſ. 11.

CAPVT XXV.

1. QVAS TRANSTVLERVNT VIRI EZECHIÆ. Hæc verba non ſunt Salomonis, ſed eorum qui ſub Rege Ezechia tranſtulerunt ſequentes parabolas: non ex lingua in linguam, ſed vel ex vno huius libri loco in alium, coniecturæ loco afferentes quòd hæ parabolæ, inquiunt, in editione Vaticanâ LXX. Interpretum ſequantur poſt cap. 30. & 31. quæ duo capita tranſpoſita ſtatim poſt. cap. 24. inferuntur, tamquam illa duo vltima capita eſſent aliorum quàm Salomonis congregantis ſcilicet, ſiue Agur & Lamuelis, vel quia ex diſperſis ſchedulis apud nonnullos aſſeruatis in vnum corpus eas collegerint; quod veroſimilius eſt. Quia autem hæ parabolæ ſuperioribus obſcuriores ſunt propter frequentes allegorias, hinc ſubiicit:

20. GLORIA DEI EST CELARE VERBVM, allegoriis & ænigmatibus inuoluendo ſententias ſuas, ſicut infinitis locis ſcripturæ ſacræ hoc videre eſt: quod magnoperè pertinet ad gloriam Dei; ſic enim à Scripturis infideles arcentur, & fideles humiliter exercentur, ne cognita ſtatim vileſcant. ET GLORIA REGVM INVESTIGARE SERMONEM, quem Deus huiuſmodi inuolucris & allegoriis iuſtis de cauſis texit: hinc eſt enim quod Deut. 7. Regi præcipitur, vt deſcribat ſibi Deuteronomium legis, & habeat ſecum legatque omnibus diebus vitæ ſuæ, vt diſcat timere Dominum Deum ſuum, &c.

3. CŒLVM SVRSVM, &c. Hoc eſt, tria hæc ſunt inſcrutabilia, ſiue, quemadmodum cœli altitudinem terræque profunditatem ad amuſſim indagare, & quæcumque in ipſis latent explorata habere eſt homini arduum, imò impoſſibile: ita & conſilia Regum. Sic ergo & ſubditos ab eorum curioſa perſcrutatione deterret, & Reges ipſos docet qualia eorum debeant eſſe conſilia: Conſiliorum enim propalatione vileſcit maieſtas, ac nocetur Reipublicæ.

8. NE PROFERAS IN IVRGIO CITO, id eſt, ne ex animi perturbatione ſtatim inter iurgandum exprobrando effundas, ſi quid reprehenſibile in amico vel proximo tuo videris: probrum enim non vt inferri, ita & dilui ſtatim poteſt, De quo Bern. ſerm. de triplici cuſtodiâ, leuis quidem res ſermo quia leuiter volat, ſed grauiter vulnerat, &c. quantò minus ergo effundendum eſt ſi non videris, ſed tantum incerto rumore, vel infirma ſuſpicione conieceris.

10. GRATIA ET AMICITIA, ea in primis quæ inter Deum & hominem conciliatur, LIBERANT, id eſt, liberum efficiunt & ingenuum, vt verbi Græci proprietas ſignificat: Sincerus enim & conſtans cultus amicitiæ eſt, cùm non tam ſui quàm amici ſtudetur commodis.

11. MALA AVREA IN LECTIS ARGENTEIS, &c. Hebr. verbum dictum, id eſt, ſicut aurea mala ex lectis argenteis ſuſpenſa: vel generaliùs, ſicut aurum argento impoſitum pretio ſuo & varietate mirificè delectat animum, ita & verbum opportunè probatum; ineptè enim & inſipienter prolata etiam ſapientia faſtidium parit.

12. INAVRIS AVREA, &c. quaſi diceret, ſeuerus morum emendator, ſi in auditorem obedientem, ac facilem inciderit, fit ei inauris aureæ inſtar ex qua fulgens margarita dependet: auſteritate enim correptionis perfundit quidem aures: itemque lædit, ſed vehementer exornat. Quâ parabolâ non tam arguentem quàm redargutum ſui officii monet, ne correptione exaſperatus arguentem vt inimicum auerſetur, ſed vt benefactorem diligat.

13. SICVT FRIGVS NIVIS, qua potus in calidioribus locis temperari ſolet vel ſicut frigus ventorum à niuoſis frigidiſque locis aquilonariis aſpirantium, IN DIE MESSIS, nempe meſſoribus æſtu anhelantibus mirificè gratum eſt, ITA LEGATVS FIDELIS, quia quoties negotij commiſſi ſollicitudo torquet & vrit animum fidelitatis & dexteritatis eius recordatione requieſcit, & ab æſtu curarum quaſi refrigeratur.

14. NVBES ET VENTVS, &c. Et hic & ſuperiùs & inferiùs aliquoties more Heb. ſimilitudinis articulus ſubauditur: Sicut ergo ſe habent nubes & ventus quæ pluuiam ſolent polliceri, ac parturire, ſi nihil ſequa-

tur; ita VIR GLORIOSVS, id eſt, qui iactabundus multa pollicetur, ſi promiſſa non compleat: vtraque enim magnam triſtitiam de fruſtr atâ ſpe patiunt, hominesque inaniter ſuſpenſos tenent, vel ſpe, vel timore.

16. MEL INVENISTI, &c. Superiùs cap. 24. verſ. 13. & infrà melli comparatur ſapientia. Monet ergo etiam ſapientiæ, quæ dulciſſima eſt, eſſe ponendum modum: qui enim non ſapiunt ad ſobrietatem, ſed plus quam oportet ſapere, etiam id quod ſapiunt, perdunt, & ſtulti fiunt, quia erroribus infatuantur. Vnde Greg. Tunc ſufficienter mel comeditur, quando noſtra intelligentia iuxtà menſuram ſensûs ſub moderamine tenetur. Nam ſatiatus mel euomit, qui plus appetens penetrare quàm capit, illud perdidit vnde poruit nutriri. Poſſet etiam de omnium delectabilium moderatione ſeruanda intelligi; ſicut ſequens verſus, de moderandis viſitationibus in amicorum colloquiis, ac familiaritate intelligendus eſt: nimia enim familiaritas parit contemptum, ac tædium.

19. DENS PVTRIDVS, &c. id eſt, ſic ſe habet qui fidit amico infideli ingruente calamitate, ſicut qui dente putrido, vel pede laſſo vult vti, cùm comedendum, vel ambulandum eſt, quia illis vti non poteſt.

20. ET AMITTIT PALLIVM IN DIE FRIGORIS, cuius præſidio tunc omnium maximè muniri optat, & amiſſione cruciatur.

ACETVM IN NITRO, &c. nitrum, autore Plinio, non multum à ſale diſtat: ſitque vt plurimùm ex aquis vim purgandi & ſordes detergendi habet, aliaſque conditiones non paucas, de quibus Medici. Ad quarum ſimilitudinem verſus hic variis modis exponi poteſt. Inter cæteras hæc eſt, authore Beda, quòd ſi in nitrum mittatur acetum, ferueſcit nitrum & ebullit: ſic, inquit, peruerſa mens, quando per increpationem corripitur, aut per prædicationem bona ſuadentur, de correptione fit deterior, & inde in murmurationis iniquitatem ſuccenditur, vnde debuit ab iniquitate compeſci. PER CARMINA ergo intelligit Sacræ Scripturæ verba CORDI PESSIMO prædicata. Alii dicunt, nitrum aceto mixtum non nitidare, ſed ſordidare; ex quo ſimilis ſenſus confici poteſt.

22. PRVNAS ENIM CONGREGABIS SVPER CAPVT EIVS, non in maledictum & condemnationem, vt plerique exiſtimant, inquit Hieronym. lib. 1. cont. Pelag. ſed in correctionem & plenitudinem, vt ſuperatus beneficiis, excoctus feruore charitatis, inimicus eſſe deſiſtat. Vnde & Auguſtin. 3. de doctrina Chriſtiana carbones ignis, inquit, ſunt vrentes pœnitentiæ gemitus, quibus ſuperbia ſanatur eius qui dolet ſe inimicum fuiſſe hominis à quo eius miſeriæ ſubuenitur.

26. FONS TVRBATVS PEDE, ET VENA CORRVPTA, id eſt, ſcaturigo aquarum obturata vel ſordibus infecta, IVSTVS CADENS CORAM IMPIO: quia impio eum diffamante & factum exaggerante, & ſatagente vt de omnibus eius ſimilibus hoc credatur, perdit limpiditatem ſuam, qua inſtar limpidi fontis ſpeculum erat morum coarguens impiorum vitia, & aquam ſalutaris doctrinæ vbertim ſcaturiebat.

27. SICVT QVI MEL MVLTVM COMEDIT, NON EST EI BONVM, quia præ dulcedine & calore vertitur in choleram, moderatè verò ſumptum eſt vtile: SIC QVI SCRVTATOR EST MAIESTATIS Diuinæ, vel ſcripturæ rerumque ſublimium, curioſiùs inueſtigans ea quæ vires ſuperant, omniaque volens ad libitum penetrare, nihil ſibi ad credendum reſeruare, vt hæreticis moris eſt de Diuinis myſteriis, OPPRIMETVR A GLORIA; quia vt Greg. 14. Moral. cap. 12. perſcrutantis ſenſum myſteriorum gloria, dum non capitur, rumpit: multorum enim errorum ſolet eſſe ſeminarium hæc perſcrutandi temeritas.

28. SICVT VRBS PATENS, &c. cui ab omni parte patet exitus & ingreſſus, in qua proinde nihil, vel ſecretum, vel tutum eſt, ITA VIR QVI NON POTEST COHIBERE SPIRITVM SVVM, id eſt, impetum animi & libidinem ad loquendum: quidlibet enim temerè profundit & ſecreta pandit: & quod ſpectauit Greg. 3. part. Paſt. curæ admo. 15. totum ſe inſidiantis hoſtis vulneribus detegit, quem nulla munitio cuſtodiæ circumcludit.

CAPVT XXVI.

2. SICVT AVIS AD ALTA TRANSVOLANS, à locis frigidis ad calidiora, redit ſcilicet tepeſcente vere ad locum & nidum ſuum: SIC MALEDICTVM PROLATVM IN QVEMPIAM, id eſt, probrum & conuitium aliquod immeritò & ſine cauſa prolatum, SVPERVENIET, in ipſum ſcilicet redeundo auctorem, & reddendo maledictioni & pœnæ obnoxium? Quem ſenſum indicat Beda. Firmantur ergo hoc verſu puſillanimes contra conuitia, vtpote quæ non tam ipſos benè ſibi conſcios, ideoque maledicto quaſi aue vagante & mox redeunte tactos, quàm ſuos auctores lædant.

4. NE RESPONDEAS STVLTO, &c. Et

5. RESPONDE STVLTO, &c. Significatur ſtulti ſtultitiam ſubinde eſſe ſpernendam ſilentio, quando contemnandi ſtudio inflammatus indocilis eſt, ne in reſpondendo ſpiritui contentioſo ſimilis ei ſtulti efficiamur: ſicut ſtultum eſſet offerere lumen cæco, ſermonem ſurdo, ſapientiam bruto. Vel etiam indicatur non eſſe ſtultitiam ſimili ſtultitia, probrum probro, conuitium conuitio refellandum, ne ei reddamur ſimiles: Subinde tamen eſſe retundendam ſtultitiam, ſed verbis & modis quæ ſapientiam decent, & quæ ſtultitiæ demonſtrandæ conueniunt, ne noſtro ſilentio dictorum eius veritatem videamur agnoſcere, & ita ſtultus ſibi ſapere videatur. Ita ferè ſanctus Cyprianus initio libri ad Demetriam.

6. CLAVDVS PEDIBVS, &c. id eſt, qui negotia ſua inſipienti legato committit peragenda, ſimilis eſt claudo qui res ſuas promouere non poteſt, & BIBENTI INIQVITATEM, quia erroris ſui nuntii, damna cæteraque incommoda haurire cogitur & concoquere.

7. QVOMODO PVLCHRAS FRVSTRA HABET CLAVDVS TIBIAS, quia nec iis ornatur dum malè ambulat, nec claudicare deſinit, dum vnum crus altero quamlibet pulchro breuius eſt: SIC INDECENS EST IN ORE STVLTI PARABOLA, id eſt, ſapiens & præclara ſententia; quia hæc non congruit materiæ, dum eâ importunè vtitur, neque decentis moribus. Vnde fit, vt cùm dictio & actio ſint quaſi duo hominis interioris crura, quibus mouetur, fœdâ actione & nitidâ dictione quaſi turpiter claudicet.

8. SICVT QVI MITTIT LAPIDEM IN ACERVVM MERCVRII, quem Mercurio viatum præſidi colligebant gentiles, vt purgando viam lapidibus ei placerent: Græci vocabant huiuſmodi cumulos *ἕρμακες*, vt eſt apud Nicandrum. Vnde verſu Sybillini ex Græcis tranſlati, ſaxea ligna & ſimulachra manu fabricata, & paſſim in viâ proiectos lapidum aceruos. Senſus eſt ergo, QVI STVLTO TRIBVIT HONOREM officii vel Magiſtratus, ſimilis eſt ei qui ſtatuam Mercurii truncam, prout fingi ſolebat (vnde homines bardi & ſtupidi lignei Mercurii vocabantur) proiectu lapidis veneratur: ſtultum enim & ſtipitem honore proſequi, perinde eſt: neuter enim ſentit, neutri congruit, neutrum ſapienti decorum eſt. Alii pro, *aceruo Mercurii*, vertunt, *purpuram*, quia lapis rudis purpuram non decet.

9. QVOMODO SI SPINA NASCATVR. Hebr. aſcendat, IN MANV, ſiue in manum TEMVLENTI, &c. id eſt, ſicut ſi ſpina ingrediatur inopinatò in manu ebrii dum roſas carpit, aut aliud agit, lædit ipſum; ita ſapiens dictum vel ſacræ ſcripturæ ſententiæ ab inſipientibus vſurpatæ, non modò non decent ipſos à quibus tota vita diſſentiunt, ſed inſuper lædunt propter inopiam ſapientiæ, qua non intelligunt quid loquantur, neque de quibus affirment.

12. MAGIS ILLO SPEM HABEBIT INSIPIENS, id eſt, magis de inſipiente qui ſe talem agnoſcit, ſpes erit, vt ſapientiam adipiſcatur: talis enim ſaltem docilis eſt, vt qui ſe eruditi ſinat; alter verò plerumque indoctus eſt, ſemper autem indocilis. Exemplo ſunt vulgus hæreticorum noſtri temporis, quo nihil indoctius, nihil in oculis ſuis ſapientius, ideoque nihil magis indocile.

14. SICVT OSTIVM VERTITVR IN CARDINE SVO, quod nunc aperitur, nunc clauditur, nunquam egreditur cardinem ſuum, ita PIGER IN LECTVLO SVO, quia in omnem ſe partem voluit, etiam cùm præ ſatietate dormire non poteſt, nunc ſurgens, nunc

relabens, laborem nunc affectans, nunc detrectans: quæ pugna ex affectuum repugnantia oritur: quam pulchrè deſcribit Auguſtinus ſerm. 241. de verbis Apoſt. p. 3. Pigritia dicit, dormi: auaritia dicit, ſurge: pigritia dicit, noli pati frigidos dies: auaritia dicit, tolera in mari etiam tempeſtates. Hoc ergo eſt illud ipſum quod ſuprà dixit, Vult & non vult piger, &c.

16. SAPIENTIOR SIBI PIGER VIDETVR, in eo quod ſectatur otioſæ vitæ inſtituto, SEPTEM VIRIS, &c. id eſt, cæteris omnibus qui curis ſe macerant & laboribus, vt ad ſapientiam pertingant. Vel potiùs fortaſſe notari dixerimus ignauorum quorumdam in aliena vita, ac actionibus diiudicandis curioſitatem, de quibus certiùs ſe putant definire toto iudicum conſenſu pronuntiante ſententiam: propria eſt enim otioſis curioſitas. Vnde Apoſtolus 1. ad Timoth. 5. Non ſolùm autem otioſæ, ſed & verboſæ, & curioſæ, loquentes quæ non oportet. Vide 2. ad Theſſ. 3. v. 11.

17. SICVT QVI APPREHENDIT AVRIBVS CANEM, cuius furorem in ſe prouocat vellicando partem eius maximè intractabilem, ITA QVI TRANSIT IMPATIENS, rixa enim aliena, ſeu eius qui ad curam tuam nullo modo ſpectat, non ſimilibus rixis & iurgiis quaſi aures vellicando, ſed lenitate quaſi blandiendo pacanda eſt, nec impatienter ad eum tranſeundo, dum adhuc ira calet, ſed patienter expectando, donec animus deferbuerit.

23. QVOMODO SI ARGENTO SORDIDO, ſeu argenti ſcoriis, ORNARE VELIS VAS FICTILE, cui non purum argentum, ſed eius ſordes congruunt, quæ teſtam tegunt quidem, ſed non mutant: ITA LABIA TVMENTIA PRÆSVPERBIA, id eſt, verba arrogantia, CVM PESSIMO CORDE SOCIATA: tali enim cordi talia verba conueniunt, quia ex abundantia cordis os loquitur; poſſuntque animi malitiam ſuperba quadam ſimulatione ad tempus tegere, ſed non mutare.

24. LABIIS SVIS INTELLIGITVR INIMICVS, &c. Hoc eſt, quando ille qui tecum palam exercuit inimicitias, dolum in te ſtruit, ex verbis deprehendes: non enim ſic poteſt tegi ſimulatio, quin oculato viro ex ipſo blandiendi, laudandi, dictaque & facta tua probandi modo pateſcat, quod aliud moliatur. Vnde alii habent, Labiis omnia annuit inimicus. Itaque

25. QVANDO SVBMISERIT VOCEM SVAM, ſubmiſsè te compellando, omnia annuendo & probando; NE CREDIDERIS EI: QVONIAM SEPTEM NEQVITIÆ, id eſt, multiplices doli & verſutiæ, eoque nequiores quò magis tectæ, SVNT IN CORDE ILLIVS. Sed illa malitia quantumuis tunc operta

26. REVELABITVR IN CONCILIO, quandò coram omni ſanctorum cœtu illuminabit Deus abſcondita tenebrarum & manifeſtabit conſilia cordium.

28. LINGVA FALLAX, nempe adulationibus & ſimulationibus fallens, NON AMAT VERITATEM, quia redarguitur, conuincitur, & conteritur, vt Hebr. indicat: ET OS LVBRICVM, inſtar olei lene, atque adulatione blandiens, OPERATVR RVINAS, ſuam & aliorum: plus enim perſequitur lingua adulatoris quàm gladius perſecutoris, inquit Aug. in Pſalm. 69.

CAPVT XXVII.

5. MELIOR EST MANIFESTA CORREPTIO, etiam ab inimico profecta, ſed magis ab amico, QVAM AMOR ABSCONDITVS, qui alio delinquente nullis ſe prodit indiciis. Hoc eſt ergo quod vulgo dicitur, vtiliores eſſe plerumque inimicos iurgantes, quàm amicos obiurgare metuentes. Illi enim dum rixantur, vt ait Auguſtinus Epiſt. 15. c. 2. dicunt aliquando vera quæ corrigamus: iſti autem minorem quàm oportet ex exhibent iuſtitiæ libertatem, dum amicitiæ timent exaſperare dulcedinem.

6. MELIORA SVNT VVLNERA DILIGENTIS, nam etiam ſæuiendo amat & ſanat, QVAM FRAVDVLENTA OSCVLA ODIENTIS, vt adulatorum, qui lenitate decipiunt, vt Iudæ, Ioab, & ſimilium, qui, vt loquitur Ambroſius in c. 22. Lucæ, amoris pignore vulnus infligunt, & charitatis officio ſanguinem fundunt, & pacis incremento mortem irrogant.

7. ANIMA SATVRATA, &c. Parabolicè ſi

gnificat omnium rerum corporalium ſatietatem afferre faſtidium, famem verò ac deſiderium eſſe condimentum moleſtiarum.

8. Sicvt avis transmigrans de nido svo, ex regionibus frigidis in apricas migrando: tunc enim multis periculis exponitur. & ingenti numero capi ſolet: sic vir qvi derelinqvit locvm svvm, nempe vocationis ſiue ſtatus, ac domicilij vbi inter ſuos in pretio viuebat, vt incertis ſedibus huc illuc vagari incipiat. Nam & iſte multis periculis exponitur., & malis frequenter premitur: omnibus enim in rebus præterquam in malis mutatio periculoſa eſt.

10. Amicvm tvvm, et amicvm patris tvi, id eſt, veterem amicum, cuius ita parabola eſt fides, vt certam in patre gratiam & beneuolentiam etiam in filium produxerit, ne dimiseris, alium quærendo, ſed potiùs arctiùs tibi deuinci: nouus enim non erit illi ſimilis. Et domvm fratris tvi, ſed potiùs huiuſmodi fidi ac probati amici, vt conſolationem ex eo quæras. Quamquàm intelligi poſſet, non ingrediendum domum fratris ſiue amici, ne eum ſcilicet contriſtes: ſed quod ſequitur, priorem ſenſum videtur poſtulare.

Melior est vicinvs ivxta, quia magis in promptu & ſæpè ad opem ferendam promptior, qvam frater procvl, nam & fratrum quoque gratia rara eſt. Quibus verbis monet etiam iura vicinitatis colenda eſſe, quia quemdam adferunt non contemnendum nexum amicitiæ.

14. Qvi benedicit proximo voce grandi, immodicè eum prædicando & extollendo, idque de nocte consvrgens, intempeſtiuè ſcilicet ſummo mane, prout antiquitùs atque etiamnum adulatores ad ſalutandos Magnates ſolent confugere, maledicenti similis erit, non tantum quia laudando infatuat, ſed etiam quia malè de homine videtur ſentire; quaſi eſſet iſtius captator vanitatis, & ita fatuus vt non intelligat ſe deludi.

16. Qvi retinet eam, &c. id eſt, qui talem litigioſam mulierem nititur minis & ſeueritate compeſcere, ſimilis eſt ei qui ventum fugacem ac lubricum continere velit, hoc eſt, nihil efficiet, ſed magis in iurgia erumpet. Et olevm dexteræ svæ vocabit, id eſt, idem faciet ac ſi reuocaret & retinere niteretur oleum in dexterà ſuâ: quod fieri nequit, quia mox per digitos dilabitur, vel quia oleum lenitatis eſt ſignum, ſenſus erit, quòd lenitas & blanditiæ dexteræ eius vocabunt, & emolliendo peruicaciam, allicient eam.

17. Ferrvm ferro exacvitvr, dum fungitur vice cotis vel limæ, et homo exacvit faciem amici svi, quia mutua conuerſatio, collatio & admonitio exacuit ingenium, & ad omnem probitatem mores expolit & elimat: ſolitarius enim ſemper & ſtudens & viuens difficulter ad magnam eruditionem & præclaros mores publico vtiles pertinget.

18. Qvi servat ficvm, cuſtodiendo eam ab incommodis aëris, frigoris, pruinæ, &c. fruetur eius commodis: Et qvi cvstos est Domini svi, obſeruans ſcilicet dominum ſuum & maximè Dominum dominorum, ab eius ore & nutu pendendo, mandata eius cuſtodiendo & exequendo, ab eo glorificabitvr.

19. Sic corda hominvm manifesta svnt prvdentibvs: corda tum aliorum, quæ ex externis indiciis mira ſagacitate deprehendunt & verum à fucato diſcernunt: tum etiam ſua, quia motus propenſiones & cogitationes ſuas velut intuendo, næuos & defectus ſuos inſpiciunt; ſed fons, vt imagines reddat, limpidus eſſe debet & quietus; & animus mundus & imperturbatus, vt ſibi ſeipſum exprimat.

21. Et in fornace avrvm, quia ſi reprobum eſt, igne conſumitur ſi probum, igne declaratur: sic probatur homo ore lavdantis, quia infirmus ſuis laudibus extollitur, firmus autem clarius eniteſcit. Vide latiùs S. Greg. 22. Moral. c. 5. Quomodo verò fornax noſtra quotidiana ſit laus humana, vide præclarè D. Aug. 10 Confeſ. c. 37.

22. Si contvderis stvltvm in pila Pila mortalium eſt, pilum piſtillum, ptiſana granum hordei decorticatum. Significat ergo, etſi ſtultum verberibus & flagris concidas, ſtultitiam eius eſſe incorrigibilem.

13. Diligenter agnosce. Sub parabola pecorum, vnde agricolis veſtitus, victus & omnia ſuppetunt neceſſaria, informat officium Paſtorum Eccleſiæ, vt ſcilicet vitæ & morum gregis ſub diligentem curam & inſpectionem habeant; idque duabus de cauſis, quia poteſtas non erit diuturna, & quia merces perpetua.

25. Aperta svnt prata, cœleſtiũ ſcilicet myſteriorum typicis olim figuris inuoluta & clauſa: et apparvervnt herbæ virentes, Diuinæ gratiæ & virtutum, quibus vbique viret & viget Eccleſia: et collecta svnt fœna de montibvs, monumẽta ſcilicet ſiue ſcripta Prophetarum, Apoſtolorum ac Patrum, quibus omnibus nunc facile eſt Paſtoribus gregem ſuum paſcere.

26. Agni ad vestimentnm tvvm, &c. hoc eſt, ex probis & improbis quos cura tua complectitur, non opulentiam & faſtum venaberis, ſed veſtimentum & pretium vnde veluti ex agro empto alaris.

27. Svfficiat tibi lac, &c. id eſt, non excoriabis gregem, ſed ſuperflua, veluti lanam ac lac percipies, vnde tibi tuiſque victus & domui ſuppetant neceſſaria. Hoc modo ſatiùs putaui parabolam parabolicè cum antiquioribus explicare, quàm Spiritus ſancti ſublimitatem ad humilitatem carnalis admonitionis de pecoribus diligenter paſcendis, Iudęorum more, deprimere: quod qui volet, textus non magnopere eget Interprete.

Capvt XXVIII.

2. PRopter peccata mvlti Principes, &c. ſiue ſibi breui tempore ſuccedentes, ſiue ſimul conantes imperare. Inde enim exactionum tributorumque concuſſiones, inde bella & ſeditiones, quibus Diuina prouidentia ſolet corruptos hominum mores emendare atque conterere, vt ait Aug. 1. *de ciuit. cap. 1.* et propter hominis sapientiam, Principis nimirum, et horvm scientiam qvæ dicvntvr, id eſt, propter peritiam eorum quæ dicuntur & geruntur in regno, vt vitia corrigantur, vita Dvcis longior erit, in bonum nempè & Principis & populi.

3. Vir pavper calvmnians pavperes, similis est imbri vehementi. Imber enim cum ad alendas fruges natura idoneus ſit, ſi tamen ſit vehementior, ſemina denudat & eradit, adultaſque ſegetes conſternit, vnde conſequitur fames. Huic ſimilis eſt pavper qui tamquam expertus miſeriam deberet eſſe miſericors, ſi & ipſe ſui ſimiles pauperes calumniando opprimat & bonis exuat, quibus ſatis à ditioribus exuuntur. Quod ſi pauperes intelligas agrorum cultores, res eſt clarior, foro enim & litibus occupati agrorum cultum deſerunt.

11. Sapiens sibi videtvr vir dives, quia à multis, eius dictis & factis quaſi præclaris applauditur: cuius adulationis veritatem putant ipſo etiam ſucceſſu fœlici in adipiſcendis diuitiis comprobari; aſſcribunt enim hoc ſuę induſtriæ: pavper avtem prvdens, contemptor ſcilicet diuitiarum scrvtabitvr evm, id eſt, non debet abripi illo vulgari iudicio, ſed in lance veritatis appendet & ponderabit eius ſermones & actiones an ſapiente dignæ ſint.

12. In exaltatione ivs ivstorvm, rebus illis proſperè ſuccedentibus, mvlta gloria est, nempe ciuitatis & iuſtorum: hoc enim non fit, niſi depreſſis impiis iuſti imperent: regnantibvs impiis rvinæ hominvm, quia ſuum non populi emolumentum ſpectant. Vnde Philoſophus hoc tyrannorum proprium eſſe dicit, multitudinem populi conculcare, atque ex vrbe pellere, vacuam habitatoribus ciuitatem reddere, nobilitatem vexare, &c.

14. Beatvs homo, qvi semper est pavidvs, tremenda iudicia Dei ſemper præ oculis habens, ita nempe, vt nec de peccatis præteritis ſit ſine metu, nec de futuris præſumptuoſus aut temerarius, qualis ille eſt qvi mentis est dvræ, id eſt, præfracti animi, & præſumptuoſus ſine metu in aggrediendis negotiis cauendiſque malis.

17. Hominem qvi calvmniatvr, &c. id eſt, qui per calumniam ſanguinem, in quo eſt anima, effundit iniuſtam necem inferens, etſi vt vitæ conſulat, in abſtruſam ſiue ciſternam, ſiue ſepulchrum ſe abdide-

iit, nullius conſolationem inuenit, quia naturaliter odio eſt homicida: ex quo fit vt mirabilibus plerumque modis illud ſcelus quantumlibet occultum in lucem erumpat.

24. PARTICEPS HOMICIDÆ EST. Quia prædoni manifeſto ſimilis eſt: vterque enim inuadit aliena, in quibus hominis vita ex parte conſiſtit, & quibus ſubtractis vita perit. Etſi ergo minus ſit peccatum quàm homicidæ, exaggerat tamen tam immani nomine, vt oſtendat quantum fallantur ij qui putabant non eſſe peccatum, quaſi bona parentum iam ad ſe tamquam ad heredem quodammodo pertinerent.

28. CVM SVRREXERINT IMPII, vt clauum imperii teneant ac dominentur, ABSCONDENTVR HOMINES, nempe iuſti præcipuè, tum quia in ſilentio ſe continent & quærunt latebras, tum quia Regis exemplum pleriſque ſectantibus, Reipublicæ mores corrumpuntur, vt in hæreticorum dominatione perſpicuum eſt. CVM ILLI PERIERINT, MVLTIPLICABVNTVR IVSTI, quia ſe produnt qui ſuperſunt, & quia illorum ope & probi principis, diſciplina reſtituitur.

CAPVT XXIX.

1. IN MVLTIPLICATIONE IVSTORVM. Paginus transfert, Cùm dominati fuerint iuſti: ſenſus ergo eſt, Cùm principe probo regnante iuſti multiplicati fuerint, LÆTABITVR VVLGVS, quia ab iniuſtis oppreſſionibus & oneribus vacuus in pace & ſecuritate verſatur.

7. NOVIT IVSTVS CAVSAM PAVPERVM, quia lites eorum diligentiſſimè inueſtigat, ne incognitas vel minùs examinatas propter defectum fautorum & munerum damnet: IMPIVS VERO IGNORAT SCIENTIAM, cauſæ ſcilicet pauperum, quia muneribus intentus accipiendis, non curat eam diſcutere. De cuiuſmodi iudicibus Propheta queritur; Pupillo non iudicant, & cauſa viduæ non ingreditur ad eos.

9. SIVE IRASCATVR, SIVE RIDEAT, ſapiens ſcilicet, hoc eſt, ſiue duriùs eum tractet, ſiue leniùs, NON INVENIET REQVIEM, quia non deſiſtet ſtultus à cœpta contentione, vt pote qui eſt indomitus & incorrigibilis: Nam & ferarum illas, quæ ſtolidiſſimæ ſunt, nulla arte, nec verberibus, nec blanditiis cicurari poſſe ferunt.

10. VIRI SANGVINVM, id eſt, ſanguini effundendo dediti, ODERVNT SIMPICEM, id eſt, iuſtum & integritate vitæ ſincerum, vt pote operibus ſuis contrarium, præcipuè autem illum qui negotiis adminiſtrandis occupatur: talis enim adminiſtrationis integritate multorum odia in ſe prouocare ſolet: IVSTI AVTEM QVÆRVNT ANIMAM EIVS, ſeu vitam eius, vt eam conſeruent ac tueantur.

11. TOTVM SPIRITVM, &c. id eſt, quidquid animo ſentit, temerè vno impetu effudit. Vide ad c.17.v.27.

12. PRINCEPS QVI LIBENTER AVDIT VERBA MENDACII, vt adulatorum, calumniatorum, detractorum, & ſimilium peſtium, OMNES MINISTROS HABET IMPIOS, quia ad principis indolem & mores & voluptates miniſtri ſe ſolent componere; neque enim diu quiſquam ingenuus viuet cum Principe cui non placet.

13. PAVPER ET CREDITOR, &c. Verſus hic eumdem videtur habere ſenſum cum ſimili c.22.v.2 quem vide. Nam creditor eſt diues; & ILLVMINATOR, nempe luce huius vitæ, eſt operator. Quamquã ſi illuminator ſumatur pro inſpectore, ſenſus erit, quod ipſe nouerit cauſam vtriuſque, nempe & opprimentem creditorem, & eum qui iniuſtis vſuris opprimitur: alii enim habent pro creditore, fœneratorem.

18 CVM PROPHETIA DEFECERIT Prophetia variis modis accipitur: inter cætera ſignificat etiam ipſam Diuinæ legis annuntiationem & expoſitionem, vt patet 1. ad Cor.11. Senſus eſt ergo: cùm diuinæ legis prædicatio & expoſitio, quæ nunc Prophetis veteris Teſtamenti ſuccedunt, iuſto Dei iudicio ſubtracta fuerit, ibi mox in hæreſes & factiones populus diſtrahetur, cum ſubuerſione etiam temporalis imperii: POPVLVS VIRO QVI CVSTODIT LEGEM, tenaciter inſiſtens doctrinæ ſibi antiquitùs traditę, BEATVS EST.

19. SERVVS VERBIS NON POTEST, Quis ille

ille ſeruus ſit, indicat ſequentibus: quaſi diceret, ſeruus ille qui intelligit quod præcipitur, ſed contemnit re & facto obedire & reſpondere, verbis non poteſt erudiri. Quibus verbis, inquit Aug. Epiſt. 48. non eum iuſſit deſeri: ſed tacitè admonuit, vnde debeat emendari, nempe pœnis impoſitis. Habet autem locum non tantùm in mancipiis: ſed omnibus iis, qui iuſtis mandatis, etiam diuinæ legis obedire detractant, prout idem Auguſtinus hoc hoc de hæreticis compellendis exponit.

20. VIDISTI HOMINEM VELOCEM AD LOQVENDVM? id eſt, præcipitantem ſine deliberatione ſententiam de rebus interrogatis: *STVLTITIA SPERANDA*, &c. talis enim de numero eorum eſt, qui ſapientes ſunt in oculis ſuis, qui temeritati aſſertionis, ſolent addere pertinaciam defenſionis.

21. QVI DELICATE, &c. de mancipio dominato ſermo eſt, hoc enim indicat illud, A PVERITIA: tali ergò vernæ, qui ab ineunte ætate nimis indulget, nec aſſuefacit ſeruilibus officiis, ADVLIVM SENTIET REBELLEM. Hebr. tamquam filium, quia beneficia exiget, tamquam debita, vtpote enutritus vt filius: ſeruilibus enim ingeniis indulgentia parit inſolentiam, ingenuis amorem & gratitudinem. De corpore ab ineunte ætate laboribus mancipando, ne contra ſpiritum inſoleſcat, parabolicus eſt ſenſus, & valdè appoſitus.

24. QVI CVM FVRE PARTICIPAT, rem ſcilicet furto ſublatam tamquam furti particeps, ODIT ANIMAM SVAM, quia lucrum ſaluti æternæ anteponit: cùm iureiurando adſtringitur à iudice, vt auctorem prodat, NON INDICAT, ne & ipſemet ſit obnoxius reſtitutioni.

25. QVI TIMET HOMINEM, ne in illius offenſionem incurrat, ſiue diſpliceat, CITO CORRVET, quia ſtudium placendi hominibus vel timor diſplicendi plurimas delinquendi occaſiones ſubminiſtrat: plerumque enim iuſtitia, ſine multorum diſplicentia ſeruari non poteſt. QVI verò SPERAT IN DOMINO, tunc maximè cùm hominibus diſplicet, SVBLEVABITVR, ne corruat in peccatum: Nullum enim eſt ſcutum fortius contrà timorem hominum, ne noceant, ne ægrè ferant, ne inſultent & rideant, quàm ſpes in Deo.

26. MVLTI REQVIRVNT FACIEM PRINCIPIS, id eſt, multi captant fauores Principum & magnatum, tum in aliis rebus, tum etiam in cauſis ſuis & litibus, vt eorum fauore ſententiam quam volunt, ex torqueant: IVDICIVM A DOMINO EGREDITVR SINGVLORVM, quaſi dicat, cùm tamen Deus ſit iudex ſupremus omnium, omnia dirigens ad nutum ſuum, à quo cauſæ etiam iudicatæ, iterum iudicandæ ſunt: cuius proinde facies, & fauor maximè eſſet ambiendus.

CAPVT XXX.

1. VERBA CONGREGANTIS FILII VOMENTIS. Hebr. verba Agur filii Iachæ: quæ verba quidam, vt propria exponentes, putant hoc caput non eſſe Salomonis: ſed iſtius Agur filii Iachæ, ſermocinantis ad duos diſcipulos ſuos Ithiel & Vchel, pro quo nos habemus, CVM QVO EST DEVS, & CONFORTATVS. Nimis hæc opinio videtur Rabbiniſmum ſapere, qua præclarum illud caput quod Eccleſia & Patres videntur ſemper habuiſſe pro doctrina Salomonis, aliis neſcio quibus adſcribitur: idque leui fundamento, quod ſe Salomon non poſſet vocare v. 2. ſtultiſſimum virorum: quaſi non perinde abſurdum eſſet, etiam illum Agur talis doctrinæ, & viſionis auctorem ſe appellare ſtultiſſimum. Rectè ergò noſter Interpres iſta nomina tranſtulit, vt communia, tamquam epitheta Salomonis. Quidam ergò hoc ſenſu: Verba Salomonis multas opes & diuitias congregantis, eaſque conceptas per pœnitentiam nauſeâ euomentis: multa enim hîc de diuitiis, regnis, & ſimilibus dicuntur. Sed quia congregans idem eſt quod conuocans, vnde Salomoni nomen Coheleth, & Eccleſiaſtis communis ſententia adhæſit: malim exponere: VERBA CONGREGANTIS, ſeu Eccleſiaſtis Salomonis populũ in concione ſalutaris ſuæ doctrinæ colligentis, FILII VOMENTIS, nempe Dauidis, cuius cor vbertim prophetias, & verbum bonum eructa-

uit: vel filii vomentis ſeu vomitus, ſignificat ipſum Salomonem abundantiſſimè vomentem & eructantem verba ſalutis; ſicut filius mortis vocatur mortis reus. Quid autem vomuerit, explicat ſtatim, nempe *viſionem*, quàm ex Deo in ſe habitante, & confortante hauſerat.

2. Stvltissimvs svm virorvm, nimirum ſi id quod meum eſt, ſpectem, vt qui ad hæc ſublimia, quæ Sanctorum propria ſunt, ſcienda atque docenda, laborem, induſtriam, ac diſciplinam humanam non attulerim. Qua humili & veraci profeſſione ſignificat hæc ſe Deo reuelante accepiſſe & profudiſſe. Vnde 70. vltimam partem exprimunt, Deus docuit me ſapientiam, &c.

4. Qvis ascendit in cœlvm? quaſi dicat, neque hoc mirum videri debet, nam cùm cæleſtia à noſtra cogitatione ſint remotiſſima, creaturarum autem ſecreta earum authori & adminiſtratori ſint pervia, Quis eſt, qui aſcendit in cælum atqve descendit? vt omnibus perluſtratis ea callere ad vnguem poſſit. Itemque Qvis continvit spiritvm in manibvs svis? id eſt, quis aërem, & ventos violentos, & fugaces manibus ſuis cohibet? Qvis colligavit aqvas qvasi in vestimento: ligans videt eas in nubibus, velut veſtimentis, vt non erumpant pariter deorſum. Qvis svscitavit? Hebr. quis conſtituit, ſeu ſtabiliuit, omnes terminos terræ? nudans eam aquis & ſtabili immobilitate confirmans: Quis, inquam, hæc omnia fecit, niſi ſolus Deus? Qui proinde eorum omnium nos poteſt accuratam ſcientiam perdocere. Sub cælo autem, aëre, aqua & terra, omnes creaturæ continentur. Qvod nomen est eivs? ſeu natura eius, quo nomine exprimitur? et qvod nomen filii eivs? quem proinde de ſe genuit. Quibus verbis apertè perſonarum in Deo diſtinctionem eſſe indicat, vt S. Auguſt. docet, Epiſt. 49. quæſt. 5. qui reliqua de Chriſto exponit ſecundùm humanam natiuitam. Vnde ergò homini ſapientia niſi ex Deo per Verbum eius?

5. Omnis avtem sermo Dei ignitvs, id eſt, quaſi igne purificatus, & ab omni quaſi ſcoria falſitatis excoctus, clypevs est, non ſermo, ſed Deus qui inſtat clypei eſt protector sperantibvs in se, dum ſermoni eius, tamquam veraciſſimo credendo immobiliter adhæret. Cùm ergò ita ab omni labe mendacii purificatus ſit ſermo Dei,

6. Ne addas qvidqvam verbis illivs, ſiue ſcriptis, ſiue non ſcriptis, nempe tamquam verbum eius, quod non ſit verbum eius, ne argvaris, inveniarisqve mendax: quod omnibus contingit, qui verbum ſuum pro verbo Dei ſupponunt, qui ſcripturas adulterant, qui repugnantibus interpretationibus contaminant.

8. Vanitatem longe fac a me, in quam quis incidit, dum nimiis opibus in ſuperbiam elatus illicitur ad negandum Deum, id eſt, ad deſerendum Deum diffluendo in huius vitæ vanitates & voluptates, et verba mendacii, quibus aliquis dum mendicitate, id eſt, extrema illa paupertate inuitus premitur, furtum facit, & adiuratus negat addito etiam periurio ſe ſuſtuliſſe. Deprecatur ergò ne proſperitate nimia, vel aduerſitate corrumpatur.

10. Ne accvses servvm ad dominvm, ita miſero & afflicto ex conditione ſua aliam immeritam addendo miſeriam: inhumanum enim eſt tales idcircò opprimere, quia ſe non poſſunt vlciſci. Ne forte maledicat tibi, inuocando alium potentiorem vltorem ſuæ iniuriæ, et corrvas, Deo exaudiente deprecationem eius in amaritudine animæ fuſam.

11. Generatio qvæ, &c. Per quaternarios ſingularia quædam vitia, itemque myſteria proſequitur. Hic ergò execratur quatuor generationes, id eſt, hominum genera multùm deteſtabilia. Primum extremæ ingratitudinis in eos quibus debet omnia, parentes ſcilicet. Alterum hypocritarum ſanctitatem eximiam ſibi vendicantium, cùm ſint impuriſſimi: quorum effigiem in hæreticis noſtris habes, qui ſolidiſſimè ſe ſanctos & prædeſtinatos eſſe confidunt. Tertium eorum qui tanto faſtu turgent & ſupercilio, vt in geſtus oculorum,

& totius corporis erumpat. Quartum illorum dentes ſint, quaſi gladi, quibus proinde acutiſſimis & crudeliſſimis inopes, qui non poſſunt reſiſtere, deuorant, bonis, fama & vita ſpoliando.

15. SANGVISVGÆ DVÆ SVNT FILIÆ, DICENTES: AFFER, AFFER. Verſus iſte à quibuſdam, tamquam ſeparatus accipitur, Sed videtur iungendus cum ſequentibus, vt ex Heb. & 70. ſatis colligitur: hoc ſenſu, Sanguiſugæ, id eſt, quæ inſatiabiliter ſitit ſanguinem, duæ ſunt filiæ ſimiliter inſatiabili appetitu ſemper clamantes, da, da. Imò non duæ tantum, ſed TRIA SVNT prorſus INSATVRABILIA, adeoque QVARTVM NVMQVAM DICIT: SVFFICIT, id eſt, imò vt plenius dicam, quatuor ſunt inſaturabilia, vt habet textus Hebr. Similes locutiones habes Amos 1. & ſup. c. 6. v. 16 Fauet huic explicationi, quod hîc continenter multa explicentur per quaternarios. Hæc autem quatuor ſunt.

16. INFERNVS: qui parabolicè ſignificat libidinem vindicandi, mortis ſemper & ſanguinem inſtar gehennæ appetentiſſimam. ET OS VVLVÆ, id eſt, luxuria, cuius deſiderium vſu non extinguitur, ſed accenditur, ET TERRA: QVÆ NON SATIATVR AQVA, id eſt, auaritia terrenis inhians, quorum amor creſcit quantū ipſa pecunia creſcit: hic frequens illa auarorum cum hydropicis ſemper ſitientibus comparatio, IGNIS VERO NVMQVAM DICIT, SVFFICIT, id eſt, ambitio alta petens numquam impletur.

18. TRIA SVNT DIFFICILIA MIHI, &c.

19. VIAM COLVBRI SVPER PETRAM, quia nullum imprimit ei veſtigium, ſicut in puluere: ET VIAM VIRI IN ADOLESCENTIA, quia vt, inquit Ambr. ſerm. de obitu Valent. lubricæ & perplexæ ſunt viæ iuuentutis, propter motuum, & ſtudiorum in conſtantiam: nunc enim vt aquila in cælum gloria efferuntur, nunc vt ſerpens terrenis caducíſque bonis inhiantes per teram repunt, nunc voluptatibus diffluentes, velut per aquam natant. Sed hîc cortex parabolæ præſtantius aliquid velut nucleum claudit: nempe vt idem Ambr. *de Salomone latè c. 2. 3. 4. & 5.* via aquilæ aſcenſionem Chriſti captu difficilem ſignificat; via colubri ſuper petram, diabolum qui tentat Chriſtum, ſed ſine peccati veſtigio; via nauis per medium mare, iter Eccleſiæ per proceloſum hunc mundum; via viri in adoleſcentia, conuerſationem Chriſti in iuuentute cæteris mirabiliorem. Alii legunt ex Hebr. in adoleſcentia, & intelligunt conceptionem & natiuitatem Chriſti ex Virgine.

20. TALIS EST ET VIA MVLIERIS ADVLTERÆ, nempe ſimiliter deprehenſu difficilis propter facilitatem occulrandi facinoris. QVÆ COMEDIT, &c. id eſt, quæ quaſi comederet, & mox tergeret os ſuum, nullo relicto comeſtionis indicio, negat factum ſuum. Quod idem Ambr. applicat ad Eccleſiam ex gentibus collectam, quæ baptiſmo perfuſa, & terſa à fornicatione idolorum ablutionem criminis accepit & nominis.

21. PER TRIA MOVETVR TERRA, id eſt, commouentur homines & perturbantur, propter eorum inſolentiam & ſuperbiam, ET QVARTVM, Hebr. vt ſup. & quatuor, id eſt, imò quatuor non poteſt tolerare, tamquam indigna, quorum duo reſpiciunt viros, duo mulieres, duo ſeruos, totidem liberos: duo rempublicam: alia duo familiam.

22. CVM SATVRATVS FVERIT CIBO, id eſt, cùm opibus abundauerit, quia ſicut ſeruus adeptus imperium, inſoleſcunt, nec vſum ſciunt.

23. PER ODIOSAM MVLIEREM, id eſt, odio dignam propter intolerabiles mores, quæ nupta faſtu ſuo totam turbat familiam: ET PER ANCILLAM CVM FVERIT HERES DOMINÆ SVÆ, ſiue adhuc ſuperſtititis a viro expulſæ, ſiue iam defunctæ, quandò in matrimonium cum eodem viro contractum ſuccedit: talium enim inſolentia fieri ſolet intolerabilis, vt in Agar paruit.

24. QVATVOR SVNT MINIMA TERRÆ, ſcilicet aliis animalibus brutis, imò multis hominibus, quos proinde hîc ad illa amandat, vt ex eis diſcant vitæ inſtituendæ ſapientiā.

25. QVI PRÆPARAT IN MESSE CIBVM SIBI, induſtria & diligentia ſupplente corpuſculi imbecillitatem.

26. LEPVSCVLVS, id eſt, cuniculi qui de leporum genere ſunt, QVI COLLOCAT IN PETRA CVBILE SVVM, quia in antris habitant, vt domicilii ſui latebris, & firmitate infirmitatem virium ſuarum muniant.

27. EGREDITVR VNIVERSA PER TVRMAS SVAS, ad depaſcendos agros immenſa multitudine, idque tanta concordia, ac ſi ductoribus regerentur: tradunt enim eas per modum exercitus fruges depaſcere, & vno campo abſumpto, ſtationem mutare.

28. STELLIO, è lacertarum genere corpore exiguus lucentibus maculis inſignis, MANIBVS NITITVR, quia per terram repit, ET tamen MORATVR IN ÆDIBVS REGIS: amat enim incolere nouas domos, vt quidam tradunt. Alii transferunt, ſimiam, alii araneam: de quibus hoc manifeſtè eſt verum. Significat ergò à formica eſſe diſcendam diligentiam colendæ virtutis; à cuniculis, ſecuritatem domicilii ſupra petram, id eſt, Chriſtum collocandi; à locuſtis concordiam: à ſtellione vt quantumuis in terra degamus, habitationem nobis præparemus in cælo in ædibus Regis regum, Domini dominantium.

29. TRIA SVNT QVÆ BENE GRADIVNTVR, id eſt, quæ pulchro & magnifico greſſu incedunt: feliciter enim incedere, & benè idem ſunt, nempe

30. LEO FORTISSIMVS, & interritus, de cuius inceſſu, & reditu multa magnificentia tradit Ariſtoteles.

31. GALLVS SVCCINCTVS LVMBOS, nempe ad vigiliam & pugnam, in cuius greſſu naturalis quædam effulget magnificentia: ET ARIES, ad ducendum gregem: NEC EST REX QVI RESISTAT EI. Conſtructio videtur inuerſa, ſic reponenda iuxtà Orig. Et Rex, nec eſt qui reſiſtat ei, ſeu cui nemo reſiſtat: vel etiam ſupplendo hoc modo: ille cui nec eſt Rex qui reſiſtat. Certum eſt autem hanc parabolam aliquid aliud innuere. Greg. 30. Moral. c. 3. per leonem intelligit Chriſtum, per gallum prædicatores, per arietem ordinem ſacerdotalem, quartum autem putat ille eſſe *ſtultum* illum *qui apparuit*, &c. Antichriſtum, qui v. 32. dicitur eleuatus in ſublime, cumque vult incedere feliciter, ſed non benè. Aug. 12. cont. Fauſtum cap. 42. omnia applicat Chriſto, qui in cruce dormiuit vt leo: clamauit vt gallus, ſurge qui dormis: immolatus vt aries hærens in vepribus. Quamquam non malè virtutes regiæ dici poſſint hic adumbrari, fortitudo & magnanimitas aliaque multa per leonem: vigilantia, & in ſuis tuendis pugnacitas, per gallum: manſuetudo & prudentia in præeundo gregi, per arietem. Alii virtutes Cardinales, vt fortitudinem, continentiam, prudentiam & iuſtitiam, ſignificari cenſent.

32 EST QVI STVLTVS APPARVIT POSTQVAM ELEVATVS EST IN SVBLIME, cùm ſcil. antea priuatus viuens prudens eſſet, vel eſſe videretur: multi enim ad ſe ſuaque adminiſtranda prudentes ſunt, ad alios reſque publicas ineptiſſimi: SI ENIM INTELLEXISSET, id eſt, ſi circumſpectus fuiſſet vel conſideraſſet conditionem ſuam, ORI SVO IMPOSVISSET MANVM, id eſt, non ambiiſſet officium, nihilque vel ducendo, vel agendo ad alios dirigendos, quietem ſe continuiſſet ſua ſorte contentus.

33. EXPRIMIT BVTYRVM, ex re fluxa, & molli, dum contunditur. ET QVI VEHEMENTER EMVNGIT, nares ſcilicet, ELICIT SANGVINEM: ET QVI PROVOCAT IRAS, vel ſuam iram non cohibendo, vel alienam excitando, PRODVCIT DISCORDIAS, quæ ſcilicet in iurgia, pugnas, & mortes tandem terminantur. Qua parabola mediocritatem ſuadet ac lenitatem in monendis ac corrigendis hominibus, exceſſus enim periculoſus eſt, & paulatim à paruis initiis ad magna peruenitur.

CAPVT XXXI.

1. VERBA LAMVELIS REGIS, ſcilicet ipſius Salomonis, qui Lamüel vocatur, id eſt, cum ipſo, vel ipſi Deus, & hæc præcepta à matre Bethſabee accepta poſteris tradit. Sunt autem verba hæc, VISIO, id eſt, ſalutaris quædam doctrina & admonitio, vt legit Ambr. ad virgines. Vel potiùs prophetia: multa enim hoc capite futura prædicuntur. Ex quo non obſcurè colligitur Bethſabee diuino ſpiritu afflata hæc Salomoni tradidiſſe, quia gratitudinis & pietatis ergò re-

fert ſub matris nomine, vt oſtendat quanti parentum pia monita facienda ſint.

2. QVID DILECTE MI? nempe dicam tibi, quod maximè proſit, verba ſunt enim blandientis. Heb. vbique eſt. *fili*, pro *dilecte*, ſicut & in illo. QVID DILECTE VOTORVM MEORVM, id eſt, fili votorum, vel quia orationibus eum impetrauit à Deo poſt mortem filii primi: alii enim legunt, fili orationum mearum: vel quia omnia vota ac deſideria in bonum Salomonis ferebantur, vt ſatis teſtata eſt, cùm eum ad regnum viuente adhuc patre promouit. Quaſi autē præſagiret diuino ſpiritu futurū Salomonis lapſum per mulieres epularumq; intemperantiam.

3. NE DEDERIS, inquit, MVLIERIBVS SVBSTANTIAM TVAM, labefactando ſcil. vires corporis, & exhauriendo tuas opes laſciuis amoribus, ET DIVITIAS TVAS AD DELENDOS REGES, tuis terris finitimos, non incolentes ſcilicet terram tibi tuiſque poſteris promiſſam, nunc traditam poſſides. Saluberrimum hoc Regibus iunioribus eſt conſilium, qui ambitione propagandi imperii inflammati bella ſolent vicinis concitare, & alios infeſtando ſe ipſos euertere: Regum enim iniuſtè oppreſſorum plurimi ſunt adiutores, dum quiſque vicinus idem ſibi formidat. Hortatur ergò, vt nomen ſuum Salomonis ſeu pacifici reipſa impleat Heb. autem habent, Ne dederis vias tuas, id eſt, actiones tuas: ſed idem eſt ſenſus: ſolet enim hoc fieri diuitiarum ad bellandum effuſione.

4. NOLI REGIBVS DARE VINVM, proinde nec tibi ipſi, nec iis qui tecum, & ſub te iudicant.

5. NE OBLIVISCANTVR IVDICIORVM, quæ pronuntianda ſunt, vel potiùs, iuris & æquitatis, ET MVTENT CAVSAM FILIORVM PAVPERIS, id eſt pauperum cauſam præ vinolentia, vel neſciendo, vel negligendo, vel peruertendo. Immoderatus ergò vſus vini, non mediocris prohibetur: quod ſignificat, dum addit,

6. DATE SICERAM MŒRENTIBVS, id eſt, vinum adhibeatur dumtaxat, vel tibi, vel aliis, quantum ſatis eſt ad afferendam animo quandam hilaritatē, leuandumq; mœrorem, vt calamitates facilius ferat: quem vini vſum, & alibi ſcriptura indicat, vt Eccleſiaſtici 31. Vinum in iucunditatem creatum eſt, non in ebrietatem: ſic Pſalm. 103. v 15.

8. APERI OS TVVM MVTO, patrocinando per ſeipſum ei qui ſe non poteſt defendere, ſiue quia abſens accuſatur, ſiue quia loqui pro ſe ipſo præ impotentia vel imperitia non poteſt, vel non audet metu potentiorum oppreſſus: nec illis tantum, SED CAVSIS OMNIVM ILLORVM QVI PERTRANSEVNT, per hunc mundum tamquam aduenæ & peregrini tendentes ex hac vitam in aliam: quaſi dicat, nōn tantum potentibus, ſed omnibus omninò mortalibus ſine acceptione perſonarum ius dic, idque per teipſum quantum potes, ne à Iudicibus inferioribus prece, vel pretio corruptis opprimantur.

10. MVLIEREM FORTEM QVIS INVENIET? Sequitur hîc pulchra deſcriptio mulieris fortis verſibus alphabeticis abſoluta, id eſt, quorum ſinguli à ſingulis litteris alphabeti Heb. incipiunt, vt fit in Threnis & quibuſdam Pſal. Quæ autem ſit hæc mulier, authores ferè non conueniunt. Recentiores plerique de perfecta vxore exponunt. Bernardus ſerm. 2. ſub. Miſſ. eſt, de B. Virgine. Alii de anima hominis; Plerique veterum, Beda, Greg. Papa, Ambr. lib. 8. *in Luc. paulo poſt init.* & in primis S. Auguſtinus ſerm. 45. de diuerſis, de Eccleſia: Veriſimile itaque videtur ſub cortice præſtantis vxoris peculiariter deſcribi Eccleſiam, vt Veteres hoc videntur intellexiſſe: Nam etiam de virili & induſtria & vxore exponi poſſe patet ex Greg. Nazianz. *tract. de Patris funere.* MVLIEREM igitur FORTEM, id eſt, virilis animi, ac virtute præſtantem coniugem, QVIS INVENIET? quia difficile eſt inuenire. PRETIVM EIVS eſt rarum & carum, ſicut eius quod DE VLTIMIS TERRÆ FINIBVS, vt gemmæ pretioſæ, adfertur.

11. CONFIDIT IN EA COR VIRI SVI, ſublata omni ſuſpicione, ne vel familiæ incuria, vel morum laſciuia indignum aliquid committat: ET SPOLIIS NON INDIGEBIT, quibus videlicet ipſa mulier ornetur; cùm virtus ei ſit ornamentum, vel familia dite-

tur, cui moderandæ tanta diligentia adigi-lat. Pro hac autem confidentia viri, ipſa mulier

12. REDDET EI BONVM, ET NON MALVM: quò enim laxior eſt viri indulgentia, ei probæ vxoris maior eſt fides. Nec otioſa domi tempus terit, ſed

13. QVÆSIVIT LANAM ET LINVM, ET OPERATA EST CONSILIO MANVVM, id eſt, induſtria manuum ſuarum. & iſto modo

14. FACTA EST QVASI NAVIS INSTITORIS, ſeu mercatoris, DE LONGE PORTANS PANEM SVVM, quia opera ſua aliis mercibus commutando, domum implet iis quæ ad victũ ſunt neceſſaria: & victu ita comparato

15. DE NOCTE SVRREXIT, id eſt, ſummo manè antequam luceſceret ſurrexit ad opus, ſinguliſque domeſticis ſtatutam portionem diſtribuit, vt eò alacrius operentur. Rebus verò domeſticis ita conſtitutis,

16. CONSIDERAVIT, id eſt, attentiùs contemplata eſt AGRVM aliquem fertilem, quem de prouentu laborum coëmit, & cultu meliorem reddidit, PLANTATA IN EO VINEA: quæ omnia cùm perpetuam circumeuntis anni curam poſtulent,

17. ACCINXIT FORTITVDINE LVMBOS SVOS, id eſt, expediuit ſe promptè ad opus, vt mulieres ſolent nudatis brachiis ad opus parare.

18. GVSTAVIT, &c. id eſt, vſu ipſo didicit induſtria & labores tum domeſticos, tum ruſticanos eſſe frugiferos, ideoque ita ſedulò incumbit operi, vt accenſa lucerna etiam noctes ipſas laborando tranſigat.

19. MANVM SVAM MISIT AD FORTIA, id eſt, ad ea opera quæ non mollem & otio marceſcentem animum, ſed virilem poſtulant: ab aliis enim operibus per tenebras impedita, DIGITI EIVS APPREHENDERVNT FVSVM, genus occupationis honeſtis matronis aptiſſimum. Sed cui bono tam auara vt videri poſſet diligentia? nempe vt in pauperes effunderet:

20. MANVM enim SVAM APERVIT, &c. Nec fructu ſuo caret hæc laboris & eleemoſynarum aſſiduitas, quia

21. NON TIMEBIT DOMVI SVÆ, A FRIGORIBVS NIVIS, ſcilicet hibernis, ne ſcilicet domeſtici frigore, vel lædantur, vel à labore impediantur, OMNES ENIM DOMESTICI EIVS VESTITI SVNT DVPLICIBVS, contra frigus muniti.

22. STRAGVLATAM VESTEM FECIT SIBI, id eſt, non tantùm laborandi induſtria fecit veſtes communes in vſum domeſticorum, ſed etiam pretioſas vt aulæa & ſtromata ad ornatum lectorum, menſarum, &c. itémque ex purpura & byſſo quibus ornetur. Nec ſe tantùm, ſed etiam virum ſua virtute exornat:

23. NOBILIS, enim, id eſt, conſpicuus, IN PORTIS VIR EIVS, id eſt, in publicis conſeſſibus, qui in porta haberi ſolebant inter Senatores vrbis, quia ſcilicet ab operibus domeſticis per diligentiam coniugis non impeditur, vt poſſit vrbi adminiſtrandæ vacare.

24. SYNDONEM FECIT, &c. id eſt, non rudia tantùm opera, ſed lintea ſubtiliſſima & pretioſa, itémque cingula texta, atque acu picta fecit, ET VENDIDIT CHANANÆO, id eſt, mercatoribus, qui Hebr. Chananæi vocantur; vel tradidit ſeruo Chananæo, vt vendendo diſtraheret. Nec tamen omnia hæc ad luxum & vanitatem dumtaxat ei comparata ſunt, ſed

25. FORTITVDO ET DECOR INDVMENTVM EIVS, id eſt, animi fortitudine, honeſtate & grauitate, velut veſtibus ornata eſt. ET RIDEBIT IN DIE NOVISSIMO, in ſenectute & morte, vtpote de vita ante acta, conſcientiæque teſtimonio ſecura.

26. OS SVVM APERVIT SAPIENTIÆ, nempe ad loquendum ſapienter, ET LEX CLEMENTIÆ, &c. vt verba eius ad domeſticos ſint non aſpera, ſed ſuauia. Quibus indicat à duobus vitiis bonam matremfamilias debere eſſe alienam, garrulitate & iracundia in famulos & ancillas, quibus plerumque laborant fœminæ.

27. CONSIDERAVIT SEMITAS, &c. id eſt, non ſui tantum: ſed & totius familiæ mores, & actiones diligenter inſpexit, ſicubi ab honeſtate deflecteret: ET PANEM OTIOSA NON COMEDIT, quia non ita hoc fecit, vt rigida in alios ipſa ignaua otio marceſceret.

28. Svrrexervnt filii eivs, &c. id eſt, cùm modeſtia & pudicitia domi hanc mulierem continuerunt, ideoque ignotam publico, filii eius, & maritus virtutum conſcii fotas extulerunt apud alios collaudando his verbis:

29 Mvltæ filiæ congregavervnt divitias, quibus & animus earum coram Deo & familia inter homines opulenta fuit, tv svpergressa es vniversas. Sed ne quis miretur, nihil hactenus dictum eſſe inter tot mulieris dotes de formæ præſtantia, quaſi præoccupans quæſtionem.

30 Fallax, inquit, gratia, id eſt, venuſtas, vnde mulier dicitur gratioſa, res eſt incerta, fugax & fallens eos qui multum ei confidunt, et vana pvlchritvdo, quia euanida & pauci temporis: ſed quia timor Domini manet in æternum, mvlier timens Devm, ſola eſt ſolidâ laude digna. Nec tantum ab hominibus laudabitur, ſed

31. Date ei, id eſt, dabitur ei bonorum operum fructus merces æterna in cœlis & in portis hoc eſt in iudicio laudabunt eam ipſa opera eivs, atque ita non fallaci hominum opinione, ſed ipſa veritate laudabitur, quæ nec fallere poteſt nec falli.

Sed hæc omnia ſecundùm pleroſque veteres ſublimiori & particulari ſenſu tamquam parabola ad Eccleſiam referenda ſunt. De quo ſenſu inter alios vide latè Bedam in comment ſed omnes excedit Aug. ſerm. 15. de diuerſ. Hanc ergo mvlierem ideo fortem quia inter omnia proſpera & aduerſa non deficit. Quis tandem cùm innumeris & peccatis & erroribus implicata vt ouis erraret, quis, inquam, vel hominum, vel angelorum invenieт, niſi ſolus Chriſtus qui eam inuentam in humeris poſuit; Sed poſtquam iam ab eo inuenta eſt, ita non inuentu difficilis eſt, vt tamquam mons in vertice montium omnium oculis ſe ingerat. Pretivm eivs eſt de vltimis cœlorum finibvs, ipſe Deus pro eo oblatus, quia ipſe voluit.

Confidit in ea cor viri svi, Chriſti, quia eam ſuâ gratiâ ita fortem effecit, vt nulli errores, contra columnam veritatis, nulli tentationum fluctus contra hunc montem præualituri ſint: et spoliis non indigebit, quia omnibus totius mundi ſpoliis, quæ a diabolo rapuit, abundabit. Et quia viro ſuo pro tot beneficiis grata eſt,

Reddet ei bonvm et non malvm: illi enim ſeruit, illi deuota eſt, vt iam non ſibi viuat, ſed ei qui pro ipſa mortuus eſt: non eſt enim de numero ſibi placentium vel ſua quærentium commoda, ſed omnia viro accepta ferens illi refundit.

Qvæ ivit lanam et linvm: vnde ſibi veſtes texeret, quia operibus pietatis tam corporalibus & externis, quàm ſpiritualibus & internis ſe exercet: lana enim externâ, lino internis tegimur.

Facta est qvasi navis institoris de longe portans panem svvm hoc eſt, diuitias ſuas; quia à ſolis ortu vſque ad occaſum filios tamquam ſuas verique diuitias colligit, panem eis non de terra; ſed de cœlo adducens.

De nocte svrrexit, quia tribulationibus non oppreſſa profecit, deditqve prædam ſeu cibum domesticis svis, prædicando, hortando, corrigendo, conſolando, & inprimis quia faciens docuit, atque ita ſe imitandam præbens, cibum diſtribuit ancillis ſuis: ipſa enim tota licet vxor, tota tamen etiam ancilla eſt. Vnaquæque enim bona coniux maritum ſuum dominum vocat: hoc ſapit, hoc ſonat, hoc geſtat corde, hoc profitetur ore, tabulas matrimoniales inſtrumenta ſuæ emptionis deputat.

Consideravit agrvm cœleſtis hæreditatis, et emit evm piis laboribus: vel agrum totius mundi erroribus & vitiis incultum videns, prædicatorum ſuorum laboribus comparauit: et plantavit vineam cùm in nouis fidelibus nouas Eccleſias plenas euangelicæ inſtitutionis veritate formauit.

Accinxit fortitvdine lvmbos svos, ne fluctuantes ſinus carnalium concupiſcentiarum impediant operantem.

Gvstavit, &c. Fugiunt homines laborem quaſi amarum timendo eum guſtare, neſciunt quid amare; dulce autem facit opus

conſcientiâ bona. NON EXTINGVETVR IN NOCTE LVCERNA EIVS, quia nec prophetia, nec ſpes eius in tribulationibus deficit.

DIGITI EIVS APPREHENDERVNT FVSVM, &c. quia quidquid a Deo donorum veluti adhuc in colo inuolutum acceperat, benè proximos operando & opera quaſi fila nendo, totum hoc quaſi in fuſum traiecit: quod exponit clariùs addendo, MANVM SVAM APERVIT, &c.

NON TIMEBIT DOMVI SVÆ A FRIGORIBVS NIVIS, ab ingruentibus ſcilicet perſecutionum tempeſtatibus, quia DOMESTICI EIVS INDVTI SVNT DVPLICIBVS: induerunt enim ſe & Chriſto, & ſacro conuerſationis exemplo in fide & ardenti charitate.

STRAGVLATAM VESTEM FECIT SIBI, variis ſcilicet virtutum coloribus pertextam: de BYSSO, quia candidam confeſſione; de PVRPVRA, quia glorioſam paſſione.

NOBILIS IN PORTIS VIR EIVS, &c. quando venerit in maieſtate cum angelis ſuis.

SINDONEM FECIT, ſubtiliſſimâ Spiritus ſancti operâ animique innocentiâ. ET CINGVLVM, quo fluxæ gentilitatis concupiſcentiæ aſtringerentur: hoc VENDIDIT CHANANÆO, hoc eſt, gentilibus, accepto ab eis pretio, vt pro his omnia commoda terrena permutent, ac negligant.

FORTITVDO martyrum, ET DECOR confeſſorum INDVMENTVM EIVS.

APERVIT OS SVVM ad prædicandum ſapientiam non huius ſæculi, ſed cœleſtem: ET LEX non ſeueritatis Moſaicæ, ſed Euangelicæ CLEMENTIÆ in prædicationibus eius.

CONSIDERAVIT SEMITAS DOMVS, &c. omnium incipiens & curans mores: NEC OTIOSA ſcientia, ſed operoſa diligentia, PANEM cœleſtem COMEDIT.

MVLTÆ FILIÆ, id eſt multæ hereticorum Eccleſiæ, filiæ non ſimilitudine morum, ſed ſacrorum, COLLEGERVNT SIBI DIVITIAS quarumdem veritatum, & ſacramentorum, & bonorum operum; TV SVPER GRESSA ES VNIVERSAS, quia fallax gratia & vana pulchritudo talium filiarum: ſi enim charitatem non habuero, nihil ſum.

DATE EI præmium regni cœleſtis DE FRVCTV OPERVM quæ miſericorditer in pauperes operata eſt. Ita pleraque Auguſtinus loco citato & Beda in Commentario.

FINIS.

CORNELII IANSENII
IN LIBRVM
ECCLESIASTEN
ARGVMENTVM.

LIBRVM *hunc eſſe Salomonis, apud omnes in profeſſo eſt, pleniſſimum Diuinæ ſapientiæ: vt meritò Lutheri calumnia, quâ huius libri auctorem ocreis & calcaribus deſtitutum equitare ſibi in ſoccis videri dixit, tamquam ebrij delirium ſpernendum ſit.*

Scopus & argumentum totius libri eſt, vt breuiter expreſſit S. Greg. Nyſſenus ſerm. 1. in Eccleſiaſten, *mentem ſupra ſenſum attollere, hoc eſt, vt inquit Hieronymus, ad contemptum mundi homines prouocare, vt omne quod in eo cernunt putantes eſſe pro nihilo mentem atque amorem à viſibilium vanitate, ad ſtabilitatem inuiſibilium transferant. Hinc itaque rerum mundanarum vanitati intimandæ totum librum*

librum deputans eorum perſonas ſubinde aſſumit, qui res caducas mirantur, vt latè S. Greg. docet l. 4. dialog. c. 3. Ea, inquit, inquiſitionem dicens, quæ fortaſſis pertentationem imperita mens ſentiat Quod obſeruaſſe iuuerit, ne putemus, vt quoſdam putaſſe notat Hieronymus, homines hic ad Epicuri dogmata inſtitui: quamuis tamen & ea ipſa ex Eccleſiaſtis perſonâ poſſint intelligi vt in progreſſu oſtendemus.

Notant verò paſſim veteres, Hieronymus initio Commentarii in Eccleſiaſt. Amb. præfat. in Lucam, Baſilius homil. initium Prouerb. & ante iſtos Origenes prologo in Cantic. quemadmodum apud Philoſophos Ethica Philoſophiæ præmittitur, vt rudis animus tandem ad Metaphiſicam, id eſt, diuinarum rerum ſcientiam manu ducatur, ita tres libros tribus ſapientiæ Diuinæ gradibus Salomonem dedicaſſe, Prouerbia morali, Eccleſiaſten naturali, Canticum Canticorum ipſi ſapientiæ. In Prouerbus paruulum docet, inquit Hieron. & quaſi de officiis per ſententias erudit, vnde & ad filium eius ſermo crebrò repetitur. In Eccleſiaſte virum maturæ ætatis inſtituens, ne quidquam in mundi rebus putet eſſe perpetuum, ad extremum iam conſummatum virum, & calcato ſæculo præparatum in Cantico Canticorum ſponſi iungit amplexibus. Indulgentiæ illi paternæ, qua paruulos tractat, reſpondet nomen Salomonis Ididia, id eſt, amabilis Domino: Concionatoris efficaciæ, Eccleſiaſtes: contemplationis & perfectionis ſpiritualis paci, nomen pacificus. Ad incipientes & proficientes paterna dignitas & regni indicatur auctoritas, qua ſe filium Dauid & Regem Iſraël vel Ieruſalem vocat. Ad perfectos verò, vbi non timore eruditur diſcipulus, ſed amore filius proprium nomen ſufficit, æqualis magiſter eſt, & neſcit ſe eſſe Regem. Quibus verbis ad diuerſa horum librorum initia alludit.

Porrò an ante lapſum Salomonis hic liber à Spiritu ſancto dictatus ſit, an poſt, non ita certo conſtat. Nam quod Hebræi volunt, teſte Hieronymo in cap. 1. qui ipſis aſſentiri videtur, Salomonem hunc librum in pœnitentiæ teſtimonium edidiſſe, quòd diuitiis & ſapientiæ confiſus per mulieres Deum offenderit, coniectura quibuſdam videtur; tametſi non pauci, tum veterum, tum recentiorum in hanc partem inclinent, vt quia ſcriptura non repugnat apertius, putent Salomonem tandem reſipuiſſe. Cui opinioni nonnulla huius libri loca non parum fauent Omninò crediderim, non eſſe tunc ſcriptum librum, cùm libidinibus infatuatus eius animus, & ex ſapientiæ arce deiectus in idolatriam gentilium declinaſſet, ſed vel ante vel poſt. Sed ſi dicamus ante eſſe conſcriptum, certè quibuſdam locis huius libri vis videtur inferri, vt infrà latiùs.

CAPVT I.

1\. VERBA ECCLESIASTÆ FILII DAVID, &c. Eccleſiaſtes Latinè Concionator, quo nomine ſe hîc vocat Salomon, quia ſicuti ipſemet teſtatur c. 12. cùm eſſet ſapientiſſimus Eccleſiaſtes, docuit non vnum aliquem, ſed omnem populum, & enarrauit quæ fecerat. Docuit, inquam, vt verum Eccleſiaſten decet non tantum verba vtilia & ſermones veritate plenos, ſed etiam eâ ratione & methodo, quæ docendis populis vtiliſſima eſt eandem videlicet materiam totâ concione ita verſando, vt quamuis per digreſſionem varia ad mores ſpectantia ſubinde miſceantur, omnia tamen tandem ad idem caput recurrant, quemadmodum hoc libro accuratè ſeruatum eſt. Ad huius imitationem vocatus eſt alius liber à Latinis Eccleſiaſticus, qui Græcè Sapientia Sirach inſcribitur: quo nomine Sapientiæ cæteri libri

ex parte per experientiam noſcēdis, HANC OCCVPATIONEM PESSIMAM DEVS FILIIS HOMINVM, &c. Aliqui PESSIMAM exponunt moleſtam & laborioſam, quod quidem verum eſt, ſed plus videtur velle Eccleſiaſtes. Peſſimam ergo hoc eſt, non ſolùm moleſtiſſimam & inquietudinis plenam, ſed etiam noxiam: nam quando nihil aliud appetitur quàm ipſa rerum quę ſub ſole fiūt, inueſtigatio & cognitio, maximè experimētalis, prodit ſe curioſitatis morbus hominibus infeſtiſſimus, & ita familiaris, vt vix à perfectis ſuperetur: quam concupiſcentiam oculorum vocat Apoſtolus, interprete Aug. multis in locis, de qua l. 1 Confeſſ. c. 15. eo quod oculi in ſenſibus principatum cognoſcendi teneant. Quando verò etiam ad Dei cognitionem iuuandam refertur, talis rerum cognitio vtiliorum neglectu, animi diſtractione, ſuperbię occaſione, pleriſq; plus obeſſe quàm prodeſſe ſolet, potiuſque animus benè cōpoſitus huiuſmodi cognitione benè vtitur, quàm illa animum rectè componat.

14. VIDI CVNCTA QVÆ FIVNT SVB SOLE, tam ea ſcilicet quæ ad rerum creatarum naturas pertinent, quàm quæ ad mores hominum, ET ECCE VNIVERSA VANITAS ET AFFLICTIO SPIRITVS, id eſt, nihil inueni in eis niſi vanitatem, &c. ſiue enim res ipſas ſpectes, ſiue earum notitiam, nihil reperi, quod hominis animo ſolidam aliquam voluptatem aut quietem poſſit afferre. Huius rei cauſa non leuis eſt duplex: Prima quidem quòd iſta experientiâ compererit, quòd

15. PERVERSI DIFFICILE CORRIGVNTVR, quod viro ſapienti nō poteſt non magnum dolorem afferre, quia alienis malis vritur & offenditur. Sed quia facilè dolorem leniret, ſi exigua malorum eſſet copia, hinc adiicit aliam afflictionis cauſam grauiorem; ET STVLTORVM INFINITVS EST NVMERVS, id eſt, peruerſorum talium qui difficilè corriguntur, infinitus eſt numerus. Cùm antè clarioribus verbis ea replicaſſet, adiungit magis diſtinctè quid cognoſcere ſtuduerit de moribus humanis, videlicet,

17. PRVDENTIAM ATQVE DOCTRINAM, nec illa ſolùm, ſed aduerſa quoque prudentiæ STVLTITIAM, id eſt, imprudentiam, qua homines peccatores omnes laborant, itemque contrarios veræ doctrinæ ERRORES, quia contrariis contraria intelliguntur, & ſapientia prima eſt ſtultitiâ caruiſſe, quâ carere non poteſt, niſi qui intellexerit eam. Sed & hic ſicut in cæteris AGNOVI QVOD ESSET LABOR ET AFFLICTIO SPIRITVS: cauſas adiungit præter ſupradictas.

18. EO QVOD IN MVLTA SAPIENTIA MVLTA SIT INDIGNATIO, ſcilicet aduerſus abundantem vbique peccatorum ſtultitiam, tum noſtram ipſorum, cui nos ſubdi eò magis ægrè ferimus, quo magis cognoſcimus (vt hic Hieronymus) tum etiam aliorum, quæ iuſti doloris & indignationis ſtimulos ſapienti mouent, dicente Propheta, zelus domus tuæ comedit me, &, ſuper inimicos tuos tabeſcebam. ET QVI ADDIT SCIENTIAM, ADDIT ET LABOREM. Alii legunt, dolorem, ſed in idem redit labor & dolor, dùm vterque affligit. Oritur autem eodem fonte quo indignatio, & idem ferè ſignificat: quamuis non incommodè S. Gregor. Nazianzenus dolorem in eo ponat, quod ſcientiæ lumine illuſtratus moleſtè ferat tam multa ſe fugere, ſicut qui fulguris ſplendore perſtrictus à luce ſtatim deſeritur. Vnde quibuſdam viſum eſt, ſcientiam noſtram, doctam ignorantiam vocare. Quod ſi quis ab illâ eximi velit, iugi meditatione, labore & cruciatu, de occultis ſapientiæ trahenda eſt, neque enim inuenitur in terrâ ſuauiter viuentium.

CAPVT II.

QVemadmodum aqua naturâ ſuâ labilis, ſi vno in loco eius impediatur tranſitus, maiori impetu aliunde erumpit: ita humanus animus ſemper ad delectationem velut ad quietem tendens, ſi illud in vnâ occupatione non potuerit inuenire, ſtatim ad aliam tranſit, vbi maiori ſe delectatione effundat.

Expertus igitur ſapiens vanitatem, defectum & inſufficientiam creaturarum, indignationem, laborem & dolorem, in creaturarum ſpeculatione & morum conſideratione, & inquietum adhuc eſſe ſuum animum, tranſit ad conſiderationem & expe-

ſlentiam voluptatum, ſi fortè illic maiorem quietem inueniret.

1. DIXI EGO IN CORDE MEO: VADAM ET AFFLVAM DELICIIS. S. Greg. & alii nonnulli ex hominis carnalis vel tentati animo hæc & ſimilia verba hoc libro prolata, eſſe volunt. Sed cùm conſtet hæc omnia, quæ de ſuâ ædificandi magnificentiâ, diuitiis ac deliciis hîc narrat, ad litteram in Salomone eſſe impleta, eumque graui lapſu in voluptates à ſapientia decidiſſe: nihil obeſt quò minus ad litteram hæc exponantur. Ne autem narrando ſuarum voluptatum copiam, videatur hanc erroneam ſententiam approbare, ſtatim ſubiungit antidota:

ET VIDI QVOD HÆC QVOQVE ESSET VANITAS: dum, vt inquit Hieronymus, præterita voluptas præſentem non iuuat, & exhauſta non ſatiat. Malitia etiam vnius horæ facit obliuionem luxuriæ magnæ.

Qui autem Salomonem ſub finem vitæ reſipuiſſe arbitrantur, quod non paucis tum Veteribus, tum recentioribus viſum eſſe diximus, & hoc & ſimilibus locis totò libro ſparſis non leue argumentum ſumpſerunt. Sanè cùm hæc quæ vſque ad vigeſimum & ampliùs annum regni geſta eſſe ex libris Regum & Paralipom. conſtat, tam accuratè hîc narrantur de ædificiis, hortis, &c. ipſeque ſub finem vitæ dicat ſe ei artaſſe quæ fecerat, & repetat aliquoties ſe vanis ſpretis ad ſapientiam ſe contuliſſe, non videtur à vero alienum, librum à ſeneſcente & reſipiſcente eſſe compoſitum.

2. RISVM REPVTAVI ERROREM. Per *riſū* omnem externam ineptam oblectationem, per *gaudium* internam intelligit, quæ à corporis deliciis ortum habet. Riſum ergò huiuſmodi & gaudium non niſi errorem, id eſt, mentis faſcinationem & fallaciam eſſe reputaui & hac quaſi increpatione compeſcui: QVID FRVSTRA DECIPERIS? Hebr. quid hoc facis? quaſi dicat, quid fruſtra allicis, & vanè putas te animam his explere poſſe? Sed quia non ſatis eſt hoc putare, vel dicere, vel ſentire, ſubiungit hominis verè pœnitentis officia, quę poſtulant, vt primùm vitæ veteri valedicat, deinde nouam aſſumat ac deniq; in ea firmus perſiſtat. Vnde ſubdit:

3. COGITAVI A VINO ABSTRAHERE CARNEM MEAM, id eſt, fixè decreui corpus meum ab omnibus illecebris gulæ & luxuriæ, cuius vinum fomes eſt, auellere, atque ita vna cum peccato omnes peccati occaſiones radicitùs tollere, VT ANIMVM MEVM TRANSFERREM AD SAPIENTIAM, quam olim amplexus fueram, DEVITAREMQVE STVLTITIAM, in quam incideram: atque ita implerem illud in quo omnis iuſtitia continetur, declina à malo, & fac bonum: Atque in hac viuendi ratione permanere decreui, DONEC VIDEREM QVID ESSET VTILE FILIIS HOMINVM, id eſt, donec perfectè concupiſcerem, quid ſit tandem illud quod homini quoad vixit, faciendum incumbit.

Præmiſſa hac animi ſui in melius mutatione, accuratè depingit omnem luxum omneſque delicias, quibus ſeſe immerſerat, non quod ex iis adhuc voluptatem caperet, ſed vt auditori reddat quod promiſerat. Et vidi quod hoc quoque eſſet vanitas: Si enim tam incredibilis luxus, ac deliciarum affluentia, qualem vix quiſquam ſperare auſit, non potuit eius animo ſaturitatem, & quietem afferre, manifeſtum eſt, & hîc vanitatem eſſe & afflictionem ſpiritus. Poſt omnia igitur enumerata, quæ veriſſima eſſe ex Sacra Hiſtoria colligitur, addit:

9. SAPIENTIA QVOQVE PERSEVERAVIT MECVM, non illa quæ (teſte Iacobo c. 3.) pudica eſt, pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordia & fructibus bonis: ſed illa quæ quærit, & inueſtigat de omnibus quæ fiunt ſub Sole, vt dixit cap. 1. quæ diſputat ſuper lignis à Cedro quæ ſunt in Libano vſque ad hyſſopum, quæ egreditur de pariete, quæ ſoluit ænigmata, quæ loquitur parabolas, &c. hæc enim tamquam donum gratis datum in multis peccatoribus perſeuerat. Illa autem prima, quę ſola vera ſapientia eſt, non habitat in corpore ſubdito peccatis: hęc auertit oculos ne videant vanitatem, & facit ne ſequamur eos per terras varias fornicantes. à quo gradu ſapientię quam longe tunc fuerit Salomon, declarant immediatè ſequentia:

10. ET OMNIA QVÆ DESIDERAVERVNT.

gnificat omnium rerum corporalium ſatietatem afferre faſtidium, famem verò ac deſiderium eſſe condimentum moleſtiarum.

8. Sicvt avis transmigrans de nido svo, ex regionibus frigidis in apricas migrando: tunc enim multis periculis exponitur. & ingenti numero capi ſolet: sic vir qvi derelinqvit locvm svvm, nempe vocationis ſiue ſtatus, ac domicilij vbi inter ſuos in pretio viuebat, vt incertis ſedibus huc illuc vagari incipiat. Nam & iſte multis periculis exponitur, & malis frequenter premitur: omnibus enim in rebus prætterquam in malis mutatio periculoſa eſt.

10. Amicvm tvvm, et amicvm patris tvi, id eſt, veterem amicum, cuius ita parabola eſt fides, vt certam in patre gratiam & beneuolentiam etiam in filium produxerit, ne dimiseris, alium quærendo, ſed potiùs arctiùs tibi deuinci: nouus enim non erit illi ſimilis. Et domvm fratris tvi, ſed potiùs huiuſmodi fidi ac probati amici, vt conſolationem ex eo quæras. Quamquàm intelligi poſſet, non ingrediendum domum fratris ſiue amici, ne eum ſcilicet contriſtes: ſed quod ſequitur, priorem ſenſum videtur poſtulare.

Melior est vicinvs ivxta, quia magis in promptu & ſæpè ad opem ferendam promptior, qvam frater procvl, nam & fratrum quoque gratia rara eſt. Quibus verbis monet etiam iura vicinitatis colenda eſſe, quia quemdam adferunt non contemnendum nexum amicitiæ.

14. Qvi benedicit proximo voce grandi, immodicè eum prædicando & extollendo, idque de nocte consvrgens, intempeſtiuè ſcilicet ſummo mane, prout antiquitùs atque etiamnum adulatores ad ſalutandos Magnates ſolent confugere, maledicenti similis erit, non tantum quia laudando infatuat, ſed etiam quia malè de homine videtur ſentire; quaſi eſſet iſtius captator vanitatis, & ita fatuus vt non intelligat ſe deludi.

16. Qvi retinet eam, &c. id eſt, quitalem litigioſam mulierem nititur minis & ſeueritate compeſcere, ſimilis eſt ei qui ventum fugacem ac lubricum continere velit, hoc eſt, nihil efficiet, ſed magis in iurgia erumpet. Et olevm dexteræ svæ vocabit, id eſt, idem faciet ac ſi reuocaret & retinere niteretur oleum in dexterà ſuâ: quod fieri nequit, quia mox per digitos dilabitur, vel quia oleum lenitatis eſt ſignum, ſenſus erit, quòd lenitas & blanditiæ dexteræ eius vocabunt, & emolliendo peruicaciam, allicient eam.

17. Ferrvm ferro exacvitvr, dum fungitur vice cotis vel limæ, et homo exacvit faciem amici svi, quia mutua conuerſatio, collatio & admonitio exacuit ingenium, & ad omnem probitatem mores expolit & elimat: ſolitarius enim ſemper & ſtudens & viuens difficulter ad magnam eruditionem & præclaros mores publico vtiles pertinget.

18. Qvi servat ficvm, cuſtodiendo eam ab incommodis aëris, frigoris, pruinæ, &c. fruetur eius commodis: Et qvi cvstos est Domini svi, obſeruans ſcilicet dominum ſuum & maximè Dominum dominorum, ab eius ore & nutu pendendo, mandata eius cuſtodiendo & exequendo, ab eo glorificabitvr.

19. Sic corda hominvm manifesta svnt prvdentibvs: corda tum aliorum, quæ ex externis indiciis mira ſagacitate deprehendunt & verum à fucato diſcernunt: tum etiam ſua, quia motus propenſiones & cogitationes ſuas velut intuendo, næuos & defectus ſuos inſpiciunt; ſed fons, vt imagines reddat, limpidus eſſe debet & quietus; & animus mundus & imperturbatus, vt ſibi ſeipſum exprimat.

21. Et in fornace avrvm, quia ſi reprobum eſt, igne conſumitur ſi probum, igne declaratur: sic probatur homo ore lavdantis, quia infirmus ſuis laudibus extollitur, firmus autem clarius eniteſcit. Vide latiùs S.Greg. 22. Moral. c. 5. Quomodo verò fornax noſtra quotidiana ſit laus humana, vide præclarè D. Aug. 10 Confeſ. c. 37.

22. Si contvderis stvltvm in pila Pila mortalium eſt, pilum piſtillum, ptiſana granum hordei decorticatum. Significat ergo, etſi ſtultum verberibus & flagris concidas, ſtultitiam eius eſſe incorrigibilem.

13. Diligenter agnosce. Sub parabola pecorum, vnde agricolis veſtitus, victus & omnia ſuppetunt neceſſaria, informat officium Paſtorum Eccleſiæ, vt ſcilicet vitæ & morum gregis ſub diligentem curam & inſpectionem habeant; idque duabus de cauſis, quia poteſtas non erit diuturna, & quia merces perpetua.

25. Aperta svnt prata, cœleſtiũ ſcilicet myſteriorum typicis olim figuris inuoluta & clauſa: et apparvervnt herbæ virentes, Diuinæ gratiæ & virtutum, quibus vbique viret & viget Eccleſia: et collecta svnt fœna de montibvs, monumẽta ſcilicet ſiue ſcripta Prophetarum, Apoſtolorum ac Patrum, quibus omnibus nunc facile eſt Paſtoribus gregem ſuum paſcere.

26. Agni ad vestimentnm tvvm, &c. hoc eſt, ex probis & improbis quos cura tua complectitur, non opulentiam & faſtum venaberis, ſed veſtimentum & pretium vnde veluti ex agro empto alaris.

27. Svfficiat tibi lac, &c. id eſt, non excoriabis gregem, ſed ſuperflua, veluti lanam ac lac percipies, vnde tibi tuiſque victus & domui ſuppetant neceſſaria. Hoc modo ſatiùs putaui parabolam parabolicè cum antiquioribus explicare, quàm Spiritus ſancti ſublimitatem ad humilitatem carnalis admonitionis de pecoribus diligenter paſcendis, Iudęorum more, deprimere: quod qui volet, textus non magnopere eget Interprete.

Capvt XXVIII.

2. Propter peccata mvlti Principes, &c. ſiue ſibi breui tempore ſuccedentes, ſiue ſimul conantes imperare. Inde enim exactionum tributorumque concuſſiones, inde bella & ſeditiones, quibus Diuina prouidentia ſolet corruptos hominum mores emendare atque conterere, vt ait Aug. 1. *de ciuit. cap. 1.* et propter hominis sapientiam, Principis nimirum, et horvm scientiam qvæ dicvntvr, id eſt, propter peritiam eorum quæ dicuntur & geruntur in regno, vt vitia corrigantur, vita Dvcis longior erit, in bonum nempè & Principis & populi.

3. Vir pavper calvmnians pavperes, similis est imbri vehementi. Imber enim cum ad alendas fruges natura idoneus ſit, ſi tamen ſit vehementior, ſemina denudat & eradit, adultaſque ſegetes conſternit, vnde conſequitur fames. Huic ſimilis eſt pavper qui tamquam expertus miſeriam deberet eſſe miſericors, ſi & ipſe ſui ſimiles pauperes calumniando opprimat & bonis exuat, quibus ſatis à ditioribus exuuntur. Quod ſi pauperes intelligas agrorum cultores, res eſt clarior, foro enim & litibus occupati agrorum cultum deſerunt.

11. Sapiens sibi videtvr vir dives, quia à multis, eius dictis & factis quaſi præclaris applauditur: cuius adulationis veritatem putant ipſo etiam ſucceſſu fœlici in adipiſcendis diuitiis comprobari; aſſcribunt enim hoc ſuę induſtriæ: pavper avtem prvdens, contemptor ſcilicet diuitiarum scrvtabitvr evm, id eſt, non debet abripi illo vulgari iudicio, ſed in lance veritatis appendet & ponderabit eius ſermones & actiones an ſapiente dignæ ſint.

12. In exaltatione ivs ivstorvm, rebus illis proſperè ſuccedentibus, mvlta gloria est, nempe ciuitatis & iuſtorum: hoc enim non fit, niſi depreſſis impiis iuſti imperent: regnantibvs impiis rvinæ hominvm, quia ſuum non populi emolumentum ſpectant. Vnde Philoſophus hoc tyrannorum proprium eſſe dicit, multitudinem populi conculcare, atque ex vrbe pellere, vacuam habitatoribus ciuitatem reddere, nobilitatem vexare, &c.

14. Beatvs homo, qvi semper est pavidvs, tremenda iudicia Dei ſemper præ oculis habens, ita nempe, vt nec de peccatis præteritis ſit ſine metu, nec de futuris præſumptuoſus aut temerarius, qualis ille eſt qvi mentis est dvræ, id eſt, præfracti animi, & præſumptuoſus ſine metu in aggrediendis negotiis cauendiſque malis.

17. Hominem qvi calvmniatvr, &c. id eſt, qui per calumniam ſanguinem, in quo eſt anima, effundit iniuſtam necem inferens, etſi vt vitæ conſulat, in abſtruſam ſiue ciſternam, ſiue ſepulchrum ſe abdide-

iit, nullius conſolationem inuenit, quia naturaliter odio eſt homicida: ex quo fit vt mirabilibus plerumque modis illud ſcelus quantumlibet occultum in lucem erumpat.

24. PARTICEPS HOMICIDÆ EST. Quia prædoni manifeſto ſimilis eſt: vterque enim inuadit aliena, in quibus hominis vita ex parte conſiſtit, & quibus ſubtractis vita perit. Etſi ergo minus ſit peccatum quàm homicidæ, exaggerat tamen tam immani nomine, vt oſtendat quantum fallantur ij qui putabant non eſſe peccatum, quaſi bona parentum iam ad ſe tamquam ad heredem quodammodo pertinerent.

28. CVM SVRREXERINT IMPII, vt clauum imperii teneant ac dominentur, ABSCONDENTVR HOMINES, nempe iuſti præcipuè, tum quia in ſilentio ſe continent & quærunt latebras, tum quia Regis exemplum pleriſque ſectantibus, Reipublicæ mores corrumpuntur, vt in hæreticorum dominatione perſpicuum eſt. CVM ILLI PERIERINT, MVLTIPLICABVNTVR IVSTI, quia ſe produnt qui ſuperſunt, & quia illorum ope & probi principis, diſciplina reſtituitur.

CAPVT XXIX.

1. IN MVLTIPLICATIONE IVSTORVM. Pagninus transfert, Cùm dominati fuerint iuſti: ſenſus ergo eſt, Cùm principe probo regnante iuſti multiplicati fuerint, LÆTABITVR VVLGVS, quia ab iniuſtis oppreſſionibus & oneribus vacuus in pace & ſecuritate verſatur.

7. NOVIT IVSTVS CAVSAM PAVPERVM, quia lites eorum diligentiſſimè inueſtigat, ne incognitas vel minùs examinatas propter defectum fautorum & munerum damnet: IMPIVS VERO IGNORAT SCIENTIAM, cauſæ ſcilicet pauperum, quia muneribus intentus accipiendis, non curat eam diſcutere. De cuiuſmodi iudicibus Propheta queritur; Pupillo non iudicant, & cauſa viduæ non ingreditur ad eos.

9. SIVE IRASCATVR, SIVE RIDEAT, ſapiens ſcilicet, hoc eſt, ſiue duriùs eum tractet, ſiue leniùs, NON INVENIET REQVIEM, quia non deſiſtet ſtultus à cœpta contẽtione, vt pote qui eſt indomitus & incorrigibilis: Nam & ferarum illas, quæ ſtolidiſſimæ ſunt, nulla arte, nec verberibus, nec blanditiis cicurari poſſe ferunt.

10. VIRI SANGVINVM, id eſt, ſanguini effundendo dediti, ODERVNT SIMPICEM, id eſt, iuſtum & integritate vitæ ſincerum, vt pote operibus ſuis contrarium, præcipuè autem illum qui negotiis adminiſtrandis occupatur: talis enim adminiſtrationis integritate multorum odia in ſe prouocare ſolet: IVSTI AVTEM QVÆRVNT ANIMAM EIVS, ſeu vitam eius, vt eam conſeruent ac tueantur.

11. TOTVM SPIRITVM, &c. id eſt, quidquid animo ſentit, temerè vno impetu effudit. Vide ad c.17.v.27.

12. PRINCEPS QVI LIBENTER AVDIT VERBA MENDACII, vt adulatorum, calumniatorum, detractorum, & ſimilium peſtium, OMNES MINISTROS HABET IMPIOS, quia ad principis indolem & mores & voluptates miniſtri ſe ſolent componere; neque enim diu quiſquam ingenuus viuet cum Principe cui non placet.

13. PAVPER ET CREDITOR, &c. Verſus hic eumdem videtur habere ſenſum cum ſimili c.22.v.2 quem vide. Nam creditor eſt diues; & ILLVMINATOR, nempe luce huius vitæ, eſt operator. Quamquã ſi illuminator ſumatur pro inſpectore, ſenſus erit, quod ipſe nouerit cauſam vtriuſque, nempe & opprimentem creditorem, & eum qui iniuſtis vſuris opprimitur: alii enim habent pro creditore, fœneratorem.

18 CVM PROPHETIA DEFECERIT Prophetia variis modis accipitur: inter cætera ſignificat etiam ipſam Diuinæ legis annuntiationem & expoſitionem, vt patet 1. ad Cor.11. Senſus eſt ergo: cùm diuinæ legis prædicatio & expoſitio, quæ nunc Propheticis veteris Teſtamenti ſuccedunt, iuſto Dei iudicio ſubtracta fuerit, ibi mox in hæreſes & factiones populus diſtrahetur, cum ſubuerſione etiam temporalis imperii: POPVLVS VIRO QVI CVSTODIT LEGEM, tenaciter inſiſtens doctrinæ ſibi antiquitùs traditę, BEATVS EST.

19. SERVVS VERBIS NON POTEST, Quis ille

ille ſeruus ſit, indicat ſequentibus: quaſi diceret, ſeruus ille qui intelligit quod præcipitur, ſed contemnit te & facto obedire & reſpondere, verbis non poteſt erudiri. Quibus verbis, inquit Aug. Epiſt. 48. non eum iuſſit deſeri: ſed tacitè admonuit, vnde debeat emendari, nempe pœnis impoſitis. Habet autem locum non tantùm in mancipiis: ſed omnibus iis, qui iuſtis mandatis, etiam diuinæ legis obedire detrectant, prout idem Auguſtinus hoc hoc de hæreticis compellendis exponit.

20. VIDISTI HOMINEM VELOCEM AD LOQVENDVM? id eſt, præcipitantem ſine deliberatione ſententiam de rebus interrogatis: STVLTITIA SPERANDA, &c. talis enim de numero eorum eſt, qui ſapientes ſunt in oculis ſuis, qui temeritati aſſertionis, ſolent addere pertinaciam defenſionis.

21. QVI DELICATE, &c. de mancipio domi nato ſermo eſt, hoc enim indicat illud, A PVERITIA: tali ergò vernæ, qui ab ineunte ætate nimis indulget, nec aſſuefacit ſeruilibus officiis, ADVLTVM SENTIET REBELLEM. Hebr. tamquam filium, quia beneficia exiget, tamquam debita, vtpote enutritus vt filius: ſeruilibus enim ingeniis indulgentia parit inſolentiam, ingenuis amorem & gratitudinem. De corpore ab ineunte ætate laboribus mancipando, ne contra ſpiritum inſoleſcat, parabolicus eſt ſenſus, & valdè appoſitus.

24. QVI CVM FVRE PARTICIPAT, rem ſcilicet furto ſublatam tamquam furti particeps, ODIT ANIMAM SVAM, quia lucrum ſaluti æternæ anteponit: cùm iureiurando adſtringitur à iudice, vt auctorem prodat, NON INDICAT, ne & ipſemet ſit obnoxius reſtitutioni.

25. QVI TIMET HOMINEM, ne in illius offenſionem incurrat, ſiue diſpliceat, CITO CORRVET, quia ſtudium placendi hominibus vel timor diſplicendi plurimas delinquendi occaſiones ſubminiſtrat: plerumque enim iuſtitia, ſine multorum diſplicentia ſeruari non poteſt. QVI verò SPERAT IN DOMINO, tunc maximè cùm hominibus diſplicet, SVBLEVABITVR, ne corruat in peccatum: Nullum enim eſt ſcutum fortius contrà timorem hominum, ne noceant, ne ægrè ferant, ne inſultent & rideant, quàm ſpes in Deo.

26. MVLTI REQVIRVNT FACIEM PRINCIPIS, id eſt, multi captant fauores Principum & magnatum, tum in aliis rebus, tum etiam in cauſis ſuis & litibus, vt eorum fauore ſententiam quam volunt, ex torqueant: IVDICIVM A DOMINO EGREDITVR SINGVLORVM, quaſi dicat, cùm tamen Deus ſit iudex ſupremus omnium, omnia dirigens ad nutum ſuum, à quo cauſæ etiam iudicatæ, iterum iudicandæ ſunt: cùius proinde facies, & fauor maximè eſſet ambiendus.

CAPVT XXX.

1. VERBA CONGREGANTIS FILII VOMENTIS. Hebr. verba Agur filii Iachæ: quæ verba quidam, vt propria exponentes, putant hoc caput non eſſe Salomonis: ſed iſtius Agur filii Iachæ, ſermocinantis ad duos diſcipulos ſuos Ithiel & Vchel, pro quo nos habemus, CVM QVO EST DEVS, & CONFORTATVS. Nimis hæc opinio videtur Rabbiniſmum ſapere, qua præclarum illud caput quod Eccleſiâ & Patres videntur ſemper habuiſſe pro doctrina Salomonis, aliis neſcio quibus adſcribitur: idque leui fundamento, quod ſe Salomon non poſſet vocare v. 2. ſtultiſſimum virorum: quaſi non perinde abſurdum eſſet, etiam illum Agur talis doctrinæ, & viſionis auctorem ſe appellare ſtultiſſimum. Rectè ergò noſter Interpres iſta nomina tranſtulit, vt communia, tamquam epitheta Salomonis. Quidam ergò hoc ſenſu: Verba Salomonis multas opes & diuitias congregantis, eaſque conceptas per pœnitentiam nauſeâ euomentis: multa enim hîc de diuitiis, regnis, & ſimilibus dicuntur. Sed quia congregans idem eſt quod conuocans, vnde Salomoni nomen Coheleth, & Eccleſiaſtis communis ſententia adhæſit: malim exponere: VERBA CONGREGANTIS, ſeu Eccleſiaſtis Salomonis populũ in concione ſalutaris ſuæ doctrinæ colligentis, FILII VOMENTIS, nempe Dauidis, cuius cor vbertim propheticas, & verbum bonum eructa-

uit: vel filii vomentis ſeu vomitus, ſignificat ipſum Salomonem abundantiſſimè vomentem & eructantem verba ſalutis; ſicut filius mortis vocatur mortis reus. Quid autem vomuerit, explicat ſtatim, nempe *viſionem*, quàm ex Deo in ſe habitante, & confortante hauſerat.

2. STVLTISSIMVS SVM VIRORVM, nimirum ſi id quod meum eſt, ſpectem, vt qui ad hæc ſublimia, quæ Sanctorum propria ſunt, ſcienda atque docenda, laborem, induſtriam, ac diſciplinam humanam non attulerim. Qua humili & veraci profeſſione ſignificat hæc ſe Deo reuelante accepiſſe & profudiſſe. Vnde 70. vltimam partem exprimunt, Deus docuit me ſapientiam, &c.

4. QVIS ASCENDIT IN CŒLVM? quaſi dicat, neque hoc mirum videri debet, nam cùm cæleſtia à noſtra cogitatione ſint remotiſſima, creaturarum autem ſecreta earum authori & adminiſtratori ſint pervia, Quis eſt, qui aſcendit in cælum ATQVE DESCENDIT? vt omnibus perluſtratis ea callere ad vnguem poſſit. Itemque QVIS CONTINVIT SPIRITVM IN MANIBVS SVIS? id eſt, quis aërem, & ventos violentos, & fugaces manibus ſuis cohibet? QVIS COLLIGAVIT AQVAS QVASI IN VESTIMENTO: ligans videt eas in nubibus, velut veſtimentis, vt non erumpant pariter deorſum. QVIS SVSCITAVIT? Hebr. quis conſtituit, ſeu ſtabiliuit, OMNES TERMINOS TERRÆ? nudans eam aquis & ſtabili immobilitate confirmans: Quis, inquam, hæc omnia fecit, niſi ſolus Deus? Qui proinde eorum omnium nos poteſt accuratam ſcientiam perdocere. Sub cælo autem, aëre, aqua & terra, omnes creaturæ continentur. QVOD NOMEN EST EIVS? ſeu natura eius, quo nomine exprimitur? ET QVOD NOMEN FILII EIVS? quem proinde de ſe genuit. Quibus verbis apertè perſonarum in Deo diſtinctionem eſſe indicat, vt S. Auguſt. docet, Epiſt. 49. quæſt. 5. qui reliqua de Chriſto exponit ſecundùm humanam naturam. Vnde ergò homini ſapientia niſi ex Deo per Verbum eius?

5. OMNIS autem SERMO DEI IGNITVS, id eſt, quaſi igne purificatus, & ab omni quaſi ſcoria falſitatis excoctus, CLYPEVS EST, non ſermo, ſed Deus qui inſtar clypei eſt protector SPERANTIBVS IN SE, dum ſermoni eius, tamquam veraciſſimo credendo immobiliter adhæret. Cùm ergò ita ab omni labe mendacii purificatus ſit ſermo Dei,

6. NE ADDAS QVIDQVAM VERBIS ILLIVS, ſiue ſcriptis, ſiue non ſcriptis, nempe tamquam verbum eius, quod non ſit verbum eius, NE ARGVARIS, INVENIARISQVE MENDAX: quod omnibus contingit, qui verbum ſuum pro verbo Dei ſupponunt, qui ſcripturas adulterant, qui repugnantibus interpretationibus contaminant.

8. VANITATEM LONGE FAC A ME, in quam quis incidit, dum nimiis opibus in ſuperbiam elatus illicitur ad negandum Deum, id eſt, ad deſerendum Deum diffluendo in huius vitæ vanitates & voluptates, ET VERBA MENDACII, quibus aliquis dum mendicitate, id eſt, extrema illa paupertate inuitus premitur, furtum facit, & adiuratus negat addito etiam periurio ſe ſuſtuliſſe. Deprecatur ergò ne proſperitate nimia, vel aduerſitate corrumpatur.

10. NE ACCVSES SERVVM AD DOMINVM, ita miſero & afflicto ex conditione ſua aliam immeritam addendo miſeriam: inhumanum enim eſt tales idcircò opprimere, quia ſe non poſſunt vlciſci. NE FORTE MALEDICAT TIBI, inuocando alium potentiorem vltorem ſuæ iniuriæ, ET CORRVAS, Deo exaudiente deprecationem eius in amaritudine animæ fuſam.

11. GENERATIO QVÆ, &c. Per quaternarios ſingularia quædam vitia, itemque myſteria proſequitur. Hic ergò execratur quatuor generationes, id eſt, hominum genera multùm deteſtabilia. Primum extremæ ingratitudinis in eos quibus debet omnia, parentes ſcilicet. Alterum hypocritarum ſanctitatem eximiam ſibi vendicantium, cùm ſint impuriſſimi: quorum effigiem in hæreticis noſtris habes, qui ſolidiſſimè ſe ſanctos & prædeſtinatos eſſe confidunt. Tertium eorum qui tanto faſtu turgent & ſupercilio, vt in geſtus oculorum,

& totius corporis erumpat. Quartum illorum dentes ſint, quaſi gladi, quibus proinde acutiſſimis & crudeliſſimis inopes, qui non poſſunt reſiſtere, deuorant, bonis, fama & vita ſpoliando.

15. SANGVISVGÆ DVÆ SVNT FILIÆ, DICENTES: AFFER, AFFER. Verſus iſte à quibuſdam, tamquam ſeparatus accipitur, Sed videtur iungendus cum ſequentibus, vt ex Heb. & 70. ſatis colligitur: hoc ſenſu, Sanguiſugæ, id eſt, quæ inſatiabiliter ſitit ſanguinem, duæ ſunt filiæ ſimiliter inſatiabili appetitu ſemper clamantes, da, da. Imò non duæ tantum, ſed TRIA SVNT prorſus INSATVRABILIA, adeoque QVARTVM NVMQVAM DICIT: SVFFICIT, id eſt, imò vt plenius dicam, quatuor ſunt inſaturabilia, vt habet textus Hebr. Similes locutiones habes Amos 1. & ſup. c. 6. v. 16 Fauet huic explicationi, quod hîc continenter multa explicentur per quaternarios. Hæc autem quatuor ſunt.

16. INFERNVS: qui parabolicè ſignificat libidinem vindicandi, mortis ſemper & ſanguinem inſtar gehennæ appetentiſſimam. ET OS VVLVÆ, id eſt, luxuria, cuius deſiderium vſu non extinguitur, ſed accenditur, ET TERRA: QVÆ NON SATIATVR AQVA, id eſt, auaritia terrenis inhians, quorum amor creſcit quantū ipſa pecunia creſcit: hic frequens illa auarorum cum hydropicis ſemper ſitientibus comparatio, IGNIS VERO NVMQVAM DICIT, SVFFICIT, id eſt, ambitio alta petens numquam impletur.

18. TRIA SVNT DIFFICILIA MIHI, &c.

19. VIAM COLVBRI SVPER PETRAM, quia nullum imprimit ei veſtigium, ſicut in puluere: ET VIAM VIRI IN ADOLESCENTIA, quia vt, inquit Ambr. ſerm. de obitu Valent. lubricæ & perplexæ ſunt viæ iuuentutis, propter motuum, & ſtudiorum in conſtantiam: nunc enim vt aquila in cælum gloria efferuntur, nunc vt ſerpens terrenis caducíſque bonis inhiantes per terram repunt, nunc voluptatibus diffluentes, velut per aquam natant. Sed hîc cortex parabolæ præſtantius aliquid velut nucleum claudit: nempe vt idem Ambr. *de Salomone latè c. 2. 3. 4. & 5.* via aquilæ aſcenſionem Chriſti captu difficilem ſignificat; via colubri ſuper petram, diabolum qui tentat Chriſtum, ſed ſine peccati veſtigio; via nauis per medium mare, iter Eccleſiæ per procelloſum hunc mundum; via viri in adoleſcentia, conuerſationem Chriſti in iuuentute cæteris mirabiliorem. Alii legunt ex Hebr. in adoleſcentia, & intelligunt conceptionem & natiuitatem Chriſti ex Virgine.

20. TALIS EST ET VIA MVLIERIS ADVLTERÆ, nempe ſimiliter deprehenſu difficilis propter facilitatem occultandi facinoris. QVÆ COMEDIT, &c. id eſt, quæ quaſi comederet, & mox tergeret os ſuum, nullo relicto comeſtionis indicio, negat factum ſuum. Quod idem Ambr. applicat ad Eccleſiam ex gentibus collectam, quæ baptiſmo perfuſa, & terſa à fornicatione idolorum ablutionem criminis accepit & nominis.

21. PER TRIA MOVETVR TERRA, id eſt, commouentur homines & perturbantur propter eorum inſolentiam & ſuperbiam, ET QVARTVM, Hebr. vt ſup. & quatuor, id eſt, imò quatuor non poteſt tolerare, tamquam indigna, quorum duo reſpiciunt viros, duo mulieres, duo ſeruos, totidem liberos: duo rempublicam: alia duo familiam.

22. CVM SATVRATVS FVERIT CIBO, id eſt, cùm opibus abundauerit, quia ſicut ſeruus adeptus imperium, inſoleſcunt, nec vſum ſciunt.

23. PER ODIOSAM MVLIEREM, id eſt, odio dignam propter intolerabiles mores, quæ nupta faſtu ſuo totam turbat familiam: ET PER ANCILLAM CVM FVERIT HERES DOMINÆ SVÆ, ſiue adhuc ſuperſtititis à viro expulſæ, ſiue iam defunctæ, quandò in matrimonium cum eodem viro contractum ſuccedit: talium enim inſolentia fieri ſolet intolerabilis, vt in Agar paruit.

24. QVATVOR SVNT MINIMA TERRÆ, ſcilicet aliis animalibus brutis, imò multis hominibus, quos proinde hîc ad illa amandat, vt ex eis diſcant vitæ inſtituendæ ſapientiā.

25. QVI PRÆPARAT IN MESSE CIBVM SIBI, induſtria & diligentia ſupplente corpuſculi imbecillitatem.

26. LEPVSCVLVS, id eſt, cuniculi qui de leporum genere ſunt, QVI COLLOCAT IN PETRA CVBILE SVVM, quia in antris habitant, vt domicilii ſui latebris, & firmitate infirmitatem virium ſuarum muniant.

27. EGREDITVR VNIVERSA PER TVRMAS SVAS, ad depaſcendos agros immenſa multitudine, idque tanta concordia, ac ſi ductoribus regerentur: tradunt enim eas per modum exercitus fruges depaſcere, & vno campo abſumpto, ſtationem mutare.

28. STELLIO, è lacertarum genere corpore exiguus lucentibus maculis inſignis, MANIBVS NITITVR, quia per terram repit, ET tamen MORATVR IN ÆDIBVS REGIS: amat enim incolere nouas domos, vt quidam tradunt. Alii transferunt, ſimiam, alii araneam: de quibus hoc manifeſtè eſt verum. Significat ergò à formica eſſe diſcendam diligentiam colendæ virtutis; à cuniculis, ſecuritatem domicilii ſupra petram, id eſt, Chriſtum collocandi; à locuſtis concordiam: à ſtellione vt quantumuis in terra degamus, habitationem nobis præparemus in cælo in ædibus Regis regum, Domini dominantium.

29. TRIA SVNT QVÆ BENE GRADIVNTVR, id eſt, quæ pulchro & magnifico greſſu incedunt: feliciter enim incedere, & benè idem ſunt, nempe

30. LEO FORTISSIMVS, & interritus, de cuius inceſſu, & reditu multa magnificentia tradit Ariſtoteles.

31. GALLVS SVCCINCTVS LVMBOS, nempe ad vigiliam & pugnam, in cuius greſſu naturalis quædam effulget magnificentia: ET ARIES, ad ducendum gregem: NEC EST REX QVI RESISTAT EI. Conſtructio videtur inuerſa, ſic reponenda iuxtà Orig. Et Rex, nec eſt qui reſiſtat ei, ſeu cui nemo reſiſtat: vel etiam ſupplendo hoc modo: ille cui nec eſt Rex qui reſiſtat. Certum eſt autem hanc parabolam aliquid aliud innuere. Greg. 30. Moral. c. 3. per leonem intelligit Chriſtum, per gallum prædicatores, per arietem ordinem ſacerdotalem, quartum autem putat ille eſſe *ſtultum* illum *qui apparuit*, &c. Antichriſtum, qui v. 32. dicitur eleuatus in ſublime, cumque vult incedere feliciter, ſed non benè. Aug. 12. cont. Fauſtum cap. 42. omnia applicat Chriſto, qui in cruce dormiuit vt leo: clamauit vt gallus, ſurge qui dormis: immolatus vt aries hærens in vepribus. Quamquam non malè virtutes regiæ dici poſſint hic adumbrari, fortitudo & magnanimitas aliaque multa per leonem: vigilantia, & in ſuis tuendis pugnacitas, per gallum: manſuetudo & prudentia in præeundo gregi, per arietem. Alii virtutes Cardinales, vt fortitudinem, continentiam, prudentiam & iuſtitiam, ſignificari cenſent.

32 EST QVI STVLTVS APPARVIT POSTQVAM ELEVATVS EST IN SVBLIME, cùm ſcil. antea priuatus viuens prudens eſſet, vel eſſe videretur: multi enim ad ſe ſuaque adminiſtranda prudentes ſunt, ad alios reſque publicas ineptiſſimi: SI ENIM INTELLEXISSET, id eſt, ſi circumſpectus fuiſſet vel conſideraſſet conditionem ſuam, ORI SVO IMPOSVISSET MANVM, id eſt, non ambiiſſet officium, nihilque vel ducendo, vel agendo ad alios dirigendos, quietem ſe continuiſſet ſua ſorte contentus.

33. EXPRIMIT BVTYRVM, ex re fluxa, & molli, dum contunditur. ET QVI VEHEMENTER EMVNGIT, nares ſcilicet, ELICIT SANGVINEM: ET QVI PROVOCAT IRAS, vel ſuam iram non cohibendo, vel alienam excitando, PRODVCIT DISCORDIAS, quæ ſcilicet in iurgia, pugnas, & mortes tandem terminantur. Qua parabola mediocritatem ſuadet ac lenitatem in monendis ac corrigendis hominibus, exceſſus enim periculoſus eſt, & paulatim à paruis initiis ad magna peruenitur.

CAPVT XXXI.

1. VERBA LAMVELIS REGIS, ſcilicet ipſius Salomonis, qui Lamüel vocatur, id eſt, cum ipſo, vel ipſi Deus, & hæc præcepta à matre Bethſabee accepta poſteris tradit. Sunt autem verba hæc, VISIO, id eſt, ſalutaris quædam doctrina & admonitio, vt legit Ambr. ad virgines. Vel potiùs prophetia: multa enim hoc capite futura prædicuntur. Ex quo non obſcurè colligitur Bethſabee diuino ſpiritu afflata hæc Salomoni tradidiſſe, quia gratitudinis & pietatis ergò re-

fert ſub matris nomine, vt oſtendat quanti parentum pia monita facienda ſint.

2. QVID DILECTE MI? nempe dicam tibi, quod maximè proſit, verba ſunt enim blandientis. Heb. vbique eſt *fili*, pro *dilecte*, ſicut & in illo. QVID DILECTE VOTORVM MEORVM, id eſt, fili votorum, vel quia orationibus eum impetrauit à Deo poſt mortem filii primi: alii enim legunt, fili orationum mearum: vel quia omnia vota ac deſideria in bonum Salomonis ferebantur, vt ſatis teſtata eſt, cùm eum ad regnum viuente adhuc patre promouit. Quaſi autẽ præſagiret diuino ſpiritu futurũ Salomonis lapſum per mulieres epularumq; intemperantiam.

3. NE DEDERIS, inquit, MVLIERIBVS SVBSTANTIAM TVAM, labefactando ſcil. vires corporis, & exhauriendo tuas opes laſciuis amoribus, ET DIVITIAS TVAS AD DELENDOS REGES, ruis terris finitimos, non incolentes ſcilicet terram tibi tuiſque poſteris promiſſam, nunc traditam poſſides. Saluberrimum hoc Regibus iunioribus eſt conſilium, qui ambitione propagandi imperii inflammati bella ſolent vicinis concitare, & alios infeſtando ſe ipſos euertere: Regum enim iniuſtè oppreſſorum plurimi ſunt adiutores, dum quiſque vicinus idem ſibi formidat. Hortatur ergò, vt nomen ſuum Salomonis ſeu pacifici reipſa impleat Heb. autem habent, Ne dederis vias tuas, id eſt, actiones tuas: ſed idem eſt ſenſus: ſolet enim hoc fieri diuitiarum ad bellandum effuſione.

4. NOLI REGIBVS DARE VINVM, proinde nec tibi ipſi, nec iis qui tecum, & ſub te iudicant.

5. NE OBLIVISCANTVR IVDICIORVM, quæ pronuntianda ſunt, vel potiùs, iuris & æquitatis, ET MVTENT CAVSAM FILIORVM PAVPERIS, id eſt pauperum cauſam præ vinolentia, vel neſciendo, vel negligendo, vel peruertendo. Immoderatus ergò vſus vini, non mediocris prohibetur: quod ſignificat; dum addit,

6. DATE SICERAM MŒRENTIBVS, id eſt, vinum adhibeatur dumtaxat, vel tibi, vel aliis, quantum ſatis eſt ad afferendam animo quandam hilaritatẽ, leuandumq; merorem, vt calamitates facilius ferat: quem vini vſum, & alibi ſcriptura indicat, vt Eccleſiaſtici 31. Vinum in iucunditatem creatum eſt, non in ebrietatem: ſic Pſalm. 103. v 15.

8. APERI OS TVVM MVTO, patrocinando per ſeipſum ei qui ſe non poteſt defendere, ſiue quia abſens accuſatur, ſiue quia loqui pro ſe ipſo præ impotentia vel imperitia non poteſt, vel non audet metu potentiorum oppreſſus: nec illis tantum, SED CAVSIS OMNIVM ILLORVM QVI PERTRANSEVNT, per hunc mundum tamquam aduenæ & peregrini tendentes ex hac vitam in aliam: quaſi dicat, nõn tantum potentibus, ſed omnibus omninò mortalibus ſine acceptione perſonarum ius dic, idque per teipſum quantum potes, ne à Iudicibus inferioribus prece, vel pretio corruptis opprimantur.

10. MVLIEREM FORTEM QVIS INVENIET? Sequitur hîc pulchra deſcriptio mulieris fortis verſibus alphabeticis abſoluta, id eſt, quorum ſinguli à ſingulis litteris alphabeti. Heb. incipiunt, vt fit in Threnis & quibuſdam Pſal. Quæ autem ſit hæc mulier, authores ferè non conueniunt. Recentiores plerique de perfecta vxore exponunt. Bernardus ſerm. 2. ſub. Miſſ. eſt, de B. Virgine. Alii de anima hominis: Plerique veterum, Beda, Greg. Papa, Ambr. lib. 8. *in Luc. paulo poſt init.* & in primis S. Auguſtinus ſerm. 45. de diuerſis, de Eccleſia: Veriſimile itaque videtur ſub cortice præſtantis vxoris peculiariter deſcribi Eccleſiam, vt Veteres hoc videntur intellexiſſe: Nam etiam de virili & induſtria & vxore exponi poſſe patet ex Greg. Nazianz. *tract. de Patris funere.* MVLIEREM igitur FORTEM, id eſt, virilis animi, ac virtute præſtantem coniugem, QVIS INVENIET? quia difficile eſt inuenire. PRETIVM EIVS eſt rarum & carum, ſicut eius quod DE VLTIMIS TERRÆ FINIBVS, vt gemmæ pretioſæ, adfertur.

11. CONFIDIT IN EA COR VIRI SVI, ſublata omni ſuſpicione, ne vel familiæ incuria, vel morum laſciuia indignum aliquid committat: ET SPOLIIS NON INDIGEBIT, quibus videlicet ipſa mulier ornetur; cùm virtus ei ſit ornamentum, vel familia dite-

tur, cui moderandæ tanta diligentia adhibi lat. Pro hac autem confidentia viri, ipſa mulier

12. REDDET EI BONVM, ET NON MALVM: quò enim laxior eſt viri indulgentia, ei probæ vxoris maior eſt fides. Nec otioſa domi tempus terit, ſed

13. QVÆSIVIT LANAM ET LINVM, ET OPERATA EST CONSILIO MANVVM, id eſt, induſtria manuum ſuarum, & iſto modo

14. FACTA EST QVASI NAVIS INSTITORIS, ſeu mercatoris, DE LONGE PORTANS PANEM SVVM, qua opera ſua aliis mercibus commutando, domum implet iis quæ ad victũ ſunt neceſſaria: & victu ita comparato

15. DE NOCTE SVRREXIT, id eſt, ſummo manè antequam luceſceret ſurrexit ad opus, ſinguliſque domeſticis ſtatutam portionem diſtribuit, vt eò alacrius operentur. Rebus verò domeſticis ita conſtitutis,

16. CONSIDERAVIT, id eſt, attentiùs contemplata eſt AGRVM aliquem fertilem, quem de prouentu laborum coëmit, & cultu meliorem reddidit, PLANTATA in eo VINEA: quæ omnia cùm perpetuam circumeuntis anni curam poſtulent,

17. ACCINXIT FORTITVDINE LVMBOS SVOS, id eſt, expediuit ſe promptè ad opus, vt mulieres ſolent nudatis brachiis ad opus parare.

18. GVSTAVIT, &c. id eſt, vſu ipſo didicit induſtria & labores tum domeſticos, tum ruſticanos eſſe frugiferos, ideoque ita ſedulò incumbit operi, vt accenſa lucerna etiam noctes ipſas laborando tranſigat.

19. MANVM SVAM MISIT AD FORTIA, id eſt, ad ea opera quæ non mollem & otio marceſcentem animum, ſed virilem poſtulant: ab aliis enim operibus per tenebras impedita, DIGITI EIVS APPREHENDERVNT FVSVM, genus occupationis honeſtis matronis aptiſſimum. Sed cui bono tam auara vt videri poſſet diligentia? nempe vt in pauperes effunderet:

20. MANVM enim SVAM APERVIT, &c. Nec fructu ſuo caret hæc laboris & eleemoſynarum aſſiduitas, quia

21. NON TIMEBIT DOMVI SVÆ, A FRIGORIBVS NIVIS, ſcilicet hibernis, ne ſcilicet domeſtici frigore, vel lædantur, vel à labore impediantur, OMNES ENIM DOMESTICI EIVS VESTITI SVNT DVPLICIBVS, contra frigus muniti.

22. STRAGVLATAM VESTEM FECIT SIBI, id eſt, non tantùm laborandi induſtria fecit veſtes communes in vſum domeſticorum, ſed etiam pretioſus vt aulæa & ſtromata ad ornatum lectorum, menſarum, &c. itémque ex purpura & byſſo quibus ornetur. Nec ſe tantùm, ſed etiam virum ſua virtute exornat:

23. NOBILIS, enim, id eſt, conſpicuus, IN PORTIS VIR EIVS, id eſt, in publicis conſeſſibus, qui in porta haberi ſolebant inter Senatores vrbis, quia ſcilicet ab operibus domeſticis per diligentiam coniugis non impeditur, vt poſſit vrbi adminiſtrandæ vacare.

24. SYNDONEM FECIT, &c. id eſt, non rudia tantùm opera, ſed lintea ſubtiliſſima & pretioſa, itémque cingula texta, atque acu picta fecit, ET VENDIDIT CHANANÆO, id eſt, mercatoribus, qui Hebr. Chananæi vocantur; vel tradidit ſeruo Chananæo, vt vendendo diſtraheret. Nec tamen omnia hæc ad luxum & vanitatem dumtaxat ei comparata ſunt, ſed

25. FORTITVDO ET DECOR INDVMENTVM EIVS, id eſt, animi fortitudine, honeſtate & grauitate, velut veſtibus ornata eſt. ET RIDEBIT IN DIE NOVISSIMO, in ſenectute & morte, vtpote de vita ante acta, conſcientiæque teſtimonio ſecura.

26. OS SVVM APERVIT SAPIENTIÆ, nempe ad loquendum ſapienter, ET LEX CLEMENTIÆ, &c. vt verba eius ad domeſticos ſint non aſpera, ſed ſuauia. Quibus indicat à duobus vitiis bonam matremfamilias debere eſſe alienam, garrulitate & iracundia in famulos & ancillas, quibus plerumque laborant fœminæ.

27. CONSIDERAVIT SEMITAS, &c. id eſt, non ſui tantum: ſed & totius familiæ mores, & actiones diligenter inſpexit, ſicubi ab honeſtate deflecteret: ET PANEM OTIOSA NON COMEDIT, quia non ita hoc fecit, vt rigida in alios ipſa ignaua otio marceſceret.

28. SVRREXERVNT FILII EIVS, &c. id eſt, cùm modeſtia & pudicitia domi hanc mulierem continuerunt, ideoque ignotam publico; filii eius, & maritus virtutum conſcii foras exulerunt apud alios collaudando his verbis:

29 MVLTÆ FILIÆ CONGREGAVERVNT DIVITIAS, quibus & animus earum coram Deo & familia inter homines opulenta fuit, TV SVPERGRESSA ES VNIVERSAS. Sed ne quis miretur, nihil hactenus dictum eſſe inter tot mulieris dotes de formæ præſtantia, quaſi præoccupans quæſtionem.

30 FALLAX, inquit, GRATIA, id eſt, venuſtas, vnde mulier dicitur gratioſa, res eſt incerta, fugax & fallens eos qui multum ei confidunt. ET VANA PVLCHRITVDO, quia euanida & pauci temporis: ſed quia timor Domini manet in æternum, MVLIER TIMENS DEVM, ſola eſt ſolidá laude digna. Nec tantum ab hominibus laudabitur, ſed

31. DATE EI, id eſt, dabitur ei bonorum operum fructus merces æterna in cœlis & IN PORTIS hoc eſt in iudicio laudabunt eam ipſa OPERA EIVS, atque ita non fallaci hominum opinione, ſed ipſa veritate laudabitur, quæ nec fallere poteſt nec falli.

Sed hæc omnia ſecundùm pleroſque veteres ſublimiori & particulari ſenſu tamquam parabola ad Eccleſiam referenda ſunt. De quo ſenſu inter alios vidè latè Bedam in comment ſed omnes excedit Aug. ſerm. 15. de diuerſ. Hanc ergo MVLIEREM ideo FORTEM quia inter omnia proſpera & aduerſa non deficit. QVIS tandem cùm innumeris & peccatis & erroribus implicata vt ouis erraret, quis, inquam, vel hominum, vel angelorum INVENIET, niſi ſolus Chriſtus qui eam inuentam in humeris poſuit; Sed poſtquam iam ab eo inuenta eſt, ita non inuentu difficilis eſt, vt tamquam mons in vertice montium omnium oculis ſe ingerat. PRETIVM EIVS eſt DE VLTIMIS cœlorum FINIBVS, ipſe Deus pro eo oblatus, quia ipſe voluit.

CONFIDIT IN EA COR VIRI SVI, Chriſti, quia eam ſuâ gratiâ ita fortem efficit, vt nullis errores, contra columnam veritatis, nulli tentationum fluctus contra hunc montem præualituri ſint: ET SPOLIIS NON INDIGEBIT, quia omnibus totius mundi ſpoliis, quæ a diabolo rapuit, abundabit. Et quia viro ſuo pro tot beneficiis grata eſt,

REDDET EI BONVM ET NON MALVM: illi enim ſeruit, illi deuota eſt, vt iam non ſibi viuat, ſed ei qui pro ipſa mortuus eſt: non eſt enim de numero ſibi placentium vel ſua quærentium commoda, ſed omnia viro accepta ferens illi refundit.

QVÆSIVIT LANAM ET LINVM: vndè ſibi veſtes texeret, quia operibus pietatis tam corporalibus & externis, quàm ſpiritualibus & internis ſe exercet: lana enim exterius, lino interius tegimur.

FACTA EST QVASI NAVIS INSTITORIS DE LONGE PORTANS PANEM SVVM hoc eſt, diuitias ſuas; quia à ſolis ortu vſque ad occaſum filios tamquam ſuas virique diuitias colligit, panem eis non de terra, ſed de cœlo aduehens.

DE NOCTE SVRREXIT, quia tribulationibus non oppreſſa profecit, DEDITQVE PRÆDAM ſeu cibum DOMESTICIS SVIS, prædicando, hortando, corrigendo, conſolando, & in primis quia faciens docuit, atque ita ſe imitandam præbens, cibum diſtribuit ancillis ſuis: ipſa enim tota licet vxor, tota tamen etiam ancilla eſt. Vnaquæque enim bona coniux maritum ſuum dominum vocat: hoc ſapit, hoc ſonat, hoc geſtat corde, hoc profitetur ore, tabulas matrimoniales inſtrumenta ſuæ emptionis deputat.

CONSIDERAVIT AGRVM cœleſtis hæreditatis, ET EMIT EVM piis laboribus: vel agrum totius mundi erroribus & vitiis incultum videns, prædicatorum ſuorum laboribus comparauit: ET PLANTAVIT VINEAM, cùm in nouis fidelibus nouas Eccleſias plenas euangelicæ inſtitutionis veritate formauit.

ACCINXIT FORTITVDINE LVMBOS SVOS, ne fluctuantes ſinus carnalium concupiſcentiarum impediant operantem.

GVSTAVIT, &c. Fugiũt homines laborem quaſi amarum timendo eum guſtare, neſciunt quid amare; dulce autem facit opus

conſcientiâ bona. NON EXTINGVETVR IN NOCTE LVCERNA EIVS, quia nec prophetia, nec ſpes eius in tribulationibus deficit.

DIGITI EIVS APPREHENDERVNT FVSVM, &c. quia quidquid a Deo donorum veluti adhuc in colo inuolutum acceperat, benè proximos operando & opera quaſi fila nendo, totum hoc quaſi in fuſum traiecit: quod exponit clariùs addendo, MANVM SVAM APERVIT, &c.

NON TIMEBIT DOMVI SVÆ A FRIGORIBVS NIVIS, ab ingruentibus ſcilicet perſecutionum tempeſtatibus, quia DOMESTICI EIVS INDVTI SVNT DVPLICIBVS: induerunt enim ſe & Chriſto, & ſacro conuerſationis exemplo in fide & ardenti charitate.

STRAGVLATAM VESTEM FECIT SIBI, variis ſcilicet virtutum coloribus pertextam: de BYSSO, quia candidam confeſſione; de PVRPVRA, quia glorioſam paſſione.

NOBILIS IN PORTIS VIR EIVS, &c. quando venerit in maieſtate cum angelis ſuis.

SINDONEM FECIT, ſubtiliſſimâ Spiritus ſancti operâ, animique innocentiâ. ET CINGVLVM, quo fluxæ gentilitatis concupiſcentiæ aſtringerentur: hoc VENDIDIT CHANANÆO, hoc eſt, gentilibus, accepto ab eis pretio, vt pro his omnia commoda terrena permutent, ac negligant.

FORTITVDO martyrum, ET DECOR confeſſorum INDVMENTVM EIVS.

APERVIT OS SVVM ad prædicandum ſapientiam non huius ſæculi, ſed cœleſtem: ET LEX non ſeueritatis Moſaicę, ſed Euangelicæ CLEMENTIÆ in prædicationibus eius.

CONSIDERAVIT SEMITAS DOMVS, &c. omnium incipiens & curans mores: NEC OTIOSA ſcientia, ſed operoſa diligentia, PANEM cœleſtem COMEDIT.

MVLTÆ FILIÆ, id eſt multæ hereticorum Eccleſiæ, filiæ non ſimilitudine morum, ſed ſacrorum, COLLEGERVNT SIBI DIVITIAS quarumdem veritatum, & ſacramentorum, & bonorum operum; TV SVPER GRESSA ES VNIVERSAS, quia fallax gratia & vana pulchritudo talium filiarum: ſi enim charitatem non habuero, nihil ſum.

DATE EI præmium regni cœleſtis DE FRVCTV OPERVM quæ miſericorditer in pauperes operata eſt. Ita pleraque Auguſtinus loco citato & Beda in Commentario.

FINIS.

CORNELII IANSENII IN LIBRVM ECCLESIASTEN ARGVMENTVM.

LIBRVM *hunc eſſe Salomonis, apud omnes in profeſſo eſt, pleniſſimum Diuinæ ſapientiæ: vt meritò Lutheri calumnia, quæ huius libri auctorem ocreis & calcaribus deſtitutum equitare ſibi in ſoccis videri dixit, tamquam ebrij delirium ſpernendum ſit.*

Scopus & argumentum totius libri eſt, vt breuiter expreſſit S. Greg. Nyſſenus ſerm. 1. in Eccleſiaſten, *mentem ſupra ſenſum attollere, hoc eſt, vt inquit Hieronymus, ad contemptum mundi homines prouocare, vt omne quod in eo cernunt putantes eſſe pro nihilo mentem atque amorem à viſibilium vanitate, ad ſtabilitatem inuiſibilium transferant. Hinc itaque rerum mundanarum vanitati intimandæ totum*

librum

librum deputans eorum perſonas ſubinde aſſumit, qui res caducas mirantur, vt latè S. Greg. docet l. 4. dialog. c. 3. Ea, inquit, inquiſitionem dicens, quæ fortaſſis pertentationem imperita mens ſentiat. Quod obſeruaſſe inuerit, ne putemus, vt quoſdam putaſſe notat Hieronymus, homines hîc ad Epicuri dogmata inſtitui: quamuis tamen & ea ipſa ex Eccleſiaſtis perſona poſſint intelligi vt in progreſſu oſtendemus.

Notant verò paſſim veteres, Hieronymus initio Commentarij in Eccleſiaſt. Amb. præfat. in Lucam, Baſilius homil. initium Prouerb. & ante iſtos Origenes prologo in Cantic. quemadmodum apud Philoſophos Ethica Philoſophiæ præmittitur, vt rudis animus tandem ad Metaphiſicam, id eſt, diuinarum rerum ſcientiam manu ducatur, ita tres libros tribus ſapientiæ Diuinæ gradibus Salomonem dedicaſſe, Prouerbia morali, Eccleſiaſten naturali, Canticum Canticorum ipſi ſapientiæ. In Prouerbiis paruulum docet, inquit Hieron. & quaſi de officiis per ſententias erudit, vnde & ad filium eius ſermo crebrò repetitur. In Eccleſiaſte virum maturæ ætatis inſtituens, ne quidquam in mundi rebus putet eſſe perpetuum, ad extremum iam conſummatum virum, & calcato ſæculo præparatum in Cantico Canticorum ſponſi iungit amplexibus. Indulgentiæ illi paternæ, qua paruulos tractat, reſpondet nomen Salomonis Ididia, id eſt, amabilis Domino: Concionatoris efficaciæ, Eccleſiaſtes: contemplationis & perfectionis ſpiritualis paci, nomen pacificus. Ad incipientes & proficientes paterna dignitas & regni indicatur auctoritas, qua ſe filium Dauid & Regem Iſraël vel Ieruſalem vocat. Ad perfectos verò, vbi non timore eruditur diſcipulus, ſed amore filius proprium nomen ſufficit, æqualis magiſter eſt, & neſcit ſe eſſe Regem. Quibus verbis ad diuerſa horum librorum initia alludit.

Porrò an ante lapſum Salomonis hic liber à Spiritu ſancto dictatus ſit, an poſt, non ita certo conſtat. Nam quod Hebræi volunt, teſte Hieronymo in cap. 1. qui ipſis aſſentiri videtur, Salomonem hunc librum in pœnitentiæ teſtimonium edidiſſe, quòd diuitiis & ſapientiæ confiſus per mulieres Deum offenderit, coniectura quibuſdam videtur; tametſi non pauci, tum veterum, tum recentiorum in hanc partem inclinent, vt quia ſcriptura non repugnat apertius, putent Salomonem tandem reſipuiſſe. Cui opinioni nonnulla huius libri loca non parum fauent. Omninò crediderim, non eſſe tunc ſcriptum librum, cùm libidinibus infatuatus eius animus, & ex ſapientiæ arce deiectus in idolatriam gentilium declinaſſet, ſed vel ante vel poſt. Sed ſi dicamus ante eſſe conſcriptum, certè quibuſdam locis huius libri vis videtur inferri, vt infrà latiùs.

CAPVT I.

1\. VERBA ECCLESIASTÆ FILII DAVID, &c. Eccleſiaſtes Latinè Concionator, quo nomine ſe hîc vocat Salomon, quia ſicuti ipſemet teſtatur c. 12. cùm eſſet ſapientiſſimus Eccleſiaſtes, docuit non vnum aliquem, ſed omnem populum, & enarrauit quæ fecerat. Docuit, inquam, vt verum Eccleſiaſten decet non tantum verba vtilia & ſermones veritate plenos, ſed etiam eâ ratione & methodo, quæ docendis populis vtiliſſima eſt: eandem videlicet materiam totâ concione ita verſando, vt quamuis per digreſſionem varia ad mores ſpectantia ſubinde miſceantur, omnia tamen tandem ad idem caput recurrant, quemadmodum hoc libro accuratè ſeruatum eſt. Ad huius imitationem vocatus eſt alius liber à Latinis Eccleſiaſticus, qui Græcè Sapientia Sirach inſcribitur: quo nomine Sapientiæ cæteri libri

Salomonis in officio Eccleſiaſtico & à nonnullis veteribus frequenter citantur; vnde & ſapientiales dicuntur.

2. VANITAS VANITATVM, &c. Ita hoc dicitur, vt notat Hieronymus, quemadmodum Canticum Canticorum, id eſt, inſigne Canticum, & beata Maria, Virgo Virginum, & Sanctum Sanctorum, ad exaggerationem ſcilicet vanitati, quæ etiam cauſa eſt, vt ſecundò repetat Vanitas vanitatum, itémque quod abſtractis concretorum loco vtatur, quâ loquendi vehementia ſolemus hominem ſceleſtum ſcelus & flagitium appellare. Cùm autem iterata hac repetitione vanitatis auditorem ſuſpenſum tenuiſſet, qua de re vanitatem enunciaſſet; tandem quaſi totum ſuum ſpiritum effundens, ET OMNIA, inquit, VANITAS, id eſt, omnia vaniſſima ſunt, & ipſa vanitas: ſiue vt indicat Aug. lib. 20. de ciuit. cap. 3. nihil ſolidum, nihil ſtabile: quæ enim mox deſinunt, vt lapſus temporum, phantaſmata & ſimilia, dicuntur euaneſcere. Et quidem hac ratione omnis res creata vana eſt, quia ſecundùm ſe mutabilis à bono in malum: ab eſſe ad non eſſe; ſola verò æterna verè ſunt, quia eadem ſine mutatione perſiſtunt, vt ſæpè inculcat Auguſtin. Sed vanitas hæc creaturarum tunc maximè apparet, cùm affectum amantium aliqua ex parte reſpiciunt, vtpote quem fallit omnis creatura, dum hominis affectum beatitudinis amor implere non poteſt. Hinc Auguſt. ſæpè legit errore codicum deceptus Vanitas vanitantium: & vanitatem exponit fallaciam vanitantes eos qui rebus huiuſmodi falluntur. Quid enim, inquit lib. de morib Eccleſ. cap. 21. eſt aliud falſis bonis illudi atque decipi, quàm te ipſo inferiora amanda atque appetenda arbitrari? quæ fallacia, quia non tam in rebus ipſis eſt quàm in affectu eius qui fallitur, hinc pulchrè ibid cap. 23. tolle vanitantes, & nulla erit vanitas. Cùm ergò creaturarum tanta ſit inſtabilitas, inſufficientia ac vanitas,

3. QVID AMPLIVS HABET HOMO? id eſt, quid excellens, quid eximium? DE VNIVERSO LABORE SVO, QVO LABORAT SVB SOLE? dum ſcilicet res ipſas quæ ſub ſole locis temporibuſque voluuntur, neglectis æternis ſemper manentibus, amando ſectatur.

4. GENERATIO PRÆTERIT, &c. Declarat diſtinctè omnium quæ ſub ſole ſunt, inſtabilitatem ac vanitatem: Nam primò quidem aliis morientibus, naſcuntur alii, TERRA verò velut omnium commune diuerſorium permanet: Quid hâc, inquit Hieronymus, vanius vanitate, quàm terram manere quę hominũ causâ facta eſt, & ipſum hominem terræ dominum in puluerem repente diſſolui? Sed in hanc vanitatem per peccatum incidimus. At neque cœlum vanitatis expers eſt, dum ſol continuo ſuo ortu & occaſu ad orientem reditu, obliquoque per meridiē versùs Aquilonem flexu, noctes & dies reciprocat, æſtatis & hyemis viciſſitudines adducit, atque ita mundi, vt notat Hieronym. interitum deſignat.

6. LVSTRANS VNIVERSA IN CIRCVITV PERGIT SPIRITVS. De ſole adhuc eſſe ſermonem putant nonnulli: qui SPIRITVS vocetur, quòd lumine & calore ſuo omnia animet ac viuificet? Sed quia omnium elementorum videtur vanitatem perſtringere, malim intelligere ſpiritum aëreum ſeu aërem, qui partim occultorum curſu cœlorum in orbem rapitur, vt ex motu cometarum colligitur: partim per ventos quaqua verſus pellitur & repellitur, & ita IN EOSDEM CIRCVLOS SVOS REVERTITVR, ſiue ventus ſit ipſe aër motus, vt multis cum Aug. placet ſiue per aërem moueatur eundem ſecum inuoluens.

7. OMNIA FLVMINA INTRANT IN MARE, &c. Pergit ad aquas circa terram reciprocâ inſtabilitate fluctuantes, dum flumina in mare voluuntur, & rurſum inde ad principia ſua reuoluuntur, vt pergant fluere. Fit autem hoc duabus de cauſis: Primò, quòd mare abyſſo iſti magnæ deorſum ſub terra iacenti, vnde puteorum & fontium aquæ vel it ex matrice ſcaturiunt, per occultas venas connectitur, ſuppeditans ei ſimul materiam, ne perenni fluuiorum promanatione minuatur. Deinde quòd vapores ex mari extracti & in pluuiam denſati rurſùm terram irrigant, vnde de nouò torrentes (quod loco fluminum habent He-

bræa & Hier.) naſcantur, & flumina augeantur. Quibus duabus etiam de cauſis fit, vt mare non redundet: quod enim fluminum perpetuo illapſu mari additur, hoc abyſſi illius mari connexæ detractione & vaporum exhalatione detrahitur: Cuius abyſſi fit mentio Gen. 42. v. 25. Harum autem occultarum rerum & mirabilium naturæ ſpectaculorum cognitio quia magnam videri poſſet fœlicitatis portionem homini afferre, etſi res ipſæ inſtabiles ac vanæ ſunt, breuiter incepto ſuo interſerit Eccleſiaſtes,

8. CVNCTÆ RES DIFFICILES, id eſt, harum & ſimilium rerum etiam viliorum cognitio admodum eſt operoſa atque difficilis, & poſtquam homo vel tenuem, vel magnam earum notitiam adeptus eſt, NON POTEST EAS HOMO EXPLICARE SERMONE: pleriſque enim difficilius eſt concepta verbis promere, quàm promenda concipere: & quod eſt omnium teterrimum, ſcientia rerum quantumuis locuples animi inexplebilem capacitatem non ſatiat; propter quod adiungit, NON SATVRATVR OCVLVS VISV, NEC AVRIS AVDITV IMPLETVR, dum ſcientiæ comparandæ cupiditati & curioſitati ſubſeruiunt: nam alioqui per ſe facilè in brutis implentur, & in hominibus implerentur, niſi voluptatis inſaturatæ & intellectus imperio agerentur: quæ etiam cauſa eſt, vt ſolus homo inter omnia animantia tam enormiter in cupiditatibus naturalibus exorbitet. Non ſatiatur itaque hæc animæ capacitas, tum quòd Deo ſolo, ſuo & vero verbo ſatiari nata ſit, tum etiam quòd cùm oculorum & aurium, hoc eſt, ſciendi curioſitas, ſemper noua quærant, vetera enim continuò vileſcunt, nihil ſub ſole fit nouum, ſed omnia perſeuerant vt antea, propter hoc adiungit:

9. QVID EST QVOD FVIT? IPSVM QVOD FVTVRVM EST, &c. id eſt, præteritum non eſt aliud quam id quod ſubſequentibus temporibus rurſum futurum eſt: clarius enim hoc exponens, adiicit:

10. NIHIL SVB SOLE NOVVM, &c. Quid (teſte Aug. l. 12. de ciuit. c. 13) hoc dictum intelligi volebant propter illos Platonicos rerum circuitus, quibus omnia certis temporum reuolutionibus renouari aut reuocari putabant, idque ſine fine. Videtur autem Origenem digito monſtrare, qui talia de hoc loco lib. 3. περὶ ἀρχῶν c. 5. & l. 2. c. 3. commentus eſt: cuius errorem etiam notat Hieron. Epiſt. ad Auitum. Sed dupliciter id exponi poſſe docet Auguſt. ibidem: Primò, vt in Dei prædeſtinatione iam facta fuiſſe omnia ſapiens intelligi voluerit. Secundò, quod magis probat, & conſentit Hieronymus, vt hoc dixerit de his rebus, de quibus ſuperiùs, de prætereuntibus & aduenientibus generationibus, de ſolis anfractibus, fluminum lapſibus, aut certè de rerum omnium mutationibus quæ oriuntur & occidunt: nam vt nunc, ita & olim cunctis diebus terræ ſementis & meſſis, frigus & æſtus, æſtas & hyems, nox & dies non quieſcunt, homines oriuntur & moriuntur, fiunt miracula & monſtra; & quamuis inter ſe diuerſa ſint, & quædam nunquam facta narrentur, tamen ſecundùm id quod generaliter miracula & monſtra ſunt, vtique fuerunt & erunt: Quamuis ſimul hyperbolica poſſit eſſe locutio, qua eumdem mundi ſtatum generaliter docet perſiſtere: quo loquendi modo & Comicus dixerit, Nihil eſt dictum quod non ſit dictum prius. Vnde ergo contingit quod tam multa quotidie vt noua miramur? ſubdit cauſam:

11. NON EST PRIORVM MEMORIA: neſciuntur enim præterita, partim quòd breuiſſima hominis vita ſit totius ſæculi comparatione, partim quòd præteritorum pauciſſima ſint monumentis conſignata: partim quòd ea ipſa à paucis ſint cognita, & eodem modo quæ nobis iam cognita ſunt, à poſteris neſcientur: & ſi denuò ſuis temporibus accidant, ea vt noua mirabuntur.

12. EGO ECCLESIASTES FVI REX ISRAEL, &c. Hactenus generalis totius libri præfatio, & quaſi thematis propoſitio fuit, nunc particulatim ad ſingula delabitur, vt exemplo ſuo tam ſapientis & magni Regis, rerum omnium & negotiorum humanorum vanitatem probet, Itaque

13. ET PROPOSVI IN ANIMO MEO, &c. Hoc eſt, tradidi animum meum rebus omnibus naturalibus inueſtigandis & magna

ex parte per experientiam noſcẽdis, HANC OCCVPATIONEM PESSIMAM DEVS FILIIS HOMINVM, &c. Aliqui PESSIMAM exponunt moleſtam & laborioſam, quod quidem verum eſt, ſed plus videtur velle Eccleſiaſtes. Peſſimam ergo hoc eſt, non ſolùm moleſtiſſimam & inquietudinis plenam, ſed etiam noxiam: nam quando nihil aliud appetitur quàm ipſa rerum quę ſub ſole fiũt, inueſtigatio & cognitio, maximè experimẽtalis, prodit ſe curioſitatis morbus hominibus infeſtiſſimus, & ita familiaris, vt vix à perfectis ſuperetur: quam concupiſcentiam oculorum vocat Apoſtolus, interprete Aug. multis in locis, de qua l. 10. Confeſſ. c. 35. eo quod oculi in ſenſibus principatum cognoſcendi teneant. Quando verò etiam ad Dei cognitionem iuuandam refertur taliũ rerũ cognitio vtiliorum neglectu, animi diſtractione, ſuperbię occaſione, pleriſq; plus obeſſe quàm prodeſſe ſolet, potiuſque animus benè cõpoſitus huiuſmodi cognitione benè vtitur, quam illa animum rectè componat.

14. VIDI CVNCTA QVÆ FIVNT SVB SOLE, tam ea ſcilicet quæ ad rerum creatarum naturas pertinent, quàm quæ ad mores hominum, ET ECCE VNIVERSA VANITAS ET AFFLICTIO SPIRITVS, id eſt, nihil inueni in eis niſi vanitatem, &c. ſiue enim res ipſas ſpectes, ſiue earum notitiam, nihil reperi, quod hominis animo ſolidam aliquam voluptatem aut quietem poſſit afferre. Huius rei cauſa non leuis eſt duplex: Prima quidem quòd iſta experientiâ comperetur, quòd

15. PERVERSI DIFFICILE CORRIGVNTVR, quod viro ſapienti non poteſt non magnum dolorem afferre, quia alienis malis vritur & offenditur. Sed quia facilè dolorem leniret, ſi exigua malorum eſſet copia, hinc adiicit aliam afflictionis cauſam grauiorem; ET STVLTORVM INFINITVS EST NVMERVS, id eſt, peruerſorum talium qui difficilè corriguntur, infinitus eſt numerus. Cùm autẽ clarioribus verbis ea replicaſſet, adiungit magis diſtinctè quid cognoſcere ſtuduerit de moribus humanis, videlicet,

17. PRVDENTIAM ATQVE DOCTRINAM, nec illa ſolùm, ſed aduerſa quoque prudentiæ STVLTITIAM, id eſt, imprudentiam, qua homines peccatores omnes laborant, itemque contrarios veræ doctrinæ ERRORES, quia contrariis contraria intelliguntur, & ſapientia prima eſt ſtultitiâ caruiſſe, quâ carere non poteſt, niſi qui intellexerit eam. Sed & hic ſicut in cæteris AGNOVI QVOD ESSET LABOR ET AFFLICTIO SPIRITVS: cauſas adiungit præter ſupradictas.

18. EO QVOD IN MVLTA SAPIENTIA MVLTA SIT INDIGNATIO, ſcilicet aduerſus abundantem vbique peccatorum ſtultitiam, tum noſtram ipſorum, cui nos ſubditi eò magis ægrè ferimus, quò magis cognoſcimus (vt hîc Hieronymus) tum etiam aliorum, quæ iuſti doloris & indignationis ſtimulos ſapienti mouent, dicente Propheta, zelus domus tuæ comedit me, &, ſuper inimicos tuos tabeſcebam. ET QVI ADDIT SCIENTIAM, ADDIT ET LABOREM. Alii legunt, dolorem, ſed in idem redit labor & dolor, dum vterque affligit. Oritur autem eodem fonte quo indignatio, & idem ferè ſignificat: quamuis non incommodè S. Gregor. Nazianzenus dolorem in eo ponat, quod ſcientiæ lumine illuſtratus moleſtè ferat tam multa ſe fugere, ſicut qui fulguris ſplendore perſtrictus à luce ſtatim deſeritur. Vnde quibuſdam viſum eſt, ſcientiam noſtram, doctam ignorantiam vocare. Quod ſi quis ab illâ erui velit, iugi meditatione, labore & cruciatu, de occultis ſapientia trahenda eſt, neque enim inuenitur in terrâ ſuauiter viuentium.

CAPVT II.

QVemadmodum aqua naturâ ſuâ labilis, ſi vno in loco eius impediatur tranſitus, maiori impetu aliunde erumpit; ita humanus animus ſemper ad delectationem velut ad quietem tendens, ſi illud in vnâ occupatione non potuerit inuenire, ſtatim ad aliam tranſit, vbi maiori ſe delectatione effundat.

Expertus igitur ſapiens vanitatem, defectum & inſufficientiam creaturarum, indignationem, laborem & dolorem, in creaturarum ſpeculatione & morum conſideratione & inquietum adhuc eſſe ſuum animum, tranſit ad conſiderationem & expe-

dentiam voluptatum, ſi fortè illic maiorem quietem inueniret.

1. Dixi ego in corde meo: Vadam et afflvam deliciis. S Greg. & alii nonnulli ex hominis carnalis vel tentati animo hæc & ſimilia verba hoc libro prolata, eſſe volunt. Sed cùm conſtet hæc omnia, quæ de ſuâ ædificandi magnificentiâ, diuitiis ac deliciis hîc narrat, ad litteram in Salomone eſſe impleta, eumque graui lapſu in voluptates à ſapientia decidiſſe: nihil obeſt quò minus ad litteram hæc exponantur. Ne autem narrando ſuarum voluptatum copiam, videatur hanc erroneam ſententiam approbare, ſtatim ſubiungit antidota:

Et vidi qvod hæc qvoqve esset vanitas: dum, vt inquit Hieronymus, præterita voluptas præſentem non iuuat, & exhauſta non ſatiat. Malitia etiam vnius horæ facit obliuionem luxuriæ magnæ.

Qui autem Salomonem ſub finem vitæ reſipuiſſe arbitrantur, quod non paucis tum Veteribus, tum recentioribus viſum eſſe diximus, & hoc & ſimilibus locis totò libro ſparſis non leue argumentum ſumpſerunt. Sanè cùm hæc quæ vſque ad vigeſimum & ampliùs annum regni geſta eſſe ex libris Regnorum & Paralipom. conſtat, tam accuratè hic narrantur de ædificiis, hortis, &c. ipſeque ſub finem vitæ dicat ſe ea arguiſſe quæ fecerat, & repetat aliquoties ſe vanis ſpretis ad ſapientiam ſe contuliſſe, non videtur à vero alienum, librum à ſeneſcente & reſipiſcente eſſe compoſitum.

2. Risvm reptavi terrorem. Per *riſū* omnem externam ineptam oblectationem, per *gaudium* internam intelligit, quæ à corporis deliciis ortum habet. Riſum ergò huiuſmodi & gaudium non niſi errorem, id eſt, mentis faſcinationem & fallaciam eſſe reputaui, & hac quaſi increpatione compeſcui: Qvid frvstra deciperis? Hebr. quid hoc facit? quaſi dicat, quid fruſtra allicis, & vanè putas te animam his explere poſſe? Sed quia non ſatis eſt hoc putare, vel dicere, vel ſentire, ſubiungit hominis verè pœnitentis officia, quę poſtulant, vt primùm vitæ veteri valedicat, deinde nouam aſſumat ac deniq; in ea firmus perſiſtat. Vnde ſubdit:

3. Cogitavi a vino abstrahere carnem meam, id eſt, fixè decreui corpus meum ab omnibus illecebris gulæ & luxuriæ, cuius vinum fomes eſt, auellere, atque ita vna cum peccato omnes peccati occaſiones radicitùs tollere, vt animvm mevm transferrem ad sapientiam, quam olim amplexus fueram; devitaremqve stvltitiam, in quam incideram: atque ita implerem illud in quo omnis iuſtitia continetur, declina à malo, & fac bonum: Atque in hac viuendi ratione permanere decreui, donec viderem qvid esset vtile filiis hominvm, id eſt, donec perfectè concupiſcerem, quid ſit tandem illud quod homini quoad vixit, faciendum incumbit.

Præmiſſa hac animi ſui in melius mutatione, accuratè depingit omnem luxum omneſque delicias, quibus ſeſe immerſerat, non quod ex iis adhuc voluptatem caperet, ſed vt auditori reddat quod promiſerat. Et vidi quod hoc quoque eſſet vanitas: Si enim tam incredibilis luxus, ac deliciarum affluentia, qualem vix quiſquam ſperare auſit, non potuit eius animo ſaturitatem, & quietem afferre, manifeſtum eſt, & hîc vanitatem eſſe. & afflictionem ſpiritus. Poſt omnia igitur enumerata, quæ veriſſima eſſe ex Sacra Hiſtoria colligitur, addit:

9. Sapientia qvoqve perseveravit mecvm, non illa quæ (teſte Iacobo c. 3.) pudica eſt, pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordia & fructibus bonis: ſed illa quæ quærit, & inueſtigat de omnibus quæ fiunt ſub Sole, vt dixit cap. 1. quæ diſputat ſuper lignis à Cedris quæ ſunt in Libano vſque ad hyſſopum, quæ egreditur de pariete, quæ ſoluit ænigmata, quæ loquitur parabolas, &c. hæc enim tamquam donum gratis datum in multis peccatoribus perſeuerat. Illa autem prima, quę ſola vera ſapientia eſt, non habitat in corpore ſubdito peccatis: hęc auertit oculos ne videant vanitatem, & facit ne ſequamur eos per tres varias fornicantes. à quo gradu ſapientię quam longe tunc fuerit Salomon, declarant immediatè ſequentia:

10. Et omnia qvæ desideraverunt.

OCVLI MEI, NON NEGAVI EIS, ET HANC RATVS SVM PARTEM MEAM, SI VTERER LABORE MEO, id eſt, hoc mihi vnicum, & chariſſimum bonum viſum eſt, vt fruerer delicijs, ad quod velut ad ſcopum omnia mihi eſſent referenda, vt fruerer delicijs, quas labore comparaueram. *Vti* enim pro *frui* hîc ſumitur. Nam vt Aug. 1. de doctr. Chriſtiana cap. 3. qui inhæret alicuius rei creatæ delectationi, atque in eâ permanſerit, finem in ea ponens lætitiæ ſuæ, verè & propriè frui dicendus eſt. Sic autem frui hoc mundo, mundique delectationibus, ſiue quod idem eſt, ipſas delectationes propter ipſas appetere, vitioſum eſt. Nam vt alibi S. Aug. multa fieri poſſunt per delectationum ſenſibilium concupiſcentiam, nihil propter illam.

11. CVMQVE ME CONVERTISSEM AD VNIVERSA OPERA MEA, in me ſcilicet reuerſus, & quaſi de graui ſomno cæcitate mentis expergefactus, quaſi quædam excitatio diuinitùs immiſſa ad pœnitentiam viam ſternere ſolet, dicente ſcriptura de filio prodigo, In ſe autem reuerſus dixit. VIDI IN OMNIBVS VANITATEM, dum fallit amantem qui ea ſatiari appetit, ET AFFLICTIONEM ANIMI, quia vt Aug. lib. de vera relig. cap. 35. diligi temporalia ſine labore non poſſunt, dum ærumnoſus & inquietus animus fruſtrà tenere ea, à quibus tenetur, exoptat: Quæ quis enim amat, his ſeruiat neceſſe eſt, velit nolit: nam quocumque duxerint, ſequitur, & quiſquis eam viſus fuerit auferre poſſe metuitur. Poſſunt autem auferre iſta ignis & parua beſtiola, poſtremò tempus ipſum auferat neceſſe eſt omnia tranſeuntia, vt eſt cap. 3. propter quod notanter addit ſe vidiſſe, NIHIL PERMANERE SVB SOLE: ſempiternum autem & indeficientem animum nihil niſi æternum indeficiens explere poterit. Itaque hanc vanitatem expertus, inſtar nauſeabundi qui ferculum quod ſemel abiecit: poſt deterioris experimentum ad primum reddit,

12. TRANSIVI AD CONTEMPLANDAM SAPIENTIAM, vt eam tametſi ſemel abiectam propter labores rurſùs aſſequerer, ERRORESQVE ET STVLTITIAM, vt ea vita rem: Quos errores quia humanæ ſapientiæ in hac vitâ multum permixtos eſſe ſentiebat, per modum exclamationis interſerit,

QVID EST HOMO VT SEQVI POSSIT REGEM FACTOREM SVVM? ſapientiæ ſcilicet comparatione. Nam vt hîc inquit Hier. opinamur potius quàm tenemus, & æſtimamus potiùs quàm ſcimus: Quod verum eſt, quamuis hæc exigua

13. SAPIENTIA TANTVM adhuc præcellat STVLTITIAM, QVANTVM DIFFERT LVX A TENEBRIS, hoc eſt, in immenſum.

14. SAPIENTIS OCVLI IN CAPITE EIVS, hoc eſt, vt inſinuat Ambr. lib. de Arca, cap. 7. ſapiens oculis mentis præditus eſt, quibus poſſit quemadmodum corporeo oculo anteriora, poſteriora, ſublimia intueri: ita præterita reminiſci, futura præuidere, & in primis cœleſtia contemplari, quâ ſapientiæ luce perfuſus prudenter omnes ſuas actiones moderetur, necubi offendat. STVLTVS IN TENEBRIS AMBVLAT: via enim impiorum, vt eſt 4. Prouerb. tenebroſa, neſciunt vbi corruant: vnde ex vno errore vitæ in alium præcipites ruunt. Stultus autem phraſi ſcripturæ eſt omnis ille qui non amat ſapientiam, tametſi ab eiùs luce tangitur. Nam vt Auguſt. cap. 15. lib. 14. de Trinitat. etiam qui nec videt quemadmodum ſic videndum, ſplendore aliquoties vbique præſentis veritatis attingitur, quando admonitus confitetur. Si tamen & quicumque etiam accuratè ſciunt quo pacto viuendum ſit, ſi veritatem non diligunt, ſtulti ſunt: quia vt alibi Aug. ſapientia ſine dilectione eſſe non poteſt. ET DIDICI QVOD VNVS VTRIVSQVE ESSET INTERITVS, hoc eſt, tametſi tanta ſit ſapientis præ ſtulto excellentia, animaduerti tamen nec ipſam ſapientiam, quantum in hac vita percipitur, poſſe mihi illam quam quærebam affectionum omnium quietem ac beatitudinem afferre? eò quod non poſſet à ſapiente, non magis quàm à ſtulto, ærumnas corporis ipſamque mortem amoliri.

15. ET DIXI IN CORDE MEO: quaſi dicat, hinc ſubrepſit mihi cogitatio in corde QVID MIHI PRODEST QVOD MAIOREM SAPIENTIÆ DEDI OPERAM? &c. ANIMADVER-

TI QVOD HOC QVOQVE ESSET VANITAS. Intelligunt hæc ſequentia nonnulli, imò & præcedentia, ex perſonâ infirmi vel ſtulti eſſe dicta. Alii, vt S. Hieronym. meliùs putat his verbis Eccleſiaſten ſuam ipſius cogitatione quam habuerat de inutili ſapientiæ ſtudio, reprehendere, eò quòd ſcilicet quiuis ſapiens & ſtultus

16. SIMILITER moriantur, ET FVTVRA huius ſæculi TEMPORA OBLIVIONE CVNCTA ſepeliant, non tamen ſit ſimilis memoria vtriuſque IN PERPETVVM, id eſt, in æternitatem: quia in memoria æterna erit iuſtus; nomen autem impiorum putreſcet, & mors æterna depaſcet eos.

Poſſent tamen hæc omnia non incongruenter ita exponi, vt declaret nec ipſam ſapientiam, maximè illam, qua Salomon multùm excelluit circa res naturales, homini plenam quietem & beatitudinem afferre poſſe, ac proinde in ea ſiſtendo adhuc aliquid vanitatis, ſeu minùs perfectæ beatitudinis reperiri, eò quòd dolores acerbiſſimos, ærumnas ac mortem corporis, nominiſque in hoc mundo obliuionem à ſapiente arcere non poſſet: Propter quod Auguſtin. epiſt. 54. boni & ſancti ſi in tormentis, & atrociſſimis doloribus ſemper eſſent, cum quibuſlibet virtutibus, (ergò & cum qualibet ſapientiâ) eos eſſe miſeros nulla ſana ratio dubitaret. Et l. 13. de Trinitat. c. 8. qualiſcumque beatitudo, quæ potius vocetur quam ſit, in hac vita quæritur, imò verò fingitur, dum immortalitas deſperatur, ſine qua vita beata eſſe non poteſt. Cuius mortalitatis noſtræ intuitu, qua & ſapiens & ſtultus in hac vita plectuntur, ſubiungit:

17. IDCIRCO TÆDVIT ME VITÆ MEÆ, &c. Quam ſuam memoriam & vanitatem, cui cum omni creatura ſubiectus erat, quantumuis ſapiens, deplorat Apoſtolus 2. Cor. 5. Nam & qui ſumus in hoc tabernaculo ingemiſcimus grauati, eò quòd nolimus expoliari ſcilicet corpore, &c. &, Miſer ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?

18. RVRSVS DETESTATVS SVM OMNEM INDVSTRIAM MEAM. &c. Proſequitur aliam vanitatem quæ eſt in diuitiarum ſtudioſiſſima, hoc eſt, ſollicita & anxia coaceruatione, quam damnat duobus, aut tribus capitibus: primum quidem illis verbis, HABITVRVS HÆREDEM POST ME, id eſt, quia nec ego in hac vita cum diuitiis poſſum permanere, nec illæ hinc mecum abſcedere, ſed ad hæredem deuoluendæ ſunt: deinde illis,

19. QVEM IGNORO VTRVM SAPIENS AN STVLTVS FVTVRVS SIT, id eſt, an aptus, an ineptus iis adminiſtrandis, quaſi ſcilicet indignum indicans pro inepto, ſeu ſtulto laborare: nemo enim ad hoc idoneus niſi ſapiens, quem tamen ipſum ſæpè faſcinatio iſta diuitiarum peruertit: denique, quem ignoro, vtrum DOMINABITVR IN LABORIBVS MEIS, id eſt, vtrum ſit futurus dominus relictorum, quia ſæpè, vel per fas, vel per nefas ad extraneos deuoluuntur. Vtrumque hoc malum contigit Salomoni in Roboam, qui relictum tribuum imperium congeſtaſque opes amiſit, & quæ ſupererant, malè adminiſtrauit.

21. NAM CVM ALIVS LABORET IN SAPIENTIA ET DOCTRINA, hoc eſt, induſtriè & ſolerter: paulò antè enim idem verbum Hebr. tranſtulit, ſtudioſiſſimè laboraui: HOMINI OTIOSO QVÆSITA DIMITTIT; quia ſcilicet propter opulentiam à parentibus relictam otio & conſequenter nequitiæ ſe tradit, cuius parens immodicâ ſua ſollicitudine eſt cauſa: vnde auarorum ſtultos labores irridendo depingit:

24. NONNE MELIVS EST COMEDERE DE LABORIBVS SVIS, &c. id eſt, hilariter & frugaliter ſine anxietate animi diuitiis per labores partis vti ad animæ ſuæ, ſeu vitæ ſuſtentationem. Sed talem habere animum, vt quis ad honeſtatem, ac neceſſitatem hilari, ac liberali mente vtatur diuitiis, HOC DE MANV DEI EST, quæ ſcilicet cupiditatem minuendo, & Dei amorem augendo, tales cogitationes & voluntates inſpirat. Vnde Auguſt. lib. 4. cont. Iulian. cap. 3. per hunc amorem creatoris, qui non eſt niſi à Deo, benè quiſque vtitur creaturis: ſine amore creatoris, nullus quiſquam benè vtitur creaturis. Sed quia Salomoni propter immenſas eius diuitias obiici potuiſſet im-

modicum diuitiarum ſtudium & auaritia quæ animos poſſidentium fraudat bonorum vſu, hinc præoccupando hoc diſſoluit;

25. Qvis, inquit, ITA DEVORABIT, ET DELICIIS AFFLVET VT EGO? quaſi dicat, ingentes quidem opes coaceruaui ſed auſim dicere, me tanta eas magnificentia expendiſſe, vt potiùs multum in luxum ac delicias exceſſerim. Itaque proponit hîc extrema duo, auaritiæ ſcil. & diſſolutionis, vt ita auditorem ad medium adducat. Hac igitur obiectionis ſolutione interpoſita, pergit exponere, vtinam illud donum honeſti vſus rerum de manu Dei conferri ſoleat.

26. HOMINI BONO IN CONSPECTV SVO DEDIT DEVS, &c. id eſt, qui coram oculis Dei bonus, ei DEDIT DEVS SAPIENTIAM ET SCIENTIAM, &c. tam ſcilicet in acquirendo quantum ſatis eſt opum, quàm in expendendo ex regulis neceſſitatis & honeſtatis; ſecundùm quas omnis anxietas in parandis opibus, omnis triſtitia in vtendis pellenda eſt: PECCATORI AVTEM DEDIT AFFLICTIONEM, id eſt, labores, difficultates, anxietates in diuitiarum congeſtione: ET CVRAM SVPERFLVAM, id eſt, ſollicitudinem immoderatam, & cupiditatem inſatiabilem, quam in pœnam præcedentium delictorum mirabilibus ſuis & occultis modis Deus infligit, VT ADDAT ET CONGREGET, nullo cupiditati termino præfixo: & cùm iam putauit ſe habere bona repoſita in annos plurimos, Deo ex improuiſo animam eius repetente, TRADAT EI QVI PLACVIT DEO, id eſt, non cui ipſe auarus deſtinauerat, ſed cui Deus voluerit. Vel, vt aliqui, iuſto, qui placet Deo, ſecundùm illud Prou. 13. Bonus relinquit heredes filios & nepotes, & cuſtoditur iuſto ſuperbia peccatoris.

CAPVT III.

1. OMNIA TEMPVS HABENT, opportunum ſcilicet vt fiant, & determinatum, quod non poſſunt prætergrædi. ET SVIS SPATIIS, id eſt, fixis ſibi à Deo TRANSIBVNT VNIVERSA SVB CŒLO, ita ſcilicet vt nihil ſtabile ſit & perpetuum: Quod Comicus eodem ſenſu expreſſit, Omnium rerum viciſſitudo. Sed quorſum hoc nempe vt ex hac rerum inſtabilitate ad concionis caput redeatur, rebus omnibus ineſſe vanitatem & afflictionem, proinde eas non debere affectum hominis occupare, vt inde aliquid fœlicitatis venetur, quam impoſſibile eſt aſſequi, niſi in re ſtabili.

Generale autem hoc pronuntiatum egregia contrariorum inductione declarat, in qua hic ordo notandus videtur, quòd primæ quatuor combinationes contrariorum ſignificent omnium ſubſtantiarum tranſitum, hominum, animalium, plantarum, artificialium: totidem aliæ, omnium delectabilium inſtabilitatem: tres ſequentes, omnium vtilium, ſiue eorum acquiſitionem, conſeruationem, ſiue expenſionem ſpectās. Vltimæ tres, omnium reliquarum actionum humanæ ſocietatis, ſiue voce, ſiue affectu, ſiue opere exerceantur. Incipit ergo à natiuitate & morte, vt ſicut obſeruat S. Greg. Nyſſenus, expergefaciat in carnalis vitæ profundum immerſos, exciteque ad futurorum curam: finit in pace, eò quòd pax, omnium actionum ſiue rationalium, ſiue irrationalium finis eſt, vt oſtendit Auguſt. l. 19 De Ciuit. c. 10. & 11. & ſeqq.

4. TEMPVS PLANGENDI. Planctus intenſum hîc dolorem ſignificat, ſicut ſaltatio effuſiorem lætitiam.

5. TEMPVS SPARGENDI LAPIDES, vt fit dum ædificia, ciuitates & munitiones deſtruuntur: ET TEMPVS COLLIGENDI, ad eadem exſtruenda. Hoc videtur litterale: ita vt myſticus ſit ſenſus, quem aliquoties S. Auguſt. commemorat, olim ſcilicet fuiſſe tempus ſpargendi ac propagandi genus humanum per connubiorum multiplicationem; nunc verò cùm ex omnibus gentibus ad implendum Sanctorum numerum tamquam lapidum viuorum ex quibus cœleſtis Hieruſalem ſtructura conſurgit, largiſſima expetit copia, tempus eſſe colligendi. A quo non videtur diſſentire Hieronymus hoc loco: Vt ſic illud quod ſequitur, TEMPVS AMPLEXANDI, ſcilicet in veteri Teſtamento, eſſet explicatio præcedentis.

Sed tamen iſta combinatione ad literam videtur ſignificari congreſſum etiam coniugalem,

iugalem, ſuam habere opportunitatem, limites & modum. Proinde reſpectu pudicitiæ coniugalis perfectæ, tempus amplexandi eſt ſecundùm Auguſtin. 3. cont. Iul. cap. 21. vt nec definitum ex conſenſu coniugum orandi tempus interrumpat, nec vltrà quàm generandis filiis ſatis eſt, etiam ipſius coniugis corpus attrectet, nec menſtruatis, nec grauidis vtatur fœminis, nec eius ætatis qua certus eſt eas iam concipere non valere, nec eam prorſus concumbendi vincat affectus, ſed tunc relaxetur cùm generationis ſperatur effectus.

7. TEMPVS TACENDI, ET TEMPVS LOQVENDI: Quod tempus breuiter diſcernens S. Ambroſius lib. 1. Offic. cap. 2. Scio, inquit, loqui pleroſque cùm tacere neſciant: rarum eſt tacere quoque, cùm ſibi loqui nihil prodeſt.

10. VIDI AFFLICTIONEM, QVAM DEDIT DEVS, &c. Hanc dedit Deus Iuſtus, vindex peccatorum, ſiue propriorum vniuſcuiuſque, ſiue illius primi, ex cuius ſupplicio factum eſt, vt ſicut terra ſpinas & tribulos, ita cor hominis pœnales cupiditates & afflictiuas has diſtenſiones ſeu occupationes pariat, dum inordinatis amoribus res temporis obnoxias veluti ſempiternas ſectatur; & contrà quàm fert rei cuiuſque conditio, opportunitas & tempus, eis abutitur.

11. CVNCTA FECIT BONA IN TEMPORE SVO, id eſt, nulla huius diſtenſionis, ſiue afflictionis culpa in Deo eſt, ipſe enim omnia bona creauit ſed, in tempore ſuo: Bonum enim eſt vt inquit Hieronymus vigilare atque dormire nec tamen ſemper bonum eſt, ſed viciſſim iuxta Dei diſpoſitionem ſuo quodque tempore. Simile iudicium de cæteris rerum temporalium vicibus. ET MVNDVM TRADIDIT DISPVTATIONI EORVM, quia hominem rationalem condens atque in mundi medio veluti Dominum collocans totum mundum eius ingenio examinandum tradidit, vt iſta ex iis quæ facta ſunt, inuiſibilia Dei intellecta conſpiceret. Non itaque inuentioni aut comprehenſioni ſed diſputationi & examini mundum tradidit, ita nempe vt quemadmodum ſequitur, NON INVENIAT HOMO OPVS, QVOD OPERATVS EST DEVS AB INITIO VSQVE AD FINEM, id eſt ita vt non poſſit illum opus Dei, quantumuis exiguum & abiectum penitus ſiue ab vno extremo vſque ad alterum inuenire & perueſtigare. Nam vt Auguſt. Admirabilis ille creator etiam in minimis magnus eſt: quod qui experiri volet, vel in arboris folio deprehendet, eſſe certiſſimum. Hâc ergò inutili & curioſâ rerum perſcrutatione poſtpoſitâ, vt quarum profunditas penetrari non poſſit.

12. COGNOVI QVOD NON ESSET MELIVS, NISI LÆTARI, honeſta lætitia & moderato creaturarum vſu, ſine mordaci ſollicitudine pro ſe vel heredibus: Nam ex omnibus laboribus nihil haberi poteſt, niſi cibus & potus, & quod in bona opera expenditur, vt inquit Hieronymus. Quo animo eſſe compoſitum circa creaturarum vſum, ſine magno Dei munere non obtinetur. Quia verò ſuperiùs dixerat, comprehendi accuratè non poſſe creaturarum naturas, ne tamen putetur nihil de illis certi intelligi poſſe, ſubiungit:

14. DIDICI QVOD OMNIA OPERA QVÆ FECIT DEVS, PERSEVERENT IN PERPETVVM, quod non tantum verum eſt de Angelis, cœlis, elementis, anima rationali, & materia, vt quidam recentiores exponunt, ſed etiam de corruptilibus ſecundùm ſpeciem & ſucceſſionem: nam & illa cùm perierint, rurſum rediuiua ſuccreſcunt, & quaſi cum quodam fœnore reuiuiſcunt, & ſi quid fortaſſe noui ex varia nouaque creaturarum commixtione prodit, perit vel interit. Hoc in originalibus mundi rationibus ſemper latuit & latebit. De hac ergò ſucceſſione agi, ex eo apertum eſt, quod ſubdit, DEVS INSTAVRAT QVOD ABIIT, quaſi dicat, per ſucceſſionem perſeuerat, NON POSSVMVS EIS QVIDQVAM ADDERE NEC AVFERRE, ita vt nouæ in mundo ſpecies oriantur, quæ in eius occultis rationibus veluti ſemine non latebant, vel etiam vt priores intereant, nec item vt aliquid cogitatione vel melius vel ſapientius, vel amplius cogitemus: Nihil enim in creaturis redundat, nihil deſideratur: quod egregiè Aug. probat. l. 3. De lib. Arb. c. 5. Credat homo Deum feciſſe quod

vera ratione ab eo faciendum fuiſſe cognouit, etiamſi hoc in rebus factis non videatur: non enim cogitatione videtur fuiſſe faciendum, niſi in iis rationibus, quibus facta ſunt omnia. Quod autem ibi non eſt, tam nemo poteſt veraci cogitatione videre, quàm non eſt verum. Finis autem cur fecerit res tam immutabiles, & tanta ſapientia perfuderit, eſt, VT TIMEATVR: concutit enim creaturarum conſideratio horrorem, ac venerationem, tam potentis ac prouidæ Maieſtatis. Vnde Propheta: Conſideraui opera tua, & expaui.

15. VIDI SVB SOLE IN LOCO IVDICII IMPIETATEM. Alia hæc rerum vanitas & bonorum afflictio, quòd in tribunalibus, vbi iuſtitia deberet vigere, regnet impietas. Vnde etiam Propheta exclamans: Iuſtitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ. Sed quia animo benè compoſito magnam conſolationem adfert in tanta perturbatione, quòd per iuſtam vindictam ordo violatus redintegretur: hinc ſubiungit, quaſi ſe conſolans:

17. DIXI IN CORDE MEO: IVSTVM ET IMPIVM IVDICABIT DEVS, ET TEMPVS OMNIS REI TVNC ERIT, hoc eſt, omnia tunc, in illo ſcilicet iudicio generali quo Deus iudicabit, accipient iuſtam mercedis retributionem. Nam hic, vt infrà ſequitur, vniuerſa æquè eueniunt iuſto & iniuſto.

18. DIXI IN CORDE MEO DE FILIIS hominum, VT PROBARET EOS DEVS, id eſt, quòd probaret eos, oſtendendo ſcilicet eos quoad corporis conditionem, SIMILES ESSE BESTIIS: quaſi dicat, nihil proinde mirandum, nullam hîc inter iuſtos, & impios eſſe diſtantiam, cum neque ſit inter homines & pecora: Eadem eſt enim eis naſcendi conditio, vna ſors moriendi.

20. SIMILITER SPIRANT OMNIA, ET IN TERRAM REVERTVNTVR vnde FACTA SVNT. Quo apertè ſignificat ſe de corpore agere, non de anima. Probat autem Deus eos hac corporis mortalitate, vt non tam ſibi quam ipſiſmet hominibus pateſcat, quàm venerant er ſub hoc occulto Dei iudicio viuant, quam futurorum ſpem teneant: Hæc enim hominum, & beſtiarum ſimilitudo multis eſt incentiuum ad humilitatem, ad deſpectum rerum præſentium, & corporis commodorum, ad ſpem intellectualium & immortalium bonorum animæ: Multis contrà eſt laqueus quo capiantur, vt dicant, Manducemus & bibamus, cras enim moriemur, corpore ſcilicet & anima, Non eſt refrigerium in fine hominis, nec qui agnitus ſit reuerſus ab inferis. Vnde quia paucorum eſt certi aliquid de æterna retributione in cælis credere, pauciorum intelligere, hinc ſubdit:

21. QVIS NOVIT, id eſt, quotuſquiſque eſt qui nouit, SI SPIRITVS FILIORVM ADAM ASCENDAT SVRSVM, ad Deum ſcilicet qui fecit illum, ET IVMENTORVM DEORSVM, nempe in terram cum corpore euaneſcens.

22. ET DEPREHENDI NIHIL ESSE MELIVS QVAM LÆTARI HOMINEM IN OPERE SVO, hilariter benè operando, & vtendo creaturis mundi, ET HANC ESSE PARTEM ILLIVS, quam ſcilicet nemo violentus, nec ipſa corporis mortalitas poſſit auferre: ad hoc enim viuit homo in tempore, vt bonis operibus æternitatem mereatur. QVIS ENIM EVM ADDVCET, VT POST SE FVTVRA COGNOSCAT? quaſi dicat ad quid enim ſe inani ſollicitudine maceret, vt ſciat quid heredibus ſuis pro quibus opes accumulat, ſe fraudando ſit euenturum, cùm hæc ab homine non poſſint cognoſci?

CAPVT IV.

1. VERTI ME AD ALIA. Depingit hîc aliam vanitatem, & afflictionem non minimam viri iuſtitiam amantis. VIDI CALVMNIAS, &c. Hebr. violentas & fraudulentas oppreſſiones, & bonorum occupationes, ſeu inuaſiones ſignificat: CALVMNIAS ergo, id eſt, calumnioſas oppreſſiones, & circumuentiones per vim, vel fraudem: quo modo militibus prohibet S. Ioannes, Nemini calumniam faciatis. Quia vero tanta miſerorum oppreſſio intoleranda eſt, propter doloris vehementiam, & rei indignitatem, quodam loquendi exceſſu ſubdit.

2. LAVDAVI MAGIS MORTVOS QVAM VIVENTES, quia, vt inquit Iob cap. 3. Ibi requieuerunt feſſi robore, & quondam vincti

non audierunt vocem exactoris. Vnde ibidem multis miſeriis afflictus multipliciter optat mortem.

3. ET FELICIOREM VTROQVE IVDICAVI, QVI NEC DVM NATVS EST, quia, vt inquit Hieronymus, alius adhuc mala patitur, alius quaſi de naufragio nudus euaſit, qui autem necdum natus eſt, in hoc vtique felicior, quia nondum VIDIT MALA, id eſt, expertus eſt: Quo pacto ſi ſolam malorum perpeſſionem & immunitatem ſpectes, ſententia vera eſt ſine vlla hyperbole. Quo etiam ſenſu videtur & Tobias, vt ad malorum quietem pertingeret, oraſſe: Expedit enim mori mihi magis quàm viuere. Et ibidem Sara. Nam vt Ambroſius *de fide reſurrectionis*, agens de talibus votis Iob & ſimilium. Nemo, inquit, feſtinaret ad finem, niſi vitæ iſtius fugeret in commoditatem.

4 RVRSVM CONTEMPLATVS SVM OMNES LABORES HOMINVM, quibus vel parandis diuitiis, vel ſcientiæ, vel virtutis operibus incumbunt: ET INDVSTRIAS, id eſt, quidquid ab eis induſtriè & glorioſè in opificiis, ſcientiis, adminiſtratione Reipublicę geritur, PATERE, ſiue expoſitum eſſe, INVIDIÆ PROXIMI, & ita bonum illius eſſe alterius malum: Quod ex ſuperbia contingit: Hæc enim cùm hominibus, velut primum Adæ vulnus altiſſimè inflicta ſit, amando quiſque, vt inquit Auguſtinus 11. de Geneſ. ad lit. c. 14. excellentiam ſuam, vel paribus inuidet, quòd ei coæquantur; vel inferioribus, ne ei coæquentur; vel ſuperioribus, quod eis non coæquetur: & ita inter quoſcumque homo verſetur, inuidiæ periculo expoſitus eſt. ET IN HOC ERGO VANITAS; ET CVRA SVPERFLVA, hoc eſt, afflictio ſpiritus, ſicuti verſ. 6. & alibi ſæpiùs tranſlatum eſt. Quid enim vanius, inquit Hieronymus, quid inſtabilius, quàm homines non ſuas flere miſerias, ſed melioribus inuidere? quæ denique maior afflictio, quàm ſi, vt ait Poëta.

Inuidus alterius rebus macreſcat opimis?

5. Hoc igitur incommodum vitans STVLTVS, ne ſcilicet ab inuidia mordeatur, COMPLICAT MANVS SVAS, otio ſe tradens, & ab omnibus egregiis operibus abſtinens, vt ita ab omni inuidiæ periculo remotus ſit ET COMEDIT CARNES SVAS, præ magnitudine inopiæ & inuidiæ, qua aliena opulentia etiam ipſe torquetur hoc ſpecioſo honeſtatis & tranquillitatis pallio pigritiam tegens, quia ſcilicet MELIOR EST PVPILLVS CVM REQVIE, QVAM PLENA VTRAQVE MANV CVM LABORE ET AFFLICTIONE ANIMI: quaſi dicat, plus iucunditatis percipiam in otio viuens, & ab omni induſtria vel labore ad comparandas, vel opes, vel virtutes me ſubducens, quàm ſi arduis operibus incùmberem in multa ſollicitudine & afflictione, quæ tum ex ipſis operibus, tum ex inuidia proximorum impendet omnibus induſtriè aliquid molientibus. Sed hæc vitioſa eſt in alterum extremum declinatio, vt S. Auguſt. Epiſt. 8. Iuſti hominis actio, neo frangitur negotio, nec frigida eſt otio, nec turbulenta, nec marcida, nec audax, nec furax, nec præceps, nec iacens. Totum autem hoc diſcernit Sapiens, vt obſeruat Hier. vt oſtendat & eum qui laborat, ſiue ad pariendas opes, ſiue virtutes, patere inuidiæ, & rurſum eum qui vult viuere quiete, inopia ſiue victus, ſiue virtutis affligi; & vtrumque eſſe miſerabilem, dum ille periclitatur, hic affligitur.

9. MELIVS EST ERGO DVOS ESSE SIMVL QVAM VNVM. Cum expoſuiſſet v. 8. auarorum quorumdam afflictionem, qui ſe curis & anxietatibus conſumunt, vt opes congregent, carentes tamen omni ſocietate, ſiue filiorum, ſiue aliorum heredum, quibus eas relinquant, digreditur Salomon ad commendanda honeſtæ ſocietatis, & amicitiæ commoda in communicatione mutua bonorum, tum temporalium, tum maximè ſpiritualium, ad quæ potiſſimum reſpicit. Proinde condemnat eos qui, vel ex auaritia, vel hominum odio, vel ſuperbia ſolitudinem ſectantur, & ſibi ſolis volunt viuere, quaſi ſibi ſufficientes. Cuiuſmodi ſolitarios Ariſtoteles aut Deos eſſe dixit, aut beſtias, id eſt, aut ita perfectos, vt Deo ſimiles ſint, aut ita agreſtes, vt beſtiis. Illuſtrat autem ſocialis vitæ præſtantiam variis rationibus. Primo, HABENT ENIM EMOLV-

MENTVM SOCIETATIS SVÆ, id eſt, hæc ſocietas eſt vtilis ad bona, ſiue temporalia, ſiue ſpiritualia adipiſcenda. Secundo, ad periculorum & malorum omnium eu tationem: Nam

10. SI VNVS CECIDERIT, in foueam, egeſtatem, errorem conſilii, aut cuiuſque rei inopiam, AB ALTERO FVLCIETVR, id eſt, ſubleuabitur à ruina: Nam Hebr. eſt, faciet eum ſtare; Vbi ſub illa erectione cuiuſlibet aduerſitatis remedium intelligit. Tertio,

11. SI DORMIERINT DVO, FOVEBVNTVR MVTVO, adiuti ſocietate ad frigus pellendum, & calorem conſeruandum, vt corporum ita maximè animorum, mutuis exemplis virtutum, & ſcientiarum ſtudiis, velut alterna confricatione ſe incendentes: ferrum enim ferro acuitur, vt ait Scriptura. Quartò, non tamen in ſubleuando ſolùm à lapſu, ſed etiam in certamine, & ſui defenſione ſocietas excellit, quia

12. SI QVISPIAM PRÆVALVERIT CONTRA VNVM, Hebr. deſignat fortitudinem, & impetum in aliquem, non victoriam: vnde S. Greg. Thaumaturgus exponit, ſi adortus fuerit vnus, DVO RESISTVNT EI, qui alioqui præualuiſſet. FVNICVLVS TRIPLEX, id eſt, triplici filo contextus, DIFFICILE RVMPITVR, quaſi dicat, ſi duorum ſocietas tantas vires habet, quantò maiores habebit, ſi plures conſentiant? Nam propter perfectionem iſtius numeri ternarius exprimitur. Hic ſenſus litteralis videtur, quem ſequitur S. Hier. propter quem, tam varii à variis afferuntur, ſed videntur magna ex parte myſtici. S. Ambroſ. *exhortatione ad clericos*, exponit, quòd S. Trinitas naturæ incompoſitæ rumpi non poſſit. Hieronymus etiam hoc loco, quod ſi Pater & Filius & Spiritus S. habitent in anima, vt ab vno non facilè ille funiculus frangatur. Bernardus ſerm. 16. in Cantic. funiculus, inquit, triplex eſt ad trahendas animas poſt ſe ad regna cæleſtia, ſi rectè ſentias, ſi dignè pro loquaris, ſi viuendo confirmes. Olympiodorus intelligit concordiam partis rationalis, concupiſcibilis & iraſcibilis, item corporis, animæ & ſpiritus (quod deſumptum eſt ex Apoſtolo) & per animam intelligunt etiam eam, quæ eſt ſenſitiua, iraſcibilis & concupiſcibilis, per ſpiritum ſupremam partem. Alii intelligunt de humanitate Verbi: ex diuinitate enim, anima & carne, indiuiſibilis poſt reſurrectionem funiculus contextus eſt. Alii de tribus eſſentialibus religioſorum votis. Alii aliter.

13. MELIOR EST PVER PAVPER ET SAPIENS, REGE SENE ET STVLTO. Proponit hoc, vt intelligatur quantum præcellat ſtultitiæ ſapientia, & quam inutilis ſit diuitiarum & regnorum faſtus & poſſeſſio, niſi adſit ſapientia, quæ per futurorum caſuum prouidentiam præſtet ſecuritatem & firmitatem: cuius defectu facilè fit, vt aliquis regno excidat, & inopia conſumatur. Sed quia hic caſus rarior eſt, adiicit v. 15. aliam rationem vanitatis regni, & infelicitatis regnantium, quæ velut ſurculus ex ipſa eorum fœlicitate qua gaudent heredes, oritur. Itaque dicit:

15. VIDI CVNCTOS VIVENTES, QVI AMBVLANT CVM ADOLESCENTE, id eſt, adhærent veluti ſtipantes ſucceſſorem, & heredem regis huius ſenis ac ſtulti: ſicut ſuprà dixit v. 8. *Secundum non habet*, id eſt, heredem. Vnde hoc loco magis exponens, quo pacto *ſecundus* adoleſcens dicatur, addit, QVI CONSVRGET PRO EO, tamquam ſcilicet ille cui ſucceſſio debebatur.

16. INFINIMVS NVMERVS EST POPVLI QVI FVERVNT ANTE EVM, &c. id eſt, quemadmodum vidi multos præ amore ſucceſſoris cum ipſo adoleſcente patris herede ambulantes, ita quoque ante cum fuit infinitus numerus eorum qui patrem adoleſcentis iam ſenem cùm eſſet iuuenis, comitarentur & cingerent. ET QVI POSTEA FVTVRI SVNT, quandò ſcilicet hic adoleſcens ſenuerit, NON LÆTABVNTVR IN EO, faſtidientes ſcilicet eum ſimiliter præ amore noui ſucceſſoris, quemadmodum reuulſo patre, filium adoleſcentem amplexi ſunt. Contigit hoc, ſiue quòd tyrannide amorem ſubditorum alienauerit, ſiue quòd ea innata ſit populi leuitas, ſiue quòd ita in regnis cōparatum ſit, vt multi ſemper malint adorare ſolem orientem quàm occidentem. Hic ſenſus ex infinitis qui afferuntur, videtur

propoſito magis congruere; in quem etiam S. Greg. Thaumaturg. inclinat: per quem ſignificatur vanitas regnorum, etſi faueant omnia, hoc ipſo miſerrima, quòd ſubditorum fides, tam ſit inconſtans, tam vagæ fluxæque affectiones, vi perpetuò angi neceſſe ſit tumoribus & ſuſpicionibus, quemadmodum Dauid non Rex ſtultus, ſed ſapiens expertus eſt in Abſalom & Adonia 3. Reg.

17. CVSTODI PEDEM TVVM INGREDIENS DOMVM DEI. Præmiſſis tot vanitatibus ſubiungit tandem veritatem, quæ videlicet non eſt in diuitiarum abundantia, in regnorum faſtu, ſed in cultu Dei. Vnde aptior eſſet diuiſio, ſi hic nouum caput inchoaretur, ſicut & Caietano placuit. Itaque Eccleſiam Dei cùm ingrederis, cuſtodi pedem tuum, non à lapidum offenſione, ſed morum: pedes enim animæ affectus ſunt; qui recti eſſe debent, vt ſcilicet eò non accedas ſimulatione ſanctitatis, velut intra templi parietes curioſitatem paſcas, vel procures fructus mortis per lenocinia & ſimilia, non vt nudis victimis Deum places, ſed APPROPINQVA VT AVDIAS, hoc eſt, vt diſcas quo pacto viuendum ſit, & in primis, quis Deo cultus exhibendus; hic enim non pecorum victimis & oblationibus, ſed obedientia peccatorum colitur. Vnde ſequitur: MVLTO ENIM MELIOR EST OBEDIENTIA, QVAM STVLTORVM VICTIMÆ, quia, vt S. Greg. lib. vlt. Moral. cap. 12. per victimas aliena caro, per obedientiam propria voluntas mactatur. QVI NESCIVNT QVID FACIVNT MALI: propter quam ignorantiam ſtultorum tollendam præmiſit, Appropinqua vt audias.

CAPVT V.

1. NE TEMERE QVID LOQVARIS Heb. Ne feſtines, ſed noſter interpres effectum poſuit, propter quem vetatur loquendi celeritas, nempe temeritatem, quæ præcipitantiæ in loquendo comes eſt, de qua ſequitur, NEQVE COR TVVM SIT VELOX AD PROFERENDVM SERMONEM CORAM DEO, id eſt, ad vouendum Deo, inquiunt aliqui, vt connectant verſui 3. ſed ratio hoc eodem verſu ſubiuncta, aptiorem facit videri ſenſum S. Hieronymi, quo vetari dicit, ne facilè ſententiam feramus de rebus altiſſimis & Diuinis. DEVS ENIM IN CÆLO, ET TV SVPER TERRAM: quaſi dicat, Dei enim natura excelſa eſt, atque ita remota à noſtra opinione, quantum cælum diſtat à terra, vt proinde parcè de Deo loquendum ſit, & ſine affirmandi temeritate. Melius eſt enim dubitare de occultis, quam litigare & temerè affirmare de incertis. Hinc Aug. in Pſalm. 16. Cognoſcite infirmitatem cordis veſtri, & quidquid occurrerit quod cogitare poſſitis (de Deo) dicite: Non eſt illud: non enim ſi illud eſſet, mihi iam occurriſſet.

2. MVLTAS CVRAS SEQVENTVR SOMNIA; quia ſicut cithara, ſi vehementer pulſetur, etiam poſt pulſum ſoni quoddam veſtigium fides reddunt, ita diuina ſollicitudo phantaſmata rebus actis conſimilia per ſomnum exhibet. Hinc pulchrè Plato vocabat ſomnia vigilias dormientium, ſpem verò ſomnia vigilantium. ET IN MVLTIS SERMONIBVS INVENIETVR STVLTITIA: in multiloquio enim, maximè de Deo, non deerit peccatum: Nam vaſa multum tinnientia ſolent eſſe vacua, & qui multa de Deo vult aſſerere, errandi non caret periculo: facilius enim quid non ſit quàm quid ſit, agnoſcitur, vt pulchrè Aug. lib. 1. de Doct. Chriſtiana cap. 6. Diximuſne, inquit, aliquid dignum Deo? imò verò me nihil aliud quàm dicere voluiſſe ſentio: ſi autem dixi, non eſt hoc quod dicere volui.

Poſtquam ergo docuiſſet, quomodo de Deo loquendum ſit, mox addit, quo pacto per vota ſit honorandus, ſcilicet vt ſtatim reddantur:

3. DISPLICET ENIM EI INFIDELIS ET STVLTA PROMISSIO. Stulta eſt ea quæ inconſiderata eſt, de rebus malis, minus bonis, indifferentibus, friuolis: Infidelis quæ vel obliuione, vel voti pœnitentia non impletur, vel plus æquo differtur.

5. NE DEDERIS OS TVVM VT PECCARE FACIAS CARNEM TVAM, id eſt, ne facilè & præcipitanter os tuum aperias ad vouendum aliquid, cuius implendi diffi-

cultas carnis infirmitati laqueum iniiciat & occaſionem peccandi. Quod illis rectè dicitur, qui non expenſâ virium humanarum mediocritate, ad vouenda quælibet ardua temporalis quodam deuotionis ardore proſiliunt. Qui, cùm difficultates ingruunt non præmeditatæ, quia grauibus tentationibus pulſati ſolent ne vota compleant, aptè illis iſta cautela ſuggeritur ſequens: NEQVE DICAS CORAM ANGELO, qui te cuſtodit, reuerentia eius deterritus, vt pote qui videns faciem Patris qui in cœlis eſt, ei tua dicta exponet: NON EST PROVIDENTIA, ſcilicet, in me. Heb. error eſt aut ignorantia, hoc eſt, improuidè voui, non præuidi has difficultates: vel potiùs, non eſt prouidentia nempe in Deo de votorum impletione, non curat ille qui bonorum noſtrorum non eget, quid ſibi à nobis reddatur: Sed talibus ſcriptum eſt, quod non tantum verax ſit Deus, in ſe ſcilicet, ſed etiam veritatem requiret Dominus, nempe in aliis qui ſibi promittunt. NE FORTE IRATVS DEVS CONTRA SERMONES TVOS, DISSIPET CVNCTA OPERA MANVVM TVARVM, tradens te, inquit Hieronymus, in reprobum ſenſum, vt ſcilicet in omne malum præceps corruens ex omnibus operibus damnationem accumules.

Idem tamen Hieronymus alium non incommodum ſenſum affert præcedentium, ſcilicet ne quis carnis tentationes excuſationis loco prætexat, quaſi fragilitate carnis compulſus peccaret. Sed quia negatores diuinæ prouidentiæ variis ex cauſis & obſeruationibus veluti ex ſomniis conſilia ſua ſolent ſuſpendere, præmonet tales.

6. VBI MVLTA SVNT SOMNIA, PLVRIMÆ SVNT VANITATES, quas pulchrè expreſſit Sapiens Eccleſ. 34. ſomnia extollunt imprudentes, quaſi qui apprehendit vmbram & perſequitur ventum, ſic & qui attendit ad viſa mendacia: plerumque enim nihil ſignificant, ſed ſunt mentis de ſuis negotiis vel geſtis, vel gerendis ſatagendis, deliria. ET SERMONES INNVMERI, vani ſcilicet, nugaces, otioſi, ſuperſtitioſi, dum ex rebus vanis tentant futura conicere. Sed poſtpoſita hac coniecturarum vanitate: TV ex eius prouidentia ſuſpenſus, DEVM TIME, humanæ vitæ & omnium euentuum prouidentiſſimum moderatorem, omnium peccatorum iuſtiſſimum vindiſſem: de cuius prouidentia mox adiungit.

7. SI VIDERIS CALVMNIAS EGENORVM, &C. NON MIRERIS, &C. QVIA EXCELSO EXCELSIOR EST ALIVS, id eſt, non mireris, nec murmures contra prouidentiam, quia ſicuti in hoc mundo vnus alteri præfectus eſt qui de inferioribus iudicat, ita diuerſæ terræ vnus iudex præeſt, qui etſi nunc ſileat, omnia tandem inordinata componet, oppreſſos liberabit, oppreſſores damnabit: Deus enim ſtetit in ſynagoga Deorum, id eſt, in cœtu iudicum, in medio Deorum, velut omnium primus, Deos diiudicat, infatigabili oculo cuncta perluſtrans, ac dicens, Vſquequo iudicatis iniquitatem?

9. AVARVS NON IMPLEBITVR PECVNIA: creſcit enim amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit: cupiditas enim eius quod appetitur per modum finis, id eſt, quæ non limitatur per proportionem ad aliud, v.g. neceſſitatem, &c. eſt infinita, vt docet S. Thomas 1. 2. quæſt. 30. art. 4. ET QVI AMAT DIVITIAS, FRVCTVM NON CAPIET EX EIS, quia fructus diuitiarum eſt earum diſperſio non collectio, vſus non cuſtodia: vtendo autem pereunt, amando ſeruantur. ET HOC ERGO VANITAS, quam vanitatem toties carpit hoc libro, quia tam communis eſt: omnes enim ſtudent auaritiæ, ſequuntur retributiones. Sed ſi quis vellet vti diuitiarum affluentia, nonne tunc præſtabunt fœlicitatem? Reſpondet quaſi per modum præoccupationis:

10. VBI MVLTÆ SVNT OPES, MVLTI ET QVI COMEDVNT EAS: quaſi dicat, minima portio diuitiarum ad ipſum dominum pertinet, maxima ad alios: quantò enim maior fuerit ſubſtantia, tantò plures habebit miniſtros aliumque familiæ apparatum, qui opes deuorent, ita vt dominus nihil percipiat, niſi quod oculos inde paſcat; Cùm, vt inquit Hieronymis, pluſquam vnius hominis cibum & potum capere non poſſit. Patuit hoc in Salomone cuius immenſæ quidem diuitiæ, ſed ab immenſæ quoque fami-

liæ gurgite abſorptæ ſunt; vt verum ſit illud Bernardi, *De conuerſione ad clericos cap.* 12. Vſus diuitiarum apud alios diuitibus ſolum nomen cedit & ſollicitudo.

11. DVLCIS EST SOMNVS OPERANTI, maximè ſeruo, vt ſonant Hebr. vt illuſtrior ſit ipſius cum diuite auaro comparatio: SIVE PARVM, SIVE MVLTVM COMEDAT, quia ſi multum comedat, ſtomachi vires, & laſſati corporis indigentia omnia etiam exceſſum abſumit: ſi parum, ipſa laſſitudo dulciſſimum ſoporem facit; *Feſſos* enim *ſopor irrigat artus.* Vnde pulchre Chryſoſtomus *De Virginitate cap.* 70. Dulcis eſt ſeruo ſomnus, non propter lectum mollem, quia humi ſternitur: non propter libertatem, quia nec momento liber eſt: non propter otium, laboribus enim conficitur: ſed propter ipſos labores, & quòd coactus ſe ſomno tradit: SATVRITAS AVTEM DIVITIS, ſiue diuitiarum, ſiue ciborum, NON SINIT EVM DORMIRE. Quomodo enim poteſt dormire, inquit Ambroſius in Pſal. 1. qui ſollicitè auri exercet cuſtodiam, qui damna formidat, qui lucra cogitat, qui vſuras computat, qui hypothecas numerat? Quod ſi ſaturitatem ciborum intelligas, vt intelligendum videtur, nihil etiam mirum, quia vt ait Eccleſ. cap. 31. Vigilia (id eſt, noctes inſomnes) & cholera & tortura (inteſtinorum) viro infrunito, Græcè ἀπλήστῳ, id eſt, inſatiabili, maximè ſi otio marceſcat, vt diuites ſolent.

12. EST ET ALIA INFIRMITAS PESSIMA. S. Ambroſius intelligit ipſum languorem auaritiæ, qui propter nouum illud incommodum quod ſequitur, peſſimus vocetur. Non incongruè tamen dixerimus infirmitatem peſſimam, id eſt, aliam grauiſſimam miſeriam, quam diuitiæ auaris afferant. DIVITIÆ CONSERVATÆ, id eſt, diuitias conſeruatas eſſe, vt legit Olympiodorus, ſiue conſeruari, IN MALVM DOMINI SVI, qui nempe à prædonibus crudeliter ſæpè interimuntur, vel cum Naboth violentis damnantur iudiciis, ex quo contingit vt filios egentiſſimos relinquant.

13. PEREVNT ENIM IN AFFLICTIONE PESSIMA, ipſæ ſcilicet diuitiæ, vt ex Heb. patet. Pereunt iſto modo in afflictione peſſima ipſius diuitis, tam quoad corpus, cùm violentè moritur, quàm quoad mentem, dum adhuc viuit. Nonne afflictio eſt peſſima, pro diuitiis eo modo perituris cogitatione torqueri, & perituras perditaſque opes in triſtitiâ, in gemitu, in indignatione, in litibus caſſo labore conquirere?

16. CVNCTIS DIEBVS VITÆ SVÆ COMEDIT IN TENEBRIS, tum quia durius ſe macerans curis cœnat in tenebris, tum maximè quia ſolitudinem auari amare ſolent, ne in conuiuiis & conuerſatione cogantur expendere: omnibus etiam diffidunt, ne furibus pateant. Vnde pulchrè Comicus inducit auarum expellentem etiam ancillam: Profectò, inquit, in ædes meas neminem intromitti volo, atque etiam prædico tibi, ſi bona fortuna venerit, ne intromiſeris.

17. ET HÆC EST PARS ILLIVS. Nam quod ad corpus attinet, nihil ex diuitiis labore comparatis haberi poteſt, niſi vt eis hilari & frugali animo in Dei timore vtatur, & liberaliter, non conſeruet ſed expendat. Hoc autem nemo facit, niſi vt ſequitur,

18. DONO DEI, QVI DAT HOMINI POTESTATEM, VT ITA COMEDAT, & hilariter vtatur, auferendo ſcilicet à corde cupiditatem illam anxiam, quæ eſt ipſiſſima auaritia. Frui itaque hîc nihil eſt aliud quàm cum delectatione vti: Nam vt Aug. lib. 1. de doctr. Chriſt. c. 33. viciniſſimè dicitur frui cum delectatione vti: frui enim diuitiis peccatum.

19. NON ENIM SATIS RECORDABITVR DIERVM VITÆ SVÆ, id eſt, hoc liberali & hilari diuitiarum vſu minus perſentiſſet huius vitæ incommoda & moleſtias, & ſic etiam minus ei prolixa ac tædioſa vita videbitur; Tantam enim creaturarum abundantiam Deus non in beatitudinem, ſed vt ait Auguſt. in ſolatium ſeruorum ſuorum inſtituit: quo ſe priuant, qui eis cuſtodiendis anxii earum vſum ſibi interdicunt, de quibus pergit agere initio capitis ſequentis: ſed pleraque vel manifeſta, vel expoſita ſunt.

CAPVT VI.

3 SEPVLTVRAQVE CAREAT, funere ſcilicet honeſtiore tamquam teſtimonio

beneuolentiæ propinquorum, & rerum geſtarum elogio: nam ſepulturâ aſini etiam auari non facilè carent, ne videlicet videntibus abominationi ſint. Adfert hoc velut partem miſeriæ auarorum: magni enim fiebat olim honorabilis & religioſa ſepultura, quâ ſolent auari carere, tum quod, vt inquit Hieronymus, de ſua morte non cogitent, & cùm cuncta poſſideant, etiam in funere & extructione ſepulchri auari ſunt; tum quod ſæpè propter diuitias occiſi inſepulti abiiciantur.

Quæ de centum liberis, & duobus millibus annorum infra dicuntur, per auxeſin dicta ſunt: quaſi dicat, Etſi abundantiſſimè ipſi ea affluerent, quibus homines ſe beatos putant, prolium fœcunditas & vitæ longitudo, DE HOC PRONVNTIO, QVOD MELIOR ILLO SIT ABORTIVVS: quia, vt Hieronymus, abortiuus nec mala vidit nec bona: iſte autem cum bona poſſederit, & hîc ſemper à ſemetipſo veluti tortore curis excruciatus eſt, & æternorum ſuppliciorum ſibi telam texit. Significatur ergo magna abiectio auari & vilitas, dum poſtponitur abortiuo, quem nec ipſa mater prolium amantiſſima dignata eſt vtero retinere, vt matureſceret.

4. FRVSTRA ENIM VENIT, non abortiuus, ſed auarus: exponit enim rationes, cur iſte abortiuo deterior ſit: 1. quia fruſtra venit, fine ſcilicet carens cur conditus eſt: Cùm enim homo huc venerit, vt adminiculis huius vitæ ad corporis ſuſtentationem vtens, ſic tranſeat per bona temporalia, vt non amittat æterna, auarus vtroque & hîc & in futuro fruſtrabitur: ET PERGIT AD TENEBRAS, tam huius vitæ, quia ignobilis & abiectus vixit, vix ſibi ipſi notus cuius curam non geſſit, quàm futuræ, id eſt, in tenebras exteriores futurorum tormentorum, ET OBLIVIONE DELEBITVR NOMEN EIVS, neque enim in hac vitâ erit memoria eius cum benedictione, ſed deteſtatione, neque in alterâ, per gloriam ſcilicet & remunerationem: quo pacto ſolis iuſtis dicitur, In memoria æterna erit iuſtus.

5. NON VIDIT SOLEM, quia vixit quaſi non vixiſſet, nunquam in hilaritate, cuius ſol ſymbolum eſt, ſed ſemper in mœrore & animi cæcitate, vtpote, cui ſol intelligentiæ nunquam ortus fuit. Vnde quaſi exponens hunc ſolem, addit: NEQVE COGNOVIT DISTANTIAM BONI ET MALI. Neque enim mente vidit, quia præpoſuiſſet bonum, neque etiam ſenſu, quia auaritia non ſelinquit eum hoc experiri: ſic enim *videre bonum & malum* ſubinde apud Hebræos eſt *experiri*, vt cap. 4. v. 2.

6. NONNE AD VNVM LOCVM PROPERANT OMNIA? Per modum epiphonematis hoc addit, vt increpet auarorum amentiam; quaſi dicat, Quid infœlix te diuitiarum accumulatione diſcrucias? nonne ex communi omnium lege etiam tu breui moriturus es atque omnia relicturus? Cui conſiderationi alteram annectit de cupiditatis inſatiabilitate.

7. OMNIS LABOR HOMINIS IN ORE EIVS, &c. id eſt, omnis ſollicitudo & labor mortalium non alio fine terminatur, quàm vt patent quod ori ingerant, id eſt, corporalis vitæ neceſſitatibus ſatisfaciant. Bis proinde auarus peccat: Primo, quòd finem illum acquiſitu facillimum prætergreditur, longè plura conſectans; Deinde, quòd fruſtrà laborat: quia ANIMA EIVS, hoc eſt, deſiderium animæ inſatiabile nunquam impleri poterit: Pauca enim natura poſtulat; infinita cupiditas, quia & ipſa infinita eſt ſimul ac limitem neceſſitatis à natura præfixum prætergreſſa eſt. Quæ cùm ita ſint, ſubdit:

8. QVID HABET AMPLIVS SAPIENS A STVLTO? ET QVID PAVPER? id eſt, in quo ergo excellit ſtulto auaro vir ſapiens & animo pauper, qui habens victum & quibus tegatur, his contentus eſt? NISI VT PERGAT ILLVC, VBI EST VITA? illuc enim quiſque pergit, vbi cor & theſaurum ſuum habet, quando diſcedit. Cùm ergo Sapiens neglecta temporalium cura intendat æternis ſemper manentibus & viuentibus, hinc diſcedens profectò pergit vbi eſt vita: quo non pertingit ille, qui illic ſuas curas ſiſtit, vbi defectus, & mors eſt.

9. MELIVS EST VIDERE QVOD CVPIAS, &c. Aliqui obiectionem eſſe volunt auari: quaſi

quaſi dicat, At præſtat habere ante oculos & ad manum deſideratas diuitias, quibus alaris quàm ſtipem mendicando, vt pauper facit, DESIDERARE ſemper QVOD NESCIAS an conſecuturus ſis: Et ad hoc reſpondeat Sapiens: SED ET HOC VANITAS. Sed malim eſſe continuationem præcedentium, hoc ſenſu: Præſtat videre atque experiri id quod ſapiens pauper cupit, ſcilicet huius vitæ ſufficientem ſuſtentationem, & futuram, illam beatam in ſpeculo & ænigmate, quantum in hac vitâ licet, quàm ſemper cum auaro auere, ſeu deſiderare diuitiarum congeriem, quam nunquam plenam viſurus eſt. SED ET HOC VANITAS EST, ET PRÆSVMPTIO SPIRITVS, ita nempe inſatiabiliter deſiderare quod neſcias an aſſecuturus ſis: Eſt & præſumptio manifeſta, aſpirare ad id quod obtineri nequit. Quamquam Hebr. ſit idem quod ſuprà dixit, afflictio ſpiritus.

10. QVI FVTVRVS EST, IAM VOCATVM EST NOMEN EIVS: ET SCITVR QVOD HOMO SIT. Pergit ad aliam perſtringendam auaritiam, non diuitiarum, ſed ſcientiarum, hoc eſt, curioſitatem, qua quis operum Diuinorum rationes & futura ruminatur: Senſus eſt; Quicumque hominum naſcitur; vel naſciturus eſt, à Deo etiam iam nomine tenus eſt præcognitus, vtpote qui ſcit cuiuſmodi ſit futurus & fieri debeat, homo ſcilicet imbecillis, fragilis, & paruæ ſcientiæ, qui tamquam figmentum non poſſit contra fictorem ſuum contendere, cur iſte talis, ille talis ſit factus: hic diues, ille pauper omnium enim rerum temporalium æternæ rationes apud ipſum vigent. Ita ferè Olympiodorus, cui conformem ſenſum affert Hier. etſi de Chriſto hæc prędici malit.

11. VERBA SVNT PLVRIMA, &c. id eſt, friuolum eſt multiloquium de occultis hiſce Dei iudiciis velle diſſerere, nec quidquam aliud agitur, niſi vt vanè, & inutiliter tempus teratur.

CAPVT VII.

1. QVID NECESSE EST HOMINI MAIORA SE QVÆRERE? Pergit inſectari prædictam curioſitatem qua ſibi quodammodo tribuendo quod Dei eſt, quærit ea quæ non ſapiunt captum ſuum. CVM IGNORET QVID SIBI CONDVCAT IN VITA SVA: quaſi dicat, vanum eſt altiora ſe quærere, verbi gratiâ occulta Dei iudicia, &c. quandoquidem ignoret homo, tam multa cognitu vtiliſſima & facillima, quæ ante eius pedes ſunt, nempe quod huic vitæ benè beateque tranſigendæ conducat. NVMERO DIERVM PEREGRINATIONIS SVÆ, &c. Hebr. vanitatis ſuæ: In quibus verbis numerus dierum certam & definitam breuitatem vitę ſignificat, quam non poſſit excedere. Vnde Pſaltes, Menſurabiles poſuiſti dies meos Hebraicè, & menſuram quatuor digitorum, id eſt, ſicut transfert Hieronymus, breues. VMBRA verò innuit extremè eſſe inſtabilem, celerrimè tranſeuntem ac fugacem, vt ita vtroque admoneatur neglectis ſuperuacaneis rebus vitæ, vtilibus tempus eſſe impendendum: quaſi dicat, Ars benè viuendi longa eſt, vita breuis. Similiter *peregrinatio* admonet more peregrinantium non eſſe inhærendum rebus ſuperfluis, quæ inſtitutum iter abrumpant, vel retardent, vtpote qui non habemus hîc manentem ciuitatem, ſed inſtanter futuram eſſe inquirendam. AVT QVIS POTERIT EI INDICARE QVID POST EVM FVTVRVM SVB SOLE SIT? Hæc eſt altera ratio deponendæ huiuſmodi curioſitatis de futuris, ſcilicet quia hæc aſſequi homini eſt impoſſibile, ac proinde vanum.

2. MELIVS EST NOMEN BONVM, &c. Proſequitur hic multa vtilia præcepta vitæ, per comparationem adiungens, quid fugiendum ſit: vt ſic propoſitione veritatis melius oppoſita vanitas innoteſcat. Non etiam à ſuo themate diſcedit, ſed illud accuratiùs tradit per explicationem contrarii. Et quidem præſentibus verbis præfert odoribus ac deliciis vnguentorum quæ hilaritatis cauſa adhibebantur, id eſt, quibuſlibet corporalibus deliciis odorem bonę famę, ſiue qua in hoc mundo viuens viget, ſiue quam relinquat poſteris: vnguenta enim corpus tantum reficiunt; odor famæ & animam in ſuſcepto bonæ vitę ſtudio cõſeruat,

& authoritatem regendi alios roborat, & ipſos proximos inflammat ad imitationem. Vnde Aug. de bono viduit. c. 22. Nobis neceſſaria eſt vita noſtra, aliis fama noſtra, &c. Sed nomen bonum intelligendum eſt non quod huiuſmodi habetur operatione ſtultorum, ſed quod Chriſtianis virtutibus paratur; quoſdam enim mundanos honores contemnere multò magis eſt honorificum. ET DIES MORTIS DIE NATIVITATIS, quia natiuitas, peccatorum & omnium miſeriarum & incertiſſimi ſtatus exordium eſt: quibus omnibus dies mortis imponit finem, viam aperiens ad certam & ſempiternam quietem: De iuſtis enim præcipuè eſt ſermo qui in morte requieſcunt à laboribus ſuis. Mors verò peccatorum peſſima eſt: quæ tamen ipſa eſt illis nonnihil melior, quia filum peccatorum abrumpit, quibus grauiora ſibi tormenta pepeſiſſent.

4. MELIOR EST IRA RISV: quia, vt ſequitur, ira emendat delinquentem, riſus diſſoluit. Agitur ergo de ira ac triſtitiâ ſiue vultûs, ſiue verborum, ſiue actionum, quæ ex zelo in peccantes aſſumitur. Nam illa vel perpetrandi malum metum iniicit, vel perpetrati ruborem & pœnitentiam: riſus fouet & ad iterandum impellit: Nam vt de detractoribus Hieronym. Nemo inuito auditore libenter loquitur, & Scriptura Prou. 25. Ventus aquilo diſſipat pluuias, & facies triſtis linguam detrahentem.

5. COR SAPIENTVM VBI TRISTITIA EST, &c. Quamuis generatim verum ſit, ſapientes licet animo ſemper gaudentes ſint, fugere tamen huius mundi lætitias, vtpote quibus animi vigor eneruatur ac diſſoluitur, ſtultos contrà omnibus modis quærere: Aptiùs tamen ſecundùm S. Hieronym. nectitur præcedentibus: quaſi dicat, quia corripiendi ſeueritas melior eſt quàm riſus, cor ſapientis eò ſe confert, vbi correptus pronocetur ad lachrymas, adducatur ad pœnitentiam; cor verò ſtulti, vbi non conuerſionem audientium, ſed applauſum quærat & laudem. Hinc quaſi adiungit rationem præcedentis:

6. MELIVS EST A SAPIENTE CORRIPI, QVAM STVLTORVM ADVLATIONE DECIPI.

7. QVIA SICVT SONITVS SPINARVM ARDENTIVM SVB OLLA, SIC RISVS STVLTI. Nempe vt S. Ambr. exhortatione ad virgines verſ. finem, ſpinæ cùm ardent, ſonant, & citò exuruntur, vt nullus ſic caloris effectus: ita riſus ſtulti ſine gratia ſonat (cachinnus ſcilicet exultans) & ollam ſui corporis vrit, id eſt, breui pòſt incendium gehennæ parat, tam ſibi ſcilicet quàm aliis quos riſus ad flagitia accendit. Addi poſſet: Vt ſpinæ cum crepitu fumum & caliginem offundunt, ollamque feruere faciunt: ita riſus ſtultorum adulatorius audientes excæcat, & æſtum concupiſcentiæ magis magiſque inflammat.

8. CALVMNIA CONTVRBAT SAPIENTEM, in profectu poſitum, inquit Hier. ſapiens enim omni modo perfectus nullâ calumniâ conturbatur. Omnis tamen calumnia hoc habet, quòd nata ſit affligere & frangere ROBVR CORDIS, hoc eſt, quietem turbando, conſtantiam eius labefactare, ſicuti ex Moyſis viri ſapientis quærelis ſæpè patuit. Vnde Ambr. in Pſalm. 118. ſerm. 8. Qui opprimitur calumniâ, non facilè poteſt diuina cuſtodire mandata, triſtitiæ neceſſe eſt plerumque aut timori cedat, & affligatur vel metu, calumnia vel timore: ita etiam frangit robur ſapientis, ſicut & munera excæcant ſapientem, quia ſcilicet magnas in excæcando etiam ſapientem vires habent.

9 MELIOR EST FINIS ORATIONIS QVAM PRINCIPIVM. Hebraïcum non ſignificat preces, ſed, verbum: quod ſæpè pro re ſeu negotio ſumitur, vt, Videamus hoc verbum quod factum eſt, &c. Ita vt ſenſus ſit, Melius eſt vſque ad finem in ſuſcepto quolibet negotio perſiſtere, quàm inchoare dumtaxat: Multi enim magnifica magno animo aggrediuntur, ſed occurrente difficultate veluti frigida ſuperfuſa reſiliunt. Cui ſenſui cohæret quod ſequitur: MELIOR EST PATIENS, id eſt, longanimis in rei perſecutione, ARROGANTE, eo ſcilicet, qui vt ex Hebr. docet Hieronym. impatientiæ furore raptatur. Alii tamen, vt Hieronymus, exponunt, epilogum orationis præſtare

principio, quia finita ſollicitudo eſt. Alii de precibus, quarum ſcilicet progreſſus ex Dei alloquio lætitiam & ardorem infundit: Nam vt ait Pſaltes, Memor fui Dei, & delectatus ſum.

10. QVIA IRA IN SINV STVLTI REQVIESCIT, id eſt, ſtultis propria eſt, apud quos velut in domicilio habitat, concepta fouetur, ac prætextibus in variis excuſatur, vt iuſtè & ſapienter iraſci videatur. Ita ferè Olympiodorus & Gregor. Thaumaturg. in Paraphraſin. Contra quam iræ quietem inquit Apoſtolus, Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram: quaſi dicat, non requieſcat in ſinu veſtro.

11. NE DICAS: QVID, PVTAS, CAVSÆ EST, QVOD PRIORA TEMPORA MELIORA FVERE QVAM NVNC SVNT? His verbis redarguit eos, qui præſentium malorum conſiderationi ita intenti ſunt, vt putent, quidquid temporis præteritum eſt, præſtare præſentibus. Quo vitio ſenectus laborare ſolet: ſenex enim vt ait Poëta, laudator temporis acti: Hinc multorum etiam aliorum vota, ſe mira facturos fuiſſe, ſi tam bonis & fœlicibus temporibus, v. g. ſub Chriſto vixiſſent. STVLTA EST HVIVSMODI INTERROGATIO, tum quia apertum eſt, in hominis ipſius arbitrio & moribus poſitum eſſe, vt bona vel mala fiant tempora, vt indicat Hieronymus; tum etiam quia manifeſtum eſt omnium temporum ætate mundum in maligno fuiſſe poſitum, & malorum fuiſſe abundantiam: tum denique quia etſi poſteriora tempora eſſent peiora, cauſa in promptu eſt, qui res defectui obnoxiæ, facillimè per ſeipſas vlteriùs ruunt.

12. VTILIOR EST SAPIENTIA CVM DIVITIIS, &c. quàm ſcilicet ſola ſapientia: Quod intellige non ad vitæ ſpiritualis perfectionem acquirendam, ſic enim ſapientia cum paupertate præſtat, quàm cum diuitiis, propter magnas diſtractiones quas pariunt. Quâ de cauſa & Chriſtus perfectionem ſeu perfectam ſapientiam meditantibus dixit: Vende omnia quæ habes, ſcilicet ad arcenda corporis mala, & bona conficienda: Hanc enim vtilitatem exponit quod ſequitur:

13. SICVT ENIM PROTEGIT SAPIENTIA, SIC PROTEGIT PECVNIA, &c. etſi enim, vt inquit Hieronymus, ſapiens docere poteſt quod bonum eſt, interdum tamen non poteſt præſtare quod petitur, defectu ſcilicet mediorum. Quo ſenſu dixit Ambr. in Luc. Diuitiæ ſicut impedimenta ſunt reprobis, ita bonis ſunt adiumenta virtutis.

14. CONSIDERA OPERA DEI, QVOD NEMO POSSIT CORRIGERE, QVEM ILLE DESPEXERIT, id eſt, propter peccata reiecerit & reprobauerit: Cuius ratio eſt, quia neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, &c. id eſt, qui extrinſecùs operatur, ſed qui incrementum dat Deus. Nam vt Aug. de correp. & gratia cap. 5. Correptio tunc eſt ſalubris, quando ſupernus medicus reſpicit, vt ſtrepitu correptionis inſonante atque flagellante, Deus illo intrinſecùs occultâ inſpiratione operetur & velle. Nam vt idem ait cap. 14. Si pertineat correptus ad gratiæ filios, fit ei correptio ſalubre medicamentum; ſi autem non pertineat, fit ei correptio pœnale tormentum. Hinc meritò dixit, Conſidera opera Dei: magna enim hoc conſideratione dignum eſt, ne quiſquam videndo tantam multorum duritiem, potentiæ ſuæ tribuat, ſi verbo eius alius corrigatur quem vult corrigi, vt in ſimili loquitur Aug. 9. Confr. cap. 8. de matre ſua.

15. IN DIE BONA FRVERE BONIS: ſcilicet non tamquam hæreditate, ſed tamquam dono Dei, quod ipſe cùm libet, poteſt ſubtrahere: propter quod addit, ET MALAM DIEM PRÆCAVE, non anxiè præcauendo ne quid aduerſitatis irruat, vt homines ſæculares ſolent: ſed vires parando, ne improuiſæ tempeſtatis impetus te conturbet aut frangat: Quæ ad vtrumque præparatio homini iuſto facienda eſt, hac conſideratione: SICVT ENIM HANC, SIC ET ILLAM FECIT DEVS, id eſt, quia vtraque de manu Dei venit, pro beneplacito quidem ſuo, ſed tamen magna cum ſapientia in magnam vtilitatem hominum rerum viciſſitudines alternantis: Nam vt optimè S. Bernard. Epiſt. 56. Si triſtia ſemper acciderent, quis ſuſtineret? ſi ſemper proſpera, quis non contemneret? (ſupple proſperitatem) ſed

ſapientia diuina hæc alternat, vt nec aduerſa frangant, nec læta diſſoluant: cum potiùs & iſta ex illis gratiora, & illa ex his tolerabiliora reddantur. Cui addit Aug. de vera relig. c. 97. Homo qui proſperis rebus proficit, aſperis quid profecerit, diſcit. Ex quo patet quàm rectè hîc addatur, VT NON INVENIAT HOMO CONTRA EVM (Deum ſcilicet) IVSTAS QVERIMONIAS.

17. NOLI ESSE IVSTVS MVLTVM, id eſt, nimiùm more Hebræo. Vetat igitur iuſtitiam nimiam ſiue exceſſum cuiuſlibet virtutis, quia nempe ideo virtutis eſſe deſinit, quæ iuſtitiæ prætextu plus fit quàm æquitas poſtulat: Vnde illud ſapientum: Ne quid nimis. Nimia autem eſt virtus multis modis: vt primò dum eſt inhumana, id eſt, ita ad amuſſim & ſeuerè exigens virtutis opera à proximo, vt non ſit memor infirmitatis humanæ, tamquam ſine peccato ſtatim poſſit viuere, qui iam incipit peccata vitare. Hoc conſiderauit hic Hieronymus. Secundò, dum ficta eſt, vt in hypocritis, qui in ſe lenes, in proximum ſunt ſeueriſſimi, imponentes onera importabilia, & digito nolentes ea mouere, colantes culicem (ſanctitatis ſcilicet prætextu (& camelum glutientes. Tertiò, ſi ſuperba eſt: dum iuſtiorem ſe homo facit quàm eſt, vel iuſtitiam ſuis viribus tribuit, de quo Auguſtinus tract. 91. in Ioannem: Talis enim, inquit, non rectè viuendo non iuſtus eſt, ſed potiùs inflatus, putando ſe eſſe quod non eſt. Denique ſi eſt indiſcreta, prorumpens in pœnitentias vel alios effectus externos immoderatos ſpectatis rerum circumſtantiis. Hoc conſiderauit Bernardus in ſententiis. NEQVE PLVS SAPIAS QVAM NECESSE EST, id eſt, quàm deceat, vel oporteat ſapere, ſed ad ſobrietatem, vt ait Apoſtolus: Sapere enim pluſquàm neceſſe eſt, eſt ſuperbè ſapere, ſiue hoc fiat affectando opinionem ſapientiæ, ſiue plus æquo de ſe ſentiendo, ſiue ſcrutando arcana quæ Deus occulta eſſe voluit & captum hominis excedunt, ſicut hoc exponit Hieronym. & Salonius. NE OBTVPESCAS, id eſt, ne fortè ſtupidus fias excedendo in ſapientia: nam à ſapientia non poteſt declinari niſi in inſipientiam, id eſt, ignorantiam, errorem, ſtuporem: hæc enim pœna ſuperbis propria eſt, vt excæcentur, vt ſtulti fiant, vt tales habeantur: Vnde dici ſolet, *Paruus ſuperbus, paruus ſtultus: magnus ſuperbus, magnus ſtultus.*

18. NE MORIARIS IN TEMPORE NON TVO, nempe immaturus & imparatus ad mortem, etiamſi in ſenectute contingat; ſicuti vua acerba in tempore non ſuo decerpitur: talis enim etſi centum annorum ſit, puer moritur, dicente Iſaia, Puer centum annorum maledictus erit, quia ætas ſenectutis vita immaculata. Vel in tempore non tuo, quod ſcilicet ſecundùm naturę vires tranſire potuiſſes, niſi Deus propter peccata filum vitæ abrumperet.

19. SED ET AB ILLO NE SVBTRAHAS MANVM, id eſt, ab alio quàm iuſto: quaſi dicat, non tantùm ad iuſtos & domeſticos fidei, ſed ad omnes etiam peccatores fac bonum: imitator enim creatoris, qui pluit ſuper iuſtos & iniuſtos, NIHIL NEGLIGIT, id eſt, nullam benefaciendi occaſionem prætermittit.

20. SAPIENTIA CONFORTAVIT SAPIENTEM SVPER DECEM PRINCIPES CIVITATIS: Principes enim tantùm cuſtodiunt ciuitatem aduerſus hoſtes viſibiles: ſapientia animam aduerſus inuiſibiles: Principes maiori vi opprimi poſſunt: ſapientia verò ſui participes reddit immutabiles, & tamdiu inexpugnabiles, quamdiu adhærent immobiliter ſapientiæ ſiue veritati, quemadmodum & ipſa veritas æterna, immutabilis & inuicta eſt. Hinc munitus ſapientia, Si conſiſtant, inquit, aduerſum me caſtra, non timebit cor meum.

21. NON EST ENIM HOMO IVSTVS IN TERRA, QVI FACIAT BONVM, ET NON PECCET: quaſi dicat, talis ſapientiæ confortatio eſt homini vtilis & per neceſſaria propter peccandi pronitatem, quæ homini connata eſt.

22. SED ET CVNCTIS SERMONIBVS QVI DICVNTVR NE ACCOMMODES COR TVVM, &c. id eſt, ne cupidè & curioſè aurem apponas, vt inueſtiges quod de te quiſque, maximè ſeruus & ſubditi, dicant & ſentiant:

ne forte eorum de te maledicta intelligas, quibus quies tua turbetur & mouearis ad iracundiam: Nam quantò tales perſonæ conditionis ſunt viliotis & beneficiis magis obſtrictæ, tantò impotentiùs eorum conuitia ferri ſolent, niſi ſapientiâ munitiùs ſequatur conſilium S.Ambr. 1. Offic. c. 1. vt diſſimulet, nihil loquatur, teneat fructum bonæ conſcientiæ, plus committat bonorum iudicio quàm criminantis inſolentiæ, contentus ſit grauitate morum ſuorum quia benè ſibi conſcius animus falſis non debet moueri, nec æſtimare plus ponderis eſſe in alieno conuitio, quam in ſuo teſtimonio. Adiungit autem cauſam rationabilem cur eorum conuitia non tantùm non ſunt inueſtiganda, ſed etiam diſſimulanda:

23. SCIT ENIM CONSCIENTIA TVA QVIA ET TV CREBRO MALEDIXISTI ALIIS, ſiue dominis, cùm eis & tu ſeruires ac ſubeſſes: ſiue ſeruis, immoderatiùs eos increpando, puniendo, &c. Neque enim mirum, ſi quis quando quæ vult dicit, quæ non vult audiat.

24. CVNCTA TENTAVI IN SAPIENTIA, id eſt, in omni ſtudio ad ſapientiam & ſcientiam omnium rerum conatus ſum peruenire: & quo magis allaborarem, IPSA LONGIVS RECESSIT A ME: quod intellige, non ſecundum rei veritatem, ſed ſecundùm ſapientis opinionem magis magiſque agnoſcentis diſtantiam & profunditatem ſapientiæ: Neſcio enim quo miro modo fiat, vt ſapientia ingerat ſapienti perſuaſionem ſuæ inſipientiæ: inſipientia verò ſapientię: nihil enim in oculis ſuis homine ſemi docto ſapientius, qui non agnoſcit quàm multa ſibi ſuperſint diſcenda: Vnde Greg. 32. Moral. c. 1. Sapientia recedere dicitur, quia appropinquanti altior videtur.

25. ET ALTA PROFVNDITAS, QVIS INVENIET EAM? quaſi dicat, O altitudo diuitiarum ſapientiæ, quis ad fundum eius poterit pertingere?

26. LVSTRAVI, &c. VT QVÆREREM SAPIENTIAM, ET RATIONEM, id eſt, cauſam & rationem cuiuſque rei, vel quidquid rationabiliter in mundo gereretur: Neque hoc tantum, ſed etiam horum contraria, IMPIETATEM STVLTI, ET ERROREM IMPRVDENTIVM, ſiue peccatorum. Inter præcipua autem mala.

27. INVENI AMARIOREM MORTE MVLIEREM, quia ſcilicet mors vitam corporis & animæ tollit: mulier vitam ipſius animæ Deum: mors finem huius mundi miſeriis imponit: mulier ad æternos cruciatus perducit. Expertus, inquit Hieronym. loquitur, & ideò tantâ cum acrimoniâ mulieres deteſtatur. Sed quæ cauſa tantæ amaritudinis? ea ſcilicet quæ ipſum Salomonem perdiderat, quia ſcilicet LAQVEVS VENATORVM ESSET, ET SAGENA COR EIVS, nempe ad illaqueandas pretioſas virorum animas, quod quibus illecebris fiat, vide ad viuum à Spiritu S. per Salomonem depictum cap. 7. Prouerb. VINCVLA SVNT MANVS ILLIVS: quaſi dicat, vel ipſe tactus manuum eius ita illecebroſus eſt, vt non ſolùm alliget liberos, ſed etiam arctiſſimè ſtringat ſemel captos, ne rurſus aufugiant. Quibus verbis incredibilem vim tribuit mulieri ad illiciendum; vt meritò eam Baſilius magneti comparet ferrum attrahenti, maximè ſi paruulos, de quibus Prouerb. 7. id eſt, ſtultos inuenerit, quos vt boues ad victimam captiuos trahit, illis enim maximè mulier eſt morte amarior, non iuſtis: nam ſe exponens ſubiungit: QVI PLACET DEO, EFFVGIET ILLAM, accepto dono continentiæ: nemo enim non poteſt eſſe continens, niſi Deus det: QVI AVTEM PECCATOR EST CAPIETVR AB EA, atteſtante eadem Scriptura huic veritati, Fouea profunda os alienę, cui iratus eſt Deus, incidet in eam: Iratus enim Deus ſolet peccatores maximè ſuperbos hoc vitio plectere, vt turpitudinem ſuam aduertant, ſi adhuc correctioni reſeruantur.

28. ECCE HOC INVENI, VNVM ET ALTERVM. Hebr. vnum alterum, vel vnum cum altero, ſcilicet conferendo & perpendendo, VT INVENIREM RATIONEM. Hebr. cogitationem vel ratiocinationem, hoc eſt, vt inuenirem veritatem iſtiûs rationis & cogitationis, quâ occupabar de muliere, an aliqua bona & pudica reperiri poſſet, vt exponit S. Greg. Thaumaturgus.

29. VIRVM DE MILLE VNVM REPERI, id eſt, paucos ex pluribus reperi viros bonos, & qui exemplo ad veritatem adducerent & virtutem, MVLIEREM autem nullam, quia omnes me ad luxuriem, nulla ad virtutem deduxit, inquit Hieronymus. Hyperbole eſt manifeſta: in qua ta.nen nulla eſt falſitas: nam hyperboles vſus eſt, vt credatur & intelligatur per exceſſum illum figurarum quantum credi, atque intelligi par eſt: & incredibilia hyperbole affirmat, vt ad credibilia perueniat. Itaque ſignificatur rara admodum eſſe virorum probitas, & pudicitia mulierum longè rariſſima propter ſexus ſcilicet infirmitatem. Omnem proinde earum familiaritatem viro eſſe cauendam. Huc inclinat Hieronymus, tum hîc, tum in cap. 7. Michææ & Thamaturgus. Sed ne quis tantam hominis prauitatem in Deum retorqueret, addit:

30. SOLVMMODO HOC INVENI, QVOD FECERIT DEVS HOMINEM RECTVM, ac per hoc bonæ voluntatis, inquit Auguſt. 14. de Ciuit. cap. 11. Cùm enim bona voluntas nihil ſit aliud quàm voluntas amans quod amandum eſt, quantùm amandum eſt; ea neceſſariò recta eſt, vtpote quæ ſe dirigat ad voluntatem Dei, ipſam ſcilicet rectitudinem & regulam amandi, non autem voluntatem Dei ad ſe curuare conetur: Quam eſſe rectam voluntatem docet idem Præfat. in Pſalm. 123. & alibi. ET IPSE SE INFINITIS MISCVERIT QVÆSTIONIBVS, hoc eſt, difficultatibus, perplexitatibus & miſeriis, tam in agendo, quàm ſciendo. QVIS TALIS VT SAPIENS EST? ET QVIS COGNOVIT SOLVTIONEM VERBI? id eſt, quis ita ſapiens eſt & intelligens, vt capiat veritatem eius quod dixi de mulierum periculosâ malitiâ, & Dei innocentia? Simili Epiphonemate exclamat Pſaltes: Quis ſapiens, & cuſtodiet hæc, & intelliget miſericordias Domini? Et Saluator. Qui poteſt capere, capiat.

CAPVT VIII.

1. SAPIENTIA HOMINIS LVCET IN VVLTV EIVS, quia ſapientia cor hominis, ſiue omnes internos eius affectus benè componit: Cor autem hominis, vt dicitur Eccleſ. 13. immutat faciem eius. Ex quo fit vt ſerenitate quadam, maturitate & maieſtate, vultus ſapientis perfundatur. ET POTENTISSIMVS FACIEM ILLIVS COMMVTABIT, id eſt, huius lucis cauſa eſt Deus, qui potentiſſimus ad flectendum cor hominis infuſione ſapientiæ, per quam vultus eius quantumuis minax mutetur. Quibus præmiſſis multa officia Sapientis proponit.

2. EGO OS REGIS OBSERVO, vt ſcilicet, quod Rex ille magnus ſuper omnes Deos, ore iuſſerit, cuſtodiam & impleam: exponens enim quem Regẽ intelligat, ET PRÆCEPTA, inquit, IVRAMENTI DEI, id eſt, quæ & ipſe cum aſſeueratione, & iuramento de pœnis & præmiis reddẽdis propoſuit: & Dei cultores cùm diuinæ religioni initiantur, ſe obſeruaturos eſſe promittunt.

3. NE FESTINES RECEDERE A FACIE EIVS, nempe Regis iſtius. Quod fit per morum diſſimilitudinem & affectuum alienationem. Quod ſi hoc fortè peccando contigerit, NE PERMANEAS IN OPERE MALO, perſeuerando ſcilicet in peccato: idque, vt ſequitur, intuitu diuinæ iuſtitiæ & poteſtatis, quâ poteſt exequi quidquid de te ſtatuerit. Imò

4. SERMO ILLIVS ITA POTESTATE PLENVS EST, vt dicere eius ſit facere: ipſe enim, dixit, & facta ſunt, &c.

5. NON EXPERIETVR QVIDQVAM MALI maximè in futuro ſæculo quamquam etiam in hoc, ſiue flagelletur, ſiue mulceatur à Deo, omnia ei cooperantur in bonum; ipſæque calamitates ita ei dulceſcunt, vt cum Paulo placeat ſibi in infirmitatibus, & glorietur in tribulationibus. TEMPVS ET RESPONSIONEM COR SAPIENTIS INTELLIGIT, id eſt, diſcernit opportunitatem cuiuſque negotii, cauens ne ex impetu affectuum ſine maturo iudicio ad agendum proſiliat: itemque nouit quandò, & quid loquendum ſit: diſponit enim ſermones ſuos in iudicio. Quamquam non malè quidam ſic exponant, quod Sapiens non tantùm captet actionibus ſuis tempus opportunum, ſed etiam ita agat præmeditate, vt interrogatus reſpondere poſſit, hoc

eſt, facti ſui rationem reddere. Vnde pulchrè Ambroſ. Sollicitì eſſe debemus, ne quid temerè aut incurioſè agamus, aut quidquam omninò cuius probabilem non poſſimus reddere rationem: actus enim noſtri cauſa etſi non omnibus redditur, tamen ab omnibus examinatur.

6. OMNI NEGOTIO TEMPVS EST, ET OPPORTVNITAS, ET MVLTA HOMINIS AFFLICTIO, id eſt, cùm omnia ſuam habeant agendi opportunitatem, vehementer affligit hominem, qui prudenter ſuas actiones vult moderari, quòd tam

7. PRÆTERITA quam FVTVRA IGNORET, ex quibus ſcilicet de præſentibus poſſet aliquid prudenter ſtatuere: Nam præteritorum experientia eſt mater prudentiæ: futurorum verò maximè poſt hanc vitam in certitudo, fōs eſt ſollicitudinis & inquietudinis: quæ tamen homini nunc neceſſaria eſt ad pellendā pernicioſam ſecuritatem.

8. NON EST IN HOMINIS POTESTATE PROHIBERE SPIRITVM, ne è corpore per mortem egrediatur, quod Hebræorū more clariùs mox repetit: NEC SINITVR QVIESCERE, id eſt, inducias accipere, INCRVENTE BELLO, nempe quo mors omnes ſine diſcrimine laceſſit: NEQVE SALVABIT IMPIETAS IMPIVM, vt ex hoc bello, & prælio ſaluus euadat, multò minus ne in futuro ſecundam mortem longè crudeliorem incurrat.

12. ATTAMEN PECCATOR EX EO QVOD CENTIES FACIT MALVM, &c. id eſt, inquit Hieronymus, ex eo quòd peccatori plurimum (hoc enim ſignificat, CENTIES) dat Deus locum pœnitentiæ, nec eum ſtatim punit in ſcelere, EGO COGNOVI, id eſt, intelligo quàm benignus ſuper eos futurus ſit, qui ad verbum eius contremiſcunt. Eſt enim ſimile illi dicto Apoſtoli ad Rom. 5. Si enim cùm inimici eſſemus reconciliati ſumus Deo &c. multò magis, &c.

13. NON SIT BONVM IMPIO, &c. Hanc pœnam imprecatur impiis, tum quia digni ſunt qui aduerſitatibus, & celeri morte plectantur: tum quia proſperitas huius vitę, & longitudo dierum impiis eſt pernicioſiſſima, & præcipuus fomes peccandi: Nam vt August. nihil infælicius fælicitate peccantium. Græca tamen & Hebr. legunt per modum prædictionis, Non erit bonum impio, &c.

14. EST ET ALIA VANITAS, &c. Multis hîc videtur Eccleſiaſtes hominis voluptuarii perſonam induere, qui quòd malis proſpera, bonis verò in hac vita contingat aduerſa, hanc Dei prouidentiam vanitatem vocet, & corporis voluptates anteponat virtutibus, non reſpiciens in futuram retributionem.

S. Hieronymus, & eius deſcriptor Alcuinus & Olympiod. intelligunt hæc de ſpirituali cibo & potu, ad quæ homines hortetur. Gregorius Thaumaturgus, quòd de ſeipſo loquatur Salomon, quid aliquando-ſenſerit, cùm à veritate deflexiſſet: Cui fauet quòd loco illius, SED ET HOC VANISSIMVM IVDICO, Hebr. ſit præteritum, dixi, ſcilicet tunc hoc eſſe vanitatem.

Si tamen hæc alicui minus congrua videantur, poſſet ex perſona Eccleſiaſtæ intelligere hoc modo vt hanc vniuerſam iuſtorum & iniuſtorum ſortem vanitatem vocet quia reuera magna eſt miſeria humani generis, quòd hîc tam retrogrado ordine proſpera, & aduerſa fluant: & licet hic prouidentiæ modus ſit homini lapſo conuenientiſſimus, in illum tamen per peccatum incidimus, cuius medela talem vanitatem poſtulat, nec fuiſſet, niſi peccaſſemus. Sed hæc vanitas meritò SVPER TERRAM, id eſt, in hac vita fieri dicitur: nam in altera ſupra cœlum, vel infra terram, nulla talis eſt vanitas, ſed iuſtis omnia contingunt læta, iniuſtis triſtia. Quæ cùm ita ſint, iudicauit Eccleſiaſtes hominem hac ſortis inæqualitate non debere ſe macerare, ſed rerum huius mundi læto & rationabili vſu triſtitiam deponere.

15. ET HOC SOLVM SECVM AVFERRET, hunc ſcilicet anxietatis & triſtitiæ expertem vſum: Nam res externæ omnibus indifferenter contingunt, rerum vſus non item. De reliquis vide ad verſ. 17. cap. 5.

16. ET INTELLIGEREM DISTENTIONEM, id eſt, occupationes hominum quibus diſtenduntur. EST HOMO QVI SOMNVM NON CAPIT OCVLIS, torquens ſcilicet miſerè in-

ueſtigatione rerum omnium, & maximè tam mirabilium iudiciorum Dei de iuſtis & impiis: vbi videlicet non inueniendo omnium rerum rationes quas quærunt, nihil aliud proficiunt, inquit Hieronymus, quàm vt diſputationem habeant pro tormento.

17. ET QVANTO PLVS LABORAVERIT AD QVÆRENDVM, TANTO MINVS INVENIAT: non ſolùm quia magis ſe intelliget à perfecta comprehenſione diſtare, vt ſupra diximus, ſed etiam quia ſcrutator maieſtatis opprimetur à gloria. ETIAMSI DIXERIT SAPIENS SE NOSSE, NON POTERIT REPERIRE, id eſt, inquit Hieronymus ignorationis habet principium, & in errore verſabitur, quia ſcilicet quantumuis dicat, verè rerum naturam non penetrabit: Et certè talibus, qui ſibi videntur multùm ſapere, euenit illud, vt dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti fiant. Vide plura c.7.v.24.

CAPVT IX.

1. OMNIA HÆC, &c. Intellige cum Hieron. & Hebr. ſequentia, ſcilicet, SVNT IVSTI ET OPERA EORVM IN MANV DEI, tamquam à Deo directa, atque ei placentia: ET TAMEN NESCIT HOMO, VTRVM AMORE IN ODIO DIGNVS SIT, id eſt, vtrùm in eo ſit ſtatu operum, vtrùm à Deo ſit amari dignus, multoque magis vtrùm in finem vſque à Deo amandus ſit: ſiue, vtrùm prædeſtinationis amore diligatur. Quem ſenſum vltimum aliqui ſolùm intendi volunt, eò quòd peccator facilè ſciat, ſed odio eſſe dignum: Sed nihil vrget, quia vt ex hoc eodem verſu patet, & exponit Hieronymus, de iuſtis tantùm ſermo eſt. Et quæ huius eſt incertitudinis ratio?

2. EO QVOD VNIVERSA ÆQVE EVENIANT IVSTO ET IMPIO, ſcilicet mors & vita, proſpera, aduerſa, bellum, pax, opes, inopia. Deus enim, vt ait Propheta, ſilet in dilectione ſua, nec oſtendit vllis infallibilibus indiciis, quem probet vel improbet, quem elegerit vel reprobauerit. Cuius ratio eſt, quia, vt inquit Auguſt. *de corrept. & grat. cap.* 13 in hoc loco tanta eſt infirmitas, vt ſuperbiam poſſit generare ſecuritas. Sola ergò Dei reuelatio hæc abſcondita tenebratum illuminare poteſt, & conſilia cordium manifeſtare, nam quantumuis ſanctè Deum, quis ſibi diligere & operari videatur, ita tamen inſcrutabile eſt cor hominis, & tot in eo anfractus, vt nec ipſe ſpiritus hominis indubitatò ſcire poſſit, quod ſit fundum cordis ſui, ſeu quis cardo deſideriorum, per quem fortaſſis opera in ſpecie ſancta à generoſitate illa diuini Spiritus ad occultos fines humanos detorqueantur. Adde, nō paucos eſſe occultos defectus, qui nulla alia ratione, niſi tentatione pandantur. Certitudinem itaque, vt inquit Bernardus *ſerm. 1. de ſeptuageſima*, non habemus, ſed ſpei fiducia conſolatur nos, ne animus dubitationis huius anxietate penitùs crucietur: & ſic inter deſperationem perditorum, & fidem illam ſpecialem hæreticorum medii, ſpe quidem, ſed ſimul tamen cum timore & tremore ſalutem noſtrā operamur.

3. HOC EST PESSIMVM INTER OMNIA ex occaſione ſcilicet, quia provt ſubiungitur ex hac euentuum indifferentia, peruerſi animantur vt effrænes ruant in vitia, putantes nullam eſſe de his rebus Dei prouidentiam, à quibus auellerentur, ſi Deo citò proferente ſententiam ſoli improbi in hac vita affligerentur.

Porrò hæc vſque ad v. 11. vult Thaumaturgus ex voluptuariorum perſona eſſe dicta, incipiendo à v. 4. quia videntes ſtatutum eſſe omnibus mori, & putantes animas interire, nec ſupereſſe vllam mercedem operum, inde occaſionem ſumunt incitandi ſe ad huius vitæ voluptates capiendas, luxum veſtium, conuiuiorum, veneris: & hoc inſtanter eſſe faciendum, eò quòd nihil poſt hanc vitam ſuperſit.

Hieronymus ex eorum perſona agi putat à v.7. vſque ad 11. eo ferè modo, quo Sap. 2. latiſſimè. Sed quia nulla nos hîc vrget neceſſitas, & Auctor hic Eccleſiaſten & Doctorem agit, tutiùs fuerit cum communiori ſententia ad carnales opiniones iſta non detorquere, vt ſint quàm pauciſſima quibus offendatur infirmitas. Itaque cùm dixiſſet multos ab amplectenda iuſtitia iſta euentuum æqualitate diuelli, vt hanc

hanc effrænem licentiam coërceret, adiungit, ET POST HÆC AD INFEROS DEDVCENTVR, ad luenda ſcilicet ſcelerum ſupplicia. Hoc autem eis eſt ineuitabile, quia

4. NEMO EST QVI SEMPER VIVAT, proinde etſi hîc omnia ex æquo contingant, magna tamen eſt huius vitæ ratio habenda, vt ſaltem in futuro homini benè ſit. Hinc addit: MELIOR EST CARNIS VIVVS LEONE MORTVO, hoc eſt, viliſſimus quiſque pauper, ac deſpectus melioris eſt conditionis, dum viuit quàm diues glorioſus ac nobilis mortuus; tum quia vita ipſa magna eſt excellentia hominis: nam vt habet prouerbium, *Mortuo leoni inſultant lepores*: tum maximè propter eas rationes quæ ſequuntur. Primò,

5. VIVENTES ENIM SCIVNT SE ESSE MORITVROS, ac proinde mortis imminentis intuitu ſciunt ac poſſunt ſeſe à peccatis retrahere, virtuti & beatitudini aſſequendæ operam dare: MORTVI VERÒ NIHIL NOVERVNT AMPLIVS, id eſt, non ſciunt vltra tempus aut modum ſeſe iuuandi & à miſeria, ſi quam incurrerint, liberandi. Secundò, quia mortui NON HABENT VLTRA MERCEDEM, neque apud Deum, quia nihil operis vlteriùs operari poſſunt, quo ſibi mercedem parent, ſtatu merendi finito; quæ enim homo ante ſeminauit, hæc & metet: neque apud homines, à quibus nihil poſſunt conſolationis aut commodi accipere, niſi hoc antea meruerint, vt iuuari poſſint. Tertiò, QVIA OBLIVIONI TRADITA EST MEMORIA EORVM.

6. AMOR QVOQVE ET ODIVM ET INVIDIÆ SIMVL PERIERVNT, quia nec ipſi mortui amplius amant, oderunt aut æmulantur honores, vel res huius mundi, quaſi ſibi prodeſſe poſſent vel obeſſe, nec alii ipſos: Nam vt dici ſolet, Cum mortuis non niſi laruæ luctantur: Iſtiuſmodi enim affectiones ex vita ſociali huius ſæculi oriri ſolent: hunc enim ſenſum exigit quod ſequitur, NEC HABENT PARTEM IN HOC SÆCVLO: non enim communicant in actionibus, & commerciis mutuis huius vitæ. Ita ferè Hier. cum Alcuino.

7. VADE ERGO ET COMEDE IN LÆTITIA, &c. Hæc potiſſimùm, vt ſuprà monui, à nonnullis ex perſona impiorum putantur dicta: quam ſententiam ſi quis amplecti malit, textus apertus eſt. Nos pergemus ex ſenſu Eccleſiaſtę exponere. Itaque Olympiodorus, & nonnulli recentiores putant ſimpliciter nos admoneri honeſti pacati & frugalis vſus rerum, cibi, potus, veſtium, vnguentorum, coniugii, cum animi lætitia. Cyrillus Alexandrinus lib.14. *de adoratione*, ſenſum iſtum, quatenus ſplendorem, veſtium præcipit vocat puerilem & nugacem. Cùm ergò in metaphoricis locutionibus is potiſſimùm ſit ſenſus litteralis, quem metaphora ſignificat, veriſimilius dixerimus adhortari quidem Sapientem ad vſum rectũ, & qui ſecundùm virtutem ſit rerum temporalium; nam etiam ad hæc ſe virtus extendit: ſed potiſſimùm tamen hîc id intendere, quod per illa ſignificatur, vt inſinuat Hieron. COMEDE ergò IN LÆTITIA PANEM TVVM, ET BIBE VINVM, hoc eſt, ſume cum lætitia id quo, tum corpore, tum anima ſuſtentaris, quem panem quotidianum ſemper à Deo petimus, ſiue ille ſit panis materialis, ſiue vlteriùs ille qui de cælo deſcendit, ſiue conſcientiæ teſtimonium, quæ eſt quaſi iuge conuiuium, ſiue virtutum opera: QVIA DEO PLACENT OPERA TVA: hæc eſt ratio lætitiæ in vſu iſtius panis & vini. Ex quo patet hominem, in horrore inſtantis mortis & inferni, vt præceſſit, Deo placere cœperit, ad aliquam virtuoſam lætitiam incitari, ac proinde minùs rectè hæc impiis tribui.

8. OMNI TEMPORE SINT VESTIMENTA TVA CANDIDA, non magnifica, ſed alba, vt eſt Hebr. id eſt, pura à ſordibus. Per quæ præcipitur conſcientiæ & vitæ puritas, quam & recenter baptizati habitu profitentur, & maximè corporis immunitas ab inquinatione libidinis, prout ſentit Hieronym. tum hîc, tum lib. 1. contr. Iouinian. poſt medium, Ambroſ. in exhortat. ad virgines, & alii hîc. Alii munditiam per lauacrum pœnitentiæ intelligunt, vt Olympiod. & Philo Carpathius: quod ferè in idem redit, ET OLEVM DE CAPITE TVO NON DEFICIAT, id eſt, benignitas

charitatis & miſericordiæ non deficiat. Vnde Hier. exponit, eſto miſericors: Oleum enim vt inferiùs ait, & lumen alit & feſſorum reſoluit labores: lumen in proximo alunt opera miſericordiæ ſpiritualia, reſoluunt labores corporalia. Vnde & Apoſt. Vnctio quam accepiſtis, maneat in vobis.

9. PERFRVERE VITA CVM VXORE QVAM DILIGIS, latè ſcilicet, & pacificè cum vxore viuendo ſine thori, vel alieni appetitu, vel proprii macula: & maximè ſapientiæ velut ſponſæ amplexu te delectando: non enim habet amaritudinem conuerſatio illius.

10. QVODCVMQVE FACERE POTEST MANVS TVA, INSTANTER OPERARE, id eſt, ſedulò & pro viribus hîc benè operari ſtude: QVIA NEC OPVS, NEC RATIO, NEC SAPIENTIA, NEC SCIENTIA ERVNT APVD INFEROS, &c. id eſt, quia in inferno, vel etiam poſt mortem non erit poteſtas quidquam operandi quod proſit, nec vllus modus vel ratio: vel ſapientia, vel ſcientia, vel conſilium, quo reſarcias quod neglectum eſt, vel effugias ſupplicium quod incurreris.

11. VERTI ME AD ALIVD, &c. Aliam vanitatem huius mundi deſcribit, videlicet quòd hîc, tam inſtabiliter, & contra rectum, vt videri poſſet, ordinem, omnia contingant, Dei nempe prouidentia omnium æquiſſimam retributionem, & ordinem in futurum ſeruante. ET VIDI SVB SOLE, NEC VELOCIVM ESSE CVRSVM, &c. id eſt, vidi eos qui velocitate præcellerent, non ſemper præuenire alios curſu, ad aſſequendum ſcilicet brauium, vel ſalutem, nec fortiſſimos quoſque ſemper in bello eſſe victores, nec ſapientiores præ inſipientibus rebus neceſſariis affluere, ſed ſæpè egeſtate & inopia tabeſcere, nec peritos artifices plus fauoris acquirere quàm imperitos, ſed ſæpè negligi, & contemni eorum operam. Ita ferè Hieronymus.

12. SED SICVT PISCES CAPIVNTVR HAMO, &c. ſicut enim illi, dum maximè ſecuri ſunt, luſitant & cantillant, ſubitò capiũtur; ita homines dum dicunt, pax & ſecuritas, IN TEMPORE MALO, id eſt, morte & repentino interitu eis ſuperueniente, abripiuntur.

13. HANC QVOQVE SVB SOLE VIDI SAPIENTIAM, ET PROBAVI MAXIMAM, id eſt, conſideraui apud me vires ſapientiæ, & æſtimaui eam eſſe maximam: quod exemplo ciuitatis obſeſſæ, & per ſapientiam mirabiliter liberatæ pulchrè declarat; idque eo fine vt aliam inſignem vanitatem deploret, quà fit vt ea quæ maximi momenti ſunt, nempe viri ſapientes & vtiles, à vulgo & ignaris etiam poſt commodi experientiam nihil fiant nec audiantur. Quod quamuis inter ſtultos vſu venire ſoleat: ſolatur ſe tamen Eccleſiaſtes hac ratione, quia

17. VERBA SAPIENTIVM AVDIVNTVR IN SILENTIO. Hebr. in quiete, id eſt, in modeſtia & vocis & animi, tam proferentium quam audientium; Nam clamor ac turbulentia loquentis, ſignum ſtultitiæ eſt: & animi manſuetudo audienti, ac diſcenti imprimis neceſſaria eſt: PLVS QVAM CLAMOR PRINCIPIS INTER STVLTOS, qui verba principis inania prout merentur, ſæpè nec multum attendunt, nec ſi attendunt, intimo corde retinent, quemadmodum Sapientum verba à cordatis magna cum veneratione pectori infiguntur.

18. MELIOR EST SAPIENTIA QVAM ARMA BELLICA, plus enim in prœliis, ſiue ſpiritualibus, ſiue corporalibus valet: ſalus enim vbi multa conſilia, ſicut v. 15. & ſequentibus declaratum eſt. Imò tanto maioris momenti eſt ſapientia, quia QVI IN VNO PECCAVERIT, nempe contra ſapientiam quamcumque, ſiue militiam ſpectes, ſiue hominem quemque priuatum, MVLTA BONA PERDET; in militia, ex vnius ſtultitia victoriam: in anima, per vnum peccatum vitam iuſtitię, merita pacem cum Deo & conſcientia.

CAPVT X.

MVSCÆ MORIENTES. Quia dixerat vno peccato in ſapientiam commiſſo multa bona perdi, notiſſimo exemplo id declarat, quia muſcæ quæ exiguæ, & nullius pretii ſunt animalcula, MORIENTES in oleo quod ipſis lethale eſt, PERDVNT SVAVITATEM VNGVENTI, quia odorem eius & ſaporem vitiant, induuntque pu-

tredinem. Quo parabolico ſermone indicat illud Apoſtoli, Modicum fermenti totam maſſam corrumpere, hoc eſt, exiguum malum res optimas vitiare.

Hanc generalem ænigmaticam ſententiam, quia in multis generibus malorum & bonorum, quæ per ea corrumpuntur, vſum obtinere poteſt, varii etiam variis rebus, ſenſu quaſi inadæquato, ſed eodem tendente, applicuerunt. Greg. Taumaturg. quod vnus malus mixtus bonis contaminet plurimos, Salonius & Euchenius, quòd dæmones Spiritus ſancti gratiam extinguant. Auguſtinus contr. Fulgent. Donatiſtam, cap. 14. per *muſcas* intelligit Donatiſtas, qui ſana corporis membra pungunt, ægra lambunt, & eorum vlceribus peccatorum vermes infundunt, qui conſcientiam mordeant putredinem nutriant, qui nec ipſis mortuis cadaueribus parcant, qui Spiritum ſanctum efflantes moriantur. Quod optimè extenderis cum S. Hieron. contra Pelagian. lib. 2. & Epiphanio hæreſi 40. ad omnes hæreticos, qui, inquit, ſancta Dei myſteria corrumpunt, & conſcientias maculant. Bernardus *ſerm. de triplici cuſtodia*, vult ſignificari quod minimum linguæ delictum magnum adferat malum, & ſerm. 44. in Cantic. *Muſcas* exponit concupiſcentias, quæ ſordidæ, & pungentes decorem naturæ fœdant, mentem curis & ſollicitudinibus vulnerant ſocialis gratiæ ſuauitatem expugnant. Greg 18. Moral. cap. 25. *Muſcas* explicat curas ſuperfluas, quæ ſuauitatem, qua vnuſquiſque intrinſecus per Spiritum ſanctum vnctus eſt, perdunt. Omnes hi ſenſus veri ſunt, quia in his omnibus particulatim verum eſt illud generale, quod ſignificatur, modicum fermenti totam maſſam corrumpere, PRETIOSIOR EST SAPIENTIA ET GLORIA, PARVA ET AD TEMPVS STVLTITIA. Sapientia & gloria, ſunt ablatiui caſus, vt apertum eſt ex Hebræo textu, qui habet, præ ſapientia & gloria? ſtultitia verò eſt caſus recti; vt ſenſus ſit ille, quem Hier. videtur ſequi: Mediocris & humilis ſapientia, quæ, quia hominibus, & in hac præſenti vita videtur eſſe ſtultitia, ideò parua, & ad tempus ſtultitia vocatur; hæc, inquam, ſapientia eſt multò melior: quam ſapientia illa glorioſa, & apud homines honorata, quæ nempe apud Deum eſt ſtultitia. Vnde & Hier. in antiqua verſione legit. Pretioſa eſt ſuper ſapientiam & gloriam ſtultitia parua. Conforme eſt huic dicto commune prouerbium, quo dicitur, ſapientiam eſſe deſipere in loco.

2. COR SAPIENTIS IN DEXTERA EIVS, hoc eſt, vt exponit Salonius & Hier. intentio & cogitatio viri ſapientis ad hoc tendit, vt ex hoc maturo iudicio ſemper bona, iuſta & ſancta operetur & res æternas meditetur, cuiuſmodi cordis cogitatio ducit ad dexteram: ſtultus contrà malis operibus intentus eſt, ac præſentibus inheret, quæ ſiniſtra in Scripturis vocantur: Hinc Scriptura Prouerb. 4. Vias, quæ ſi dextris ſunt, nouit Dominus: peruerſæ verò ſunt viæ quæ à ſiniſtris ſunt.

3. SED ET IN VIA STVLTVS AMBVLANS, &c. OMNES STVLTOS ÆSTIMAT, ſiue quia ex ſuperbia præ ſe cunctos contemnit, ſiue potiùs, vt inquit Hieron. quia ex ſuo ingenio vniuerſos iudicat. Hinc teſte Suetonio. Nero impuriſſimus perſuaſiſſimum habebat: neminem eſſe pudicum: in quo ei ſimillimi ſunt noſtri temporis hæretici ſecundum veriſſimam huius loci ſententiam.

4. SI SPIRITVS POTESTATEM HABENTIS, Hebraicè, dominantis, ſiue dominans, vt intelligere videtur Bernard. *ſermone de quadruplicia debito*. Vnde Symmachus habet ſpiritus principis, ſcilicet huius mundi: Magno enim conſenſu veteres hoc de diabolo exponunt. Si ergò ille ſpiritus ASCENDERIT SVPER TE, id eſt, concupiſcentiæ & cogitationum malorum vulneribus te impetat, LOCVM TVVM NE DIMISERIS, id eſt, ne cedas ei quaſi abiectis armis, ſed in acie ad pugnandum perſiſte: QVIA CVRATIO FACIET CESSARE PECCATA MAXIMA, quia hęc cura reſiſtendi & permanendi in ſtabilitate virtutis, ceſſare faciet, tum peccata præterita, quæ in tali tribulatione dimittuntur, tum futura operum peccata, in quæ cedendo ſpiritui præceps paulatim volueretis.

5. EST MALVM QVOD VIDI, &c. Deſcribit magnum malum à ſe animaduerſum in

dignitatum diſtributione, quòd ſcilicet ſtulti & imprudentes ad dignitates euehantur, diuites verò nempe non opibus modò, ſed virtutibus, ſcientia, dexteritate, (tales enim diuites opponuntur ſtultis) humiles in ſæculo & deſpecti maneant. Rurſum quòd ſerui, ſiue propter naſcendi conditionem, ſiue propter mores ſeruiles ad gloriam & poteſtatem pertingant, vt equis incedant; principes verò, id eſt, genere illuſtres, vel propter affectuum ſuorum regimen principatu digni viuant inglorii & quaſi in officio ſeruorum. Hoc autem malum dicit, QVASI PER ERROREM EGREDIENS A FACIE PRINCIPIS, quia per erroneas principum ſæpè ſimiliter ſtultorum opiniones, & iudicia hoc contingit: Vel ſi principem Deum intelligas, per illud (quaſi) ſignificat ignaris videri iniuſtum eſſe hoc Dei iudicium, & prouidentiam. Sed ille qui regnare facit hypocritam propter peccata populi, iuſtiſſimo iudicio tales dat præpoſitos, quales ſubditorũ vita meretur, & frequenter vt cœci à cœcis in foueam ducantur.

8. QVI FODIT FOVEAM, &c. His tribus verſibus diuerſo modo idem ſignificat; eum nempe qui aliis malum, ſiue inſidias, ſiue damnum parat, in idem vel grauius incurrere. QVI DISSIPAT SEPEM, MORDEBIT EVM COLVBER: cuius ſub vetuſtis ſepibus latibulum eſſe ſolet. Significatur autem eum qui alterius ſecuritatem violat, grauiori damno, ſiue corporis, ſiue animæ plecti, ſicuti mors ex morſu colubri ſequi ſolita grauior eſt damno temporali ſeipſum. Myſticè verò, eos qui antiquas leges & dogmata diſſipant, diaboli morſu vulnerari.

9. QVI TRANSFERT LAPIDES, alienam maceriam diſſipando, vel terminos transferendo agrorum, AFFLIGETVR IN EIS, quia & ipſe malum patietur: QVI SCINDIT LIGNA, furtiuè ſcilicet in fundis alienis VVLNERABITVR AB EIS: quibus omnibus ſignificatur neminem ſine ſuo detrimento aliis damnum inferre. Quod indubitatam habet veritatem, ſi illud ineuitabile ſupplicium reſpiciamus, quod talibus à diuina iuſtitia ſaltem in futuro reſeruatur.

10. SI RETVSVM FVERIT FERRVM, &c. Deeſt ſimilitudinis particula more Hebr. ſicuti ſæpè in libro Prouerb. Vnde ſenſus eſt: Sicut ferrum ſemel hebetatum, vel rubigine obductum nonniſi magno labore acuitur, ita nec ſapientia parari poteſt, multoque minùs reſtaurari deſidia & otio, quæ, vt inquit Hieron. ſunt quædam rubigo ſapientiæ, ſed magno ſtudio, ſudore, meditatione, pugna contra vitia ſapientiæ inimica: quod de quauis virtute, ſiue paranda ſiue reparanda dici poteſt, vt pote quæ ſapientiæ connexa, & eius pars eſt.

11. SI MORDEAT SERPENS IN SILENTIO, &c. hoc eſt, vt breuiter ait Hieron. Serpens & detractor æquales ſunt: vt enim ille occultè mordens venenum inſerit, ſic iſte clam detrahens virus pectoris ſui in fratrem effundit.

12. VERBA ORIS SAPIENTIS GRATIA, id eſt, grata & gratiam habentia, quia opportunè & aptè prolata: tempus enim & reſponſionem ſapiens intelligit. ET LABIA INSIPIENTIS PRÆCIPITABVNT EVM, nempe inſipientem, vt magis indicant Hebr. non ſapientem. Præcipitabunt ergò in perniciem, in damna, in mortem, in damnationem: qui enim inconſideratus eſt ad loquendum, vt ait Sapiens, ſentiet mala.

13. INITIVM VERBORVM EIVS STVLTITIA, ET NOVISSIMVM ORIS ILLIVS ERROR PESSIMVS. Quo indicatur quidam malitiæ progreſſus à ſtulto exordio in pernicioſos errores, quod in hæreticis, de quibus hoc exponit S. Hieron. ad viuum patet. Adiungens autem modum quo magna ex parte in hæc prolabitur,

14. STVLTVS, inquit, VERBA MVLTIPLICAT: ſpeculum enim mentis, inquit Ambr. 1. offic. cap. 18. plerumque in verbis refulget: multiloquium autem ſtultis proprium eſt, quia inopiam ſapientiæ verbis conantur ſupplere, vt aliquid ſcire videantur. Contra, maturum ſilentium & verborum paucitas, effectus eſt & ſignum ſapientiæ: citò enim lutum colligit amnis exeundans, inquit idem Ambroſius cap. 3. Qui breuiſſimè ſapienti ſermonis normam præſcribens, Habeat, inquit, caput eius rationem, & finis modum, id eſt, non ſtultitia,

vel garrulitas; ſed ratio exordiatur, ne in infinitum exundet, ſed ſuis ripis coërceatur ſermo, vt moderatio, quam negotii grauitas poſtulat, finem imponat.

IGNORAT HOMO QVID ANTE SE FVERIT. De ſtulto adhuc ſermo eſt, & videtur connecti præcedentibus, vt ſignificetur, inſipientem de præteritis ac futuris diſſerere, vt in eo, inquit Hieronym. doctum ſe putet, ſi de eis verba multiplicet.

15. LABOR STVLTORVM AFFLIGET EOS, QVI NESCIVNT. &c. Vrbs hæc Eccleſia eſt in monte poſita, ſiue militantem intelligas, ſiue Eccleſiam primitiuorum in cœlis, ad quam pergitur per inuentionem veritatis: In hanc qui neſciunt pergere, duce ſcilicet ſapientia diuinitùs data, ſed humano ſenſu ſe putant eò poſſe pertingere, vt faciunt, interprete Hieron. Philoſophi & hæretici, nihil agunt niſi vt ſtulto & fruſtraneo ſuo quęrendi labore affligantur.

16. VÆ TIBI TERRA, CVIVS REX PVER EST, videlicet ætate & maximè ſenſibus: ſunt enim & ſenes pueri ſapientia, qui ſcilicet laborant puerilibus vitiis, ſtultitia, temeritate, petulantia, ET CVIVS PRINCIPES MANE COMEDVNT, id eſt, qui præ intemperantia intempeſtiuè primo mane, cùm negotiis vacandum eſſet, luxurię ac deliciis indulgent, prout ex oppoſito verſu ſequenti innuitur. Cuius rei ratio aperta eſt: cùm enim in Rectore & Iudice requiratur ſapiētia, nihil eis magis officit, quàm ea, quæ pueris propria eſt, inexperientia ac ſtultitia vitæque intemperantia. Vtrumque hoc malum minatur Deus per Prophetam, Dabo pueros principes eorum, & effœminati dominabuntur eis.

17. BEATA TERRA, CVIVS REX NOBILIS EST, id eſt, ingenuus, tum ſanguine, quod ſubinde multùm facit, ad bonam Reipub. adminiſtrationem, tum imprimis ingenio & liberalibus moribus: ille enim opponitur puero.

Auguſt. lib. 7. de Ciuit. cap. 20. vult hîc innui duas ciuitates, vnam Dei, alteram diaboli: Puerum iſtum diabolum ciuitatis terrenæ principem eſſe propter eius iam dicta puerilia vitia, cæteroſque principes illius ciuitatis manè comedere, id eſt, ante horam congruam, in hoc ſæculo ſcil. voluptatibus indulgere: Regem ciuitatis Dei nobilem eſſe Chriſtum, & principes eius ciuitatis, tempus non fallacis beatitudinis, futuræ ſcilicet patienter expectare. Conſentit Hieron. Sed myſticus videtur ſenſus: vnde & ipſe primo loco ponit alium, quem nos dedimus,

18. IN PIGRITIIS HVMILIABITVR CONTIGNATIO, ratio ſequitur, quia nempe IN INFIRMITATE MANVVM, qua reſtauratio negligitur, PERSTILLABIT DOMVS, ſtillicidio autem tectum, parietes, ac trabes, corrumpente, humiliabitur contignatio, id eſt, totum ædificium ruet. Quo parabolico ſermone ſignificatur deſidia & remediorum neglectu firmiſſimas ſenſim collabi; ſiue ſtructuram virtutis in anima cuiuſque intelligas, vt latè Caſſianus Collatione 6. ſiue potius Rempublicam, quæ pręceſſit, cuius nempe rex eſt puer, & intemperans, & proinde conſeruationis incurius, ſiue cum Hieron. & Alcuino, quod in idem redit, Eccleſiam, cuius altitudo corruit, per principum ſuorum negligentiam.

19. IN RISVM FACIVNT PANEM, &c. id eſt, tales Reipubl. vel Eccleſiæ principes negligentes, conſequenter ad riſum & voluptatem ſibi parant cibos atque delicias, rebuſque omnibus, vt ait Gregor. Thaumaturg. ad ſuam ingluuiem abutuntur, ET PECVNIÆ OBEDIVNT OMNIA: tum quia ipſi argento iuſtitiam & omnia habent venalia, vt voluptatibus poſſit ſatisfieri, tum etiam quia tales ditari omnia turpia pecunia ac corruptelis moliuntur ac perficiunt.

20. IN COGITATIONE TVA REGI NE DETRAHAS, &c. Simplex, inquit Hier. præceptum ne ira & furore ſuperati in maledicta, etiam cogitatione, aut in detractiones regum & principum prorumpamus, quia contra ſpem interdum euenit vt eis renuntietur, & incurramus periculum immoderatione linguæ. Quod ergò ait, QVIA ET AVES CÆLI PORTABVNT VOCEM TVAM &c. hyperbolicum eſt, ſicut dum rebus ſenſu carentibus ſenſum tamen aſcribimus, quomodo verbi gratia, dicimus etiam parietibus.

& ſyluis eſſe aures, quibus ea præferant, quę illis conſcius loquimur. Aptè autem hoc iungitur præcedentibus, vbi actum eſt de diſſolutis principibus, in quos facilè linguæ non ſine periculo corporis & animæ ſolui ſolent, & per adulatores leues tamquam per aues cæli etiam occultiſſima deferri. Alii Angelos intelligunt, qui Deo Regi etiam murmura occulta contra reges deferant; ſed videtur eſſę myſticum.

CAPVT XI.

MITTE PANEM TVVM, &c. id eſt, cibum & quæcumque neceſſaria ſunt liberaliter & hilari animo eroga quaſi proiiceres, SVPER TRANSEVNTES AQVAS, id eſt, homines qui propter conditionem mortalitatis velut aquæ dilabuntur in terram, vt eſt 2. Reg. 14. Etſi alii velint ſignificari dandam eſſe eleemoſynam ſuper aquas, id eſt; propter lacrymas pauperum. Alij, ſuper tranſeuntes, id eſt, ſuper eos qui tranſeunt aquas, id eſt, tribulationes huius vitæ. Sed hoc Hebræor. veritati non congruit, quæ habet ſimpliciter *ſuper faciem aquarum*. Omnes tamen conueniunt hîc & ſequenti verſu de eelemoſyna eſſe ſermonem, quæ danda ſit non quaſi eam perderes, ſed quaſi POST TEMPORA MVLTA, id eſt, in retributione extrema inuenienda ſit.

2. DA PARTEM SEPTEM ET OCTO. Septem & octo, datiui ſunt, vt ex Hebr. patet: Da ergo partem, id eſt, partire & frange panem ac da eleemoſynam ſeptem & octo, ſiue ſeptenis & octenis, id eſt, omnibus indiferenter quotquot ſeſe obtulerint, ſiue ſeptem fuerint ſiue octo, ſecundùm illud Chriſti, Omni petenti tribue. Ita exponunt Thaumaturg. & Olympiod. Multò enim ſatius propter eos qui digni ſunt, indignis quoque largiri, quàm dum metuimus ne de indignis benè mereamur, dignos fraudare beneficio, QVIA IGNORAS QVID FVTVRVM SIT MALI, &c. quod tibi ſcilicet impendeat vel hîc vel in futuro, ac per eleemoſynam fortaſſis auerti poſſet, ſecundùm illud Eccleſiaſtici 29. Conclude eleemoſynam in ſinu pauperis, & ipſa pro te orabit, & liberabit ab omni malo.

3. SI REPLETÆ FVERINT NVBES, IMBREM SVPER TERRAM EFFVNDENT, id eſt, non continent eas penes ſe, ſed liberaliſſimè diuitias ſuas largiuntur, caduntque ſuper iuſtos & iniuſtos, q. d. ſic etiam bona noſtra non claudenda, ſed liberaliter pauperibus communicanda ſunt, non tantùm bonis, ſed etiam malis. Quod ergo de prędicatoribus veluti nubibus verbo Dei plenis, & populum rigantibus nonnulli Patres aſſerunt, verum eſt, ſed myſterium exponere videtur, non litteram.

SI CECIDERIT LIGNVM AD AVSTRVM, &c. IBI ERIT, id eſt, ibi manebit, nec reuiſcetere aut fructum facere aut ad aliam partem ſe transferre poteſt. Qua parabolica ſimilitudine ſignificat, miſericordiæ operibus eſſe inſiſtendum intuitu caſus noſtri certiſſimè futuri, qui ſiue, fuerit ad Auſtrum, id eſt, ad locum caloris & luminis cœleſtis, ſiue ad Aquilonem, hoc, eſt locum frigoris ac tenebrarum, ibi, inquam, erimus, immutabiliter nempe & irretractabiliter, inquit Bernard. Serm. 49. inter paruos, quia ibi te iudicabit Deus vbi inuenerit. Hunc ſenſum ſequuntur Veteres, Gregor. 12. Moral. capit. 4. Gregor. Thaumaturg. Olymp. Hieronym. hîc & alibi. Quò verò caſura ſit arbor iſta, inquit idem Bernardus, ſi ſcire volueris, ramos eius attende: vnde maior eſt copia ramorum & ponderoſior, inde caſuram non dubites, ſi fuerit tunc exciſa. Rami deſideria ſunt, quibus ad Auſtrum extendimur, ſi ſpiritualia fuerint; ad Aquilonem, ſi carnalia: illa præponderant quę ſecum traxerint corpus, id eſt, operationem membrorũ corporalium.

Fruſtrà autem hinc moliuntur heretici Purgatorium deſtruere, quaſi qui neutro loco ſit: nam qui purgantur, non ſunt ad Aquilonem, ſed ad Auſtrum propter charitatis feruorem & cœleſtis lucis expectationem; nam alioqui & antiqui Patres in limbo conſtituti etiam ad Aquilonem cecidiſſent. Nam vt Hieronym. hîc & alibi paſſim notat, Auſter in bono poni ſolet, Aquilo in malo, propter illa verba Luciferi, Sedebo in lateribus Aquilonis, & Hieremię 1. Ab Aquilone pandetur omne malum. Qua

verò vel paupertatis, vel aliarum quarumuis difficultatum metu facillimè homines à bonis operibus, in primis miſericordiæ, quæ ſemen futuræ gloriæ ſunt, deterrentur ſubdit ſalubrem cautionem:

4. QVI OBSERVAT VENTVM, NON SEMINAT: ventus enim diſpergit ſemina, ET QVI CONSIDERAT NVBES, NVMQVAM METET, timens pluuiam, id eſt, qui nimium ſuperſtitioſè metuit impedimenta, nolens ſementem vel meſſem incidere, niſi aër omni vento pacatus ſit, omni nubecula purgatus, nūquàm ſe operi accinget, quia hoc rariſſimè contingit: ita etiam qui vt ſeminet ſemen gloriæ per opera miſericordiæ expectat, donec nulla tentatio reſiſtat, nullum impedimentum, nulla difficultas minetur, perdet hîc tempus ſationis, & poſtea non inueniet quod metat: viri enim prudentis eſt dexteritate quadam ipſiſmet difficultatibus benè vti, & viri fortis tempeſtatibus obuiam ire, eaſque perrumpere, euentum Deo commendare.

5. QVOMODO IGNORAS QVÆ SIT VIA SPIRITVS, id eſt, animæ inquit Hieronym. ingredientis in paruulum, ET QVA RATIONE COMPIGNANTVR, OSSA &c. id eſt, quomodo ignoras oſſium & venarum varietatem IN VENTRE PRÆGNANTIS, quomodo ſcilicet aliud molleſcat in carnibus, aliud dureſcat in oſſibus, aliud in venis palpitet, aliud ligetur in neruis, SIC NESCIT OPERA DEI, quæ ſcilicet Deus facturus eſt, vt indicant Hebr. Ad ſuperiora enim reſpicit, docens non temerè de ventis & nubibus, id eſt, euentibus & difficultatibus eſſe iudicandum, vt pote quæ Dei ſententiæ reſeruantur, & vt cætera Dei opera occulta ſunt; ſed viriliter & conſtanter ad ſeminandum vitæ æternæ ſemen eſſe pergendum. Hinc addit:

6. MANE SEMINA SEMEN TVVM ET VESPERE, &c. Extremis complectitur media, q. d. totâ die, totâ vitâ bonis operibus inſiſte matutinam iuſtitiam veſper inueniat, & veſperi miſericordiam, inquit Hieronymus ſolis ortus accumulet; item in adoleſcentia & ſenecta æquus tibi labor ſit: QVIA NESCIS QVID MAGIS ORIATVR, id eſt, neſcis quod ſemen operum fruges iuſtitiæ producturum ſit quodue Deo magis placiturum, nam in multis operibus quæ nobis remuneratione videntur digna, iudicium Dei verendum eſt.

7. DVLCE LVMEN, &c. Putat Hieron. iuſtitiæ iam dictæ præmium apponi, nempe viſionem Solis iuſtitiæ Chriſti vel Dei. Simpliciùs cum aliis videtur exponi poſſe iungendo verſum 8. quod dulcis quidem ſit hæc lux & delectabilis Solis aſpectus, id eſt, vita præſens, ſed quantumuis longa ſit læta & iucunda, non tamen ita ei eſſe inhærendum, vt

8 TENEBROSI TEMPORIS, id eſt, mortis & noctis illius in qua nemo operari poteſt, ET DIERVM MVLTORVM, id eſt, æternitatis inſtantis obliuiſcamur, quę cùm aduenerit, vita præſens cum ſuis omnibus amoribus ac diuitiis vana fuiſſe arguetur. Proinde vt grauius iuuentutem lubricam ad frenandas cupiditates impellat, peracti ironia ſubdit:

9. LETARE ERGO IVVENIS IN ADOLESCENTIA TVA. q. d. cùm hęc ita ſint, lętare in iuuentute, ET IN BONO SIT COR TVVM, id eſt, deliciis indulge, AMBVLA IN VIIS CORDIS TVI, id eſt, fac quidquid tibi cor dictabit, quidquid oculi deſiderauerint, ſed ſcito ſimul te de omnibus Deo redditurum rationem. Proinde exponens ſe ironicè eſſe locutum, mox ſerium remedium apponit contra duo pręcipua iuuentutis vitia, iram & intemperantiam: AVFER inquit, IRAM A CORDE TVO, ET AMOVE MALITIAM A CARNE TVA Sub ira, vt Hier. docet, omnes perturbationes animi; ſub malitia carnis, omnis corporis voluptas comprehenditur: ADOLESCENTIA ENIM ET VOLVPTAS VANA SVNT, q. d. non debes adoleſcentię tuę motibus credere, vaga eſt enim & inconſtans, eff. ęnis in voluptatem, quę ita vana eſt, vt finis eius ſit interitus & mors.

CAPVT XII.

1. ANTEQVAM VENIAT TEMPVS AFFLICTIONIS, &c Huius loci vſque ad verſ. 8. teſtatur S. Hieron. tot fuiſſe ſuæ

tempore explanationes, quot capita; nunc tamen longè plures ſunt. Hebræi hæc omnia intelligebant de tempore afflictionis Iudæorum, captiuitatis nempe Babylonicæ & Romanæ: de qua opinione vide ſingula apud Hier. initio huius capitis. Multi exponunt de ſignis Iudicii vniuerſalis & conſummationis mundi maioris, quorum dux eſt Sanct. Gregor. Thaumaturg. in paraphraſi. Hanc expoſitionem inter cæteras etiam affert Sanct. Hieronymus. Maximè tamen communis & textui inhærens eſt ea, quæ omnia de ſenectute & morte mundi minoris, hoc eſt, hominis, intelligit. Vnde Hieronym. ad verſum 3. dicit Interpretes inferiùs neceſſitate cogi de membris hominis intelligere quæ ſequuntur. Et certè verſ. 7. videtur conuincere quod de morte hominis vniuſcuiuſque agatur. Vnde & ipſe Hieronymus cùm non poſſet omnia de iudicii die exponere, in hanc relabi coactus eſt. In pleriſque tamen ita deſcribi videntur hominis decrepiti incommoda, vt ad mundi ſeneſcentis ægritudines & occaſum alluſio quædam fiat. Tempus itaque afflictionis eſt illud quod opponitur diebus iuuentutis, nempe ſenectus: quæ quia per ſe morbus eſt, omniumque malorum agmen, & tandem mortem ipſam fert ſecum, etiam à Pſalmiſta vocatur labor & dolor: & meritò dicuntur anni qui NON PLACENT. Monet ergo tempus iuuentutis Deo eſſe dedicandum, eò quòd ſenectus propter afflictiones & morbos hominem reddat ad omnes animæ & corporis functiones tardum, torpidum & ineptum.

2. ANTEQVAM TENEBRESCAT SOL ET LVMEN, ET LVNA, ET STELLÆ, propter defectum viſus, qui paulatim hebeſcit in ſenibus, & tandem prorſus morte ſubtrahitur. Fit alluſio quædam ad ſigna occumbentis mundi; nam & tunc Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuum, ſtellæ cadent, &c. ſicut & inf. v. 3. alludit ad virtutes cœlorum quæ mouebuntur, itemque ad molentes, quarum vna aſſumetur, altera relinquetur, de quibus aliqui hæc ſpecialiter intelligunt. ET REVERTANTVR NVBES POST PLVVIAM: quæ nubes ſunt continuæ pluuiæ & procellarum materia & ſignum. Significatur ergo continuas in ſenibus eſſe defluxiones & catharros, & quaſi capitis fletus & pluuias, per oculos, os, nares: nam in iuuenibus ob caloris abundantiam facilè aſcendentes è ſtomacho nubes diſſipantur, & poſt aliquam ſubinde pluuiam fit ſerenitas. Quod ergo aliqui volunt ſignificari vnam tribulationem poſt aliam ſenibus ingruere, tropologicum videtur.

3. QVANDO COMMOVEBVNTVR CVSTODES DOMVS, id eſt, quando contremiſcent illi, qui domum corporis humani cuſtodiunt, arcentes omnia extrinſecùs irruentia incommoda: vtitur enim & hic & inferiùs metaphora à domo materiali deſumpta. Hi cuſtodes, partim ſunt caput, vbi ſunt ſenſus tamquam vigiles, partim manus & brachia vt milites. Adde & coſtas, quibus vt parietibus inteſtina vallantur & cuſtodiuntur. Hæc enim & tota corporis ſenilis compages propter exiguam neruorum vim & humorum grauitatem contremiſcunt: malim enim hæc omnia ſimul per cuſtodes intelligere, quàm eorum ſingula, vt aliqui. NVTABVNT VIRI FORTISSIMI, tibię & crura, vt Hieronym, & alii: Sunt enim velut columnæ & baſes ædificii, propter quorum nutationem nequeunt ſenes firmiter & rectè incedere. ET OTIOSÆ ERVNT MOLENTES IN MINVTO NVMERO, dentes nempe qui excidunt ſenibus: & ſi qui remaneant, illi ipſi quia loculis & alueolis laxioribus ægrè inhęrent, debiles ſunt & vitioſi, nec molentes cibum vt anteà: ET TENEBRESCENT VIDENTES PER FORAMINA, id eſt, hebeſcent ſenſus qui per organa emicant. Malim tamen cum Hieronym. de ſolis oculis intelligere propter verbum, *videntes*, & quia in eis aptiora ſunt foramina quaſi feneſtrę corporis, ad quas fit alluſio, ſicut & ad cæteras partes domus.

4. ET CLAVDENT OSTIA IN PLATEA, quia, inquit Hieron. ſemper ſedeant ſenes clauſis ſcilicet domorum oſtiis, & ambulare non poſſunt. IN HVMILITATE VOCIS MOLENTIS, propter mandibulas, inquit idem, quòd cibum nequeant terere, & vix ſpiritu coarctato vox ſenum tenuis audiatur. Sed quia

quia ipſam humani corporis domum metaphoricè, deſcribit, & alludendo ad domum propriè dictam malim etiam ipſas plateas & oſtia non propriè ſed metaphoricè ſicut & præcedentia & ſequentia accipere. Itaque totum illud ſpatium quod eſt inter os & gutturis operculum, plateam vocat, quia ſpiritus, ſputi, vocis, ciborum & potuum meatus eſt, quod vtrimque habet hoſtium & quidem biſore, exterius duo labia, & interius epiglottidem quæ tegit gulam & aſperam arteriam duobus operculis; vnde Hebr. eſt dualis, ſignificans duo oſtia & quidem biforia: nam eodem modo labia Pſal. 14. v. 5. Hebr. dualiter oſtia vocantur. Hæc oſtia in ſenibus clauduntur, quia lentius & rarius aperiuntur: nam præ virium languore vix cibum capiunt aut loqui poſſunt. Vnde exponens quo pacto claudantur, & quis effectus huius clauſuræ oſtiorum, In hvmilitate, inquit, id eſt, tenuitate & exilitate vocis molentis, Heb. vocis molę, ipſius ſcilicet oris ac dentium, quia inſtar molis cibum frangunt, & præ vocis exilitate inter loquendum, ac dentium defectu inter comedendum vix vllum ſtrepitum edunt, quod molæ molentes ſolent. Et consvrgent ad vocem volvcris, non galli gallinacei, vt quidam, nam ille etiam iuuenes & ſtertentes ex citare ſolet, ſed paſſeris vel alterius cuiuſque ſummo manè cantillantis auiculæ, hoc enim Hebr. ſignificat. Indicat ergo ſenes frigeſcente ſanguine & humore ſiccato, quibus ſopor alitur, ad leuem ſonitum euigilare, vt inquit Hier Et obsvrdescent omnes filiæ carminis, id eſt, quæ carminibus delectantur, aures ſcilicet, eò quòd grauis ſenum auditus fiat, & nulla inter voces valeant ſcire diſcrimina, nec carminibus delectari, vt Berzellai de ſe dicit 2. Reg. 19.

5. Excelsa qvoqve timebvnt. Heb. ab excelſo. Vnde *excelſa*, eſt caſus obliquus et formidabvnt in via, id eſt, ſenes ardua & excelſa loca ingredi non audebunt aut valebunt propter capitis vertiginem & poplitum laſſitudinem; vnde etiam trementi veſtigio in plana via fluctuãtes, offenſam greſſuum formidabunt, vt exponit Hieronymus. Florebit Amygdalvs, id eſt, caput canis ſicut Amygdalus florebit, inopinatò tegetur: Amygdalus enim inter primas arbores floribus albeſcit, & æſtatem inſtantem ſignificat: vnde etiam flos canitici imminentem mortem. Impingvabitvr locvsta, Hebr. vt notat S. Hieron. locuſtam ſignificat & talum pedis. Itaque ambiguitas verbi per etymologiam eius, ſignificat ſenum crura ferè inflari, & podagræ humoribus prægrauari: grauis enim & tumida eſt locuſta. Dissipabitvr capparis. Et hæc vox Hebræis ambigua, eſt, ſignificans concupiſcentiam & capparim, eodem Hier. teſte. Quia itaque capparis herba eſt ſalax appetitum tum cibi, tum veneris prouocans, ab effectu quo concupiſcentiam mouet, eodem nomine vocata eſt. Vnde alii transferunt *auiditas*: Chaldæus *concubitus*. Sed melius noſter, *capparis*, quia hîc de induſtria loquitur ſymbolicè. Significatur ergo omnem appetitum ipſius rei venereæ in ſene frigeſcere. Qvoniam ibit homo in domvm æternitatis svæ: ſepulchrum, inquit Hieron. ex quo numquam in hunc mundum reuertetur, & ex ſepulchro in illam ſedem, quam in æternum habiturus eſt, cœlum vel infernum. Cogit hic locus Authores præcedentia de ſenectute intelligere. Sed antequam homo ad ſepulchrum domum æternitatis perueniat circvibvnt in platea plangentes, amici nempè, & cætera lugentium ac tibicinum turba, quæ funus proſequitur.

6. Antequam rvmpatvr fvnicvlvs argentevs. Redit ad modum loquendi inchoatum verſ. 1. vnde & hîc ſicut & ſuperius repetendum eſt, Memento Creatoris tvi in diebvs ivventvtis tvæ, antequam rvmpatvr, &c. Ex quo etiam apertum eſt deſcribi tempus oppoſitum iuuentuti. Hic autem funiculus argenteus non vno modo intelligitur. Hier. & Alcuin. intelligunt candidam hanc vitam & ſpiramen quod nobis de cœlo tribuitur, vittam verò avream eſſe animam quæ illuc recvrrat, vnde deſcenderat: ſicut enim vitta capillos ſtringit, ne diffluant, ita & anima tantam varietatem membrorum,

humorum & ſpirituum continet, ne diſſoluantur, vt fit in morte: *Vitta* ergo *aurea* propter præſtantiam.

Alii maximè Hebræi, & poſt illos multi recentiores probabiliter exponunt *funiculum argenteum*, eſſe filum illud candidum ſiue medullam, quæ à cerebro per ſpinam dorſi triginta quatuor vertebris quaſi nodis conſtricta vſque ad anum pertingit, vnde omnes nerui velut funiculi prodeunt, quibus tota corporis compages tenetur: ita vt meritò mortem ſignificet inſtare Salomon, cùm hic funiculus vel rumpitur, vel ſoluitur, vel conuellitur. *Vittam* verò *auream* dicunt eſſe membranulam, quæ cerebrum inuoluit, & ſtringendo inſtar vittæ ambit: quibus fauet quod propriè vitta ſit capitis. Hæc ergò membrana *aurea* vocatur vel propter colorem, vt quidam, vel potiùs propter præſtantiam: non deſunt enim, qui putant potiùs ad illam pertinere ſentiendi principium, quàm ad cerebrum, cui ita indiuulsè adhæreat, vt corrugato, contracto, ſiccato, vt fit in ſenibus, ſimul ipſa contrahatur, & quaſi à cranio in ſe recurrat. Quamquam fortaſſis ſimpliciùs per *funiculum argenteum* omnes nerui intelligi poſſent, per *vitam auream* omnes venæ, quia illi colore lactei, hi rubicundi & aurei ſunt, prout intellexit etiam Titelmannus. ET CONTERATVR HYDRIA SVPER FONTEM. Nonnulli Medici & ante illos Bonauentura hæc conſequenter de partibus corporis exponunt, vt hydria ſit veſica quæ vrinam excipit procedentem ab hepate, vt fonte. Hæc in ſenibus non præſtat officium, vt quaſi confracta videatur; & in morte planè conteritur. Et qui per rotam extrahitur ex ciſternâ aqua ſordida, per confractionem rotæ intelligit idem Bonauentura confractionem meatus impuræ ſuperfluitatis ex ventre vt ciſternâ profluentis. Alii deſtructionem capitis ſuper cor poſiti, ex quo vt ex ciſternâ vires trahit. Sed veriſimilius videtur quod ſentit Hieronym. nempe poſt mortis præambula, hæc duo ipſius mortis ænigmata per metaphoram. Nam ſicut hydria quæ conteritur, ceſſat haurire, & rota per quam de ciſternâ vel puteo leuantur aquæ, ſi confracta fuerit, deſinit aquam extrahere; ita rupto funiculo argenteo iam dicto, & recurrente vittâ aureâ, animâ ſcilicet ad Dominum recurrente, perit homo, & fit illud quod claris verbis quaſi ænigmata ſua exponens addit:

7. ET REVERTATVR PVLVIS IN TERRAM SVAM, &c. id eſt, corpus in terram, vnde primitùs ſumptum eſt, ET SPIRITVS, id eſt, anima; AD DEVM, quia bonæ intrant in gaudium Dei, malæ verò in iudicium Dei. Ex quo loco ridet Hier. eos qui putant animas cum corpore perire. Aptiſſima autem hæc eſt comparatio: corpus enim mortale eſt inſtar hydriæ ſeu vaſis fictilis, vt vocat Apoſtolus; anima quaſi aqua rigans corpus: iam verò ſicut ex hydriâ ſuper fontem fractâ nec aqua perit, nec teſtæ, ſed illæ in fontem ſuum refluunt, hæ in terra propè fontem manent; ita etiam ſpiritus non moritur, ſed ad Deum vt fontem ſuum, corpus autem in terram reuertitur, ex qua facilè ab omnium fabricatore integritati poteſt reſtitui, cui non perit.

Poſt deſcriptionem autem humani interitus, meritò repetit ſuum argumentum,

8. VANITAS VANITATVM, &c. ſi enim huc terminetur omnium hominum labor, vt puluis in terram redeat, ſpiritus ad Dominum, magnæ certè vanitatis eſt, in hoc ſæculo laborare, & nihil pro futura conquirere.

11. VERBA SAPIENTIVM, & conſequenter hæc mea in hoc libro conſcripta: hoc enim addit ad commendandam doctrinam ſuam: SICVT STIMVLI, quibus ſcilicet boues propelluntur & diriguntur, vt indicat Hebræus: quo ſignificat, verbis Sapientiæ hominum mores corrigi, & pigros ad operandum compelli. ET QVASI CLAVI IN ALTVM DEFIXI, id eſt penetrantia ipſum cor & animam, & reddentia illud immobile in bono, quia affigunt cor veritati, quæ æterna & immutabilis eſt: clauis enim altè defixis aſſeres & ligna compinguntur. Vbi multum notandum cum S. Hieronym. & Alcuino, verba Sapientum pungere, non palpare, nec molli manu attrahere laſciuiam, ſed errantibus ac tardis pœnitentiæ dolores & vulnus infligere, nec animas red-

dere inſtabiles, vt omni vento circumferantur, ſed immobiles in veritate & tenaces propoſiti boni; ita nempè vt eas ſi vel fractus illabatur orbis, impauidas feriant ruinæ. Qvæ per magistrorvm consilivm, id eſt doctorum aut magiſtrorum cœtum, vt eſt in Hebr. Data svnt a pastore vno, quia verba illa ſapientiæ diuinæ admirabili conſenſu omnium Scriptorum omniumque expoſitorum, qui eidem veritati alii apertiùs, alii occultiùs atteſtantur, per continuam ſucceſſionem Eccleſiaſticam fidelibus communicantur, tradita ab vno omnium paſtore Deo & Chriſto, ex quo vt prima veritate accipiunt illam pungendi & corrigendi vim, & inſuperabilem poteſtatem: omnis enim ſapientia à Domino Deo eſt.

12. His amplivs fili mi ne reqviras, id eſt, ſecundum Hieronym. exceptis his quæ ab vno paſtore ſunt data, & à concilio & conſenſu prolata ſapientum, Prophetarum ſcilicet & Apoſtolorum Eccleſiæque Doctorum eandem veritatem enucleantium: his, inquam, ne requiras amplius: q.d. maiorum tuorum ſequere veſtigia, & ab eorum auctoritate ne diſcrepes. Faciendi plvres libros nvllvs est finis, q.d. ſi iſtis iam dictis amplius requiras, infinitus librorum numerus occuret, hæreticorum, philoſophorum, Iudæorum, &c. inter ſe de veritate confligentium. Plures enim libri ſunt quotquot non in eumdem finem tendunt, dilectionis ſcilicet Dei & proximi, & quò ſi ſpectent, quantumuis multi ſint, & multis verbis exarati, non plures libri ſunt, ſed vnus eſt liber. Ita poſt Hierony m. Alcuinus, Olympiod. aliique, qui & notant Euangelium & Legem ſingulariter appellari, quotcumque tandem ſint volumina. Non ergo reprehenditur plurium librorum compoſitio, vt vulgus putat, ſed doctrinarum diſcrepantia, nec non ſuperflua loquacitas, quæ veritati non conducit: Veritas enim, inquit Hieron. certo fine concluditur; malitia verò & mendacium ſine fine ſunt: & quantò plus & ſtudioſiùs requiruntur, tantò maior eorum ſeries naſcitur, propter quod addit: frequensqve meditatio, huiuſmodi plurium librorum, carnis afflictio est, quia qui ex talibus veritatem quærit, nihil vtilitatis, multùm afflictionis ſibi parit, & laboris: meditatio enim veritatis potius eſt mentis impinguatio & exultatio ſpiritus; nam qui in lege Dei meditatur die ac nocte, erit tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum. Significatur etiam, curioſam veritatis indagationem, quæ vitæ probitati nihil prodeſt, magnas afflictiones & moleſtias habere coniunctas.

13. Finem loqvendi pariter omnes avdiamvs. His excitat attentionem ad audiendum totius libri Epilogum, quem veluti ſtimulum & clauum comminatione diuini quoque iudicii altiſſimè auditoribus infligit. Devm time, timore illo ſancto & permanente in ſæculum ſæculi, nempe cuius finis & affectus eſt ea quæ ſequitur, mandatorum eius obſeruatio: Hoc est enim omnis homo, id eſt, hoc omnis hominis officium eſt, ad hoc natus eſt, vt Creatorem ſuum intelligat ac veneretur metu illo & opere mandatorum.

14. Et cvncta qvæ fivnt, addvcet Dominvs in ivdicivm pro omni errato. Hebr. ſuper omne abſconditum: quomodo ſenſus apertus eſt, omne ſcilicet, quantumuis occultum fuerit, ibi eſſe reuelandum. Auguſt. 20. de Ciuitate Dei c. 30. pro *errato* legit, *deſpecto*, ſenſumque reddit, etiam in omni contemptibili & deſpecto homine iudicium eſſe exercendum; quoniam, inquit, Deus & ipſum videt, nec eum deſpicit, nec cùm iudicat præterit. Sed textui vulgato inhærendo, ſignificari videtur, omnia eſſe iudicanda etiam *errata*, id eſt, non per voluntatem, ſed per errorem & ignorantiam facta. Sive bonvm, sive malvm sit, nam & bona quædam per errorem fiunt homine non putante, tametſi erratum ferè in malum ſumatur, quomodo ſi ſumas verba illa (pro omni errato) errant per parentheſim inſerta, q.d. etiam pro omni errato. Et quia errata maximè occulta ſunt, vt habet Hebræus, Interpres noſter ad ſenſum potiùs reſpexit textus Hebraici quàm ad verba.

FINIS.

CORNELII IANSENII IN LIBRVM SAPIENTIÆ PROOEMIVM.

DE AVTHORITATE LIBRI SAPIENTIÆ.

DIſputant nobiſcum hæretici de Authoritate libri Sapientiæ. Negarunt librum Catholicum eſſe Semipelagiani; quòd eius teſtimoniis apertiſſimè conuincerentur: quos Caluinus & Lutherus imitati, eum canonicarum ſcripturarum canone eiecerunt. Sed omnes argumentorum eorum riuuli vno Eccleſiæ ſole ſiccantur, quæ in Concil. Carthag. 3. Flor ac Trid. eum canoni ſacrarum ſcripturarum inſeruit: cuius iudicio omnes penè, tam Græci quàm Latini PP. patrocinantur, dum paſſim petitis inde teſtimoniis, tamquam diuinæ auctoritatis vtuntur. Vnde Aug. lib de prædeſt. Sanctorum c. 14. Non debuit, inquit, repudiari ſententia lib. Sapientiæ, qui meruit in Eccleſia Christi de gradu lectorum Eccleſiæ Chriſti, tam longâ annoſitate recitari, & vſque ad extremos laicos, fideles pœnitentes cathecumenos, cũ veneratione diuinæ authoritatis audiri. Addit Iſidorus Hiſpalenſis etiam à Iudæis habitum fuiſſe inter libros ſacros, ſed propter euidentiſſima de morte Chriſti teſtimonia quæ leguntur c. 2. fuiſſe repudiatum atque prohibitum.

De Auctore libri Sapientiæ.

Q*Vod ad Auctorem ſpectat, apud Græcos inſcribitur.* Sapientia, Salomonis, *quem propterea Pſeudepigraphum vocat Hier. præfatione in lib. Salomonis. Aug. 2. de doctrina Chriſtiana c 18 putauit propter ſimilitudinem quandam vocari Salomonis, eſſe autem Ieſu filij Sirach Sed retractauit hoc l 2 retractat c. 8 expreſsè verò tribuit Salomoni l. 2. de ſymbolo ad Cathecumenos cap. 4. Nonnulli veteres apud Hier. voluerunt eſſe Philonis Iudæi: quod multi ſequuntur Catholici, & perlibenter hæretici recentiores arripiunt. Sed conciliari fortaſſe poſſunt, aſſerendo ſententiarum, ac ſenſuum auctorem eſſe Salomonem, collectionis verò ac Phraſis Græcæ Philonem: Salomonis enim nomine librum citant plurimi antiquiſſimorum Patrum: Cyprian. lib de mortalitate, Baſil l. 5. contra Eunomium, Amb paſſim, & alii. Imò ipſa libri verba hoc clamant c. 9.* Tu, *inquit* elegiſti me regem populo tuo, & dixiſti me ædificare templum nomini tuo, &c. *Quod verò de Philone ſtyli Græci auctore dicitur, tametſi Hieron. id videatur de illo intellexiſſe Alexandrino, de quo propter eloquentiæ ſimilitudinem vulgò ferebatur (teſte eodem Hier. & Suida) vel Plato philonizat, vel Philo platonizat, hoc tamen difficultatem habet tum quòd Dionyſius Areopagita illi penè coætaneus ex hoc lib. teſtimonium citat de diuinis nominibus c. 4. tum quòd ipſe Apoſtolus Paulus nonnumquam ad huius libri phraſes alludere videatur, vt perſpicuum eſt ex c. 11. ad Rom. v. 34. & 11. ad Heb. v 5. collatis ad capitis huius 9. v 17. & c. 4. v. 10. Neque etiam rectè intellexeris de illo Philone ſummi nominis hiſtorico Græco, 70. Interpretibus coætaneo: hunc enim Ioſephus Ethnicum fuiſſe: neque Scripturas legiſſe teſtatur 2. contra Appionem. Neque rurſum de Philone illo biblio (ſi tamen alius eſt ab illo qui ſequitur) qui Sanchumatonis Scri-*

ptoris antiquiſſimi hiſtoriam ex Phœdicum lingua in Græcum conuertit: ſed ſi cui Philonis ſtylus adhibendus eſt, erat alius Philo ſenior, dictus Iudæus, atque vnus 70. Interpretum, vt nonnulli arbitrantur, quos multos alios libros præter vulgarem illum Hebræorum canonem ad Ptolomæum detuliſſe volunt. Ex quo patet adhuc ſub Iudice litem eſſe, quis eum Græca lingua tradiderit: Hebraicũ enim exemplar iam inde ſaltem ab Hier. ætate nuſquam inuentum eſt.

De Argumento libri Sapientiæ.

Argumentum Libri breuiter indicat Auguſt. Epiſt. 130. vbi eum Librum Chriſtianæ Sapientiæ vocat: totus enim in eo verſatur, vt præmiſſa generali ad Sapientiam exhortatione refutatiſque inſipientium argumentis atque inſipientiæ allatis incommodis, Sapientiæ emolumenta pretium adipiſcendi methodũ, effectus mirabiles tum ergà priuatas perſonas, tum ergà populum vniuerſum, ſiue puniendo, ſiue remunerando declaret: ita tamen vt ab increata Sapientia ad creatam eius imaginem, quam aſpirat animabus puris, ſubinde delabatur: Hinc non immeritò ab Epiphanio lib. de ponderib. & menſura πανάρετον, quaſi omnis virtutis armariũ liber nominatus eſt: cuius virtutis Auctorem Chriſtũ Dominum eiuſque vitam & paſſionem euidentiſſimè c. 2. prophetando prædicit. Si quis tamen velit hunc librum à cæteris moralibus Salomonis libris peculiari notâ diſtinguere, Sapientia Iudices, & rerum dominos, Prouerbia filios ac domeſticos, Eccleſiaſticus populum vniuerſum inſtituit.

CAPVT I.

1. DILIGITE IVSTITIAM, QVI IVDICATIS TERRAM. Meritò dilectione Iuſtitię exorditur Sapientia: nam vt eſt Eccleſiaſtici 1. Concupiſcens Sapientiam, conſerua Iuſtitiam & Deus præbebit eam tibi. Quare cùm omnibus hominibus initium viæ bonæ ſit facere Iuſtitiam, quantò magis, regibus, populorumque rectoribus hoc inculcandum eſt: quorum regna, remota iuſtitia, quid ſunt niſi magna, latrocinia, vt ait Aug. 4. de ciuit. Dei c. 4. Parùm eſt autem tenere iuſtitiam, niſi etiam diligas: qui enim tenent, tenent; qui autem diligunt, zelantur, inquit Bernard. 2. de conſideratione c. 2. SENTITE DE DOMINO IN BONITATE, hoc eſt, benè, hebraïſmo, ita vt ſanam orthodoxamque de Deo, atque eius prouidentia ſententiam teneatis, memores non hominis vos exercere iudicium, ſed Domini inſpectoris, vt monebat Ioſaphat 2. Paralip. c. 19. ET IN SIMPLICITATE CORDIS QVÆRITE ILLVM, hoc eſt, ſimpliciter, ſincere & ex animo ſine diffidentia potentiæ, vel bonitatis eum inuocando, ſine fictione operando. Caret autem merito ſimplicitatis omne quod arte elicitum & fraude compoſitum eſt, inquit Ambr. 3. offic. c. 9. Quamquam Hebr. tom. id eſt, ſimplicitas innumeris Scripturæ locis quamlibet vitæ integritatem & perfectionem, ſignificet.

2. QVONIAM INVENITVR AB HIS, QVI NON TENTANT ILLVM. Tentant Deum Hypocritę, vt Chriſtum Phariſæi: qui quamuis ardenter, non tamen in ſimplicitate, ſed duplicitate cordis quærebant Deum, dubitantes de Chriſti, vel potentia in ſignis quęrendis, vel miſericordia circa adulteram, vel ſapientia circa reſurrectionem vnde audire meruerunt, Quæretis me & non inuenietis. APPARET AVTEM IIS, clariùs innoteſcendo, QVI FIDEM HABENT IN ILLVM. Græca habent *non diffidentibus*, vel etiam vt reſpondeat priori parti, *non incredulis Deo*: fides enim, vt ait Auguſtin. l. 50. homiliarum, homil. 23. fides eſt gradus intelligendi, intellectus autem meritum fidei.

3. PERVERSÆ ENIM COGITATIONES, quibus, vel de Deo malè ſentitur, vel Deus non ſimpliciter quęritur, SEPARANT A DEO: PROBATA AVTEM VIRTVS. Græcè non eſt virtus vitio oppoſita, quaſi illa multùm probata, atque exercita eò vſque proficiat, vt corripiat peccatores ſed eſt virtus ſiue potentia Dei nempe, quæ multis prouidentię operibus comprobata CORRIPIT INSIPIENTES, id eſt, caſtigat & punit imò & arguit eos qui prauis de Deo opinionibus im-

buti ſunt, fatuos eſſe, dum potentiam eius inſipientiæ ſuę vltricem experiri coguntur.

4. QVONIAM IN MALEVOLAM ANIMAM, id eſt, malam & vafram, dolis malíſque artibus vtentem, NON INTROIBIT SAPIENTIA, quia cum ſimplicibus ſermocinatio eius: NEC HABITABIT IN CORPORE SVBDITO PECCATIS, id eſt, homine obnoxio peccatis Corpus tamen, non hominem nominat, eò quòd corporis vitiis præ cæteris libidine ac temulentiâ ita hebeſcat, & obbruteſcat anima, vt cæca & herens terræ ad illuceſcentes ſubinde ſcintillulas diuinæ ſapientiæ penè horrore concutiatur. Vnde quibuſdam Venus, quaſi ἀ νῶς dicta videtur. Quamquam Græcè eſt ſingulari numero, *peccato*: quo nomine Sanctus Paulus concupiſcentiam ſoler appellare, cui qui dominanti ſubditus & obnoxius eſt, multum eſt mortus ab in habitatione ſapientiæ.

5. SPIRITVS ENIM SANCTVS DISCIPLINÆ, Auctor ſcilicet & Doctor, EFFVGIET FICTVM, hoc eſt, deteſtabitur, & abhorrebit fictionem, ſeu dolum, vt eſt Græcè: ſimulatio enim & omne mendacium, degeneris abiectique animi ſignum eſt, multumque pernicioſa. Fictionis autem doli & fallaciæ nomine, quam ſpiritus diſciplinæ fugit, etiam illa omnino ars habenda eſt, qua alienis à propoſito interpretationibus ſua dicta, quaſi ſimpliciter prolata nonnulli exponunt & palliant, de qua Terrull. 4. contra Marcionem c. 38. Iuſta inquit, & digna præſcriptio eſt, in omni quæſtione, ad propoſitum interrogationis pertinere debere ſenſum reſponſionis. Cæterùm aliud conſulenti aliud reſpondere dementis eſt: non ergò Chriſti erit, quod ne hominis quidem eſt, ET AVFERT SE A COGITATIONIBVS QVÆ SVNT SINE INTELLECTV, hoc eſt, fatuis & imprudentibus, quia ſapientia habitat in conſilio, & eruditis intereſt cogitationibus, ſuggerens eas ac promeuens. Porrò cogitationis nomine intelliguntur illæ potiſſimùm quæ iunctum habent animi conſenſum. Nam vt Aug. de geſtis Pelagii c. 4. cogitatio quæ culpam contrahit, & meritò prohibetur conſenſione non caret. ET CORRIPIENTVR A SVPERVENIENTE INIQVITATE, nempe Spiritus S. Eſt metalepſis; fugabitur nempe & contriſtatus diſcedet, ſicut correpti adeoque improperio affecti ſolent. Aug. tamen contra Adimantum, c. 6. mauult hominem corripi, ſeu puniri à ſuperueniente ſibi iniquitate, cùm receſſerit ab eo Spiritus S. Nam & pœna, quam patitur peccator nolens, & peccata ſubſequentia quæ facit volens, præcedentis iniquitatis pœna & correptio ſunt.

6. BENIGNVS EST ENIM SPIRITVS SAPIENTIÆ *Enim*, non reddit cauſam, ſed continuat ſermonem, vt quoniam, quia. ſæpè in ſcripturis. Gręcè eſt φιλάνθρωπος, id eſt, homines amans & humanus, vt legit Aug. de mendacio cap. 16. ideoque NON LIBERABIT MALEDICVM A LABIIS SVIS, id eſt, quia Deus in homines benignus eſt, non ſinet impunitum eum abire à labiis ſuis, ſiue propter ea peccata, quæ labiis maledicendo, vel detrahendo commiſit. Benignitatis ergò diuinę eſt pœna nocentium, vtpote ex qua multis contingit, vt Deo dicant, Caſtigaſti me & eruditus ſum: quorum ſi non frangeretur duritia, crudelis eſſet benignitas, qua vni noxio cum damno plurimorum parceretur QVONIAM RENVM ILLIVS TESTIS EST DEVS. Inſtrumenta ponuntur hìc tamquam indicia operationum: quę ſi velimus diſtinguere, *Renes*, ſignificant appetitiones occultiſſimas ac deſideria, eò quòd in renibus vigeant: *Cor*, indicat cogitationes: *Lingua*: ſermones. Quamquam his omnibus tantùm accurate arcanorum ſecretiſſimorum ſcientia Deo tribuatur, hinc alibi eodem ſenſu dicitur, ſcrutans corda & renes Deus. ET CORDIS ILLIVS SCRVTATOR, Gręcè, ἐπίσκοπος, id eſt, inſpector & ſpeculator: ſcrutatio enim cordium, renum & profundorum Dei Spiritui S. tributa non ignorantis indagationem, ſed ſcientis comprehenſionem ſignificat, vt exponit Baſil. lib. 5. contra Eunomium.

7. QVONIAM SPIRITVS DOMINI REPLEVIT ORBEM TERRARVM, Spiritum S. tertiam perſonam ſignificat, ex cuius immenſitate hìc indicatâ, diuinitatem eius probant Origenes lib. 7. in cap. 9. ad Rom.

Athanaſ. Epiſt. ad Serapionem, & alii. Auguſtinus tamen ſpiritum Domini intellexit Deum ipſum, qui ſpiritus eſt, 3. contra Maximinum cap. 21. Simili prorſus modo Pſaltes Dei omniſcientiam ex eius immenſitate probat. Quò ibo à ſpiritu tuo, &c. ET HOC, QVOD CONTINET OMNIA, Phraſis Græca ſeruata eſt, vbi πνεῦμα eſt neutrum: Clariùs ergò Latine diceremus, *Et hic, qui continet omnia.* vt legit Auguſt. in Speculo. Similes græciſmos ſeruatos videre licet Apocal. 11. Duo candelabra in conſpectu Domini terræ ſtantes: Et cap. 19. Accipe librum, & in ore tuo erit dulce. Hoc ergò quod continet omnia, id eſt, ſpiritus omnia conſeruans ac fouens, SCIENTIAM HABET VOCIS, omnium ſcilicet, eorum quæ dicuntur & cogitantur. Malè proinde quidam, per *hoc quod continet omnia*, intelligunt ipſum vniuerſum, eò quòd, ſcientiam vocis, ſeu vocalem habeat, quia Cœli enarrant gloriam Dei, &c. alii hominem ipſum qui omnes alias continet creaturas: ſtatim enim ſubiungitur:

8. PROPTER HOC QVI LOQVITVR INIQVA, &c. NEC PRÆTERIET ILLVM CORRIPIENS IVDICIVM, hoc eſt, iudicium Dei arguens & caſtigans hominem, non ſinet maledicum inultum præterire.

9. IN COGITATIONIBVS ENIM IMPII INTERROGATIO ERIT, hoc eſt, inquiſitio, ſicut infrà cap. 6. Interrogabit opera veſtra, & Pſalm. 10. Deus interrogat, hoc eſt, examinat iuſtum & impium: ſcrutabitur enim Ieruſalem in lucernis, & manifeſtabit conſilia cordium.

10. QVONIAM AVRIS ZELI, ſiue zeloſa: zelotes enim Deus eſt, proinde curioſiſſimè inſtar zelantium indagat, & AVDIT, id eſt, intelligit OMNIA, ET TVMVLTVS MVRMVRATIONVM, ſiue murmur tumultuans, & animum ipſius hominis alioſque perturbans, NON ABSCONDETVR, à Dei auribus. Quamquam Auguſt. ſignificari putet cap. 16. de mendacio, ipſas animi murmurantis cogitationes ſecretiſſimas, ita perſpicuè Deo innoteſcere, vt etiam tumultus vocentur.

11. CVSTODITE ERGO VOS A MVRMVRATIONE, QVÆ NIHIL PRODEST, id eſt, quę nocentiſſima eſt, per meoſin ſcripturis vſitatã: quo ſenſu dicit alibi Propheta, Væ cogitantibus inutilia, id eſt, mala, & nolite declinare poſt vana quæ non proderunt vobis id eſt, perniciem afferent, Iſaiæ 3. Hinc nullum Hebręorum peccatum frequentiùs in deſerto diuinam vindictam accerſiuit quàm murmuratio ET A DETRACTIONE PARCITE LINGVÆ, id eſt, prohibete eam vehementer procliuem. Tanta enim huius mali libido mentes hominum inuaſit, vt etiam qui procul ab aliis vitiis receſſerunt, in iſtud tamen quaſi in extremum diaboli laqueum incidant putantes ſe fieri aliorum vituperatione laudabiles: QVONIAM SERMO OBSCVRVS, clanculum in auribus in ſuſurratus, IN VACVVM NON IBIT, nempe vt ſit liber, & immunis à perſequente ſupplicio: OS AVTEM QVOD MENTITVR, pernicioſo, & maximè detractionis mendacio, quod pręceſſit, OCCIDIT ANIMAM, mentientis, imò & audientis, cùm, vt ait Hieronym. de conſenſu datur auctoritas, alienumque nutritur vitium audiendo. Hinc Bernard. de triplici cuſtodia, vocat detractionem viperam, quæ tres vno flatu inficiat, loquentem mendacio, audientem conſenſu, lęſum animi offenſione & ſcandalo.

12. NOLITE ZELARE, id eſt, more zelantium auidè ſectari, MORTEM, pręmaturam, IN ERRORE VITÆ VESTRÆ, per errores ſcilicet & ſcelera vitæ, quibus ita errant omnes qui operantur malum, vt relicta via mandatorum Dei, vitę ſuę ſcopum non attingant.

13. QVONIAM DEVS MORTEM NON FECIT: vita enim in voluntate, ſeu beneplacito eius Pſal. 29, ira autem, id eſt, ſupplicium tantùm in indignatione eius, quæ tantùm propter peccata concipitur. Deus itaque creando non inſtituit hominem mortalem, ſed morte plectendo puniit peccatorem, vt docet Aug. 5. cont. Iul. c. 7. Mors ergò à Deo eſt vt vindice, à diabolo vt ſuaſore, ab homine vt auctore. NEC LÆTATVR IN PERDITIONE VIVORVM, id eſt, in morte tam corporis intempeſtiua, quàm animæ. Hinc apud Iſaiam c. 1. dolens exclamat, Heu

conſolabor ſuper inimicis meis: vbi dolor oſtendit, quam diſpliceat cauſa ſupplicij: conſolatio verò, quanta diuini iudicii æquitate de peccatoribus pœna ſumatur.

14. CREAVIT ENIM VT ESSENT OMNIA, non ergò vt perirent vel morerentur, quia mors peccato inuecta eſt. ET SANABILES FECIT NATIONES. Græcus habet, *ſalutares generationes*, ſicut etiam legit Hieronym. in c. 12. Zachariæ, hoc eſt, ſalutares & bonas fecit omnes creaturas ſeu naturas. Quod ſi verò ad homines reſtringas, fecit eos ſalutares, id eſt, ſine mortis contagio, quod nunc inoleuit: quamuis quidam intelligant, *ſanabiles*, quia poſſunt homines à Deo ab inductis per peccatum ægritudinibus animi & corporis inſtaurari. ET NON EST IN ILLIS MEDICAMENTVM EXTERMINI. Græcè *pharmacum perditionis*, ſiue perdens & exterminans, phraſi Hebr. Medicamentum ergò exterminii nihil eſt aliud quàm venenum aliquod, vel malum exterminans ſeu mortiferum, vt loco cit. legit Hieronym. Neque enim ipſa perditio & mors vel perditionis cauſa, à Deo creata eſt. Sic pharmacum Græcè frequentiſſimè, & ſubinde medicamentum Latinè in malam partem ſumitur. NEC INFERORVM REGNVM IN TERRA, hoc eſt, neque peccati, neque corruptionis & interitus, neque dæmonum in terra dominatum Deus inſtituit: nam etiam dæmonum tyrannis per peccatum hominis inducta eſt: ex quo factum eſt, vt princeps mundi & mortis dicatur. Quamuis ergò nunc omnes homines à Deo ſub peccato condantur, non hoc curat, inquit Auguſt. lib. 2. de Nupt. & Concup. cap. 16. vt diabolus habeat ſeruos, quos ipſe ſibi facere non poteſt, ſed bonitate ſua facit homines primos ſine peccato, & cæteros ſub peccato (propter vitium ſcilicet ſeminis) in vſus profundarum cogitationum ſuarum.

20. IVSTITIA ENIM PERPETVA EST ET IMMORTALIS, vel quia ad immortalitatem perducit, vel quia ex ſe & ſua natura perpetua eſt: in qua proinde creatus homo, ſi permanſiſſet, mortem non vidiſſet in æternum.

26. IMPII AVTEM, tum Adam, tum cæteri eius imitatores, MANIBVS, id eſt, operibus iniquis, ET VERBIS ACCERSIERVNT ILLAM, nempe mortem, quia Adam ſpontè ad interitum ruit, & imitatores eius iniquitatis magnitudine præmaturam ſæpè mortem attrahunt: ET ÆSTIMANTES ILLAM AMICAM, DEFLVXERVNT, id eſt, perinde ſeſe gerentes, quaſi pernicies, & mors ipſis eſſet amica & beneuola; nec ſuum illis eſſet aculeum infixura, contabuerunt in peccatis moriendique neceſſitate: ET SPONSIONES POSVERVNT AD ILLAM, ſicut dicunt apud Iſaiam cap. 28. percuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum, nempe ſic ſperantes, vt ſecurè & ſine metu, vel venturæ mortis hic viuerent, vtpote cum qua pactum iniiſſent, vt longâ vitâ fruerentur. Sed talibus reſpondet Iſaias, Delebitur fœdus veſtrum cum morte, &c. Hoc quaſi fœdere & ſponſione ſecuri primi parentes cùm audirent, Nequaquam morte moriemini, ſed eritis ſicut Dij, omniſcii ſcilicet & immortales, ſe poſteroſque omnes morte ac damnatione perdiderunt. QVONIAM DIGNI SVNT QVI SINT EX PARTE ILLIVS, nempe ex parte mortis, id eſt, digni ſunt, vt cum morte ſocietatem ineant, ſiue vt morte, propter illam viuendi ſecuritatem & peccata plectantur.

CAPVT II.

1. DIXERVNT ENIM. Pendet ex cap. præcedente: redditur enim hic ratio, cur digni ſunt morte: nam aſtruendo ſequentibus verbis, animam mori vnà cùm corpore, nihilque poſt hanc vitam ſupereſſe, gradum ſibi faciunt ad omnis pietatis & religionis euerſionem, adeoque ad ipſum atheiſmum.

2. EXIGVVM ET CVM TÆDIO, id eſt, breue & moleſtum, EST TEMPVS VITÆ: hæc enim ſunt duo humanæ vitæ incommoda præcipua quæ & Iob c. 14. ſignanter exprimit, Homo breui viuens tempore repletur multis miſeriis: Et Iacob dies vitæ ſuæ vocat paruos & malos. ET NON EST REFRIGERIVM IN FINE HOMINIS, id eſt, nulla mer-

mercedis retributio, nullum laborum & ærumnarum ſolatium. Vel quia Græcè eſt. *medicina*, ſignificant cùm finis ſiue mors aduenrat, nullum eſſe remedium, quod mortem impediat. ET NON EST QVI AGNITVS SIT REVERSVS AB INFERIS. Ex quo nempe intelligamus aliquid poſt hanc vitam ſupereſſe: quaſi verò immortalitati animarum aſtruendæ, neque Moyſes, neque Prophetę, neque naturale teſtimonium animæ, quæ benè & malè defunćto precatur, vt Tertull. de carne Chriſti c.12. neque iudicii diuini timor ſufficeret.

2. QVIA EX NIHILO NATI SVMVS, Græcum non ſignificat, ex nulla materia, ſed ex nulla prouidentia & cura, quaſi fortuito in hanc vitam effuſi ſumus, ideoque etiam poſt hanc vitam ERIMVS TAMQVAM NON FVERIMVS, quia nulla noſtri habebitur ratio, cùm omnia caſibus agantur, ita vt vita fortuitò emergat, & finiatur. QVONIAM FVMVS FLATVS EST IN NARIBVS NOSTRIS, id eſt, reſpiratio, vitæ indicium & fomes eſt inſtar fumi, qui facillimè diſſlatur & euaneſcit. ET SERMO SCINTILLA, id eſt, & ſermo noſter eſt inſtar ſcintillæ, quæ ab igne excitata momento extinguitur. AD COMMOVENDVM COR NOSTRVM: quia animus hominis tam audientis quàm dicentis oratione facillimè commouetur in quamuis partem. Quibus omnibus verbis hoc videntur velle ſignificare, quod Philoſophi quidam Hyparchus & Heraclitus apud Tertul. cap.1. de Anima putauerunt vitam noſtram nihil eſſe aliud, quàm viuacem quemdam ignem latitantem in corde, quod quando commouetur, ſcintillas emittat, nempe verba quæ loquimur, & fumum quo reſpiramus: cuiuſmodi ſcintillas, & fumum eructat ignis: proinde quemadmodum fumo ceſſante, ſcintiliſque deficientibus, ignis extinguitur: ita in nobis ceſſante cordis motu ſermoniſque ſcintilla ac fumo reſpirationis,

3. CINIS ERIT CORPVS NOSTRVM, extinctus enim ignis cinerem ſolet poſt ſe relinquere. Hinc Euſebius notat 11. de Præparatione, duobus nominibus. Hebraicis appellari hominem, Adam à terra, & Ish ab igne: quaſi illud conditionem corporis, hoc animæ deſignet. ET SPIRITVS DIFFVNDETVR TAMQVAM MOLLIS AER, id eſt, anima diffluet ac reſoluetur, inſtar aëris materialis. Aërem enim eſſe animam putauit etiam Diogenes. Stoïci verò cùm Platone (teſte Tertull. de Anima cap. 25.) arbitrati ſunt primâ aſpiratione naſcentis infantis adduci, ſicut exſpiratione nouiſſimè educi. ET TRANSIBIT VITA NOSTRA TANQVAM VESTIGIVM NVBIS. Significatur vitæ noſtræ mobilitas, vanitas, mortalitas, & quaſi nihil: quæ cauſa eſt, vt variis ſcripturæ locis vita noſtra rebus fluxis, caducis & mobilibus conferatur, vmbræ, fluctibus, vento, fumo, nuntio, naui tranſeunti, aui volanti, cineri, curſori, aëri, ſcintillæ, hoſpiti, herbæ, flori, fœno, nubi, nebulæ, roti, &c. ET SICVT NEBVLA A CALORE AGGRAVATA, id eſt, oppreſſa, cuius vi nebula, vel euaneſcit, vel in aquas coacta delabitur ac perit.

5. VMBRÆ ENIM TRANSITVS EST TEMPVS NOSTRVM, id eſt, vita noſtra inſtar vmbræ tranſit, quia ſemper mutatur, citò deſinit, nihil eſt ſolidi, & nihil poſt ſe relinquit. Vnde Iob c.8. Heſterni ſumus & ignoramus, quoniam ſicut vmbra dies noſtri. ET NON EST REVERSIO FINIS NOSTRI, hoc eſt fixus manet finis, neque regreditur, vt Græcũ ſignificat: Cuius rationẽ dant verbis ſequentibus, quia finis ſiue mors CONSIGNATA EST, id eſt, quaſi appenſo ſigillo immobiliter, & certo licet hominib[9] ignoto tempore conſtituta eſt: hoc eſt, enim quod Iob dicit, conſtituiſti terminos eius, qui prӕteriri nõ poterũt.

6. VENITE ERGO ET FRVAMVR BONIS QVÆ SVNT, præſentibus ſcilicet quæ videmus & palpamus relictâ futurorum incertitudine. Hæc eſt impiorum concluſio, ex vitæ noſtræ breuitate & miſeriis illata. Prudentiùs Paulus ex iiſdem principiis, Tempus, inquit, breue eſt, reliquum eſt vt qui gaudent, &c. prӕterit enim figura huius mundi. Sed vnde mel apis educit, inde venenum aranea. TAMQVAM IN IVVENTVTE, id eſt, tamquam qui ſumus iuuenes, quorum ętas voluptatibus capiendis idonea eſt, CELERITER, Græcè, ſtudioſè, non ſegniter, ſummâ curâ: quaſi dicerent, Comedamus & bibamus, cras enim moriemur.

7. VNGVENTIS NOS IMPLEAMVS, quia illis vtabantur ad delicias maximè in conuiuiis: Ad quem morem reſpiciens Magdalena, vnguentum effudit ſuper caput Ieſu: cuius quidem tantus apud delicatulos eſt abuſus, vt teſte Clemente Alexand. ipſas propemodum maculas olere cogerent vnguenti deliciæ: Sicut enim boues annulis & funibus, ita intemperans ſuffitibus & vnguentis, & ſuaueolentibus coronarum odoribus trahitur. Sed, vt idem ait, Voluptas cui nulla accedit vtilitas, meretriciorum morum opprobrium eſt. NON PRÆTEREAT NOS FLOS TEMPORIS, id eſt, florida iuuentus, ætatis noſtræ pars præſtantiſſima. Alii, ver intelligunt, quod iucundiſſima maximéque florida eſt anni tempeſtas.

8. CORONEMVS NOS ROSIS, ANTEQVAM MARCESCANT. Excluſæ roſæ marceſcunt, clauſæ non item: quod illæ, vt Clemens ait l. 2. pędag. c. 8. plurimum odoris fluxum totumque robur exſpirent. Hinc notanter Græcus habet, *Coronemus nos roſarum calicibus*, ſiue baccis, id eſt, roſis clauſis quæ minùs marceſcunt. Conuiuantes roſis ſe coronabant, tum propter delicias, tum quòd caput æſtuans vino refrigerent. Haſce coronas, tanquam ad commeſſationem, proteruiam, & inſolentiam comparatas, multùm improbant Clemens ibid. & Tertull. de Corona militis. Hinc S. Auguſt. in Pſalm. 51. Leuia videbantur iam dudum loqui, Coronemus nos roſis: quid delicatius, quid lenius? ſperares de hac lenitate cruces, gladios? Noli mirari, lenes ſunt radices ſpinarum, ſi quis eas contrectet, non pungitur, ſed quo pungeris, inde naſcitur.

9. NEMO NOSTRVM EXORS SIT LVXVRIÆ NOSTRÆ. Sic ſe inuicem cohortantur ad petulantiam. Impiis enim iucundiſſima eſt peccandi ſocietas, quia, vt inquit, Auguſt. 3. Confeſſ. c. 9. ſæpè ſolus homo non faceret, ſed cùm dicitur, eamus, faciamus, pudet non eſſe impudentem.

10. NEC REVEREAMVR CANOS, id eſt, ſenes inſolentiæ increpatores non curemus, nec illorum grauitate terreamur. Multi PP. quos infrà citabimus, hæc de Chriſto intelligunt: quorum nonnulli, per viduam, Eccleſiam; per veteranos, Apoſtolos, ac Doctores accipiunt. Generaliter tamen intellecta etiam vera ſunt.

11. SIT FORTITVDO NOSTRA LEX IVSTITIÆ, id eſt ius in armis feramus, & quidquid poſſumus, id iuſtum eſſe dicamus: QVOD ENIM INFIRMVM EST, INVTILE INVENITVR, quia varias malè agendi occaſiones elabi ſinit: Quæ cauſa fuit, vt Chriſtiani olim à Paganis, quaſi inutiles hominum ſocietate indigni hebetentur, & lex de diligendis inimicis ridicula.

12. CIRCVMVENIAMVS ERGO IVSTVM. A generalibus conſuetiſque impiorum conſiliis ad ſingulare quoddam facinus delabitur Scriptura: quod in Chriſtum Iudæorum impietas deſignauit, vt in ipſo meliùs intueamur, quid cæteri iuſti experti ſunt, vt loquitur Aug. in Pſal. 63. Quamuis enim nonnulli recentiores de quibuſvis iuſtis hæc velint intelligi, quotquot tamen veteres hæc verba ponderarunt, vnanimiter de Chriſto exponunt. Ex quibus Aug. dicit lib. 17. de ciuit. Dei c. 20. Paſſionem Chriſti hic euidentiſſimè prophetari. Conſentiunt Cyprian. l. 2. teſtimoniorum aduerſus Iudeos c. 14. Tertull. 3. contra Marcionem cap. 22. Ambroſ. de Ioſeph cap. 3. Cyrillus Alexandrinus in cap. 59. Iſaiæ, & clariſſimè Lactantius lib. 4. c. 16. Nonnè, inquit, ita deſcripſit illud nefarium conſilium initium contra Deum, vt planè interfuiſſe videatur? CIRCVMVENIAMVS ERGO IVSTVM, id eſt, inſidiemur verbis factiſque captioſis iuſto illi, quem vulgus ita vocat, vel quem ipſi inuiti ſic vocant, QVONIAM INVTILIS EST NOBIS. Plus intelligunt quàm dicunt: ſignificant enim eſſe ſibi moleſtiſſimum & incommodum: quod Græcum apertè ſignificat: ipſa enim iuſti præſentia moleſta eſt peccatoribus, quorum impietatem, vel ſola iuſti vita ſua auctoritate redarguit magis quàm ſi clarâ voce loqueretur, teſte Ambroſ. in Pſalm. 36. hoc eſt enim quod ſtatim ſignificant. ET CONTRARIVS EST OPERIBVS NOSTRIS, non tam verbis, quàm quia totum vitæ eius inſtitutum ex diametro moribus noſtris repugnat. Nam de verbis ſequitur: IMPROPERAT NOBIS

PECCATA LEGIS: exprobrando ſcilicet diuinæ legis tranſgreſſionem, cùm diceret, Nonne Moyſes dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem? ET DIFFAMAT IN NOS, id eſt, diuulgat paſſim contra nos, PECCATA DISCIPLINÆ NOSTRÆ, quæ ſcilicet in diſciplina noſtra committimus, nunc auaritiam arguendo, nunc ſuperſtitioſas traditiones diſciplinæ Phariſaiſæ, nunc neglectum cultus interni ad diuinæ legis. Variâ hîc recenſent opinione ſua crimina, quibus in odium Chriſti impulſi ſunt Iudæi, idque tam accuratè, vt exactiùs rationes odii ex hac prophetia, quàm ex ipſo penè Euangelio poſſint agnoſci. Enumerantur autem omninò duodecim: quatuor verſu 12. duæ verſu 14. & 15. quatuor item verſu 16. ET FILIVM DEI SE NOMINAT. Hoc fuit caput accuſationis, vt ex Euangelio patet. Vnde mutatis verbis illud infrà repetitur verſu 16. & 18.

14. FACTVS EST NOBIS IN TRADVCTIONEM COGITATIONVM, hoc eſt, traducit, ſeu redarguit, & in apertum profert cogitationes ſecretiſſimas & conſilia: cùm diceret, Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris? item cùm propalaret conſilium agricolarum dicentium intra ſe, Ipſe eſt hæres, venite occidamus eum.

15. GRAVIS EST NOBIS ETIAM AD VIDENDVM. Nam vt ait Aug. 7. Confeſſ. c. 16. ſe eſſe expertum, diſplicet iniquis iuſtitia, & oculis ægris odioſa lux, quæ puris amabilis eſt: praui enim tacitis iuſtorum moribus arguuntur, vt inquit Ambroſ. ſerm. 10. in Pſal. 118. DISSIMILIS EST ALIIS VITA ILLIVS, quia non tantùm paradoxa præcepta tradit de diligendis inimicis, abiiciendo faſtu, &c. ſed nullis ſe receptis Phariſæorum moribus & inſtitutis accommodat. ET IMMVTATÆ SVNT VIÆ EIVS: Supple, à noſtris & communibus, id eſt, prorſus ſunt aliæ. Simili propè de cauſa, cùm Nero Traſeæ Senatoris optimi ſpeciem venerabilem ferre non poſſet, de medio ſuſtulit. Qui enim viuit in multitudine, ferè vel ſimilis multis, vel multis exoſus eſt. Hinc Chriſtus, Si de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum erat, diligeret.

16. TANQVAM NVGACES ÆSTIMATI SVMVS, quia eludit noſtra conſilia, & tanquam pueriles & nugatorias obſeruantias noſtras irridet: ET PRÆFERT NOVISSIMA IVSTORVM, quia præmia eorum futura præſenti fœlicitati præponit: vel etiam magni facit, vt Græcè, ac beatum prædicat iuſtorum diſceſſum ex hac vita, quantumuis hîc triſtia patiantur. Hoc vt crimen impii obiiciunt, quos nempè ſuprà audiuimus vt vita futura, & retributione deſperantes, impudicitiæ & omni nequitiæ ſe tradidiſſe.

17. VIDEAMVS ERGO, &c. QVÆ ERVNT NOVISSIMA ILLIVS, quæ ſcilicet ipſe tantopere fœlicia & beata prædicauit. Varia volunt hîc reipsâ probare de Chriſto, quæ tamen omnia non eo ſenſu videntur dici quaſi ſeriò dubitantes, veritatem iſtâ viâ explorare voluerint; ſed omnia arbitrabantur euentura contraria: ſicut fratres Ioſeph, Venite inquiunt, occidamus eum, & tùnc apparebit, quid illi proſint ſomnia ſua: quaſi dicerent, nihil ei proderunt quod eos in figuram Iudæorum de Chriſto dixiſſet notat Ambroſ. lib. de Ioſepho cap. 3.

18. SI ENIM EST VERVS FILIVS DEI, SVSCIPIET ILLVM, in ſuam ſcilicet protectionem, id eſt, ei opitulabitur. Eadem hæc Matth. 27. Iudæi in Chriſtum blaſphemantes improperant: vt ſatis pateat hæc etiam per ironiam dici.

19. CONTVMELIA ET TORMENTO INTERROGEMVS EVM, id eſt, examinemus, & probemus eius virtutem duobus fortiſſimis virtutis probandæ mediis, nempe corporis cruciatu, & infamiâ, quia vt ſcriptura dicit Eccleſiaſt. 21. Prudens grauabitur contumeliâ: quæ ſi præſertim per calumniam irrogetur, conturbat ſapientem, & perdet robur cordis eius, Eccleſiaſtici 7. VT SCIAMVS REVERENTIAM EIVS, Græcè ἐπιείκειαν, id eſt, animi moderationem & tranquillitatem, quæ in tormentis & dedecore eniteſcit, cùm aliquis non perdit etiam erga perſecutores reuerentiam: Vel intellige reuerentiam, quæ ipſi à Deo deferenda eſt, præſeruando filium ſuum à malis. ET PROBEMVS PATIENTIAM EIVS, ita vt ſciamus, an ſit idoneus doctor veritatis, quia doctrina viri per patientiam noſcitur. Hinc aptè

Tertull. de Patientia capit. 3. Vos ô Scribæ, inquit, & Phariſæi ex patientia vel maximè noſſe deberetis ipſum eſſe Filium Dei: tantam enim patientiam niſi Deus, nemo exhiberet.

20. MORTE TVRPISSIMA CONDEMNEMVS EVM: qualis fuit mors crucis inter duos latrones. Hinc teſte Plutarcho, Romani quotannis canem affixum cruci circumgeſtabant in ſolemni pompa vt ſic intelligeretur, qui pro patria non vigilarent, tam ingenioſa morte afficiendo, ideoque diriſſimę imprecationes erant, In crucem; Ad CORVOS. Nec minus apud Iudæos maledictus erat omnis qui pendebat in ligno. Quibus ſi addas, nudos ſolitos fuiſſe crucifigi, neque Chriſtum hac ignominia caruiſſe, teſte Ambroſ. lib. 10. in Lucam, nihil videtur ad mortis turpitudinem addi potuiſſe. Hinc inferas non tantùm ex occaſione Barabbæ, ſed etiam ex propoſito crucem Chriſto fuiſſe deſtinatam. ERIT ENIM EI RESPECTVS EX SERMONIBVS ILLIVS, id eſt, Deus habebit reſpectum, Græcè, obſeruationem, & curam eius, vt ſæpè dictauit. Ironicè loquuntur.

21. EXCÆCAVIT ENIM EOS MALITIA EORVM. Voluntaria ergo fuit cœcitas, quia ex peccatis orta voluntariis, quibus ita erant affecti, & maximè paſſionibus odii & inuidiæ ita impediti, vt quamuis multa eorum quę ſcrutari volebant per tormenta, viderent impleri, tamen oculos ad lumen, quo ſubinde perſtringebantur, non libere erigere. Hinc impii apud Sophoniam capite 1. Væ nobis, quia peccauimus, ideo contenebrati ſunt oculi noſtri. Item, Ambularunt, vt cœci, quia Domino peccauerunt. Sic ergo peccata ſunt cauſa cæcitatis, & viciſſim cæcitas peccatorum. Cùm itaque inueteratâ illâ inuidiæ & odii malitiâ Iudæi in Chriſtum laborarent, quod mirum ſi ſolam Dei virtutem cogitantes, iuſto Dei iudicio, vt loquitur Auguſtinus lib. 12. contra Fauſtum capite 44. circa carnis infirmitatem errauerunt ac veluti cœci in Chriſtum impegerunt: temporali enim fœlicitati & ſplendori veteris Teſtam. proprio intenti non videbant eſſe iam tempus, quo reuelarentur in Chriſto bona æterna per temporalia mala quæ patiebatur, vt idem docet Epiſt. 120. cap. 6. Hac ergo de cauſa errauerunt.

22. ET NESCIERVNT SACRAMENTA DEI, id eſt, arcana Dei conſilia atque iudicia, qui per infirmitatem carnis Chriſti mundum liberare decreuerat. NEQVE MERCEDEM SPERAVERVNT IVSTITIÆ, in futura ſcilicet vita, idque vel putantes iuſtitiam temporali fœlicitate compenſandam, qua qui careret, iuſtus non eſſet: Quod etiam amici Iob arbitrari videntur: Vel quia ſi non verbo, ſaltem facto, vt ſuprà audiuimus dicebant, deſperauimus, poſt cogitationes noſtras ibimus, & vnuſquiſque prauitatem cordis ſui mali faciemus, vt dicitur Ieremię 18. NEC IVDICAVERVNT, id eſt, non reputauerunt ſecum, nec expenderunt, HONOREM ANIMARVM SANCTARVM, honorabile ſcilicet illud præmium, vt Gręcè eſt, quod animabus ex contumeliarum perpeſſione repoſitum eſt. Nec item expenderunt, in quam honorabili integritate & ad quantam excellentiam Deus hominem primitùs inſtituerat, vt huius honoris conſideratione peccatum horrerent.

23. CREAVIT HOMINEM EXTERMINABILEM. Græcè, *ad incorruptionem*? hoc eſt, vt eſſet incorruptibilis & inexterminabilis ſi non peccaret. ET AD IMAGINEM SIMILITVDINIS SVÆ FECIT ILLVM, id eſt, ad imaginem, ſeu vt eſſet imago ſimillima ſibi, capax mercedis, iuſtitię, non tantùm temporalis, ſed etiam æternę. Quamuis imago poſſit etiam ſumi pro exemplari. Imago hæc non in corpore ſita eſt, quamuis in eo reluceat, ſed in anima, quòd ea ſit intellectualis, incorruptibilis, incorporea, libera, gratiæ Deique capax, animalium ſuique corporis tanquam mundi cuiuſquam corporei domina & rectrix. Hęc peccato perdi non potuit, potuit tamen exacta illa ſimilitudo perdi quæ ex gratia oriebatur. Vnde & renouari indiget ſecundùm Apoſtolum.

24. INVIDIA AVTEM DIABOLI, &c. quia homini ſpem æternæ fœlicitatis inuidebat, qua ipſe exciderat. Perſuaſit ergo

peccatum, vt anima & corpore mortuus, ſibi per omnia ſubderetur, nempe ordine tam naturæ quàm virii: nam antea per iuſtitiam erat homo dæmone ſuperior, & ab eius dominatu exemptus; nam etiam hanc excellentiam homini inuidiſſe notat Irenęus l. 5. MORS INTROIVIT IN ORBEM TERRARVM, non propagatione, ſicut mors per vnum hominem intrauit, ſed incitatione, & in primis dæmonis imitatione, vt docet Aug. l. 1. de pecc. merit. c. 9. Sequitur enim,

25. IMITATVR AVTEM ILLVM, diabolum, QVI SVNT EX PARTE ILLIVS, id eſt, qui melioribus inuident pereuntes ipſi, & perdentes fratres inuidiâ, ſicut ipſe diabolus liuore periit primus, & perdidit, vt loquitur Cyprianus libro de zelo & liuore. Quem morbum diabolicum nonnulli antiqui incurabilem vocant. Vnde enim ſibi parauit ſalutem, qui de ſalutis, materia facit perniciem, aliorum ſanctæ viuentium merita, ſua faciens inuidendo peccata, vt loquitur Proſper lib. 3. de vita contemplatiua, cap. 9.

CAPVT III.

1. IVSTORVM AVTEM ANIMÆ IN MANV DEI SVNT: id eſt, in tutela & patrocinio Dei ſunt quorum libet Iuſtorum animæ ex corpore egreſſæ, & maximè martyrum, de quibus hic agitur, & quibus hoc Eccleſia aptauit. ET NON TANGET ILLOS TORMENTVM MORTIS, ſecundæ ſiue æternę: de iam de defunctis enim videtur eſſe ſermo. Imò nec ipſa tormenta, quibus impii in morte cruciantur, iuſtos attingent ſcilicet non damnationis metus, non mundi amiſſi dolor, non peccatorum præteritorum horror, & quod maximè ſpectat martyres, quia non cedunt mortis ſuppliciis, ſed potiùs ipſis ſupplicia ceſſerunt. Finem enim doloribus, quem tormenta non dabant, coronæ dederunt, inquit Cyprian. Epiſt. 6. lib. 2.

2. VISI SVNT OCVLIS INSIPIENTIVM MORI, id eſt, penitus interire corpore & animâ, irritis omnibus virtutum laboribus.

3. ET QVOD A NOBIS EST ITER, migratio ſcilicet ex hac vita videtur impiis eſſe, EXTERMINIVM, Gręcè, *côtritio*, quaſi per mortem iuſti inſtar vaſis teſtacei contererentur in nihilum euaneſcentes, nullaque arte reparabiles. ILLI AVTEM SVNT IN PACE, æterna, quæ exſuperat omnem ſenſum. Per *pacem* autem Hebr. & Scriptura omne fœlicitatis genus ſignificant. Hoc autem iuſtis contingit, quia, vt Aug. 13. de ciuit. cap. 4. Tantam Deus præſtitit gratiam fidei; vt mors inſtrumentum ſit, per quod tranſitur ad vitam.

4. SPES ILLORVM IMMORTALITE PLENA EST, quia glorioſam corporis & animæ immortalitatem certiſſimâ expectatione præſtolantur: de iuſtis enim defunctis loquitur, quorum dicitur ſpes plena, non inanis & vacua, quia non fruſtrabuntur expectatâ immortalitatis mercede.

5. IN PAVCIS VEXATI. Græcè, paucis correpti, caſtigati, & eruditi: Tormenta enim caſtigatio, & diſciplina ſunt iuſtis; quæ meritò illis parua, leuis & momentanea videtur, quia non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam. DEVS TENTAVIT EOS, tentatione non deceptionis, quâ Deus intentator malorum non eſt, ſed probationis; quæ ſecundùm Auguſtinum gratulanda eſt, quia plerumque aliter non poteſt ſibi ipſi humanus animus innoteſcere. Vnde à Deo iuſti tentantur, vt eorum virtus ſæculo in notitiam proferatur à Deo.

6. TANQVAM AVRVM IN FORNACE PROBAVIT ILLOS: quia vt illud igne non læditur, ſed eniteſcit purius, ita nec Martyres igne tribulationis conſumpti ſunt, ſed aſſumpta peccatorum & imperfectionum ſcoriâ, putiores emicuerunt. QVASI HOLOCAVSTI HOSTIAM ACCEPIT ILLOS: quia Martyres reipſa ſe totos Deo quaſi holocauſti victimas igne charitati, ſuccenſas, igne paſſionis conſumptas immolarunt: holocauſtum enim totum in Dei honorem cremabatur. ET IN TEMPORE opportuno ſcilicet in die iudicii, ERIT RESPECTVS ILLORVM, quia habebitur eorum ratio, corpore & immortalitate ipſis reſtituta.

7. FVLGEBVNT IVSTI celebritate famæ ac laudis, virtutibus ac miraculis in hac vita: ET TANQVAM SCINTILLEÆ IN ARVNDINETO

DISCVRRENT, quia ambulant hîc virtute lucentes inter improbos, quos exemplo ſuo incendunt, & correptionibus vrunt. Ita ferè Greg. lib. 33. Moral. cap. 3. & Athanaſ. Apologia pro fuga ſua. Sed quia quæ cohærent, de Iuſtis iam defunctis accipiuntur; Hinc aptiùs. FVLGEBVNT IVSTI corporis & animæ glorioſo fulgore in futura vita, magnæque agilitatis & penetrabilitatis dote diſcurrent: incenſo enim arundineto ſcintillæ magna luce & agilitate huc illuc volitant.

8. IVDICABVNT NATIONES, omnes quidem ſancti approbationis & comparationis iudicio; tot enim Iudicibus inops adſtabo, inquit Auguſt. in Meditat. quot me præceſſerunt in opere bono: Apoſtoli verò & viri Apoſtolici, etiam iudiciariæ ſedis conſortio, quo & Angelos iudicabunt. DOMINABVNTVR POPVLIS, vel quia illis præerunt, quibus ſalutem verbis atque exemplis attulerunt, vel quia etiam facient vindictam in nationibus & increpationes in populis, pugnantes ſimul cum orbe terrarum contra inſenſatos.

9. QVI CONFIDVNT IN ILLO, INTELLIGENT VERITATEM, illorum ſcilicet verborum, quæ de remuneratione Sanctorum promiſſa, à ſcripturis prodita ſunt, nam vt fides intelligentiæ meritum eſt, ita & fiducia. Vel *intelligent veritatem*, quia illam reipſa experientur: opponitur enim hoc pœnæ impiorum futuræ, quæ ſequitur inferius. ET FIDELES IN DILECTIONE, qui nempè ita conſtanter & fideliter diligunt vt nihil eos poſſit à charitate Dei ſeparare, ACQVIESCENT ILLI, quia obſcuris myſteriis ſine reluctatione credunt, & voluntati Dei ſine murmure obediunt. Porrò Græcum verbum ſignificat, aſſiduè adhærebunt illi; quod aptiſſimè acceperis de præmio vitę futuræ, de quo hactenus ſermo fuit: quo etiam modo Latinum verbum, licet impropriè, exponi poſſet. QVONIAM DOMVM, intelligentię, vel potiùs eximium illud gloriæ præmium, ET PAX, ſiue omnis fœlicitas repoſita EST ELECTIS EIVS.

10. IMPII AVTEM SECVNDVM QVÆ COGITAVERVNT, id eſt, ſic quemadmodum peruerſæ eorum cogitationes metuerunt, CORREPTIONEM HABEBVNT, id eſt, increpabuntur & punientur, cùm audient, illud: Ite maledicti, &c. Vel fortaſſis ſignificat, id impio eſſe euenturum, quòd quantumuis athea; horrore tamen ſcelerum ſuorum perturbata ipſius conſcientia, ſubinde pręſumebat ac verebatur: tanta enim ineſt animæ rationali de diuino iudicio ac de ſua immortalitate credulitas, vt meritò propter hoc alicubi exclamet Tertull. O teſtimonium animæ naturaliter Chriſtianæ!

11. VACVA EST SPES ILLORVM, quam de futuris vanè pręſumunt. Nam vt dicitur c. 5. Spes impii tanquam lanugo eſt, quæ à vento tollitur. ET LABORES SINE FRVCTV, quia non poſſunt æternum vitæ fructum ex ſe proferre, nec ſi quis eſt fructus huius ſęculi amariſſimis laboribus eiuſdem ſęculi dignus eſt.

12. MVLIERES EORVM INSENSATÆ SVNT, tum virorum impiorum imitatione facilè enim mens infirma, mores eorum ſibi aſſciſcit, quorum auctoritati aliquid tribuit: tum etiam, quia cùm ſint tales, impiis in pœnam impietatis obtingunt: domus enim & diuitiæ dantur à parentibus, à Domino autem propriè vxor prudens Prouerb. 19. Quæ quàm grauis punitio ſit, ſatis intellexit ille qui dixit: Cor humile, & facies triſtis, & plaga cordis, mulier nequam, Eccleſ. 25. Hanc autem deſtinari in pœnam, ſignificat adiungens, Sors peccatorum cadat ſuper illam. Per inſenſatam autem mulierem, videtur adulteram intelligere, de quibus multa hîc ſequuntur. ET NEQVISSIMI FILII EORVM, quia mali corui malum ſolet eſſe ouum: paterna enim educatio, inſtitutio, exemplum, ſolet infirmam illam ętatem ad omnem impietatem peruertere. Hæc rurſus grauiſſima parentum pœna eſt, qua Deus ſæpè ſolet eorum impietatem caſtigare.

13. MALEDICTA CREATVRA EORVM, id eſt, progenies & poſteritas, tum quia Patrum ſuorum maledicta ſcelera eorum imitantur, tum quia intuitu peccatorum parentum, Deus ſæpè ſolet poſteros relinquere omni maledictioni obnoxios, vt olim

potuit in Chananæis, nunc in Iudæis: quo ſenſu, quia patres eorum comederunt vuam acerbam, ſępe filiorum dentes obſtupeſcunt. QVONIAM FOELIX STERILIS, non naturæ vitio, quæ tunc temporis potiùs maledicta cenſebatur, ſed caſtæ voluntatis arbitrio: ad quod ſignificandum Græca legunt, *ſterilis illa quæ eſt immaculata*: quomodo etiam legit Hieron. in cap. 56. Iſa. quin etiam infrà, non quilibet ſpado, ſed quia non eſt operatus manu iniquitatem, beatus dicitur. QVÆ NESCIVIT THORVM IN DELICTO, id eſt: quæ virginitatem nulla carnis concupiſcentia, nullo concubitu maculauit: HABEBIT FRVCTVM, ſi non carnales filios, at certè aliam longè excellentiorem: IN RESPECTIONE ANIMARVM SANCTARVM, cùm ſcilicet Deus ſanctas animas iudicii viſitatione, diſcretione, ac remuneratione reſpicit.

14. ET SPADO, qui ſeipſum caſtrauit propter regnum cœlorum, auferens ſibi concubitus poteſtatem, non carnis impotentiâ, quid potius nefas eſt, ſed mentis vinculo indiſſolubili, quod nihil eſt aliud quàm votum: QVI NON EST OPERATVS PER MANVS SVAS INIQVITATEM. Duo in hoc ſpadone requiruntur: Primum quidem, vt non ſit operatus per manus ſuas, ſeu manu, vt habet Græcus, iniquitatem: Per quod ſignificatur vel generaliter immunitas à criminibus; vel ſpetiatim potius illa impuritatis labes innuitur, quæ membrorum tactu caſtitatem polluit, vt notat Epiphanius hæreſi 26. à qua tacitè Scriptura inſinuat tamquam à peculiari laqueo eſſe cauendum illis ſpadonibus. Alterum eſt, vt NON COGITAVERIT ADVERSVS DEVM NEQVISSIMA: per quod omnis occultiſſimarum, cogitationum obſcœnitas remouetur: quæ quia nemine, niſi ſolo Deo conſcio ac teſte committitur, ſatis propriè aduerſus Deum cogitari dicitur: tenera enim ac delicata eſt pudicitia, nam cùm omnes templum ſimus Dei, eius templi æditua & antiſtes pudicitia eſt, quæ nihil immundum vel profanum inferri ſinat, vt ait Tertullian. lib. de cultu fœminarum cap. 1. DABITVR ENIM ILLI FIDEI DONVM ELECTVM, id eſt, præmium ſingulare & eximium, quod eius fidei ſeu fidelitati reſpondet. ET SORS IN TEMPLO DEI ACCEPTISSIMA, id eſt, hereditas ac merces grauiſſima & delectabilis, vt habet Grçcus. Hæc ſors non tantum erit æterna, iucundiſſimaque diuinitatis contemplatio, ſed peculiaris quædam caſtitatis prærogatiua, quam Apocalypſis exponit, quòd ſequentur Agnum quocumque ierit, & cantabunt canticum nouum, quod nemo dicere poterit, &c. Ad hunc locum alluſiſſe videtur Iſaias cap. 56. vbi promittit ſpadonibus in domo Dei nomen præ filiis ac filiabus, nomen ſempiternum, quod non peribit.

15. BONORVM ENIM LABORVM, quibus ſpadones ad propugnandam ſuæ puritatis arcem depugnant, propter quorum difficultates Chriſtus dixit, Qui poteſt capere capiat, & Aguſt. ſerm. 250. de tempore, Sola duriora ſunt præmia caſtitatis, vbi quotidiana eſt pugna, & rara victoria. GLORIOSVS EST FRVCTVS, id eſt, copioſa ac pręſtans merces, quia fructus centeſimus aſſignatur caſtitati à multis Patribus, & peculiaris corporum aureola in cœlis. ET QVÆ NON CONCIDAT RADIX SAPIENTIÆ, id eſt, radix ſapientiæ ſtabilis & firma, bonorum caſtitatis laborum eſt merces. Nam ſicut Sapientia Chriſtiana eſt radix caſtitatis, ita viciſſim ſapientiæ nutrix, auctrix & cuſtos eſt caſtitas.

16. FILII AVTEM ADVLTERORVM, ex adulterio ſcilicet nati, & in parentum flagitiis educati, IN CONSVMMATIONE ERVNT, Gręcè, *imperfecti erunt*, ſeu immaturi, quia vel ante tempus ſuum, vel antequam ediderint fructum, interibunt.

17. IN NIHILVM COMPVTABVNTVR, apud Deum & homines contempti, quia nihil honore dignum præſtiterint. ET SINE HONORE SENECTVS, propter nequitiam & inſipientiam; quod profectò graue ſupplicium eſt ſenectutis, vt cui ab omnibus apud omnes nationes magnus honor deferri ſoleat.

18. NON HABEBVNT SPEM, vitæ immortalis & gloriæ, NEC IN DIE AGNITIONIS, quo cauſa eorum agnoſcetur à iudice, ſeu

in die diſcretionis ac diiudicationis, vt habet Græcus, ALLOCVTIONEM, id eſt, ſolatium, phraſi Græca: ſic enim & capit. 8. Sapientia dicitur futura allocutio, id eſt, ſolatium cogitationis & tædii: quo pacto etiam Latiniſſimi Auctores loquuntur: Hinc Horatius, *Deformis ægrimoniæ, Dulcibus alloquiis.*

19. NATIONIS ENIM INIQVÆ, maximè adulterorum & poſteritatis eorum, DIRÆ SVNT CONSVMMATIONES, id eſt, infœlices exitus: Conſummatio enim non rarò accipitur pro conſumptione, vt Eſdræ, 1. cap. 9. Nunquid iratus etiam nobis vſque ad conſummationem, &c.

CAPVT IV.

1. O QVAM PVLCHRA EST CASTA GENERATIO, non quælibet, qualis eſſe poteſt etiam in ſtatu coniugali: Græcè eſt enim *atecnia*, id eſt, ſterilitas, ſiue vt legit Cypr. de ſingularitate clericorum, eſſe ſine liberis. Alii, vt Ambroſ. Melior eſt virginitas, nempe quam talis adulterorum ſceleſta fœcunditas. Proſequitur igitur per antitheſin præcedens caput, opponens adulterorum fœcunditati caſtam generationem, id eſt, genus vel congregationem hominum caſtam: CVM CLARITATE, id eſt, cuius ſterilitas ſeu caſtitas ex animi virtute tam illibata & circumſpecta proficiſcitur, vt nullam occaſionem det aduerſario maledicti gratia: hoc enim multùm obfucat caſtitatis gloriam: Quanti enim, inquit Ambroſ. 1. Officior. cap. 20. non dant locum errori, qui dederunt ſuſpicione. Hinc conſequenter conditiones vtriuſque generationis comparat, opponens breui adulterorum vitæ nominis immortalitatem: ignominioſæ ſenectuti, imitationem caſtorum ac deſiderium. IMMORTALIS EST ENIM MEMORIA ILLIVS, generationis caſtæ, quia nominis immortalitate compenſat poſteritatis propagationem, quæ ex connubio quæritur: ſic enim in ſemetipſa ſemper viuit, ſicut coniugati in poſteris: & hoc eſt quod illis Iſaias promittit, Nomen melius à filiis & filiabus, nomen ſempiternum, APVD DEVM NOTA EST, ET APVD HOMINES, quia à Deo & hominibus cum laude probatur: quę cauſa eſt immortalis memorię, noſſe enim Dei, probare eſt: non noſſe improbare: ſic enim nouit vitam iuſtorum, impiis verò dicit, non noui vos.

2. CVM PRÆSENS EST, caſta ſcilicet generatio, IMITANTVR ILLAM: Infirmis enim ac trepidantibus ſe accigere ad caſtitatis imitationem, oſtendit ſeſe caſta dignitas continentiæ ſerena, & non diſſolutè hilaris, honeſtè blandiens, ne dubitent ſeſe imitari, &c. vt latiùs hoc graphicè depingit Auguſt. 8. Confeſſ. cap. 10. ET DESIDERANT EAM, tamquam florem Eccleſiaſtici germinis, decus & ornamentum gratiæ ſpiritualis, vt inquit Cyprian. lib. de habitu virg. CVM SE EDVXERIT. Græcè, cùm receſſerit caſta generatio, vel morte, vel locorum migratione: Nam ſæpè contingit illud Horatii, *Virtutem incolumem odimus, ſublatam ex oculis quærimus inuidi.* TRIVMPHAT INCOINQVINATORVM CERTAMINVM PRÆMIVM VINCENS, id eſt, vincendo obtinens triumphalem coronam & laureolam, quę velut præmium dabitur acerrimis & indefeſſis caſtitatis certaminibus, quibus ad carnis coinquinationem impellitur, ſed non perpellitur, ſuadetur ſed non perſuadetur: maior eſt enim ille qui in nobis eſt, quàm qui in mundo. Porrò Græcè eſt inuerſo modo, ſenſu ſimili, Certamen prǽmiorum incoinquinatorum vicens, id eſt, certamen cui incoinquinata præmia promiſſa ſunt, quomodo etiam legit Cypr. de ſingularitate Clericor.

3. ET SPVRIA VITVLAMINA id eſt, adulterinę plantationes ſeu ſtolones, hoc eſt, proles ex adultero propagatę. NON DABVNT RADICES, altas nempe, quia vel ipſi vel eorum poſteritas non erit diuturna. Nomen autem (vitulamina) interpres formauit, à vitulo, ad imitationem Gręcorũ, qui μοσχεύματα, id eſt, plantationes, formauit à radice μόσχος, id eſt, vitulus, vt annotat S. Aug. lib. 2. de doctr. Chriſt. cap. 12. vbi hoc emendandum putat. Quamquam licuerit fortaſſis Interpreti nouum vocabulum effingere, iuxta formationem linguę Græcę, in qua huiuſmodi fictio familiaris eſt.

4. Et si in ramis in tempore germinaverint, id eſt, ſi ſpurii ad tempus aliquod poſteritatem velut ramos propagauerint, vel etiam virorem aliquem proſperitatis adepti fuerint, infirmiter posita, &c. eradicabuntur, eò quòd careant fundamento Iuſtitiæ, adulterinâ origine attrahente poſt ſe malum, vt penè fieri ſolet, educationem.

5. Et fructus illorum acerbi ad manducandum. Significat ſimilem ferè eſſe parentibus prolem, in qua illorum improbitas & ſalacitas propagetur ſimul cum corpore. Ex tali enim arbore, quos niſi fructus acerbos expectes, Dei vindictâ eos perſequente?

6. Ex iniquis enim somnis qui nascuntur, id eſt iniquo concubitu, quo ſenſu & *dormire* vulgò, & Gen. 39. accipitur. Testes sunt nequitiæ adversus parientes, tum quia perpetuum impudicitię parentum dant teſtimonium, tum quia parentum prauitatem & libidinem imitatione hæreditando nequitiam eorum quos imitantur, produnt: In interrogatione sua, cum ſcilicet interrogati ſuam originem & parentes coguntur propalare.

7. Iustus autem si morte præoccupatus fuerit, præmaturè ante vulgi opinionem, vel annorũ ſenectutem abreptus, In refrigerio erit, quia in requie: Amodò enim iam dicit ſpiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis; quod etiam iuſtis ante Chriſti glorificationem competebat. Proinde vt Bernardus Epiſtol. 105. Bona mors iuſti propter requiem, melior propter nouitatem, optima propter ſecuritatem.

8. Cani autem sunt sensus hominis. *Senſus*, eſt ſingulare, *& cani* ſubſtantiuum pro canitie, vt in Græco inſinuatur, hoc ſenſu, Senſus ſiue prudentia eſt homini loco canitiei. Vnde Hieronym. & Ambr. legunt, Canities eſt prudentia ſeu intellectus hominibus: illis nempe, quibus, vt idem ait, Maturitas conſilii grauitaſque ſuppetit. Verè enim ſenectus illa eſt venerabilis, quæ, vt Ambroſ. lib. 3. Epiſtol. 21. non canis albeſcit, ſed meritis: Non enim annorum eſt canities illa laudanda, ſed morum; quæ eò eſt fortior, quo diuturnior. Hinc Scriptura Eccleſ. 25. Quam ſpecioſum canitiei iudicium, & presbiteris cognoſcere conſilium! Senex enim fatuus & inſenſatus, puer eſt, etſi ſit centum annorum.

9. Et ætas senectutis vita immaculata, quia illa, vt Bern. Epiſt. 42. moribus antiquat dies præueniens tempora meritis, & quod ætati deeſt compenſans virtutibus: Cùm enim familiaria iuuentuti flagitia paulatim ſoleat ſenectus eluere, profectò qui iuuentutem duxit immaculatam, iam ſtatum & officium ſenectutis præripuit. Sed quia mirari quis poſſet, cur ergo iuſtus morte immatura præoccupetur, rationes aliquas ſuggerit.

10. Placens Deo factus: ita Græca diſtingunt: Dilectus est, nempe à Deo, atque hac de cauſa, vivens inter peccatores, & proinde in magnis peccandi periculis, translatus est in aliam vitam à periculis ſecuriorem. Nonnulli putant de Henoch ſermonem eſſe: verba enim ſunt eadem hîc & Gen. 5. & ad Hebr. 11. Sed tamen textus ſatis innuit, de quouis iuſto agi: Et ſic locum tractat Cypr. lib. de mortalitate, & Auguſt. de prædeſtinat. Sanctor. cap. 14. & de corr. & grat. cap. 18. ſic tamen vt fiat alluſio ad Henoch.

11. Raptus est ne malitia mutaret intellectum: quod in tam variis peccandi occaſionibus, tentationibus, exemplis, quotidianum eſt: Aut ne fictio deciperet animam, id eſt, ne dolus hypocritarum, vel potiùs, ne laruata bonorum temporalium ſpecies atque illecebra innocentem animam deciperet, ſicut Deus hoc euenturum cernebat. Magnum ergo iuſto mortis acceleratio beneficium eſt. Cauſas breuiter tangit Cyprian. lib. de mortalitate: quia, inquit, lucrum maximum eſt iam ſæculi laqueis non teneri, iam nullis peccatis & vitiis carnis obnoxium fieri, exemptum preſſuris augentibus, &c. Ex quo eodem loco Auguſt. inuictè concludit contra Pelag. Neminem iudicari à Deo ſecundùm merita vel demerita, quæ ſi viueret eſſet habiturus: Itemque perſeuerantiam eſſe inæſtimabile Dei donum, quod quibus

Sapient. Ttt

voluerit, ipſe largiatur: quoſdam enim iuſtos morte præuenit, ne labantur, alios donec labantur, vita productiore conſeruat, iuſto quidem, ſed inſcrutabili iudicio.

12. Fascinatio enim nvgacitatis, id eſt, incantatio ſeu iudicii obtenebratio per quam nugæ & res friuolæ huius mundi mentis oculis velut faſcino peſtrictis, maiori amore & admiratione dignę apparent, quàm rei veritas ferat, Obscvrat bona, ſpiritualia & æterna, ita vt videantur temporalibus poſtponenda vel non intelligantur atque amentur vt debent. Hoc præſtant imprimis animę paſſiones, quæ à rebus temporalibus concitatæ ita faſcinant ac dementant animam, vt homo ſemetipſum ſibi comparans, totus ſibi alius eſſe videatur. Et inconstantia concvpiscentiæ, Græcè, vertigo & circumrotatio concupiſcentiæ, qua nunc hoc nunc illud effrænis & ſine ſatietate deſiderat, nunc veluti dormiens quieſcit atque hominem ſecurum reddit, nec illecebris irritata exardeſcit, Transvertit sensvm sine malitia, id eſt, animum ſincerum & malitię expertem euertit ex iuſtitię ſtatu. Hinc Daniel ſedibus impudicis, Species, inquit, decepit te, & concupiſcentia ſubuertit cor tuum: illâ enim quieſcente multi conſeruarent ſtatum iuſtitiæ.

13. Consvmmatvs in brevi, id eſt, breui tempore virtutis perfectionem aſſecutus, Explevit tempora mvlta, id eſt, cenſetur ſatis diu vixiſſe, multoſque annos pertuliſſe, qui aliis ignauis fuiſſent neceſſarii. Hoc enim eſt redimere tempus, quoniam dies mali ſunt: quod qui faciunt, nihil mirum ſi nouiſſimâ horâ venientes ad vineam, pares fiant primis. Veriſſimum eſt enim illud Prouerbium: Vixit, dum vixit benè.

14. Popvli avtem videntes, &c. Supple, fuerunt, id eſt, viderunt & non intellexerunt, cur immaturâ morte defunctus ſit iuſtus, ſed vel eum peccatis hoc meritum, vel pietatis eius ſtudium inutile eſſe cenſuerunt: Nec ponentes in præcordiis talia, quę de iuſti morte iam dicta ſunt, & quę iam iam dicentur.

15. Qvoniam gratia Dei, id eſt, non intellexerunt quòd raptus ille iuſti ex hac vita proficiſcatur ex gratia Dei, ſiue beneuolentia eius & miſericordia erga iuſtum. Et respectvs in electos illivs, id eſt, quòd magna iuſti obſeruatio & cura à Deo habeatur, etſi videatur hîc negligi.

16. Condemnat avtem ivstvs mortvus, &c. nimirum, quia tam breui tempore illam virtutis conſummationem adeptus eſt, impiis in ſua iniquitate vſque ad ſenium inhærentibus. Et ivventvs celerivs consvmmata, perfecta ſcilicet virtutibus, vel fortè celeriùs conſumpta per immaturam mortem, condemnat longam vitam inivsti, ſcilicet ſui comparatione: Cuiuſmodi condemnatione Regina Auſtri & Niniuitę ſurgent in iudicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam.

17. Videbvnt enim finem sapientis. Redditur hîc ratio verſus 14. cur iuſtus præmaturè raptus ſit: frequens eſt enim Scripturis, vt reſpiciat ad ea, quę remotè precceſſerunt. Et non intelligent qvid cogitaverit de illo Devs, nempe iuſtum eſſe tollendum, eò quod verſaretur inter delinquendi pericula; quòd impii eſſent eius conuerſatione indigni, quòd ad præmii perceptionem maturauiſſet: ex quarum rerum cogitatione timorem, ſuæ ſalutis ſollicitudinem, ſuæ indignitatis compunctionem iniuſti concipere potuiſſent. Et qvare mvnierit illvm Dominvs, ſtabiliendo contra lapſum, donans illum per mortem vitæ ſecuritate.

18. Et contemnent evm, tamquam abiectum propter vitę humilitatem & conuerſationis ſollicitudinem; quas ſuperbia impiorum deteſtatur: Illos avtem Dominvs irridebit, Iſaia dicente, Cùm fatigatus fueris contemnere, contemneris. Metaphora eſt ab hominibus ducta, qui hominum ſtoliditates irrident.

19. Ervnt decidentes sine honore, quia vel infami etiam huius mundi morte peribunt, qualis impiis non rarò contingit: vel per mortem cadunt in ſempiternum opprobrium: quod idem more Scripturæ ſtatim clarioribus verbis exponit. Qvo..

NIAM DISRVMPET ILLOS INFLATOS SINE VOCE. Græcè diſrumpet pronos & mutos: quaſi dicat, ita conſtringet eos, vt voce non audeant hiſcere, nec præ pudore & timore vultum erigere: ſecundùm illum Matth. At ille obmutuit, nihil ſcilicet habens quod reſponſaret. Sed Latinus interpres videtur verbum Græcum quod pronum ſignificat à πρήθω deduxiſſe, vt ſignificet inflammatum vel inflatum: ita enim inflammati conſequenter ſuperbi & inflati eſſe ſolent: ſic enim dicitur Gen. 31. Iacob tumens, id eſt, iratus cum iurgio dixiſſe. COMMOVEBIT ILLOS A FVNDAMENTIS, quia radicitùs illos ſubuertet ac delebit.

20. VENIENT IN COGITATIONE PECCATORVM, id eſt, in recordationem, vel vt Græcè eſt, ſupputationem, quaſi eorum numerum ineuntes: TIMIDI, de inſtanti iudicio & ſupplicio: iuſto enim Dei iudicio timor peccantium, pœna eſt peccatorum. ET TRADVCENT ILLOS, id eſt, redarguent eorum peccata, EX ADVERSO, quia contra illos ſtabunt & accuſatorum loco aduerſabuntur: Deus enim iuxtà Pſalm. 49. arguet eos, & ſtatuet totam illorum vitam contra faciem eorum: & ita fiet quod hîc dicitur, & clariùs apud Ierem. c. 2. Arguet te malitia tua, & auerſio tua increpabit te, ita nempe vt alieno accuſatore non ſit opus.

CAPVT V.

1. TVNC, in die iudicii, STABVNT IVSTI. De Chriſto ſolo nonnulli intelligunt, cuius perſecutio, ac paſſio ſuprà enarrata fuit. Fauent Græca quæ legunt, ſtabit iuſtus: ſed veriſimiliùs ſub ſingulari pluralis accipiendus eſt. IN MAGNA CONSTANTIA, ſeu fiducia, quia in bona conſcientia, inquit Aug. Epiſt. 50. Cui adde, quia Iudicis adeſt patrocinium, cauſæ iuſtitia parata probatio: ADVERSVS EOS QVI ABSTVLERVNT LABORES EORVM, Qui rapinis & oppreſſionibus facultates laboribus iuſtorum partas diripuerunt, vt Reges & Iudices ſolent, quibus vt monui, liber hic potiſſimùm ſcriptus eſt. Alii exponunt labores iuſtorum pro vita æterna ſuſceptos ab impiis fuiſſe ſpretos, irritos atque inanes habitos. Sed Auguſtin. loco citato exponit, vt ante dixi.

2. ET MIRABVNTVR IN SVBITATIONE INSPERATÆ SALVTIS, id eſt, propter inopinatam eorum ſalutem obſtupeſcent, nempe quia tanta, & tam ſubita illis ſalus aduenerit, poſt vnum mortis momentum tota huiuſce mortalitatis miſeria in illam gloriam commutata.

3. PŒNITENTIAM AGENTES, ſed vt Cyp. ad Demetrianum, erit tunc ſine fructu pœnitentiæ dolor, pœnæ inanis ploratio, inefficax deprecatio: in æternam enim pœnam ſerò credent, qui in vitam æternam credere noluerunt. HI SVNT QVOS HABVIMVS IN SIMILITVDINEM IMPROPERII, id eſt, quibus alios propter nimiam abiectionem comparabamus improperando, vel execrando, v.g. fias ſicut ille: Quo modo dicit Pſalm. 43. Poſuiſti nos in ſimilitudinem in gentibus, id eſt, tamquam exemplum abiectionis & contemptus: & Pſal. 68. Factus ſum illis in parabolam.

4. VITAM ILLORVM ÆSTIMABAMVS INSANIAM: nihil enim magis inſanum in oculis impiorum hominum carnalium, quàm vita iuſtorum viſibilia contemnentium & ſperantium ea quæ non vident, ſecundùm Aug. loco citato. Hinc ebrii Apoſtoli, inſanus Paulus, furioſuſque Chriſtus exiſtimatus, qui de ſe & ſuis dixit Iſaiæ 8. Ecce ego & pueri mei quos dedit mihi Dominus in ſignum, & in portentum Iſraël, &c.

5. ET INTER SANCTOS SORS ILLORVM EST. Sors beatitudo vocatur, quia ſorte quodãmodo videtur contingere, vt vnus aſſumatur, alter relinquatur: Vel quia eorum electio illis non cogitantibus nullo præeunte merito, quaſi miſſa ſorte à Deo facta eſt.

6. IVSTITIÆ LVMEN NON LVXIT NOBIS, SED PROPRIA CVLPA: multi enim rebelles lumini oculos ſuos compreſſerunt, ne fortè viderent oculis & ſanarentur, dicentes Deo, Recede à nobis: &, Scientiam viarum tuarum nolumus Iob. 21.

7. LASSATI SVMVS IN VIA INIQVITATIS, quia veriſſimum eſt illud Auguſtini in. Confeſſionibus, Iuſſiſti Domine, & ſic eſt, vt pœna ſibi ſit inordinatus animus. Quam-

quam hæc laſſitudo videatur peccatorum & voluptatum expletionem ad nauſeam vſque denotare. AMBVLAVIMVS VIAS DIFFICILES, id eſt, vias inuias, vt ſunt in ſolitudine ac deſerto. Hinc Græca & Aug.1. contra Gaudentium c. 38. legunt *ſolitudines inuias*, quia nempe viæ peccatorum tenebræ & lubricum, & Angelus Domini perſequens eos, & in fine eorum inferi & pœnæ, Eccleſiaſtici. 21. Hinc apud Ozeam c.2. Peccatoribus dicit Deus, Ecce ego ſepiam viam tuam ſpinis, id eſt pungentibus difficultatibus, laboribus, timoribus, anxietatibus, propoſiti fruſtrationibus, ſuppliciis: quia vt Bernard. in ipſis ſceleribus accuſat conſcientia, teſtis memoria, ratio iudex voluptas carcer, timor, tortor, oblectamentum, tormentum.

8. QVID NOBIS PROFVIT SVPERBIA, &c. Pulchris comparationibus latè deplorant inanitatē, & breuitatem ſęculi iam peracti.

9. TRANSIERVNT TAMQVAM VMBRA, quæ ad nubeculæ interuenientis obſtaculum momento diſparet, nihil poſt ſe relinquens, ad nihil ſeruiens, niſi vt lucem & cognitionem eripiat, nihil ſolidi continens, quod apprehendi queat TAMQVAM NVNCIVS PERCVRRENS, qui nunquam conſiſtit, ſed prætertit alios quos poſt ſe relinquit. Qua locutione ſignificant bonorum huius mundi fugacitatem, quæ ſi non relinquuntur, relinquunt.

10. ET TAMQVAM NAVIS QVÆ PERTRANSIT. Creſcit paulatim oratio: nauis enim ſine laſſitudine, vel quiete, quæ nunciis competunt, rectoribus etiam dormientibus ad portum appellit. Eandem ſimilitudinem curſoris nauis, & auis adfert Iob, ſed multum auget, quòd dies ſuos ait prætériiſſe, ſicut naues poma portantes, quæ ſcilicet feſtinatione nautarum, ne poma marceſcant, celeriùs tranſeunt.

15. IVSTI AVTEM IN PERPETVVM VIVENT. Hîc iuſtorum perpetuitas & ſoliditas euaneſcenti impiorum breuitati incipit opponi. ET COGITATIO ILLORVM APVD ALTISSIMVM, id eſt, cura, ſollicitudo, & prouidentia eorum habetur apud Deum: Quamquam alii velint ſignificari iuſtos de Deo diuiniſque rebus aſſiduè cogitare: Sed prius videtur verius, hîc enim merces, non meritum iuſtorum exprimitur.

17. IDEO ACCIPIENT REGNVM DECORIS, ET DIADEMA SPECIEI, id eſt, regnum eximiè decorum, & coronam regni ſpecioſam, hæc eſt enim illa immarceſcibilis & incorrupta glorię corona, quæ ſanctis promittitur.

18. ACCIPIET ARMATVRAM ZELVS ILLIVS. Inducitur hîc Deus omnis generis πανοπλίας armatus ad defendendum, ſiue, vt Græcus habet, inſtar ſatellitis propugnandum Sanctos: Et quidem primò defenſiua deſcribit arma, quibus vtetur tēpore iudicii, & quod illud immediatè pręcedet. Tunc ergò ZELVS ILLIVS, id eſt, iracundia, vel etiam propriè zelus ex amore conceptus, quo non patitur fidelium ſuorum iniurias, ARMABIT CREATVRAM, Angelos, homines, cœlum, terram, ignem & aquam vt paulò poſt ſequitur, ad vltionem inimicorū.

19. INDVET PRO THORACE IVSTITIAM, quia inſtar thoracis, ſeu loricæ ſe cinget iuſtitia, quæ ſicut thorax in bello, ita in iudicio potiſſimas partes aget: Iuſtitia enim & iudicium pręparatio ſedis tuæ, de quo Iſaias c.59. ACCIPIET PRO GALEA IVDICIVM CERTVM, id eſt, falli neſcium: Græcè, iudicium ſine hypocriſi, ſiue ſincerum, quod neſciat ſimulare vel diſſimulare: Nam galea tegit oculos, de cuius tamen iudicii rigore nimio, ne quis queratur, atque ita illud irritum reddat.

20. SVMET SCVTVM INEXPVGNABILE ÆQVITATEM, quæ ſignificat moderationem iudicii conſentaneam rationi. Hanc etiam Pſaltes ſæpius in extremo iudicio iuſtitiæ adiungit comitem: Iuſtus Dominus & iuſtitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius, Pſalmo 10. Et alibi, iudicabit orbem terrarum in iuſtitia, & populos in æquitate.

21. ACVET DVRAM IRAM IN LANCEAM. Hactenus arma defenſiua, nunc deſcribit offenſiua. Tunc ergò pro *lancea*, ſiue vt Gracè eſt, pro gladio & romphæa, vtetur *dura ira*, id eſt, inflexibili & immiſericordi: Hîc enim cùm Deus iraſcitur, miſeri-

cordiæ recordatur; ibi erit iudicium ſine miſericordia in eos qui non fecerunt miſericordiam. Hæc ergò ira, impiorum corda vt lancea penetrabit, vt ſatis ex eo patet, quod multi dicent montibus, Cadite ſuper nos, & abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira Agni: Apocalyp. 6. PVGNABIT CVM ILLO ORBIS TERRARVM, tum vt quodammodo ſeſe ab impiorum abuſibus in libertatem aſſerat, tum vt inſtar familiæ, & ſuas & Patrisfamilias iniurias vlciſcatur.

21. ET TAMQVAM A BENE CVRVATO ARCV NVBIVM EXTERMINABVNTVR, id eſt, erumpent fulgura è nubibus, ſicut iacula ab arcu benè tenſo: Literaliter enim ſub tempus iudicii fulgura Deus multiplicabit, vt conturbet peccatores, & inflammet in circuitu inimicos ſuos.

23. ET A PETROSA IRA, id eſt, vt habet Græcus, ab ira petras & ſaxa iaculante PLENÆ MITTENTVR GRANDINES, id eſt, ingentes, & ſicut talentum, vt habet Apocalyp. cap. 16. Quemadmodum enim grandinibus pugnauit Deus in Ægypto, & contra Chananæos, ita & ante iudicium pugnauit contra peccatores. Hinc apud Iob cap. 38. Nunquid theſauros grandinis aſpexiſti, quæ præparaui in tempus hoſtis in die pugnæ & belli? EXCANDESCET IN ILLOS AQVA MARIS, id eſt, magno furore inſurget, ita vt in terris futura ſit preſſura gentium præ confuſione ſonitus maris & fluctuum eius, vt Luc. 21. ET FLVMINA CONCVRRENT DVRITER, id eſt, emundabunt alueis ſuis egreſſa, magnoque cum impetu & ſono fluentia.

24. CONTRA ILLOS STABIT SPIRITVS VIRTVTIS, id eſt, ventus ſeu flatus vehementiſſimus in illos proſiliet. ET TAMQVAM TVRBO VENTI DIVIDET EOS, nempe à bonis, vel etiam inſtar procelloſæ tempeſtatis, diſſipabit, & ventilabit illos proiiciendo à facie terræ. Turbo enim Dominicæ incarnationis egredietur, & tempeſtas erumpens ſuper caput impiorum veniet, vt ait Ierem. cap. 23.

CAPVT VI.

1. MELIOR EST SAPIENTIA QVAM VIRES, quia prudenti conſilio vires ipſas eneruat & ſubuertit.

2. AVDITE ERGO REGES, &c. Regum enim non infima ſapientiæ pars eſt, audire virorum prudentium conſilia, quorum integritatem ſæpè in aulis vel adulterat adulatio, vel non admittit arrogantia. Hinc Iacobi 3. vna eſt ſapientiæ cœleſtis conditio, vt ſit ſuadibilis, quæ nempe bonis monitis aliorum obtemperet: & cor docile, Hebr. cor audiens, ſibi dari petit Salomon.

4. QVONIAM DATA EST VIRTVS AB ALTISSIMO. Græcè δυναςία, id eſt, poteſtas ac dominatus, qui vel immediatè Regibus à Deo, tamquam primo principio conceſſus eſt, vt Dauidi; vel ſaltem mediante hominum voluntate, quibus hoc Deus inſeruit, vt ad coërcendas iniquitates, & ad innocentium tutelam, poteſtatem quandam ſibi præficerent, ſiue regiam, ſiue aliam: quæ proinde poteſtas à Deo eſt, vt pote perquam ita ipſemet mundum regit, ſicut generationum corruptionumque viciſſitudines interuentu ſolis & ſiderum.

5. NEQVE SECVNDVM VOLVNTATEM DEI AMBVLASTIS, quæ poſtulat, vt non iuſta modò, ſed etiam iuſtè feratur ſententia, nempe ex amore iuſtitiæ: iuſtè enim quod iuſtum eſt perſequêris, non metu, non amore, non audio, non prece, non pretio.

6. IVDICIVM DVRISSIMVM HIS QVI PRÆSVNT, FIET: qui enim aliorum volunt magiſtri, vel iudices fieri, ſciant quoniam maius iudicium ſumunt, vt inquit Iacobus, vt quibus non tantùm quomodò in officium intrauerint, vixerint, rexerint, ſed etiam pro miniſtris ipſorumque ſubditorum animabus ratio ſit reddenda. Hinc quia eiuſmodi aliis præcellentes Deo ſoli peccant, nec facilè argui, vel coërceri ab aliis poſſunt, dicit illis Dominus Iſaiæ 49. Et qui iudicauerunt te, ergo iudicabo.

8. NON ENIM SVBTRAHET PERSONAM CVIVSQVAM, id eſt, non eximet quemquam, aut excipiet à ſuo iudicio, quaſi potentium ſupercilio inflexus, aut territus,

ſicut Iob dicit cap. 34. Non accipit perſonas Principum, nec cognouit Tyrannum: opus enim manuum eius ſũ vniuerſi. ET ÆQVALITER EST ILLI CVRA DE OMNIBVS, Græcè. *ſimiliter*, non quaſi omnibus rebus æquè præſtantes ſuæ prouidentiæ effectus impertiat: ſed quia nulla res quantumuis vilis, eius curæ ſubtrahitur: quæ etiam naturis quarumque rerum ita conueniens æqualis ac proportionata eſt, vt vnamquamque ad ſuum terminum ducat, idque maximè in præmiis pœniſque retribuendis, de quibus hîc agitur: Quod breuiter & neruosè Cyp. l. 3. Epiſt. 8. exprimit, Deus, inquit, ſe omnibus æqualitate librata præbet parem.

11. QVI ENIM CVSTODIERINT IVSTA IVSTE, eo modo quo ſuprà dictum eſt ad verſum 5. IVSTIFICABVNTVR, id eſt, ſanctiores & iuſtiores fient: Vel potius, ſancti & iuſti declarabuntur: ſic enim ſæpè verbum iuſtificandi in Scripturis vſurpatur, vt Iſaiæ 5. Qui iuſtificatis impium pro muneribus. INVENIENT QVOD RESPONDEANT, vt ſe defendant in Dei iudicio, quia conuerſatio eorum libro Dei ex quo iudicandi ſunt homines, erit conſentanea.

12. CONCVPISCITE ERGO SEMONES MEOS, neceſſe eſt enim vt præcedat in anima Sapientiæ deſiderium, deinde amor, hinc ſtudium, ad tum demum cùm eam quæſieritis, quaſi pecuniam, & ſicut theſauros effoderitis illam, HABEBITIS DISCIPLINAM, Græcè, erudiemini, Deique Sapientiam aſſequemini: Nemo enim vt habet Prouerbiũ, erit σοφὸς id eſt, ſapiens, qui non fuerit antè φιλόσοφος id eſt, amator ſapientiæ. Porò *diſciplina* apud Scriptores Eccleſiaſticos, eſt vera vitæ ex virtute peragendæ ratio & regula, quatenus illa à Deo Doctore diſcitur: quod quia vix fieri poteſt, niſi vel ruditas vel negligentia, vel leuitas animi verberibus compellatur; hinc ipſa Dei flagella, & caſtigatio vocatur diſciplina. In hanc ergò Sapientiam, vt ſtudia noſtra exardeſcant, præmiſſo elogio modum aſſequendi præſcribit.

13. FACILE VIDETVR AB HIS QVI DILIGVNT EAM. Dilectio enim ſeu charitas, cùm ſit luminoſiſſima, vt à S. Auguſt. vocatur, & ardentiſſima, lumine ſuo facit videre Sapientiam, ardore excitat diligentiam, atque ita diligentes, & pios quæſitores Sapientiæ facit: Quorum vtrumque neceſſarium eſt: cùm enim ſcientiam veritatis ſeu Sapientiam, neque omnes à quibus quærimus, docere poſſint, neque omnes qui quærunt, diſcere digni ſint; diligentiâ fit, vt ſcientes inueniamus, pietate vt ſcire mereamur, vt tradit Aug. lib. de moribus Eccleſiæ cap. 2. Facilè INVENITVR AB HIS QVI QVÆRVNT ILLAM, nempe ſicut oportet, in ſimplicitate cordis ſapientiam inuocando. Sapientes conſulendo, pro ſapientia perſeueranter pulſando. Ratio eſt quia

14. PRAOCCVPAT QVI SE CONCVPISCVNT, deſiderium ſui vltrò inferendo, VT ILLIS SE PRIOR OSTENDAT, quia niſi ipſa ſeipſam Sapientia per donum creatæ ſapientiæ infundat, fruſtrà eſt eius omnis aſſequendi labor. Hinc Ambr. de initiandis c. 1. Inopinantibus melius ſe ipſa lux myſteriorum infundit, quàm ſi eam ſermo aliquis præcurriſſet.

15. QVI DE LVCE VIGILLAVERIT AD ILLAM, ſermo ſcilicet matutino abrupto tradens cor ſuum ad vigilandum diluculò ad Dominum qui fecit illum. Significatur ergò Sapientiæ quærendæ ſtudio, omnia eſſe poſtponenda: quod qui fecerit, NON LABORABIT, fruſtrà videlicet: Græcè eſt enim, Non fatiſcet laborando, quaſi laboris ſui mercede fruſtratus. Dominus enim dat laſſo virtutem, & his qui non ſunt robur & fortitudinem multiplicat Iſaiæ 40. Et quod potiſſimum eſt, ASSIDENTEM ENIM ILLAM FORIBVS SVIS INVENIET, ſi qua via poſſit irrepere: quemadmodum amator amatæ fores importunè exſpectat: Stat enim Dominus ad oſtium & pulſat, vt ſi quis aperuerit ei ianuam, intret ad illum, &c. Apoc. 3. Et quamuis ſemper poſſit intrare, non vult tamen importunus irruere, vt inquit Ambr. ſerm. 12. in Pſal. 118. Quòd ſi per moram fuerit excluſus, recedit: ſed citò redit, & iterum pulſat. Vbi obſerua, Sapientiam quidem animæ fores obſidere, ſæpè etiam tanto impetu pulſare, vt quodammodo vi fores obſurdeſcentium, atque obdurato-

rum effringat, & ita inueniatur à non quærentibus ſe: ſed hoc non eſt perpetuum: ſæpè enim requirit reciprocam diligentiam, quę tamen ab ipſa Sapientia, ac Deo inſpiranda eſt, vt eius iam viſitatione ad moniti ac tacti, diligamus eam, quæramus, vigilemus, & obſeruemus ad poſtes oſtii eius: alioquin declinat & tranſit, imò ſæpius contempta, cùm inuocatur, non exaudit: cùm manè conſurgunt, non inueniunt eam.

16. Cogitare ergo de illa, sensvs est consvmmatvs. Græcè, prudentię perfectio, quia qui hoc facit, totum facit, quod vt faciat ita natus eſt, vt eſt apud Aug. 1. contra Academicos c. 3. Cùm enim prudentiæ ſit, actiones vitæ in debitum ſcopum dirigere ſapientia verò quis ille finis ſit, & quo pacto vita ſit inſtituenda, intus cum ſapore doceat; apex prudentię in huiuſmodi ſapientiæ inueſtigatione, & inuentę contemplatione conſiſtit.

17. Qvoniam dignos se ipsa circvit qværens, idque diligentius, quàm quærunt homines, vt eâ ſe dignos reddant. Digni autem ſunt, quos ipſa ſui deſiderio & ſtudio ita præoccupauit vt pulſanti libenter aperiant, & intendenti ſe inſinuare toti animæ non obluctentur. Et in viis ostendit se illis hilariter. Greg. 26. Moral. c. 8. per, *vias*, intelligit opera creata ſapientiæ, per quam tamquam per vias quaſdam in Sapientiæ ac diuinitatis cognitionem aſſurgimus. Sed hoc myſticum videtur. Malim per *vias*, actiones vitæ præſentis intelligere, quas dum obeunt ſancti, ſæpè ſapientia etiam non cogitantibus reuelat incognita, ſæpè inexpectata, interdum diu, & magno labore quæſita, idque hilariter, id eſt, cum beneuolentiæ erga hominem ſignificatione, vel etiam hilaritatem animi adferendo, Et in omni providentia, id eſt, in omni conſilio hominis & excogitatione, vt Gręcè eſt, ſeu in omni ſtudio eius; occvrrit illis, vltro prælucens inſinuando & ſuggerendo quid agendum ſit. Quæ beneficia quia non omnibus præſtat, ſed tantùm iis quos dignos fecit, nempe diligentibus eam atque ad eam vigilantibus, hinc velut rationem ſubiungit:

18. Initivm enim illivs, verissima est disciplinæ concvpiscentia, id eſt, ſincerus ac feruens amor diſciplinæ, ſeu vitę benè inſtituendæ, eſt initium & fundamentum ſapientiæ, ſuopte quodam pondere intrinſeco ad ſapientiam trahens, cuius timor ſeruilis initium extrinſecum eſt, retrahendo ſcilicet à malo.

19. Cvra ergo disciplinæ, dilectio est. Pulchrâ gradatione oſtendit, quò tandem pertingat cura & concupiſcentia diſciplinæ; Primò namque eſt dilectio, quia nempe Dei Diuinæque ſapientiæ dilectionem, vel inſerit animo, vel inſertam adauget. Et dilectio, cvstodia legvm illivs est, quia vt eadem ſapientia incarnata dicit, Qui non diligit me, mandata mea non ſeruat: madatorum enim obſeruatio ſine diuina charitate eſt impoſſibilis. Cvstoditio avtem legvm, consvmmatio incorrvptionis est, id eſt, confirmatio immortalitatis, vt Græcus habet, tam animæ ſcilicet quàm corporis, quibus illa propter legum cuſtodiam ſuo tempore confeietur.

20. Incorrvptio avtem facit esse proximvm Deo, quia immortali Deo per viſionem amoremque beatificum iungit: cùm enim apparuerit, ſimiles ei erimus 1. Ioan. 3. Hęc autem locutio ſatis exponit omnes pręcedentes eſſe cauſales, nempe quòd cura diſciplinę faciat dilectionem, dilectio cuſtodiam legum, cuſtodia incorruptionem.

21. *Si ergo*, &c. Diligite sapientiam, vt in perpetvvm regnetis, Transfert enim non adimit regnandi cupiditatem Sapientia, ſicut neque naturales paſſiones, quaſi ęgritudines quaſdam animę ac morbos euellit, vt Stoici voluerunt, ſed tantùm obiecta virtuti commenſa pręſcribit.

24. Qvemadmodvm sapientia sit, referam, id eſt, quemadmodum animo meo hominumque ſapientum ingenerata ſit: loquitur enim ex ſua perſona Salomon, vt infrà patebit. Potiò ſermo eſt hîc pletiſque in locis de Sapientia increata, cuius commendauit dilectionem, ſic tamen vt ſubinde ad eam ipſam humanam Sapien-

tiam, viuam ſuam imaginem, ſubinde delabatur, nunquam enim humano animo creata Sapientia infunditur, niſi ſcilicet accipiant increatam; quemadmodum cùm datur charitas, ipſe Spiritus ſanctus qui amor eſt, datur: Nam quæ toto hoc libro commendatur Sapientia hominis animo inhærens, non tam eſt ſubtilis quædam naturalium rerum cognitio (tametſi illa in Salomone veluti gratia gratis data dono ſapientiæ copularetur) quàm ea quæ doctrix eſt diſciplinæ Dei, electrix operum illius, vt dicitur c. 8. ſiue quæ eſt vitæ ex ſeueris diuinæ legis præceptis peragendæ ſcientia: hoc enim qui faciunt, in Scripturis Sapientes vocantur, & verè ſunt, etiamſi omnium aliorum eſſent ignari: ſicut inſipientes dicuntur omnes peccatores. Hinc Iob cap. 28. Timor Domini ipſa eſt ſapientia, & recedere à malo, intelligentia. NON ABSCONDAM SECRETA DEI, id eſt, myſterioſam & myſticam hanc Sapientiam quæ inſtar magni Sacramenti abſcondita eſt ab oculis viuentium. SED AB INITIO NATIVITATIS INVESTIGABO, id eſt, à prima eius origine eam indagabo, tum exponendo æternam eius ex Patre proceſſionem: candor eſt enim lucis æternæ, &c. tum etiam recenſendo adductis natiuitatis meæ primordiis. quomodo mihi præuiâ oratione primùm diuinitùs ingenerata atque infuſa eſt.

25. NEQVE CVM INVIDIA TABESCENTE, id eſt, auctorem ſuum tabefaciente. ITER HABEBO, hoc eſt, non inuidebo vobis ſacramenti, tam abſconditi, manifeſtationem.

26. MVLTITVDO AVTEM SAPIENTIVM, non dicit, eloquentium, vt notat Aug. 4. de doctrina Chriſtiana c. 1. SANITAS EST ORBIS TERRARVM, partim quia conſiliorum ſuorum prudentia orbem terrarum regunt, partim quia inſipientium errata reſarciunt, denique quia murum ſeſe pro populo opponentes, vitæ ſanctitate iram Dei auertunt, vt Iſraëlitæ ſæpè in deſerto experti ſunt. ET REX SAPIENS STABILIMENTVM POPVLI EST. Principes enim (reſte Greg. 9 Moral c. 10) ſunt illi qui *portant orbem*; in conditos enim & effrænes populi motus poteſtatis pondere inſtar columnæ fixi regunt.

CAPVT VII.

INueſtigaturus Salomon ab initio natiuitatis, vt ſuprà dixit, Sapientiam, & poſitutus in lucem ſcientiam illius, præmittit ſuum introitum ad vitam natiuitati cæterorum ſimilem, ne quis de ſe mirabilia, & pluſquam hominem eſſe ſuſpicatus aſſequi ſe poſſe Sapientiam deſperaret.

1. SVM QVIDEM ET EGO EX GENERE TERRENI ILLIVS, QVI PRIOR, &c. Græcè, terrigenæ filius protoplaſti, nempe Adami de terra terreni, cuius corpus ex terræ puluere, quaſi manibus plaſmatum & fictum eſt. πλάσσω enim eſt more figuli fingo: vnde videtur Deus corpus protoplaſti primò velut ſtatuam de limo finxiſſe, in quam poſtea animam velut ſpiraculum vitæ infuderit. Ita Chryſ. hom. 12. in Geneſim: hoc enim eſſe videtur quod Iob dicit: Memento quod ſicut lutum feceris me: Cuiuſmodi figulinam plaſmationem ſignificans naturam etiam-num imitari, ſubdit, ET IN VENTRE MATRIS FIGVRATVS SVM CARO, Græcè eſt, ſculptus ſum caro, id eſt, caro ſeu corpus meum paulatim in maternis viſceribus, tamquam in officina ſculptoria ſculptum & effigiatum eſt, inſtar ſtatuæ affabrè cælatæ. Tria enim tempora, quæ poſt conceptionem à medicis in fœtu obſeruantur, breuiter comprehendit: Primò enim fit caro; deinde tria vitæ principia, cor, cerebrum & iecur formantur, obſcurè reliqua membro delineantur; Tertiò, tota membrorum textura, quaſi per artem ſculptoriâ abſoluitur.

2. DECEM MENSIVM TEMPORE COAGVLATVS SVM, id eſt, inſtar caſei concretus ſum & compactus: hoc eſt enim quod Iob c. 10. clarius dicit, Nonne ſicut lac mulſiſti me, & ſicut caſeum me coagulaſti? In caſeo enim coagulando lac velut caſei totius materia ab actiuitate & calore coaguli, denſatur, atque compingitur; quo pacto etiam fœtum formari, & velut coagulari hîc innuitur. Eandem comparationem ad fœtus formationem explicandam Medici & Philoſophi vſurpant, Galenus, Plinius, Ariſtoteles: IN SANGVINE, ſiue ex ſanguine, nempe matris quæ ſeminalem ſanguinem

velut

velut materiam totius corporis ſuppeditat; EH SEMINE HOMINIS, id eſt, viri vim actiuam conferente, idque decem menſium tempore vbi nonnulli volunt breuiores, nempe lunares menſes eſſe accipiendos, vt ita magis ad nouenarium numerum menſium quo ferè ſolet formatio fœtûs abſolui, vt communis habet Medicorum opinio, cui mater Machabæorum atteſtatur l.2 Machab. c.7. Sed nulla ad hoc cogit neceſſitas, cùm ad litteram poſſint menſes ſolares intelligi: Non enim idem omnibus menſis naſcendi eſt; nam à conceptu tertius, quem quidam Druſo ex Lydia aſſcribunt, & in Prouerbium abiit. *Non eſt partui vitalis*, ſicut nec reliqui ferè infra ſeptimum: ſeptimus autem, vt plurimum vitalis eſt, octauus vitalis, non ordinarius, vndecimus rarus, decimus tertius & decimus quartus, imò decimus-ſextus inſolitâ raritate monſtruoſus, decimus autem propter abſolutiſſimam perfectionem heroïbus aſſcriptus, & ab Auctoribus paſſim celebratus, maximè ſi decimum menſem per Synecdoche inchoatum accipias, quem ideò Tertull. lib. de anima c.37. perfectorem humanę natiuitatis vocat. Hinc Hercules à Theocrito ædilio vigeſimo quarto, decimo prognatus menſe aſſeritur. Ariſtoteles non vno in loco decimi menſis partum præfert, quem & commendat Hypocrates, imò ipſe Chriſtus decimo menſe natus eſt, vt patet ſi à ſexto Kal. April. qui vt conceptionis, ita & paſſionis dies fuit, vſque ad 8. Kal. Ianuarias, quo natus eſt, dies omnes ducentos ſeptaginta ſex, in menſes deduxeris; erunt enim 9. menſes, & ſex dies, vt docet Aug. 4. de Trinit. c. 5. ET DELECTAMENTO SOMNI CONVENIENTE, id eſt, voluptate ſomni concurrente ſeu concomitante; hoc non apertè Græcum ſignificat, non autem quod voluptas ſomno conueniebat ſeu congruebat, vt quidam voluerunt. Somnum autem pro concubitu poni ſuprà audiuimus ex iniquis enim ſomnis filii qui naſcuntur, &c. Omnia ergò hęc particulatim inculcat, vt naturali prorſus ratione doceat ſe eſſe conceptum. Poſſet tamen etiam ille ſomnus intelligi, quo fœtus omnibus ſopitis ſenſibus propter humorum copiam, totum tempus in vtero dormiendo conſumit, vt teſtatur Ariſtoteles 5. de generatione animalium. Quamquam quæ hìc voluptas ſit, non facilè pateat. Proinde etiam nimis ſubtilis eorum videtur expoſitio, qui poſt ſomnum tanquam qui conceptui prolis vtilior ſit, Salomonem conceptum volunt.

3. ET IN SIMILITER FACTAM Græcè, *ſimiliter affectam*, id eſt, ſimilibus paſſionibus & moleſtiis frigoris, caloris, &c. obnoxiam, DECIDI TERRAM, nempe materno vtero effuſus: non quod verè ceciderit, ſed quod cecidiſſet, niſi obſtetricantis manus impediiſſet: Propter cuius caſus repręſentationem, nudus infans olim ab Ethnicis humi ſtatuebatur, atque auxilium Opis Deæ quæ Terra eſt, inuocabatur: Ex quo manſit Latinorum phraſis, qua infantem tollere, pro educare vſurpant. Hinc Auguſt. 4. de Ciuit. Dei cap. 11. Ipſe (Deus) opem ferat naſcentibus, excipiens eos ſinu terrę, & vocetur Opis, ipſe leuet de terra, & vocetur Dea Leuana, PRIMAM VOCEM SIMILEM OMNIBVS EMILI PLORANS, tanquam augur incommodorum de proſpectu lachrymabilis vitæ, inquit Tertull. libro de anima capite 19. Infans enim prophetat quodammodo vt loquitur Auguſt. 21. de Ciuit cap. 14. quid malorum ingreſſus ſit: ſolum, inquit, quando natus eſt, ferunt riſiſſe Zoroaſtrem, nec ei vtporè magicarum artium inuentori boni aliquid monſtroſus ille riſus portendit. Vagitum autem pro ploratu accipias: vagiunt enim non lachrymantur pueri primis diebus, vt vult Ariſtoteles libro 7. de hiſtor. animalium. Hanc miſeriam ita miratur Plinius lib. 7. in prologo, quia cauſæ fuit ignarus, vt ironicè dicat: itaque fœliciter natus iacet manibus pedibuſque deuinctis, flens animal cæteris imperaturum, & à ſuppliciis auſpicatur vnam tantùm ob culpam, quia natus eſt.

4 IN INVOLVMENTIS NVTRITVS SVM, id eſt, in faſciis infantilibus, ne propter membrorum teneritudinem eorũ figura diſtorqueretur: quod quò diutius fit, eò ſolidiora & rectiora ſunt corpora. ET CVRIS MAGNIS

per quas diu noctuque adhibitas profundiſſimæ atque horrendæ, vt eam vocat Aug. 1. de pecc. merit. c. 37. infantium ignorantiæ & imbecilitati parentes ſubueniunt.

7. PROPTER HOC OPTAVI, id eſt, cùm viderem me cæteris nihil eſſe præſtantiorem, infirmitate & ignoranâ plenum, optaui, ſiue magnis precibus votum meum expoſui: ET D TVS EST MIHI SENSVS, prudentia ſcilicet & intelligentia.

10. SVPER SALVTEM ET SPECIEM DILEXI ILLAM, id eſt, ſuper ſanitatem corporis dieſque vitæ multos, & ſuper formæ pulchritudinem, ſciens quod fallax eſſet gratia, & vana pulchritudo. ET PROPOSVI PRO LVCE HABERE ILLAM, id eſt, magis illam elegi quàm lucem oculorum, vt inſinuant Græca: Vel potius, decreui lucis loco habere Sapientiam, quæ me antecederet, velut lucerna pedibus meis, & lumen ſemitis, docens quid agendum, dicendum, omittendum &c. QVONIAM INEXTINGVIBILE EST LVMEN ILLIVS, id eſt, inſomne & peruigil, nunquam occidit, vt lumen aſtrorum inſomne eſt, ſecus quàm lumen oculorum, denique in perpetuo motu & actione.

11. INNVMERABILIS HONESTAS PER MANVS ILLIVS. Honeſtas ſæpè in hoc libro ſumitur pro diuitiis, vt ex Græco manifeſtum eſt, quia magnum vitæ decorem adferunt. Venerunt ergo diuitiæ innumerabiles tum corporales, tum ſpirituales virtutum & gratiarum: hoc eſt enim quod ei dicit Deus 3. Reg. 3. Sed & hæc quæ non poſtulaſti, dedit tibi, diuitias ſcilicet & gloriam: Quærentibus enim regnum Dei, hæc omnia adiiciuntur quantum expedit.

12. QVONIAM ANTECEDEBAT ME ISTA SAPIENTIA, id eſt, velut dux deducebat me ad iſta bona. Alii enim interpretantur, his bonis præibat Sapientia, vel antecedebat, quia in omni prouidentia & conſilio meo, vt ſuprà, occurrebat mihi. ET IGNORABAM, nempe ante petitam obtentamque Sapientiam: Vel potiùs, non expectabam. QVONIAM HORVM OMNIVM MATER EST, id eſt, quod etiam rerum externarum affluentiam afferret Sapientia. Quo ſignificat caſtiſſimè ſe diuinæ ſapientiæ amplexus deſideraſſe, ita vt nihil extrinſecum præter ipſam intenderet.

13. QVI SINE FICTIONE DIDICI, ſine dolo ſcilicet, in ſimplicitate cordis ſapientiam diſcendæ me tradens. SINE INVIDIA COMMVNICO, ne aliis lucem inuidens, ipſemet oculis & lumine Sapientiæ priuer: quia, vt inquit, Aug Epiſt. 132. Officium impertiendi, eſt meritum ampliùs accipiendi.

15. MIHI DEDIT DOMINVS DICERE EX SENTENTIA, id eſt, ita dicere vt animo ſentiebam, ſic vt nullum eſſet cordis & linguæ diſſidium. Nam patem ſenſui & optimis cogitatis poſſe ſermonem proferre, apex eſt Sapientiæ & eloquentiæ: lingua enim ſapientium ornat ſcientiam, quia aptiſſimũ perſonis & rebus accommodando ſermonem, ſcientiam ornatam reddit & iucundam. Tametſi Greg. 23. Moral. c. 10. eum dicere velit ex ſententia, qui nequaquam tantùm ſciendo dicit, ſed ſentiendo experitur quod dicit, eò quòd ſententia à ſenſu dicta ſit. ET PRÆSVMERE DIGNA HORVM QVÆ MIHI DANTVR, id eſt, vt alii transferunt, animo cogitare & conceptus adferre dignos dono Sapientiæ mihi collato. Neque enim de verbis tantùm, ſed etiam imprimis de conceptionibus, hoc eſt, quid & quomodo dicat, ſapienti cogitandũ eſt, vt docet Aug. 4. de doctr. Chriſt. cap. 16. Poſſe tamen propriè ſumi, præſumere, vt ſit idem, quod non reformidare ea aggredi, quæ donis mihi datis commenſa ſunt; Puſilli eſt enim animi terreri iis ad quæ ſincero maturoque non adulantium iudicio alius iudicatur idoneus. QVONIAM IPSE SAPIENTIÆ DVX EST, id eſt, author & infuſor, vel etiam director monens ac docens, vt opportunè ſapientia in medium proferatur. ET SAPIENTIVM EMENDATOR, ita vt ſi quod aliter tanquam homines ſapiant, id iis reuelet, ſiue per occultas inſpirationes atque admonitiones, ſiue per manifeſta eloquia ſua, ſiue per fraternas ſermocinationes, vt loquitur Aug. lib. 1. de Trinit. c. 3. Quo Dei beneficio, vt aliquis dignus habeatur, omnis pertinax contendendi & ſui defendendi cupiditas ablegada eſt, ita

nempe ut putet magnum ſe fructum ſui alboris cepiſſe, ſi oſtendatur erraſſe.

16. IN MANV ENIM IPSIVS ET NOS.: quia in ipſo viuimus, mouemur & ſumus. ET SERMONES NOSTRI, quia ipſius eſt gubernare linguam, dando ſermonem benę ſonantem in os noſtrum: quòd cùm vbiquę locum habeat, tum in primis in illis, qui populum erudiunt. Cùm enim de vnaquaque re multa ſint quę dicantur, & multi modi quibus, dicantur, quis nouit quid ad præſens tempus, vel nobis dicere, vel per nos expediat audiri, niſi qui corda omnium videt? & quis facit vt quod oportet & quemadmodum oportet dicatur à nobis niſi in cuius manu ſunt & nos & ſermones noſtri, vt inquit Aug. 4. de doctrina Chriſtiana cap. 15. ET OMNIS SAPIENTIA, quæ æterna ſpectat. ET OPERVM SCIENTIA, id eſt, rerum agendarum cognitio, ET DISCIPLINA, ſiue recta diſcendi, imò & vitã inſtituendi ratio: omnis enim ſapientia à Domino Deo eſt velut radiolus deſcendens à magno illo intelligentię ſole & patre luminum.

17. VT SCIAM DISPOSITIONEM ORBIS TERRARVM, id eſt, conſtructionem & fabricam, partiumque ſingularum, cœli, terræ, elementorum, virtutes, naturam & poſitionem.

18. VICISSITVDINVM PERMVTATIONES, quomodo alternatim quatuor tempeſtates anni, imò nox & dies, inter ſe commutantur. COMMVTATIONES TEMPORVM, quomodo ſibi frigora, calores, ſiccitates, pluuiæque ſuccedant.

20. IRAS BESTIARVM, id eſt naturales antipathias ipſarumque cauſas, proinde conſequenter quomodo cicurandæ ſint. COGITATIONES HOMINVM, quia quomodo in aquis reſplendent vultus proſpicientium, ita corda hominum manifeſta ſunt prudentibus, qui non tantùm ex corporis conſtitutione inclinationes animæ, ſed ſæpè ex vno verbo, vnoque nictu oculorum, totam penè hominis conſtitutionem, cogitationes, ſimulationes, ac diſſimulationes coniiciunt.

EST ENIM IN ILLA, ſapientia ſcilicet SPIRITVS INTELLIGENTIÆ SANCTVS. Pulcherrimis elogiis & epithetis ſpiritum ſapientiæ deſcribit: quod S. Ambroſ. variis in lociis de Incarnat. cap. vlt. Tract. in ſymbolum c. 7. de Spiritu ſancto c. 19. & 23 intelligit de Spiritu ſancto tertiâ ſcilicet perſonâ Trinitatis: qui in Sapientia eſſe dicitur, quia ab illa procedit, manens tamen in illa per identitatem eſſentiæ. Sed quia datur, hîc ratio, cur omnium artifex Sapientia ipſum tanta potuerit docere, itemque v. 24. tanquam ratio aliquot præcedentium epithetorum ſubiungitur, *Omnibus enim mobilibus mobilior eſt Sapientia*, ſatis aptè intelligi poſſunt de ipſa Sapientia, de qua toto libro eſt ſermo. In illa ergo Sapientia EST SPIRITVS INTELLIGENTIÆ, id eſt, intelligens & ſagax, quia ipſamet eſt ſpiritus, ſicut in Deo qui eſt vita, eſſentia, bonitas, dicitur eſſe vita, &c. Sic de filio Iſaiæ 45. Tantùm in te eſt Deus. VNICVS, Græcè, vnigenitus: quod ipſum probat ſecundam perſonam intelligi. MVTIPLEX, chariſmatum multitudine, vel vt inquit Ambroſ. in Symbolum cap. 7. eò quòd multa in ſe habeat, & per ea omnia vnus eſt, nec in aliquid eorum quod operatur, ipſa mutatur. Item, quia multipliciter filiis hominum inſpiratur, ad vſum, ad miraculum, ad ſalutem, ad auxilium, ad ſolatium ad feruorem, vt ait Bernard. ſermone 3. de Pentecoſte. SVBTILIS, non tantùm intelligendi perſpicaciâ, quo ſenſu poſtea *acutus* vocatur, ſed naturæ actioniſque penetrabilitate, quia ſermo Dei & ſapientia penetrabilior eſt omni gladio ancipiti pertingens vſque ad diuiſionem animæ & corporis, &c. DISERTVS, qui linguas infantium facit diſertas, dans homini os & ſapientiam cui non poſſunt reſiſtere aduerſarii: nam omnia penè epitheta hîc poſita cauſaliter poſſunt intelligi, & nonnulla debent: quòd ſcilicet tales reddat eos, quos inhabitat ſapientia. MOBILIS, quia per infuſa Spiritus ſancti dona facilè nos reddit mobiles ad eius impulſus excipiendos: *ſtabilis enim manens dat cuncta moueri*: Vel, vt inquit Gregor. homil. 5. in Ezech. mobilis dicitur, quia vbique etiam neſcientibus ſe præſentem exhibet, & occurrit inſtar hominis, qui hac illac diſcur-

rens, ex improuiſo pręſens eſt: qui tamen ſpiritus ſapientiæ infrà vocatur.

23. Stabilis, quia per naturam omnia continet; in promiſſis fidelis eſt, & cor hominis in bono firmat, ſtatuens ſupra petram pedes noſtros. Certvs, id eſt, manifeſtus, quia certò, perſpicuè ſeu manifeſtò ex iis quæ facta ſunt à nobis agnoſcitur. Infrà verò vocatur certvs, quia non errat vel fallitur, nihil habens pro probabili vel ambiguo. Qvem nihil vetat, quo minus vbi lubeat, operetur: non enim eſt in poteſtate hominis prohibere ſpiritum, neque eſt qui poſſit reſiſtere eius voluntati, ſi ſaluare decreuerit. Secvrvs, id eſt ſine mordenti anxietate; idque quia nec malis tangi, nec propoſitis ſuis poteſt fruſtrari. Adde, quòd tales reddat iuſtos: opus enim iuſtitiæ pax & ſecuritas vſque in ſempiternum. Benignvs, in adhortando, conſolando, corripiendo. Omnem habens virtvtem, id eſt, omnipotens, vt habet Gregor. ex quo Spiritus ſancti diuinitatem loco ſuprà citatò probat Ambroſ. Qvi capiat omnes spiritvs, quia omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei, habens in ſe omnes theſauros ſpirituales abſconditos, ſpiritum ſapientiæ & ſcientiæ, ſpiritum fidei, virtutis & continentiæ, &c. denique quia omnes ſpiritus humanos atque angelicos eminentiâ poteſtatis continet, ſcientiæ ſublimitate comprehendit, naturæ ſublimitate peruadit. Sequentia tria epitheta, Intelligibilis, mvndvs, svbtilis, Græci iungunt in accuſatiuo præcedentibus, hoc modo, Qui capiat omnes ſpiritus, intelligibiles, mundos, &c. ſed facilè ἁγνούς, in aliam literam mutatum fuit.

24. Omnibvs enim mobilibvs mobilior est sapienti a, partim in ſe, quia operandi celeritate omnia ſuperat, pręoccupans cauſas, præueniens vota, præcurrens cogitationes; partim in operibus, quia omnibus creaturarum operationibus, & maximè mentibus hominum, tantâ ſe mobilitate & quaſi flexibilitate accommodat, vt ipſa vna manens infinitis modis videatur variari. Græci autem ſumunt hæc actiuè, hoc ſenſu, Omni motu vel mouente magis motiua eſt ſapientia, quia omnibus cauſis mouentibus velocior eſt & efficacior. Attingit avtem vbiqve propter svam mvnditiam, id eſt naturæ ſimplicitatem & puritatem: ex quibus, fit, non vt nihil immundum attingat, ſed vt illum actum omnimodo puriſſimum nulla eſſentiæ limitatio circumſcribat, nulla materiæ fœculentia ſordeſue coinquinent, quò minùs illęſus vbique pertingat; ſicut Solis radii, qui nullis putoribus inquinantur, vt pulchrè Auguſt. de fide contra Manichæos. cap. 4.

25. Vapor est enim virtvtis Dei, id eſt, procedit à Deo Patre, vt vapor ab aqua, cui conſubſtantialis eſt. Quamquam aliqui velint vaporem dici, quod vt odor exhalatur ex flore, ita ſapientia velut vitalis quædam fragantia à Patre producitur. Sed primum aptiùs quadrat. Exponens enim conſubſtantialitatem clariùs, addit, Et emanatio qvædam est claritatis Dei sincera, id eſt, velut riuus ſincerus ſeu limpidiſſimus, ex claritate Dei Patris vt fonte emanat: quibus verbis & conſubſtantialitatem & generationis eius modum exponit, quod enim emanat, maximè ſicut riuus, de ſubſtantia alterius procedit, vt docet Aug. 2. de anima & eius origine cap. 3. & 5. Rurſum vapor nubilus eſt, ſapientia ſincera: vapor enim emanat ex obſcuris fœculentiſque corporibus; ſapientia ex claritate omnipotentis Dei, vt proinde etiam omnipotens & Patri æqualis proceſſerit: Pater enim nullâ generandi infirmitate, nullâ communicandæ æqualitatis inuidiâ poteſt prohiberi.

26. Candor est enim lvcis æternæ, Quid hoc aliud, inquit Aug. 4. de Trinitate c. 20. quàm Lux eſt lucis æternæ; candor quippe lucis, quid niſi lux eſt; & ideo coęterna luci, de qua lux eſt. Maluit autem dicere (candor) id eſt, ſplendor lucis, quàm, lux lucis, ne obſcurior putaretur iſta quæ manat, quam iſta de qua manat. Hoc eſt ergo quod dicit Symbolum Lumen de lumine; & Paulus, Splendor gloriæ Ex quibus coæternitatem Filii cum Patre probant Ambroſ. 1. de fide cap. 4. Et Auguſt. tum

ſuprà, tum tractat. 20. in Ioann. Si ſeparas inquit, candorem Solis à Sole, ſepara Verbum à Patre, Specvlvm sine macvla Dei maiestatis, qnia inſtar ſpeculi niditiſſimi atque terſiſſimi, ſine vlla obſcuritate maieſtatem Dei Patris, ita repręſentat, vt quidquid Pater habeat, quidquid operetur, hoc & Filius habeat & faciat ſimiliter. Quod Filio competit, quia vi intellectus in identitate ſubſtantiæ diuinæ producitur: nulla enim creatura ita poteſt eſſe ſpeculum diuinitatis, vt eâ cognitâ tanquam obiecto, Deus ſine vllo ænigmate, aut obſcuritate cognoſcatur, vt ſatis inſinuat Chriſtus, cùm dicit, Qui videt me, videt & Patrem. Ex quo proinde rectè colligit Cyrill. lib. 9. in Ioannem cap. 37. Patri filium eſſe conſubſtantialem. Et imago bonitatis illivs: quod ſimile eſt illi quod Paulus dicit, Character ſeu figura ſubſtantię Patris: vtroque enim loco ſignificatur, inſtar characteris qui ſigillo exprimitur, Filium tanquam imaginem à Patre exprimi ac produci: de quibus breuiter Ambroſ. 1. de fide capite 4. Vide, inquit, quanta dicantur: Splendor ſiue candor, quòd claritas paternæ lucis in Filio fit: ſpeculum ſine macula quòd Pater videatur in Filio: imago bonitatis, quòd non corpus in corpore, ſed virtus in Filio tota cernatur. Imago docet non eſſe diſſimilem, character expreſſum, ſplendor æternum.

27. Et in se permanens, ſine vlla vel perfectionum, vel cogitationum ſibi ſuccedentium mutatione, aut viciſſitudinis obumbratione, Omnia innovat, non producta producens, producta conſeruans, collapſa redintegrans, vetuſtum hominem renouans, vt ambulet in vitæ nouitate, denique nouos cœlos & nouam terram creans. Et per nationes id eſt, per ſingulas hominum generationes ſiue per omne hominum genus, In animas sanctas se transfert, vt earum ſpiritum innouet, excitando, illuminando, ſanctificando. Non ergo ſe transfert loci commutatione, ſed effectuum nouitate.

28. Neminem enim diligit Devs, tanquam amicum ſcilicet, nisi qvi cvm Sapientia inhabitat, quaſi cum coniuge ſua in eodem domicilio commorando, vt indicant Græca: vnde infrà ſapientiam tanquam ſponſam ſuam latè deſcribit. Inhabitat autem ille cum ſapientia, in quo habitat ſapientia: non enim putandum eſt ſolum Spiritum ſanctum ſanctificato inhabitare, ſed totam Trinitatem.

29. Lvci comparata invenitvr prior, non tantùm tempore ſeu æternitate, ſed maximè dignitate & pręſtantiâ. Rationem addit:

30. Illi enim svccedit nox, luce videlicet ſolis occumbente: Sapientiam avtem non vincit malitia, non tantùm quia per ſuam eſſentiam ſancta & munda eſt, ita vt nullæ tenebræ nihilque inquinatum in ea poſſit incurrere; ſed quia ipſamet ab aliorum malitia vinci nequit, imò illam vicit, quando occaſionem veniæ, quam non inuenit in homine, in theſauro indeficientis ſuę pietatis inuenit, vt ait Bernard. homil. 2. ſuper Miſſus.

Capvt VIII.

1. Attingit ergo a fine vsqve ad finem, id eſt, à fine ſuperiore quod eſt initium ſpiritualis creaturę, vſque ad finem inferiorem, quod eſt mors corporis, inquit Auguſtinus 4. de Trinitate capite 13. inſinuans vtrumque finem in incarnatione fuiſſe coniunctum. Vel clarius, vt Bernardus libr. de gratia & liber. arbit. verſus finem, à ſummo cœlo vſque inferiores partes terrę, à maximo Angelo vſque ad minimum vermiculum: Tantum enim ſignificatur eſſentię ſiue plenitudine ac operationis efficaciâ diuinam ſapientiam omnia ab vno extremo vſque ad alterum, vt habet Græcus penetrare atque peruadere: Fortiter, quia quidquid quocumque modo decreuit, nullo impediente, nullo defectu, infatigabili & in impedibili conſtantiâ peragit, ita vt non ſit fortior in creaturâ ſummâ quàm infimâ. Et disponit omnia, id eſt, ordinat & adminiſtrat, svaviter: tantâ enim ſuauitate & facilitate ſe rerum naturis accommodat, vt quidquid quacunque ratione facere pro-

poſuerit per creaturas ipſas quaſi ſponte ad opus impulſas fiat, operantibus ſine neceſſitate cauſis liberis, ſine violentia neceſſariis; eo quòd omnibus aptiſſimas potentias habituſve agendi & virtutes inſeruerit. Neque enim, vt inquit Aug. cap. 5. contra Iul. ita Deus naturas creat, vt leges auferat, quas dedit natalibus cuiuſque naturæ; nec ita adminiſtrat, vt non etiam ipſas proprios exercere & agere motus ſinat, vt idem dicit 7. de Ciuitate c. 30. Cuius ſapientiæ imitatione monet Bernardus loco citato, vt ratio fortiter imperet ſenſui, & per hilaritatem promptitudinemque ſuauiter. Huius ergo ſapientiæ tot magnificis elogiis commendatæ amore ſe exarſiſſe conſequenter teſtatur, ita vt illius connubium ambierit. Eius interim velut ſponſæ ſuę mirabiles dotes, quas amatores ſpectare ſolent, prolixè deſcribit, pulchritudinem, generis nobilitatem, educationem in aula Dei, omnium rerum ſcientiam, diuitias, virtutes omnigenas, conuictus ſuauitatem, denique omnium rerum cornu copiam, quam velut matrimonialem dotem amatoribus ſuis confert.

3. Generositatem illivs glorificat, &c. id eſt, ipſa ſapientia celebrat & glorioſam oſtendit generoſitatem illius, id eſt, ſuam generis & proſapię ex Deo Patre nobilitatem: Græcè enim deeſt, *illius*: & ſæpè in Scriptura perſonæ de ſe velut de tertio quopiam loquuntur. Contvbernivm habens Dei, quia Dei fruitur conuictu & conſortio tanquam vnigenita proles quæ eſt in ſinu Patris. Sed et omnivm Dominvs, nullius nempe indigus, dilexit illam, tanquam omnium arcanorum diuinorum conſciam: quod magnopere dignitatem eius commendat.

4. Doctrix enim est disciplinæ Dei, ſiue ſcientiæ Dei, cuius veluti doctrix myſtes eſt ſiue initiatrix, vt habet Græcus: Cùm enim Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus qui eſt in ſinu Patris ipſe enarrabit, atque adinueniens omnem viam diſciplinæ tradidit eam Iacob puero ſuo & Iſraël dilecto ſuo. Et electrix opervm illivs, quia mandatorum Dei adimpletionem in hominibus operatur, quorum & ipſa proinde electrix eſt, quia dilectrix. Aſſignat autem hic Salomon multas dotes ac munia diuinæ ſapientiæ, qua ipſa partim per ſe pręſtat, partim per creatam ſapientiam operatur in hominibus, quibus eã adſpirat, & quibus ipſa tanquam ſponſa coniũgitur.

6. Si avtem̃ sensvs operatvr, id eſt, artificum prudentia pulchrum aliquod opus molitur, qvis horvm qvæ svnt, &c. id eſt, quis pulcherrimam hanc rerum omnium materialium & artificialium vniuerſitatem magis quàm ipſa elaborauit?

7. Et si ivstitiam qvis diligit, hoc eſt, vitæ ſanctitatem, quâ etiam ipſemet Sponſus ornetur. Hæc eſt iuſtitia generaliter dicta; nam paulò pòſt ſtrictiùs accipitur: Labores hvivs magnas habent virtvtes, Græcè, labores huius ſunt virtutes, id eſt proprium ipſius opus & labor eſt, veras hominum animis virtutes inſpirare. Sobrietatem enim docet id eſt, temperantiam, quæ concupiſcibiles paſſiones frænat: Et prvdentiam, quæ diſcernit inter bonum & malum; Et virtvtem, Græcè, fortitudinem, quę partem iraſcibilem ratione moderatur, vt neque temeritate proſiliat, neque terribilem timore retrocedat. Qvibvs vtilivs nihil est in vita hominibvs, in vita nempè humana ad homines comparata. Virtutes enim iſtę 4. cardinales, omnium etiam Philoſophorum ore decantatæ, ad quas etiam cæterarum omnium chorus velut ad ſuos cardines & duces reuocatur, vniuerſam humanæ vitæ rationem inter homines benè diſponunt; hominemque iam erga Deum, fide, ſpe, & charitate quam indiuiduè comitantur, diſpoſitum eſſe ſupponunt.

8. Et si mvltitvdinem scientiæ qvis desiderat, non theoreticæ, ſed practicæ, qua ſeſe in vitæ humanæ directione gubernet; nam in Originali eſt, Multitudo experientiæ, quæ prudentiæ mater & nutrix eſt. Scit præterita, omnia ab initio temporum, & ſcire facit nos, ſicut in Moyſe Geneſim enarrante & Prophetis apparuit. De fvtvris æstimat,

per tempeſtiuam futurorum prouidentiam ex rebus præteritis, vt Ioſeph ſapientiam edoctus fecit. SCIT VERSVTIAS SERMONVM, quia penetrando verborum ſtrophas non ſinit ſe decipi. DISSOLVTIONES ARGVMENTORVM Græcè, ænigmatum, id eſt, obſcuriſſimorum, figurisque occultorum ſermonum & argumentorum, quibus enodandis ad miraculum vſque Salomonem fecit excellere ſapientia, & pro ſuo modulo excellunt omnes qui ſapientiæ ſpiritu imbuti ſunt: ipſa enim veritatis cognitio, eſt ſubuerſio falſitatis. SIGNA ET MONSTRA SCIT ANTEQVAM FIANT, quia cœli terræque portenta diu ante prænoſcit. EVENTVS TEMPORVM ET SÆCVLORVM, quia ſcit, quid ſingulis temporibus imò ſæculis euenturum ſit: cuius quidem præſcientiæ tot teſtes habuit ſapientia, quod habuit Prophetas.

9. QVIA MECVM COMMVNICABIT DE BONIS, de pulchritudine, de ſcientia, diuitiis, generoſitate & cæteris: ET ERIT ALLOCVTIO COGITATIONIS ET TÆDII, id eſt, ſolatium moleſtarum & anxiarum cogitationum, vt Græcè eſt, & triſtitię: nihil enim magis animi anxietatem pellit, quàm ex vetæ ſapienti penu hauſta meditatio: quę multorum etiam annorum ſolitudinem ita lenit, vt nec alęę lenociniis ad fallendum tempus, nec venationis, nec muſicæ modulationis indigeant. Hactenus eos ſapientiæ fructus expoſuit, quorum vtilitas maximè in priuatos redundat: Nunc illa potiſſimum proſequitur, quę in Reipublicæ emolumentum cedunt. Nam honor ſapienti etiam apud magnates exhibitus, quamuis & ſapienti glorioſus ſit, ipſis tamen Principibus ac populis eſt vtilior, quia ſic ad ſapientiæ perceptionem præparantur. Quę autem hic dicuntur, reipſa ſibi magna ex parte contigiſſe narrat Iob c. 29.

14. DISPONAM POPVLOS, leges ferendo & gubernando: quò quis enim magis præſtat ſapientiâ, eò aliis regendis eſt magis habilis: qua de cauſa quoddam in naturis ipſis fundamentum dominii & ſeruitutis voluit eſſe Ariſtoteles.

15. TIMEBVNT ME AVDIENTES REGES HORRENDI; metum enim ac venerationem ab inuitis elicit ſapientia, ita vt Nabuchodonoſor in faciem ſuam caderet & Danielem adoraret, & Herodes Ioannem metueret. IN MVLTITVDINE VIDEBOR BONVS, id eſt, in populo ſeu erga populum mihi ſubiectum iudicabor benignus & manſuetus. ET IN BELLO FORTIS: quæ duæ imprimis virtutes in rege tamquam populi duce & cuſtode debent eſſe copulatæ.

16. INTRANS IN DOMVM MEAM, vt à tumultuoſis Reipublicæ negotiis pauliſper in ſeceſſu reſpirem, CONQVIESCAM CVM ILLA, quietem animi ex ſapientiæ velut ſponſæ meæ alloquio & meditatione mihi concilians. Cauſam reddit: NON ENIM AMARITVDINEM CONVERSATIO ILLIVS, vt ſubinde ſolet vxorum & mulierum, quæ ſæpè vitiis domi morte amariores ſunt: SED LÆTITIAM ET GAVDIVM, quia ſpiritus ſapientiæ ſuper mel dulcis, & hæreditas eius ſuper mel & fauum.

17. HÆC COGITANS, &c. QVONIAM IMMORTALITAS IN COGNATIONE SAPIENTIÆ, id eſt, in affinitate eius velut ſponſæ: quia quos ſui participatione Sapientia cognatos facit, ſpiritum iis infert incorruptibilem in hoc ſæculo, & vitæ futuræ confert immortalitatem.

18. ET IN OPIBVS MANVVM ILLIVS, id eſt, ex operatione ſapientiæ obtingit homini, HONESTAS SINE DEFECTIONE, id eſt, omnis generis diuitiæ indeficientes; vt ſuprà monui, honeſtatem ſumi: repetit enim ea quæ ſuprà explicuit. ET IN CERTAMINE LOQVELÆ ILLIVS SAPIENTIA, quia in verbis ſapienter diſputantium & concertantium tanta elucet ſapientia & grauitas, vt verborum & rerum ponderi aduerſarii non poſſint reſiſtere. ET PRÆCLARITAS IN COMMVNICATIONE SERMONVM IPSIVS, quia magnus decor & maieſtas elucet in ſermone quo aliis communicatur ſapientia: vel etiam, vt magis Græca ſonant nominis gloria & celebritas ſapientem conſequitur, cùm ſuper alios mittit velut imbres eloquia ſapientię ſuæ. Nam & in hac vita, honor & gloria eſt in ſermone ſenſati; & in altera,

qui ad Iuſtitiam erudiunt multos, fulgebunt quaſi ſtellę, &c. CIRCVIBAM QVÆRENS, &c. Quo ardentiſſimum ſapientię ſibi iungendæ deſiderium fuiſſe indicat.

19. PVER AVTEM ERAM INGENIOSVS. Græcè, benè à natura natus atque compoſitus ad ſapientię perceptionem. ET SORTITVS SVM ANIMAM BONAM, id eſt, bonam animi indolem ad omne virtutis officium ex corporis temperie propenſam: Quam ſortitum ſe dicit, quia naturę dona velut fœlice ſorte homini à Deo contingunt. Hinc tritum illud: Fœlices benè nati. Aug. interim 18. de Geneſi ad litter. c.17. & 18. videtur hunc locum de Chriſto accipere, qui ſortitum ſe dicat animam bonam, ne aliquibus meritis pręcedentibus ad tantum apicem ſubuecta putaretur, vt cum ea Verbum caro fieret: Sed myſticus ſenſus videtur. Nam textus cohęrentia & maximè initium c. 7. & 8. indicant literaliter de Salomone eſſe intelligendum. Hæc tamen bonitas animæ de gratię dotibus poſſet intelligi, qua ſit ſortitus à Deo quaſi ſorte ſine meritis, nam vt inquit Auguſt. Solent quę ſorte dantur, diuinitus dari.

20. ET CVM ESSEM MAGIS BONVS, ſeu cùm fierem magis bonus, in dies virtutis ſtudio ſapientiæque proficiens, VENI AD CORPVS NON INCOINQVINATVM. id eſt, citra adulterium, extra menſtrua quibus ingenia grauantur, conceptum. Ita Auguſt. loco citato. Alii referunt ad corpus ſine macula & vitio, aptâ nempè ad virtutem temperie. Sed quo momento potuit anteà bonus fuiſſe Salomon, vt deinde ad corpus incoinquinatum veniret? Nam corpus etſi propter animam, ante tamen animæ creationem concipitur. Potior ergo ſenſus videtur: Cùm virtutis exercitatione in bonitate proficerem, corporis quoque munditiem & caſtitatem mihi aſſciui. Vnde modum obtinendæ puritatis corporis exponens, addit,

21. ET VT SCIVI QVONIAM ALITER NON POSSEM ESSE CONTINENS, id eſt, cùm ſapientię & imprimis caſtitatis aliter compos fieri non poſſem: ſic enim *continens*, & maximè Græcum ἐγκρατής, ſæpè alibi ſumitur vt Eccleſ. 15. Qui continens eſt iuſtitię, &c. & c.6. Continens factus ſapientiæ, ne derelinquas eam. Cui ſenſui aptè cohæret ſequens precatio. Sed tamen Latini PP. ferè de continentia virtute accipiunt, vt Proſper contra Collatorem c.36. & alibi. Aug. aliquibus in locis, vt 10. Confeſſ. c. 29. continentiam illam intelligit, quę hominis animum ab omni praua cupiditate, & corpus ab omni Veneris, cibi & potûs exceſſu coërcet, colligens animum in vnum, à quo in multa defluxerat. Qui ſanè ſenſus patrum à primo diſtat: fundamentum enim & magna pars ſapientiæ eſt, prauarum cupiditatum, & imprimis corporis continentia, vnde nec illius in oratione ſua Salomon obliuiſcitur: Deducet, inquit, me in opibus meis ſobriè. ET HOC IPSVM ERAT SAPIENTIÆ, CIRE, &c. quia non tantùm in hoc nos Deus adiuuat, vt amando agamus quod diſcendo iam ſcimus; ſed vt ſciamus quid agendum ſit, ita vt nemo poſſit eſſe non ſolùm continens, niſi Deus det, verùm etiam ſciens, vt Auguſt. Epiſt. 143. DIXI EX TOTIS PRÆCORDIIS MEIS, toto nempe animi ardore & niſu, corde non hæſitante aut fluctuante, ita vt partim vellem & partim nollem: quo modo nonnulli à Deo continentiam petunt, & ſe feciſſe in adoleſcentia teſtatur, Aug. 8. Confeſſ. c.7.

Porrò malè colligunt hinc Sectarii votum continentię eſſe temerarium, cùm nemo ſciat, vtrum doni continentię futurus ſit compos: Dat enim Deus vtique quam iubet continentiam, ſed petentibus & gemitu interno aures eius pulſantibus, ac fide ſolida in eum iactantibus curam ſuam, vt ibidem docet Auguſtin. 6 Confeſſ. cap. 11. Talibus enim non ſe ſubtrahet Deus vt cadant, ſed excipiet & ſanabit eos. Qui autem in ſe ſuiſque viribus ſtat, non ſtat: vnde nec mirum eſt, ſi cadat. Fides Chriſtiana & continentia coniugalis, Dei vtique dona ſunt, nec tamen temerè fidem amplectitur, vel matrimonii vinculo indiſſolubili ſeſe adſtringit, cui perſeuerantiam nemo ſpopondit: hæc enim in voluntatis arbitrio eſt, ſed adiuto ſanatoque per gratiam, quam nemini Deus negat, qui ſicut Salomon

mon ex totis præcordiis ſuis eius implorant auxilium.

CAPVT IX.

AB hoc capite vſque ab libri finem, videtur eſſe perpetua quædam precatio Salomonis, quâ capite quidem 9. magno affectûs ardore poſtulat Sapientiam: ſequentibus verò per modum encomii Sapientiæ multis ad Deum apoſtrophis interceptis decurrit: iungit Sapientiæ effectus, repetit hiſtorias & exempla multorum omnis ætatis hominum, qui Sapientiæ beneficio ſalutem adepti ſunt, vel eius iudicio ſeuerè puniti.

1. DEVS PATRVM MEORVM. Quo exemplo nos hîc moderi dicit Auguſt. q. 16. in Exod, vt cùm merita noſtra nos grauant, ne diligamur, reuelari nos putemus illorum meritis poſſe, quos Deus diligit. QVI FECISTI OMNIA VERBO TVO, tamquam ſapientiæ tuę conceptu, per quem omnia facta ſunt. Quo ſignificatur ſumma omnia condendi facilitas.

2. CONSTVISTI HOMINEM, VT DOMINARETVR CREATVRÆ, &c. nempe vt præeſſet non Angelis, ſed piſcibus maris & volatibus, & beſtiis vniuerſæque terræ, vt eſt Geneſ. 1. qui finis eſt hominis ſecundarius. Nam hominem inſtituit Deus vt quærat eum, ſi fortè attrectet eum aut inueniat.

3. VT DISPONAT ORBEM TERRARVM, adminiſtrando & regendo, tum irrationabilia iam dicta, tum etiam homines, quorum in ſtatu Innocentiæ directio & gubernatio non defuiſſet parentum erga filios, mariti erga vxorem, & fortè ſuperiorum erga Rempublicam, vt ſatis inſinuat Aug. 19 de Ciuit. c. 14. IN ÆQVITATE, nempe generaliter dictâ vel etiam ſanctitate, vt Græcè eſt, quæ Deum reſpiciat: ET IVSTITIA, quæ homines. ET IN DIRECTIONE CORDIS IVDICIVM IVDICET, id eſt, corde recto & flecti neſcio. Rectum eſt autem cor, cum rectæ ſuæ regulæ quæ lex eſt & voluntas Dei, coniungitur, vt Aug. in Pſalm. 31. & 35. Quia ergo tu ipſe Deus, principatus, regiminis ac iudiciorum auctores.

4. DA MIHI SEDIVM TVARVM ASSISTRICEM SAPIENTIAM, id eſt, quæ throno ac tribunali velut conſors aſſiſtit, atque tecum omnia operatur, regit ac iudicat. Hanc petit, vt ſibi inſtar aſſeſſoris, qui iunioribus iudicibus dati ſolebat, Tribunali ſuo aſſideat ac præſideat. Quin & olim in Eccleſiaſticis Conciliis codex Euangelicus excelſiori loco ſtatuebatur, vt Iudicis Chriſti referret præſentiam. ET NOLI ME REPROBARE A PVERIS TVIS, denegatione Sapientiæ à te poſtulatæ, reiiciendo me extra numerum filiorum tuorum; neminem enim diligit Deus, niſi qui cum ſapientia inhabitat.

5. QVONIAM SERVVS TVVS SVM EGO. Hoc eſt ſeruituti tuæ iam ab infantia dedicatus. Imò ET FILIVS ANCILLÆ TVÆ, tamquam verna ſcilicet in familia & populo tuo natus, HOMO INFIRMVS, corpore & animo, ideoque multis repletus miſeriis, quæ à percipienda ſapientia me impediunt. ET EXIGVI TEMPORIS, quia adoleſcens admodum & penè puer regno inauguratus ſum, anno ſcilicet 12. ætat. vt docet Hieronym. Epiſtol. 122. ad Vitalem, & Ignatius initio Epiſtol. 6. Imò quantumuis ſenex eſſem, vitæ ſum breuiſſimæ; cùm tamen ars regni adminiſtrandi ſit longa multoque vſu & experimentis comparanda. ET MINOR AD INTELLECTVM IVDICII ET LEGVM, hoc eſt, inſufficiens ad rerum ciuilium tractationem, ſiue, vt leges tuas naturales, iudiciales, ceremoniales intelligam, ex quarum præſcripto populus eſt iudicandus & gubernandus.

8. ET DIXISTI ME ÆDIFICARE, id eſt, iuſſiſti, vt Pſal. 136. dixit, id eſt, facta ſunt: Vel dixiſti, vt ædificarem, phraſi Græca. TEMPLVM: ſignificans primam Regibus eſſe debere religionis & ſacrorum curam. IN MONTE SANCTO TVO, qui eſt, mons Moria, propter multorum myſteriorum ſanctitatem venerabili. Mons enim iſte continebat varios colles, in quorum vno Caluariç Adam ſepultus: Iſaac oblatus, & Chriſtus crucifixus eſt, vt ex Hieronym. docet Auguſt. ſerm. 71. de tempore: In altero Oliueti remotiore Chriſtus aſcendit: In alio, nempe Sion, ars Dauid extructa eſt: In area verò Ornam Iebuſæi Sioni

adhętenre, templum ædificatum eſt: quæ area pars montis eſſe cenſetur. ET ALTARE, holocauſtorum ingens: Nam Altare Thymiamatis nonnulli volunt non eſſe ſtructum à Salomone, ſed antiquum illud Moyſis fuiſſe, cedro & auro veſtitum. Fauet Scriptura, quæ dicit de altari Thymiamatis 3. Reg. 6. Sed & Altare veſtiuit cedro. Et ſanè Ioſephus 8. Antiq. c. 3 Altaris holocauſtorum fabricam narrat: de Altari verò Thymiamatis nihil, niſi quod dicat, medium inter candelabrum, & menſam locum obtinebat Altare illud aureum: quaſi antiquum illud, & ſatis notum Altare deſignaret. SIMILITVDINEM TABERNACVLI QVOD PRÆPARASTI AB INITIO, olim nempe per Moyſen: quod Tabernaculum multis additis tẽplo Salomonis repręſentabatur.

9. ET TECVM SAPIENTIA TVA, ſupple præparauit Tabernaculum, &c. infuſo Beſeleel ſpiritu Sapientię & intelligentiæ. Quę SCIEBAT QVID ESSET DIRECTVM IN PRÆCEPTIS TVIS, id eſt quid in præceptis rectum eſſet, ſiue quænam eſſent recta & iuſta præcepta. Cùm ergò tam ſit efficax tua ſapientia, mihique tam neceſſaria,

10. MITTE ILLAM A SEDE MAGNITVDINIS TVÆ, de throno gloriæ, vbi tecum aſſiſtit, iudicans ac diſponens orbem terrarum, mitte illam, non vt locali migratione cœlos deſerat, quod impoſſibile eſt, ſed VT MECVM SIT infuſo mihi ſancto ſapientiæ Spiritu, ET MECVM LABORET, ſiue collaboret mihi vtique laboranti. Fruſtra proinde hæretici gratiæ efficaciam ſtatuunt libertatis interitum: Adiuuat enim Spiritus infirmitatem noſtram tantò nos magis reddens liberos, quantò minùs ſeruituti peccatorum obnoxios.

13. QVIS ENIM HOMINVM, ſuâ ſcilicet induſtriâ Dei voluntatem arcanam, & conſilia ſcrutari conantium, POTERIT SCIRE CONSILIVM DEI, hoc eſt, voluntatem Dei, & vt eſt verſ. 27. ſenſum Dei: animalis enim homo non percipit ea quę ſunt ſpiritus Dei: ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere.

14. COGITATIONES ENIM MORTALIVM, ratiocinationes ſcilicet & diſcurſus, TIMIDÆ, errorem ſemper & lapſum in tantis tenebris rerum, tam naturalium quàm diuinarum formidantes, vnde hærent ac titubant: ET INCERTÆ PROVIDENTIÆ NOSTRÆ, id eſt, falli prona ſunt noſtra de rebus gerendis conſilia, quæ in ſpecie optima & prudentiſſima, tamen vel propter futurorum caliginem, quam non penetrat mens humana, vel propter lubricas rerum vices & mutationes, vel denique Domino diſſipante conſilia gentium, & reprobante cogitationes populorum, infœliciſſimos crebrò exitus ſortiuntur.

15. CORPVS ENIM QVOD CORRVMPITVR, id eſt, corruptibile & mortale, ita ſcilicet vt non tantùm mori poſſit, ſicut & in Adamo potuit, ſi vellet; ſed, vt famis, ſitis, frigoris, caloris, concupiſcentiæ, paſſionum, morborum & mortis denique neceſſitati obnoxium ſit. AGGRAVAT ANIMAM, quia eius alas ne ſurſum volet, ita onerat & quaſi ligatas tenet, vt non poſſet quidquam ſpirituale ſine phantaſmate, & quaſi veſte corporea, niſi ſummo cum labore concipere, nec ſine diſtractione rebus contemplandis inſiſtere, ſine defatigatione perſiſtere; ſine ſenſu magni ponderis affectum ad Deum à terrenis erigere, ſine repugnante carnis lege bonum amplecti, ſine quotidiana corporis cura ac ſeruitute Deum ac diuina ſcrutari. Ex quo fit vt cum Paulo quiſque exclamet: Infelix homo quis me liberabit? &c. ET TERRENA INHABITATIO, Græcè, terrenum habitaculum, ſeu vt Iob cap. 4. domus lutea, quæ eſt corpus humanum, DEPRIMIT SENSVM MVLTA COGITANTEM, id eſt, de multis anxiè curantem, de cibo, potu, aliiſque infinitis huc ſpectantibus: quarum curarum totus mundus eſt plenus.

CAPVT X.

PRoſequitur precationem ſuam perpetuâ laude ſapientiæ. Probat autẽ egregiâ exemplorum inductione id quod proximè dixerat, per ſapientiam ſanatos eſſe omnes qui placuerunt Deo à principio.

1. HÆC ILLVM CVSTODIVIT, id eſt, Adamũ in Innocentia, ne Dei præceptum præuaricaretur, aliquandiu cuſtodiuit, idque vt

Abulenſis, in ſequentem diem Sabbati: vt Peretius, vſque ad octauum, quo & creatus eſt: vt quidam, ad 34. annos quot vixit Chriſtus: vt alii, ad 40. dies quos ieiunauit. Veriſimilius fortaſſis quod ſenſit Irenæus l.5.c.23 breuiſſimo tempore fuit cuſtoditus, eò quòd eodem die quo creatus eſt, eadem horâ qua Chriſtus paſſus nempe nonâ peccauerit, & ſtatim Paradiſo pulſus ſit. Nam vt Chriſtus locum Caluariæ, quo Adam ſepultus eſt, ita etiam diem & horam peccati eius tunc notauit, vt crucifixione ſua eodem loco, die & hora, damna ligni ſolueret.

2. Et edvxit illam a delicto svo, dans illi pœnitentiam & peccati remiſſionem: cuius pœnitentiæ indicia docet Irenæus lib.3.cap.37. fuiſſe timorem eius, confuſionem, abſconſionem, pungentia foliorum aſperitate perizomata. Hinc à Tertull. 2. contra Marcionem, vocatur reſtitutionis candidatus: & alibi, ex homologeſi in Paradiſum reſtitutus. Hæreſis enim fuit Tatiani Auctoris Encratitarum, Adamum ſalute excidiſſe, vt teſtatur Irenæus lib. 1. cap. 30. & 31. Tertullian. de præſcript. cap. 52. Epiphanius hæreſi 46. Auguſt. hæreſi 25. Sed iidem eum refutant, quòd perabſurdum eſſet & irrationabile, ramis ſaluis radicem non eſſe ſaluam, & filios in captiuitate generatos liberari non eum, qui præcipuè erat captiuus. Vide Auguſtin. Epiſt. 99. Dedit illi virtvtem non obſtante tam graui peccato, continendi omnia nempe ſuo imperio gubernandi, & in officio continendi totam hominum Rempublicam ab eo ortam: vel etiam continendi ſuo imperio omnia inferiora: quamquam hæc virtus continendi omnia, multùm per peccatum diminuta ſit, maximè circa extrema animalia, ſcilicet maxima, & minima.

3. Ab hac, ſapientia & eius dictamine, vt recessit inivstvs. Cain, per iram homicidii deperiit, tum quia anima eius iuſtitiæ mortua eſt, tum quia grauitate peccati deſperauit, maiorem cenſens iniquitatem ſuam quàm vt veniam mereretur, tum quia vt Hebræi volunt, & ex iis Hier. Epiſt. 125. q.1. in pœnam peccati illius à Lamech imprudente occiſus eſt.

4. Propter qvem, Cain ſcilicet cuius fratricidium, prædas, luxuriam ac tyrannidem, quas ſecundùm Ioſephum 1. Antiq. cap.3. factus Dux latronum exercuit, poſteri eius ſunt imitati. Cvm aqva deleret terram, sanavit itervm sapientia, vulnus ſcilicet illud omnium rerum viuentium deletione terræ inflictum, per contemptibile lignvm, id eſt, per arcam quæ ſufficiens, tam immani diluuio perferendo videbatur, & cuius ſtructura ab impiis contemnebatur, & velut fatuorum hominum molitio ridebatur: ivstvm gvbernans, Noë cum incluſis animalibus: magis enim diuina prouidentia, quàm humana prudentia natantem arcam gubernauit, ne incurreret vbicumque naufragium, vt Aug. 15. de Ciuit. cap.27.

5. In consensv neqvitiæ cvm se nationes contvlissent, id eſt, poſtquam impia & ſuperba conſpiratione facta, gentes in vnum confluxiſſent, nempe vt ædificatione turris Babel, cuius culmen ad cœlos pertingeret, nomen ſuum celebrarent: hic enim conſenſus nequam ſuperbus & ambitioſus fuit, quidquid tandem dicat Abulenſis, qui fabros illos non peccaſſe putat. Scivit ivstvm, Abraham, illâ nimirum ſcientia, qua nouit Deus, id eſt, approbat & gratam habet viam iuſtorum, non quod Abraham ædificationi turris interfuerit, ſed quod ea tranſacta Deo placuerit. Vnde Græcè eſt, cùm gentes commixtæ ſeu confuſæ fuiſſent, ſcilicet linguarum confuſione. Hęc enim confuſio circa annum 170. à diluuio contigit: quod erat initium tyrannidis Nemrod ſeu Beli, totius operis velut arcis tyrannidis ſuæ architecti & promotoris: Abraham verò natus eſt anno 292. Poſſet tamen ſatis commodè intelligi de gentium maximè Chaldæorum confluxu in idolorum culturam, & ad affligendum ignéque exurendum Abraham, à quo Dei miſericordia liberatus ſit. Nam Abraham ſeu domum Thare pro vera pietate in Chaldæa fuiſſe afflictam, manifeſtum eſſe dicit Aug. 16. de ciuit. c. 13. Etſi autem Hieronymus in traditionibus Hebraïcis in Geneſim id fabulam vocet, tamen paulò

inferiùs, vt verum approbat, fabulam fortè narrationem vocans. ET IN FILII MISERICORDIA, quia viſcera eius ſuper immolatione Iſaac commouebantur, FORTEM CVSTODIVIT, id eſt ſeruauit conſtantem; nam ingenti animi robore omnem humanę naturę effectum vincebat, vt Deo obtemperaret. Ponderant egregiè tentationis magnitudinem PP. Vide Ephrem tomo 3. de Abraham. Orig. homil. 8. in Geneſ.

6. HÆC IVSTVM LOTH LIBERAVIT, DESCENDENTE IGNE, cum ſulphure, vt ait Geneſis, ſiue igne ſulphureo, qui videtur eſſe ignis fulmineus: fulmina enim ſulphuris odorem & lucem præ ſe ferunt. Vnde fulmen Deus intentans apud Ezechielem, Ignem, inquit, & ſulphur pluam ſuper illam. IN PENTAPOLIM, regionem illam quæ à 5. vrbibus Sodoma, Gomorrha, Adama, Seboim & Bala ſiue Segor, dicebatur Pentapolis. Segor, enim quæ ſubuerſioni à Deo fuerat deſtinata, precibus Loth eſt ſubtracta incendio, & tempore Hieronymi, imò Borchardi erat ſuperſtes, vt ipſi teſtantur: tametſi Theodoretus q.69. in Geneſ. poſt diſceſſum Loth, hiatu terræ incolas abſorptos eſſe velit.

7. QVIBVS, &c. FVMIGABVNDA CONSTAT DESERTA TERRA, quia vt teſtatur oculatus teſtis Borchardus lacus ipſe, in quem tota regio conuerſa eſt, ſemper eſt fumans & tenebroſus: ſicut ego, inquit, oculis meis vidi, vt videatur eſſe os inferni; adeò tetrum vaporem fumat, vt vicina ad mediam dietam loca, hoc eſt, ad 4. vel 5. leucas, reddat ſterilia, ita vt ne gramen quidem producant. ET INCERTO TEMPORE, Græcè, imperfectis anni tempeſtatibus hoc eſt, intempeſtatiuos ac immaturos euanidoſque FRVCTVS HABENTES ARBORES, quia vt Ioſephus l. 5. belli Iudaici cap. 5. licet ibi videre renaſcentes in fructibus cineres, qui colore quidem ſunt edulibus ſimiles; carpentium verò manibus in fumum diſſoluuntur & cinerem: cui, qui ea viſerunt, vel deſcribunt loca, atteſtantur, Tertull. carmine de Sodoma; Adricomius, apud quem vide plura ex Ioſepho & aliis. ET INCREDIBILIS ANIMÆ MEMORIA, hoc eſt monumentum animæ incredulæ, quæ non credebat aliquid referre ad ſalutem ſuam, ſi retrò reſpiceret vnde contra Angelorum præceptum reſpexit, prouocata ſcilicet, vt veriſimile eſt, fragore fulminis igneæque pluuiæ, calore pereuntium, dolore ſubuerſæ, terræ amicorum, timore ſimilis interitûs: STANS FIGMENTVM SALIS, nempe ſimulachrum & ſtatua ſalis, in quam non anima vtpote immortalis & incorporea, ſed corpus eius conuerſum eſt, idque non ideò quòd veſperi ex inhoſpitalitate gentilia ſalem non appoſuiſſet hoſpitibus, vt nugantur Hebræi, ſed vt eſſet diuinę caſtigationis perenne monumentum, atque ita fatuos condiret, vt Deo per omnia obediant nec proficientes in ſancto propoſito noxia curioſitate retroſpicerent, vt eſt apud Proſperum lib. 1. de prædictionibus & promiſſis cap. 16. Durauit hoc ſimulachrum inter mare mortuum, & Engaddi ad noſtra vſque ſæcula, vt teſtis eſt Adricomius. Audi Tertull.

Durat adhuc nudâ ſtatione ſub æthram,
Nec pluuiis dilapſa ſitu, nec diruta ventis.
Quin etiam ſi quis mutilauerit aduena formam.
Protinus ex ſeſe ſuggeſtu vulnera complet.
Dicitur & viuens (id eſt, quaſi viueret) *alio iam corpore ſexus*
Munificos ſolito diſpungere ſanguine menſes,

Cuius fides ſit penes ipſum. Porrò ſalem iſtum volunt fuiſſe metallicum, qui pluuiis reſiſtit, & ædificiis ſua ſoliditate prodeſt.

10. HÆC PROFVGVM IRÆ FRATRIS IVSTVM, Iacob ſcilicet, qui Eſaü fratris ſui iram declinabat, præueniens pręceptum Apoſtoli, Date locum iræ, id eſt, cedite iræ, DEDVXIT PER VIAS RECTAS, in Meſopotamiam, & inde rurſum in Chananæam, ſecundùm promiſſionem Dei, Ero cuſtos tuus quocumque perrexeris. Addit, *rectas* quia tot iniuriis & calamitatibus vexatum per rectas iuſtitiæ ſemitas deduxit, ita vt neque ad dextram, neque ad ſiniſtram in iram, odium, puſillanimitatem fraudeſve deflecteret. ET OSTENDIT ILLI REGNVM DEI, cùm ei apparuit Dominus innixus ſcalæ, omnia, quaſi internunciis Angelis regens & gubernans, ipſo Iacob dicente, Non eſt

hic aliud niſi domus Dei & porta cœli. Et dedit illi, in ipſa apparitione, scientiam, Sanctorvm, id eſt, cognitionem ſanctarum rerum, nempe Angelorum diſcurrentium diuinæ de ſe curæ ac prouidentiæ, benedictionis omnium gentium in ſemine ſuo quod eſt Chriſtus futuræ, & reliquorum ſcalæ myſteriorum. Quin etiam, quia ſcientia Sanctorum eſt prudentia, dedit illi ſcientiam illam ſanctis propriam, qua nihil putant Deo & Iuſtitiæ præponendum, Honestavit illvm, id eſt, locupletauit, in laboribvs, quibus apud Laban deſudauit, et complevit, maturè finem afferendo laboribus cùm Iacob, reuerteretur ad Iſaac: Vel aptiùs ad Græcum, compleuit multiplicando, Labores illivs, hoc eſt, laborum eius fructus, cùm per virgas decorticatas fœtus ouium maculati velleris multiplicauit.

11. In fravde circvmvenientivm illvm: qua fraude, ſeu auaritia, vt alii vertunt, Laban conabatur circumuenire Iacob mutans mercedem eius decem vicibus. Affvit illi, quia Deus non dimiſit eum, vt noceret ei.

12. Cvstodivit illvm ab inimicis diuertendo iram & conatum Eſaü, minando Laban terrendo Sichemitarum vicinos, ne auderent perſequi recedentes. Et a sedvctoribvs tvtavit illvm, quia inſidias Eſaü per prudentiam Iacobi diſſipauit: variis enim artibus conabatur eum in Idumęā ſeducere. Et certamen forte dedit illi vt vinceret, quandò cùm Angelo tota nocte luctatus, eum tandem ſuperauit, vnde & nomen Iſraël, id eſt, dominans ſeu præualens Deo, promeruit, vt inde diſceret, quoniam ſi contra Deum fortis fuiſſet, quantò magis præualeret contra homines, Eſaü ſcilicet & vires eius quas tantopere metuebat. Et sciret qvoniam potentior omnivm, est sapientia, cuius prouidentia eum gubernabat: Hæc enim per gratiæ infuſionem ſuos electos facit, vt ciuitatem munitam & columnam ferream, vt omnes generis hoſtes bellent aduerſus eos aſtutiâ, fraudibus, opibus, crudelitate, & non præualeant.

13. Hæc ivstvm Ioſeph, a peccatoribvs liberavit, fratribus inuidiâ ac odio in eum flagrantibus: peculiari enim Dei conſilio Iſmaëlitis eſt venditus. Vel, quia Græcè eſt, *à peccato*, poſſet etiam intelligi peccatrix hera eius, à qua ad ſtuprum ſollicitabatur: tantâ enim munitus fuit conſtantiâ, vt reſponderet, Quomodo ergò poſſum hoc malum facere, & peccare in Deum meum descenditqve cvm illo in foveam, id eſt, in carcerem, qui ſubinde fouea in ſcripturis vocatur. Nam in carcere dedit ei ſapientia gratiam in conſpectu Principis carceris, vbi etiam ſomnia captiuorum per ſapientiam reuelabat.

14. Et dedit illi claritatem æternam, nempe gloriam longam in Ægypto, & famam virtutis nunquam interituram.

15. Hæc popvlvm ivstvm, Iſraëliticum in quo nonnulli iuſti: Vel, *iuſtum*, id eſt, Ægyptiæ afflictionis immerentem.

16. Intravit in animam servi Dei, Moyſis, quem charitatis, ſapientiæ, & magnanimitatis infuſo ſpiritu, per multos annos erudiuit in deſerto, & poſtea docuit eum quid loqueretur Pharaoni.

17. Et reddidit Ivstis mercedem laborvm, dans iis gratiam, vt mutuando ſpoliarent Ægyptios: Quæ ſpolia iuſtiſſimè ab iis retenta ſunt, ſiue belli, ſiue pacis iure, vt docet Clemens Alexan. lib. 1. ſtromatum cap. 13. Belli quidem, quia res hoſtium iuſto bello victores meritò prædabantur: Pacis: quia cedebant iis in tot grauiſſimorum laborum mercede & ſtipendium: Extra quas cauſas adhuc citra iniuriam ſeruare poterant, quia Iſraëlitis, tamquam iuſtitiæ diuinæ executoribus, à iuſto iudice Deo donabantur: qui, vt Auguſt. q. 39. in Exod. nouerat quid quemque pati oporteret. Et dedvxit illos in via mirabili, quia ſecundùm Ieremiam capite 2. terra erat inhabitabilis & inuia, terra ſitis & imago mortis, in qua non ambulauit vir, neque habitauit homo: ſed ſignis & portentis diuinis multò mirabilior. Et fvit illis in velamento diei, Græcè, in velamentum die, id eſt, per diem, quia Deus lucidiſſimam nubem creabat per diem

quæ caſtra eorum obumbraret: vt ita eſſet vmbraculũ diei ab æſtu, ET IN LVCE, id eſt, in lucem, STELLARVM PER NOCTEM, quia columna ignis mirifico ſplendore fulgens inſtar ſtellarum iis per noctem lucebat, vt eo indicio etiam noctu ſibi Deum præſentem agnoſcerent, & ſi fortè proficiſcendum eſſet, vt in mari rubro contigit, eam viæ ducem ſequerentur. Nubes hæc vna atque eadem erat interdiu luce candida, atque expanſa caſtra tota obumbrabat, noctu igneo quodam fulgore iiſdem lucem præbebat, columnali figura tabernaculo incumbens, & ab Angelo mota, cùm eius eſſet quodammodo domicilium & tamquam viç indicium proficiſcentes antecederet.

19. ET AB ALTITVDINE INFERORVM, hoc eſt, maximâ, vel abyſſo maris inſtar inferni profundâ, EBVXIT ILLOS, Hebræos, vel potiùs Ægyptios, iam ſubmerſos; Græcè enim eſt, æſtuando eiecit: ſeu ebullire fecit: quemadmodum olla bulliente ſpumæ aliæque ſordes ex fundo ebulliunt: mare enim magno impetu confluens corpora Ægyptiorum, ſicut cæteras ſordes ad littus euomit: ſequitur enim, IDEO IVSTI TVLERVNT SPOLIA IMPIORVM, Ægyptiorum quos in littore mortuos ſpoliarunt.

21. QVONIAM SAPIENTIA APERVIT OS MVTORVM, Hebræorum ſcilicet qui pauore conterriti hactenus à Dei Laudibus obmutuerant. ET LINGVAS INFANTIVM, ſimplicium & imperitorum, FECIT DISERTAS: Vel fortaſſis, *infantium*, id eſt, puerorum, quia vt ait Auctor de mirabilibus ſacræ ſcripturæ apud Aug. cap. 21. magno miraculo omnes etiam pueri vno quaſi ex ore idem canticum concinebant, Deo ex ore infantium & lactentium perficiente laudem, quemadmodum & tempora Chriſti fecit.

CAPVT XI.

1. DIXERIT OPERA EORVM, id eſt, vt habet Græcus, recta ſeu proſpera duxit via, iter, bella, mores & actiones Iſraëlitarum: Dirigere enim pro proſperare frequens eſt ſcripturis: IN MANIBVS PROPHETÆ SANCTI, id eſt, opera & miniſterio Moiſis: Organum enim organorum eſt manus, vnde fit vt ſæpiſſimè pro miniſterio ponatur: Et ſic dicitur factum verbum Domini in manu Aggæi, & Oſeæ 12. In manu Prophetarum aſſimilatus ſum.

4. ITER FECERVNT PER DESERTA, valde vaſta, Ethan, Sur, Sin, Thatan, Sinai, Cades, Idumææ, Moab.

4. SITIERVNT ET INVOCAVERVNT TE, non per ſe, ſed per Moyſen & Aaron: De populo enim murmurante dixit Moyſes, Adhuc paululum & lapidabit me. Quamquam Cyrillus 3. in Ioannem c. 34. modeſtæ petitioni perfectorum velit adæquari imbecillium ac infirmorum obiurgationem & murmurationem. Nam ſicut, inquit, ploratu neceſſaria ſibi alimenta infantes flagitant, & hoc modo mater ad fouendos filios ſuos prouocatur; ſic queſtuoſus obiurgationibuſque plenus clamor ad Deum, petitionis (ſi ab infirmis & ab infantibus in habitu virtutis fiat) locum tenet. ET DATA EST ILLIS AQVA DE PETRA DVRISSIMA, idque non ſemel tantùm, vt voluit Oleaſter, putans ob ſimilitudinem, eandem eſſe narrationem Exodi 17. & Num. 20. Sed bis; vna enim contigit anno 2. in Raphidim, altera 40. in Cades, vbi & Moyſes punitus eſt. Multò incredibilius quod Hebrçis etiam nonnulli Catholici putauerunt, eandem petram perpetuò cum caſtris Iſraelitarum, quaſi plauſtro circumductam fuiſſe, ex qua aquarum copia ſemper Hebræis ſuppeteret, & poſt Mariæ mortem ceſſaſſe. Sed quod Apoſtolus ait, bibebant de conſequente illos petra, ſignificat ſpiritualis petræ nempe Chriſti diuinam potentiam eos conſecutam eſſe, atque aquam ſuppeditaſſe.

5. PER QVÆ ENIM PŒNAS PASSI SVNT, &c. ſenſus in Latino obſcurus, ex Græco ſic redditur: Per quæ inimici Iſraëlitarum Ægyptii cruciati ſunt, cùm aquis in ſanguinem verſis potus eos deficeret, & in quibus tunc Iſraëlitæ, quandò ſiti cruciabantur Ægyptii, lætabantur ob abundantiam aquarum in terra Geſſen: per hæc inquam, eadem benè cum Iſraelitis actum eſt in deſerto, quandò ſitientibus aqua ex petra profluit.

7. Nam pro fonte ſempiterni fluminis, id eſt, perenniter fluentis Nili, humanum ſanguinem dediſti iniuſtis, Ægyptiis ſcilicer, quia Nilus qui diuinis honoribus ab Ægyptiis colebatur, vt teſtantur Plinius & Theodoretus, in verum quidem ſanguinem, ſed humano ſimilem à finibus Æthiopiæ, vt vult Philo, vel ſaltem à terminis Ægypti vſque ad Mediterraneum mare conuerſus eſt. Hinc liquoris in alueo putrefactio, interitus piſcium, peſtilentia, ſitis per aliquot dies, & ſtrages Ægyptiorum tanta vt domeſticis ſepeliendis non ſufficerent, teſte Philone in vita Moyſis.

8. Qui, Ægyptii, cum minuerentur, id eſt, dum per plagam illam ſitis occiſi pauciores fierent, In traductione infantium occiſorum, ſiue vt Græcè eſt, in redargutionem, correptionem & exprobrationem crudelitatis infanticidii Hebræorum: Fluuius enim ille, inquit Theodoretus quæſt. 9. in Exod. mutatus in ſanguinem, velut conquerebatur de cæde puerorum, vnde & ſanguinem Deus dedit iis bibere: digni enim erant, vt eſt Apocalyp. 16. Qua eadem de cauſa idem ibidem notat aquam protuliſſe ranas, quia pueri inceſſu ſuo ranas imitantur: cum enim nondum ſolis pedibus niti poſſint, manibus ſupplent pedum imbecilliatem. Dediſti illis aquam, &c. q. d. Tu è contrario Domine contra omnem ſpem dediſti Iſraëlitis in deſerto ſitientibus copiam aquarum de petra fluentium.

12. Abſentes enim et præſentes, &c. (enim) pro (autem) ponitur vt ex Græco patet, Non enim hîc redditur ratio præcedentium, ſed continuatur oratio. Significat autem Ægyptios, ſiue aquis ſanguineolentis eſſent præſentes, ſiue abſentes ſimiliter ſitiiſſe: Vel aptiùs ad ſequentia, ſignificat eos cruciatos fuiſſe perinde cùm præſentes eſſent Hebræis in Ægypto, quàm cùm ab iis receſſiſſent, nempe quando audiebant eis ſitientibus ſingulari Dei beneficio aquam ex petra in deſerto ſcaturiſſe, cùm olim ſibi in ſanguinem conuerteretur.

13. Et gemitus cum memoria præteritorum, id eſt, ex memoria rerum prçteritarum, nempe ſitis quam flumine in ſanguinem verſo paſſi fuerant.

14. Cum enim audirent, Ægyptii ſcilicet ex allato in Ægyptum nuncio, per ſua tormenta, per aquam quæ fuerat tormentorum, & cruciatuum ſuorum inſtrumentum, bene ſecum agi, id eſt, benè cùm Hebræis actum fuiſſe, Nam Græcè eſt ipſos beneficio affectos fuiſſe, ſcaturiente ſcilicet ex petris aquâ. Sic alibi ſæpè reciprocum pro relatiuo ponitur: vt diſperſit ſuperbos mente cordis ſui, id eſt, eorum. Cùm ergò Ægyptii hoc audirent, commemorati ſunt Dominum, quia deprehenderunt & agnoſcere cœperunt Dominum, cuius prius noluerant mandatum, virtutem & potentiam agnoſcere: Ad quod probandum ſubdit:

15. Quem enim in expoſitione praua proiectum deriſerunt, Moyſen ſcilicet, quem tamquam vilem hominem, & ex aquis ſaluum Ægyptii initio ſubſannauerant; aut etiam Deum ipſum quem in expoſitione infantium Hebræorum deridentes nolebant agnoſcere, in finem euentus, id eſt, in fine euentuum, vt eſt in Græco, nimirum poſt tot patrata mirabilia in Ægypto ſitimque Hebræorum in deſerto ſedatam, mirati ſunt, non ſimiliter iuſtis ſitientes, quia cùm ipſi diriſſimâ ſiti cruciarentur ac morerentur, Hebræis aquæ datæ ſolatium adferebant.

16. Pro cogitationibus autem inſenſatis, &c. ſupple, hæc euenerunt illis, nempe vt pœna aptiſſima cogitationes eorum ſtultas puniret, quæ eò vſque prodierant, vt quidam errantes colerent beſtias ſuperuacuas, id eſt, viles & abiectas: Nam Ægyptii omnium mortalium ſuperſtitioſiſſimi, omnibus, penè viliſſimis animantibus diuinos honores deferebant cani, boui, alli, ſerpenti, piſcibus. Talpas & veſpertiliones nominat Iſaias cap. 2. ab Ægyptiis credo acceptas: felicem adiicit Strabo. Plinius ſcarabeum, qui ſtercorarias pilas voluit & ſugit. Audi Iuuenalem ſatyra 5.

Crocodilum adorat
Pars hæc, illa pauet ſaturam ſerpentibus Ibin,
Effigies ſacri nitet aurea cercopiteci.

Addit item Plinius lib. 19. & alibi, per cæpas, porros, & allia, vt per numina eos iurare ſolitos, de quibus Poëta

O ſanctas animas, quibus hæc naſcuntur in hortis
Numina!

Et quod omnem ſuperat fatuitatem, & penè humanam fidem, eos adoraſſe crepitum ventris: Nec minus eum extimuiſſe quàm Serapidem, teſtis eſt Minutius Fœlix in Octauio, paulò poſt medium, itemque Hieronym. in verſ. 1. cap. 46. Iſaiæ. Nam, inquit, & pleraque oppida eorum ex beſtiis & iumentis habent nomina, vt taceam de formidoloſo & horribili cepe, & crepitu ventris inflati, quę Peluſiaca religio eſt. Itaque qui beſtias ab ipſis cultas occideret, capite plectebatur, vt Auctor eſt Tertullianus in Apologetico: Cùm moreretur, capillos tondebant, planctuque publico decreto in templis ſepeliebant, vt docet Atenagoras legatione pro Chriſtianis. Hinc apud eos fuiſſe vltra 660. genera Sacrificiorum, quidam aſſerunt: De prodigioſa eorum religione non pauca Herodotus & Diodorus Siculus & multi PP. Pro his ergò cogitationibus inſenſatis IMMISISTI ILLIS MVLTITVDINEM MVLTORVM ANIMALIVM VINDICTAM, ranas, cinifes, muſcas, locuſtas,

17. Vt per viliſſima animalcula, quibus ſimilia coluerunt, inflicto ſupplicio, ſcirent, QVIA PER QVÆ PECCAT QVIS, PER HÆC ET TORQVETVR, quemadmodum & per capillos ſuos Abſalom, per vineam Naboth Achab, per patibulum Aman, per linguam Epulo pœnas dedit: qui vt ait Cyprianus Epiſtol. 55. Plus lingua ſua, & ore peccauerat.

18. NON ENIM IMPOSSIBILIS, id eſt, impotens & infirma, ERAT OMNIPOTENS MANVS TVA, QVÆ CREAVIT ORBEM TERRARVM, res omnes & ſpecies quibus terra ornatur; nam cœlum ipſum, & terra ex nihilo creata ſunt: EX MATERIA INVISA, Græcè, informi & inornata, quia terra aquis vſque ad cœlos tecta, velut rude atque indigeſtum chaos omni ſuo decore quem naturaliter poſtulat, plantis, animalibus, ſeminibus, graminibus, luce, fluuiis, collibus, campis carebat, quæ ex iſta informi maſſa, & propter tenebras exiſtentes ſuper faciem abyſſi inuiſibili, formata ſunt; IMMITTERE ILLIS MVLTITVDINEM VISORVM, &c. ſed viliſſimis vſa eſt animalibus, vt nempe cultui viliſſimarum beſtiarum ſuum reſponderet ſupplicium.

21. SED ET SINE HIS VNO SPIRITV, ſeu flatu vehementique ventorum turbine; tametſi alii Angelum intelligunt: POTERANT OCCIDI PERSECVTIONEM PASSI AB IPSIS FACTIS SVIS: reum enim non tam Iudex quàm ſcelera occidunt: ET DISPERSI PER SPIRITVM VIRTVTIS TVÆ, ventilati ſummum ac diſſipati vento valido, ſicut diſpergitur puluis turbine raptus ex area: Hoc eſt enim quod apud Iob dicitur cap. 4. Vidi eos qui operantur iniquitatem, flante Deo periiſſe, & ſpiritu iræ eius eſſe conſumptos. SED OMNIA IN MENSVRA ET NVMERO, ET PONDERE DISPOSVISTI, Menſura, inquit, Aug. 4. de Gen. ad litt. c. 3. & 4. omni rei modum quantitatis & perfectionis præſcribit: Numerus omni rei ſpeciem præbet: Pondus rem omnem ad quietem & ſtabilitatem trahit, nempe in ordine ad operationes & finem. In his ergò omnia Deus diſpoſuit, quia iſta omnibus rebus inſeruit. Aliquibus placet per tria menſurarum genera idem ſignificari, quaſi dicat, Non puniuiſti Ægyptios ſecundùm potentiæ tuæ magnitudinem, ſed omnia aduerſus eos ita egiſti, vt mirabili proportione & menſura, numer' & pondus pœnæ reſponderet menſuræ, numero & ponderi ſeu grauitati peccatorum, quemadmodum etiam iſtam eſſentiam operationumque modum & proportionem omnibus rebus tribuiſti, ita vt non temerè aliquid contingat inſolitum. Simili phraſi dixit apud Iſaiam, Ponam iudicium in pondere, & iuſtitiam in menſura: De ſuppliciis enim Ægyptiorum hîc agi, patet ex antecedentibus, & ex eo quod ſequitur.

22. MVLTVM

22. Mvltvm enim valere, &c.

23. Qvoniam tamqvam momentvm stateræ, hoc eſt, lingula bilancis, quæ libratis lancibus leuiſſimo motu huc illuc vergit. Sic est ante te orbis terrarvm, quia vni leuiſſimo tuo nutui ad omnia paret inclinans ſeſe quocumque impuleris, et tamqvam gvtta roris antelvcani, qvæ magna facilitate à prætereuntibus excuſſa, descendit in terram, ita vt ibi vno ſolis radiolo abſumatur, vel à terra abſorbeatur.

24. Sed misereris omnivm, quia omnia potes: q. d. Omnipotentia tua eſt menſura miſericordiç, ita vt tantùm ſis miſericors quantùm potens: Potenti enim ſatis eſt poſſe vlciſci: Ab ira verò vinci vt oſtendat potentiam, impotentis eſt animi. Hinc Eccleſia: Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maximè ac miſerando manifeſtas. Et dissimvlas peccata hominvm, conuiuendo, vt ea non ſtatim admiſſa punias extremo ſupplicio, propter pœnitentiam, quam ab aliis agendam præ diuitiis bonitatis, patientiæ & longanimitatis exſpectas: hoc enim magis hæret contextui, quàm ſi pœnitentiam intelligas iam ab hominibus actam. Hinc ſtatim ſubiicitur generalis ratio:

25. Diligis enim omnia qvæ svnt, et nihil odisti eorvm qvæ fecisti: naturarum enim non vitiorum conditor Deus, mala quæ odit, ipſe non fecit, amans tamen ſuum in vitioſis hominibus, vel creationis donum, vel ſanationis beneficium, vel damnationis iudicium, vt docet Aug. Tract. 110. in Ioannem. Nec enim odiens, hoc eſt, ex odio, vel ſi odiſſes, aliqvid constitvisti, ſeu conſtituiſſes, vt legit Aug. l. 1. q. 2. ad Simpl. Quaſi dicat: Quod omnia diligas, ſignum eſt, quia non ex odio, ſed ex amore & bonitate ad res creandas impulſus es: hæc enim cauſa eſt, cur etiam poſt rerum creationem, nullam earum odio proſequaris: odium enim non ad rerum conſtructionem ſed deſtructionem tendit. Hinc idem Auguſtin. 1. de Geneſ. ad litter. cap. 8. Placet, inquit, Deo quod factum eſt eadem benignitate, qua placuit vt fieret: quod inde patet, vt ſequitur,

26. Qvomodo avtem posset aliqvid permanere, nisi tv volvisses, ſcilicet vt permaneret: hoc enim eſſe diuinæ bonitatis & miſericordiæ, ſignificat: aut qvod a te vocatvm non esset, à non eſſe ſcilicet ad eſſe, hoc eſt, quod electum non eſſet & conditum, ad exiſtendum & permanendum: Vocare enim Dei eſt condere & efficere, vt adſit. Sic famem vocat ſuper terram, gladium, frumentum, ſiccitatem, & ea quæ non ſunt, &c. cùm omnia illa ſolo verbo & imperio facit vt ſint.

27 Parcis avtem omnibvs, non hominibus modò, ſed etiam iumentis, omnibuſque omninò rebus, dum inſtar boni patrisfamilias nullas temerè & ſine maiore fructu conſumis, qvoniam tva svnt Domine, in qua proinde tamquam in opera tua affectus tuus propendet, qvi amas animas, peculiari amore velut ſpiraculum oris tui, & ſpecioſiorem creaturarum tuarum portionem, quibus proinde longè libentiùs parcis, tolerando, condonando, reuocando, & mitiùs puniendo.

Capvt XII.

1. O Qvam bonvs spiritvs tvvs in omnibvs! præmiis maximè pœniſque diſpenſandis.

2. Ideoqve eos, qvi exerrant, partibvs corripis, id eſt, per partes & paulatim, ne totam indignationis tuæ procellam ſimul effundendo, vel omnia peccata ſimul arguendo, infirmi ſuſtinere non poſſint: vel ne ſupplicii grauitate, vel correctionis difficultate deſperent; Et de qvibvs peccant, admones et alloqveris, idque innumeris modis, externa doctrina internis inſtinctibus & admonitionibus, bonorum præmiis, malorum pœnis, beneficiis, miraculis, creaturarum contemplatione, ita vt aures eorum audiant penè aſſiduè verbum poſt tergum monentis, Hæc eſt via, ambulate in ea Iſaiæ 30. Vt credant in te Domine, ea fide ſcilicet quæ tibi monenti & alloquenti obſequatur.

3. Inhabitatores terræ sanctæ ex-

HORRVISTI. Chananæos inhabitatores Iudææ, quæ antequam Chriſti veſtigiis eſſet calcata & myſteriis ſanctificata, nomine terræ ſanctæ gaudebat, eò quòd Patriarchis eſſet promiſſa, Dei cultoribus tradita, diuino cultui dicata, & regni cœleſtis imaginem præferret.

4. ODIBILIA OPERA, &C. PER MEDICAMINA, id eſt, veneficia ſeu maleficia dæmonum interuentu comparata: ſicut ſumitur medicamentum cap. 1. & apud Poëtam,

Melle ſoporatam medicatis frugibus offam Obiicit,

id eſt, incantatis frugibus. ET SACRIFICIA INIVSTA, qui falſis Diis oblata, cùm vni ſoli & vero Deo debeantur: iniuſta quoque, quia impia & profana.

5. ET FILIORVM SVORVM NECATORES, quos parentes immolabant præ cæteris Idolo Moloch. Vnde Iudæis talis immolatio per ignem, & ſimilis luſtratio ſæpè prohibetur, vt Leuit. & Deuter. 18. Et tamen ex familiaritate cùm Chananæis (teſte Pſalmo) didicerunt opera eorum, & effuderunt ſanguinem innocentem, ſanguinem filiorum ſuorum, &c. quos ſacrificauerunt ſculptilibus Chanaan. Fiebat hoc in Gehennon, id eſt, valle Ennon, propè Hieruſalem, vbi idolum Moloch colebatur, æneum & concauum: quod cùm ſubiacto igne igneſcere cœpiſſet, latis eius manibus expanſiſque brachiis puer imponebatur: & ne infantium eiulatus à parentibus audiretur, toph, id eſt, tympanum à Sacerdotibus pulſabatur: hinc locus dictus tophet: qui propter hanc immonditatem ab Iſaia c. 30. ſicut & gehenna à Chriſto pro inferno ponitur. ET COMESTORES VISCERVM HOMINVM. Hoc conuiuium ſacrum fuiſſe, de filiorum per gladium immolatorum ſacrificio veriſimile eſt. Nam & noſtri temporis magi ac ſtryges pueris in ſacrificium adhibitis, eorum ſanguinem lambunt & carnes vorant. Cuiuſmodi ſcelus etiam Plinius à Romanis ſublatum dicit. Tametſi igitur huius immanitatis ſcriptura non notet alibi Chananæos, ſufficit hîc notari: vt non opus ſit hæc moraliter intelligere de mutua oppreſſione, ſicut Michæas dicit cap. 3. Qui comederunt carnem populi mei.

DEVORATORES SANGVINIS A MEDIO SACRAMENTO TVO. Obſcuriſſimus locus eſt quem nihil iuuant Græca, in quibus 5. diuerſę lectiones ſunt ferè à noſtra alienæ. Antiquiores Latini tranſponendo hæc verba, iungebant ſequentibus, hoc modo, Perdere (eos) voluiſti à medio ſacramento tuo: & exponebant, ex terrâ ſanctâ, quæ Sacramentum vocetur, quia ſacra ſeu ſancta, vt ſupra v. 3. vel quia per Sacramentum hoc eſt, iuramentum Patribus erat promiſſa. Huic tamen non ita fauet quod & Grçcè & in bibliis noſtris emendatis altius hæc verba collocanda ſint. Hinc alii, *Deuoratores ſanguinis à medio ſacramenti tui*, hoc eſt, comeſtores ſanguinis ſiue humani, ſiue alterius contra ſacratam vel obteſtationem, vel præceptum Dei in lege naturæ, de non comedendo carnem cum ſanguine, vt eſt Geneſ. 9. Quę expoſitio veriſimilis. Hoc enim & in Actis Apoſtolorum Chriſtianis prohibetur, cum vetatur comeſtio ſuffocati. Alii ex medio ſodaliti Dei, quaſi fuiſſent Sacerdotes Dei apoſtatæ. Alii à medio, ſeu vt Græcè, ex medio ſacramento tuo, hoc eſt, ex ipſis ſacrificiis, quamquam ignoranter & ſacrilegè. Numini tamen placando inſtituebant. Alii aliter. Prima non eſt improbabilis, quia non eſt inuſitatum Scripturę verba iungenda diuellere, maximè quia illud (perdere voluiſti) etiam pro præcedentibus membris reparendum eſt, ſicut in illo Cantici 1. Nigra ſum, ſed formoſa, ſicut tabernacula Cedar, iungendum videtur cum (nigra ſum) non cum (formoſa) illa enim tanquam æſtu aduſta deformia erant.

6. ET AVCTORES PARENTES ANIMARVM INAVXILIATARVM. Græcè pro (auctores) eſt authentas, id eſt, occiſores ſeu auctores cædis: hoc ergo (cædis) ſupplendum hoc eſt ſenſu: Auctores cædis puerorum ſuorum omni auxilio à parentibus deſtitutorum, cui cùm alios imprimis tueri debuiſſent, propriis manibus trucidabant. Hinc Budæus in Comment. linguæ Grçcè vertit, animarum deſtitutarum percuſſores; hos inquam, perdere voluiſti per Iſraëlitas.

7. Vt dignam perciperent peregrinationem filiorvm Dei, hoc eſt, vt Iſraëlitæ acciperent dignam ſe tanquam tutoribus Dei coloniam, ſeu terram peregrinationis ſuæ, in qua ſcilicet aduenæ & peregrini ipſi erant & omnes patres eorum: Qvæ tibi omnivm charior est. Græciſmus eſt, pro, *omnibus charior*, quia vbertima lacte & melle manans, & propter cultores Iudæos chariſſima. Vnde Deuter. 11. vocatur Terra quam Dominus Deus tuus ſemper inuiſit, & oculi illius in ea ſunt à principio anni vſque ad finem eius, tempeſtiuas ſcilicet mittendo pluuias & calores, cæteraque quæ vbertatem adferunt.

8. Misisti antecessores exercitvs tvi, ex bellatoribus Iſraëlitis compoſiti, vespas, ſeu crabrones id eſt, acerrimos timoris aculeos, quibus exagitati Chananæi excederent, atque imminentem cladem euaderent. Ita nonnulli cum Aug. qu. 27. in Ioſue. Sed ibid. dicit, veras veſpas intelligi poſſe, etſi quando hoc factum ſit, non ſcribatur, Ioſue tamen fatetur eſſe factum. Hinc Exodi 23. verſu 27. crabrones à terroribus diſtinguuntur. Imò Deut. 7. crabrones dicit mittendos, qui occiderunt Chananæos illos; qui Iſraëlitas fugere & latere potuerint. Et hoc eodem capite maioribus beſtiis conferuntur: venenatos enim habebant aculeos, quia viperas & ſerpentes guſtant, teſte Plinio l. 11. c. 53. Hinc etiam quaſdam gentibus feruntur prætuliſſe.

10. Sed partibvs ivdicans, id eſt, vtrique parti aliquid tribuens, inquit Hugo: Sed certum eſt ex Græco *partibus*, idem eſſe quod paulatim ſeu per partes, eos ſcilicet puniens aër crabrones. Dabas locvm pœnitentiæ, id eſt, ſpatium & opportunitatem pœnitendi: quod ipſum etiam Iudæis erat opportunum, ne vt Exodi 23. dicitur, ſi vno anno fuiſſent deleti, terra in ſolitudinem redigeretur, & creſcerent contra eos beſtiæ. Non ignorans, etſi ſcilicet non ignorantes, qvoniam natvralis malitia eorvm, quia natiua ſeu innata, quam ſcilicet originali infectione ab vtero traxerant, à parentibus imbiberant, & longa peccandi conſuetudine in naturam verterant: Et qvoniam non poterat mvtari cogitatio illorvm in perpetvvm. Græcè, quòd non mutaretur, Deo ſcilicet hoc præuidente, propter inueteratam eorum peccandi conſuetudinem, ſicut & Ieremias ait, Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas, & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malè. Per ipſos itaque cogitatio eorum mutati non poterat; nec patientia vel admonitionibus mutanda præuidebatur: Dei tamen gratia inſtar mallei conterentis petras, etiam cor lapideum facilè mutauerit in cor carneum.

11. Semen enim erat maledictvm ab initio, per originem peccati, inquit Aug. de nupt. & concupiſc. c. 8. Addi poteſt, quod peculiariter ſpectat Chananæos, eos iam inde ab ipſo parte Chanaan per Noë fuiſſe maledictos, quemadmodum etiam nunc Iudæorum poſteri propter ſcelera maiorum velut montes Gelboë ſterile manent in quos neque ros, neque pluuia diuinæ gratiæ deſcendit. Nec timens aliqvem veniam dabas peccatis illorvm, q. d. quod conniuebas ad eorum delicta, lentiùs ea puniendo, non proueniebat ex poteſtate cuiuſquam altioris: quod non latiùs probat:

13. Non enim est alivs Devs, &c. ac proinde nemo par tibi eſt poteſtate, qui propter impios perditos te poſſet culpare operibus id merentibus, vel qui poſſit vindicare eorum vltionem: Cvi cvra est de omnibvs, ſuppeditando eis ſalutis occaſiones per iſtas ſuppliciorum dilationes, admonitiones & allocutiones, vt ſuprà. Vt ostendas per iſtũ agendi modum, qvoniam non inivste ivdicas ivdicivm: quid enim iuſtius quàm vt iudicium Dei non effugiant, qui tantas diuitias bonitatis eius, & potentiæ, & longanimitatis contemnunt?

15. Cvm ergo sis ivstvs. Græcè, cùm autem, &c. vt ſit oppoſitio ad præcedentia, q. d. etſi nemo tibi ſit par poteſtate, qui audeat tecum de perditis impiis contendere, tamen non vteris poteſtate niſi ſecundùm iuſtitiam: Nam cùm ſis iuſtus, Ivste omnia disponis, nimirum in pondere & menſ-

ſata ſuum cuique naturæ tribuendo, rationali vt meretur; irrationali, vt exigit naturę conditio. IPSVM QVOQVE, &c. EXTERVM ÆSTIMAS A TVA VIRTVTE, id eſt, à tua potentia & robore, vt patet ex Græco, nempè vt eo vtaris nulla demeritorum habita ratione.

16. VIRTVS ENIM TVA, ſiue potentia tua, IVSTITIÆ INITIVM EST. quemadmodum in hominibus animi impotentibus, potentia & fortitudo eorum initium iniuſtitiæ eſt, impellens eos ad omnem ſæuitiam. Adde quod maius eſt, OB HOC QVOD OMNIVM DOMINVS ES, OMNIBVS TE PARCERE FACIS, etiam cùm ex iuſtitia poſſes punire: Cùm enim ſummam potentiam deceat etiam ſumma clementia, profectò ſequitur, ſecundùm magnitudinem Dei, ſic eſſe & miſericordiam illius cum ipſo, Eccleſ. 2. Vnde ergo Deus tam terribilis Ægyptiis & Chananæis? Reſpondet,

17. VIRTVTEM ENIM OSTENDIS TV, QVI NON CREDERIS, id eſt, quia vel quando non crederis, IN VIRTVTE CONSVMMATVS, id eſt, non habere ſatis virium ad inſolentiam & audaciam impiorum retundendam, cùm ſcilicet dicunt, vt eſt Sophoniæ 1. in cordibus ſuis, Non faciet benè Dominus, & non faciet malè.

18. TV AVTEM DOMINATOR VIRTVTIS, ſeu, Domine virtutis, vt legit Auguſt. cui adeſt omnis potentia & fortitudo, imò qui ei ſummâ cum ratione & tranquillitate dominaris, nec impotenter ſuccumbis, CVM TRANQVILLITATE IVDICAS, nullâ ſententiæ præcipitatione, nullâ iracundię perturbatione, nullâ intempeſtiuâ vindictæ acceleratione, ſed ſedato æquitatis & veritatis iudicio, ET CVM MAGNA REVERENTIA DISPONIS NOS, gubernans magnâ cum parcitate & indulgentiâ, cum quadam quaſi ſpeciei timoris temperans pœnas, ne fortè grauiori illiſione vaſa fragilia rumpantur.

SVBEST ENIM TIBI, CVM VOLVERIS, POSSE, ita ſcilicet vt etiam longa ſupplicii dilatione non poſſint tuam potentiam euadere.

19. DOCVISTI AVTEM, &c. QVONIAM OPORTET IVSTVM ESSE ET HVMANVM, inſtar pueri, cum reuerentia caſtigando, aliquid etiam humanitatis cum iuſtitia copulando, vt neque multa aſperitate opprimantur, neque nimia benignitate ſoluantur.

24. IN ERRORIS VIA DIVTIVS ERRAVERVNT, id eſt, longiùs à veritate receſſerunt, vt habent Græca, dum abiecta animalcula & muta idola pro Diis colunt.

25. PROPTER HÆC TAMQVAM PVERIS IVDICIVM IN DERISVM DEDISTI, quia inflixiſti illis pœnas ridiculas ad eorum ludibrium, ranas videlicet, ciniphes, aliaque animalia, quæ pro Diis Ægypti & Chananæi coluerant, immittendo. Ridiculum enim erat tantillis animaculis & propriis quidem Diis tam religiosè cultis, tantoperè cruciari.

27. IN QVIBVS ENIM PATIENTES INDIGNABANTVR: verborum conſtructio & ſenſus eſt: Per hæc, quibus cum indignatione ſua propter eorum vilitatem & exiſtimatam diuinitatem affligebantur, nimirum per vilia iſta animalcula, quæ putauerant antè eſſe Deos, per hæc, inquam, cùm viderent ſe exterminari & grauiſſimè ad mortem vſque affligi, agnouerunt alium eſſe verum Deum euidentia ſcilicet rerum cōuicti quem olim negauerant ſe noſſe: nam anteà Pharao obduratus dicebat, Neſcio Dominum: Poſt afflictiones verò, Peccaui, inquit: Dominus iuſtus, ego & populus meus nequam. PROPTER QVOD ET FINIS CONDEMNATIONIS VENIT SVPER ILLOS, nam quia etiam agnito Deo reſtiterunt, hinc completa & perfecta condemnatione temporaliter puniti ſunt in mari Rubro, & pœna æterna, quia in obduratione moriebantur.

CAPVT XIII.

VT pleniùs intelligantur ea quæ præcedenti & ſequentibus capitibus de vanorum Deorum cultu afferuntur, obſeruandum eſt, triplicem à Gentilibus celebratam fuiſſe Theologiam, ſeu rationem de Diis: Fabularem, Ciuilem, & Naturalem. Fabularis quæ & hiſtorica, à Poëtis celebrabatur abſurdiſſimas de Diis ſuis fabulas decantantibus, Ciuilis à ciuitatibus & Sacerdotibus, Naturalis à Philoſophis.

Primam volebant accommodatam eſſe theatro, ſecundam vrbibus & templis, tertiam mundo: Ita Plutarchus de placitis Philoſophorum, Varro, & ex eod. Aug. 6. de Ciuitate c. 5. Sed benè ibid. oſtendit, fabularem & ciuilem eandem prorſus eſſe: eoſdem enim, inquit, Deos colunt in templis ſacerdotes, quorum ſcelera in theatro cantantur. Nam quę illa de Diis turpia fingendo ſeminat, hæc fauendo metit: illa mendacia ſpargit, hæc colligit. Duo proinde genera Theologiæ ſuperſunt, fabulare quod & ciuile, & naturale: Quomodo de iis tamquam diſtinctis tractant omnes ferè PP. qui impietatem gentilium refellerent, vt Aug. Clemens Alexand. in exhortatione, Iuſtinus, Atenagoras in legatione, Tertull. 1. contra Marcionem c. 13. Ciuile diuiditur in duo membra: Nam vel colebantur creaturæ viliſſimæ, quas hominum ruditas & impietas Deos ſacrauerat, oues, boues, piſces, talpæ, veſpertiliones, muſcę, cete, alia, &c. quo ſuperſtitionis genere præcellebant Ægyptii: Altero tam homines mortui & ſceleſtiſſimi mortuorumque imagines, quàm ipſi dęmones qui imaginibus ſe inſerebant, adeoque ex vtroque idolo & dæmone fiebat quoddam compoſitum velut ex anima & corpore, quod ſimul tamquam Deus adorabatur. Hinc Hermes Triſmegiſtus ſatis admirari non poteſt ſtupendam illam artem, quæ hominibus conceſſa eſt, vt viuentes ſibi deos poſſint fabricare. Illiciebatur dęmon certis ceremoniis in idolum, ex quo poſteà reſponſa dabat. Secundum genus Theologiæ, nempe naturale, nobiliores vniuerſi partes venerabatur, Solem, Lunam, Aërem, Ignem, Aquam, &c. Hoc Philoſophis proprium, populos etiam nonnullos perſuaſerat, vt ſtatim dicemus. Itaque prima ſuperſtitio familiaris Ægyptiis & Chananæis capite ſuperiore à Salomone improbata fuit: ſecunda exagitatur in fine cap. 13. & cap. 14. de tertia verò quæ Philoſophorum fuit, hoc præſenti capite audiemus.

1. DE HIS QVÆ VIDENTVR BONA, id eſt, ex viſibilibus & mutabilibus bonis, NON POTVERVNT INTELLIGERE EVM QVI EST, incommutabilem ſcilicet Deum, qui de ſe dicit, Ego ſum qui ſum: quod reſpondet nomini Hebraïco tetragrammaton. Eſſe ergo competit Deo, quia vt Greg. homil. 2. in Ezechielem, æternus & immutabilis permanet. Nam omne quod mutatur, deſinit eſſe quod fuit: Dei verò eſſe eſt nunquam diſſimiliter eſſe. Hoc exactiùs declarat Anſelmus: Quod, inquit, aliud eſt in toto, & aliud in partibus, & in quo aliquid eſt mutabile, non omninò eſt id quod eſt, & quod incepit à non eſſe, & poteſt cogitari non eſſe, & niſi per aliud ſubſiſtat, redit in non eſſe, & quod habet fuiſſe quod iam non eſt, & futurum eſſe quod nondum eſt, id non eſt propriè & abſolutè. Ex mutabilibus ergo bonis Deus incommutabilis poteſt intelligi: Cùm enim omnis motus ab aliquo immobili & quieſcente fiat, omnis rerum viſibilium mutatio in motorem immobilem reducenda eſt. NEQVE OPERIBVS ATTENDENTES, nempe non conſiderando omnia illa quæ videbant, eſſe opera alicuius, ſiue effecta ab aliquo, cognouerunt quis eſſet artifex: Hoc enim ex pulchritudine, ordine, mutabilitate, conſtantia operationum perpetuò in certos fines tendentium res ipſæ clamant,

2. SED AVT IGNEM. Hîc aggreditur Philoſophorum Deos, à nonnullis etiam gentibus ſuſceptos, inter quas Ignem coluerunt Chaldæi, eò quòd cuncta conſumeret, itemque Magi Perſarum, Medi; Sarmatæ & ex Philoſ. Heraclitus, Epheſius & Hippaſus Metapontinus, vt teſtis eſt Clemens, Alexand. & Atenagoras: Imo & Platonem ſidera tamquam genus Deorum igneum ſtatuiſſe, teſtatur Tertull. 1. contr. Marcionem c. 13. AVT SPIRITVM. Nonnulli ætherem intelligunt, quem ſub Iouis nomine gentiles colebant, vt paſſim Auctores citati docent. Malim ventum intelligere: quos eſſe cultos vt Deos docet idem Clemens in exhortat AVT CITATVM AEREM, id eſt, celerem & mobilem. Teſtatur Clemen. id coluiſſe Philoſophos pro Deo, quod omnium rerum principium ſtatuebant, vt Anaximenem Mileſium aërem. Hinc Tertull. loco cit. Zeno, inquit, deos pronuntiauit Aërem

& Æiherem. AVT GYRVM STELLARVM, id eſt, chorum ſtellarum ſeu ſtellas ipſas. Alcmenon aſtra deos ſtatuit, vt quæ animata putaret: Zenocrates Carthaginenſis, 7. Planetas, vt Auctor eſt Clemens ibidem. Ex quorum errore, illa vulgata ſtellarum nomina, Mars, Venus, &c. AVT NIMIAM AQVAM, id eſt, violentam aut magnam vt mare. Aquam ex Philoſophis Deum arbitratus eſt Thales Mileſius, teſte Clemente, Tertullian. & aliis. AVT SOLEM ET LVNAM. Solem adoratum eſſe ab Indis, Lunam à Phrygibus, narrat Clemens: quorum cultus etiam noſtro ſęculo in America multis locis fuit vſitatus. Ex Philoſophis Plinius, ſi quis eſſet Deus, non alium quàm Solem credidit. Hinc & Menander apud Clementem, O Sol Deorum nam te adorare decet primum, Dii per quem videntur cæteri. Ipſe Plato, teſte Auguſtin. ſerm. 143. de tempore, Deum induxit facientem Deos cœleſtes, ſtellas omnes, Solem & Lunam: & hoc eſt illud genus Deorum igneum, de quo ſuprà. Generatim verò, Plato, Plutarchus, & Diodorus Siculus apud Theodoretum lib. 3. contra Gentiles; teſtantur Ægyptios, Phœnices & Græcos, Solem, Lunam, Tellurem, ſtellas, præterea ipſa elementia inter primos ſuos Deos repoſuiſſe: Ex quorum ſiderum familiari cultu contigit, vt peculiari interdicto Iudæis deberet interdici Deuter. 4. Atque hęc Philoſophorum figmenta, quia rationibus nixa videbantur, hinc factum eſt, teſte Tertullian. 1. contrà Marcion. c. 13. vt ipſa vulgaris populorum ſuperſtitio, cùm de ſimulachris, de nominibus, & fabulis veterum mortuorum puderet, ad interpretationem & allegorias rerum naturalium refuge, & dedecus ſuum ingenio adumbraret. Figurabat Iouem in ſubſtantiam feruidam, id eſt, ignem vel ætherem: Iunonem eius, in aërem: Neptunum, Thetim, Nymphas ſeu Chamænas, in aquam: Plutonem, magnam matrem, in terram: Apollinem in Solem, Dianam in Lunam: Venerem, Martem, Orionem, in ſtellas. Hinc Ouidius:

Nec tu aliud Veſtam, niſi viuam intellige flammam.

Sed vt late oſtendit Theodoretus lib. cit. tam abſurdæ erant hæ allegoriæ, vt fumum vitantes in ignem inciderent. Hæc ergo omnia enumerata, RECTORES ORBIS TERRARVM DEOS PVTAVERVNT.

3. SPECIEI ENIM GENERATOR, id eſt, factor. Aptè tamen etſi abuſiuè generationis vtitur nomine, quia generatio ad ſimilitudinem tendit, ex quo ſequitur neceſſariò, ſi illa erant ſpecioſa, generatorem eorum ſeu factorem longè eſſe ſpecioſiorem: eminentiùs enim perfectio relucet in cauſis, quàm in effectis. Hinc Auguſt. ſerm. 43. de tempore, Iſta pulchra mutabilia quis fecit, niſi incommutabilis pulcher? pulchritudo eorum, confeſſio eorum eſt.

5. A MAGNITVDINE ENIM SPECIEI, id eſt, præſtantiâ pulchritudinis, COGNOSCIBILITER POTERIT CREATOR HORVM VIDERI, per intellectus diſcurſum, quo ex creaturæ cognitione ad Deum ſe erigit. Vnde Græcè clariùs eſt, Analogicè ſiue per proportionem poterit videri: quod intellige, niſi mens variis gentiliorum Deorum erroribus ebria ſit, ac nimium deprauata, vt docet Auguſt. tractatu 106. in Ioannem Tunc enim nonniſi magnæ gratiæ adiutorio lumen veræ diuinitatis intuetur. Hinc Aug. 10. Confeſſ. cap. 27. de ſe dicit per errores Manichæorum vagante: Intus eras, & ego foris, & alibi te quærebam, & in iſta formoſa deformis irruebam. Et de naturali Dei cognitione Tertull. lib. de teſtimonio animæ, Te, inquit, ô anima ſimplicem & rudem & impolitam & idioticam compello, qualem habent, qui te ſolam habent: imperitia tua mihi opus eſt, ea expoſtulo quæ tecum in hominem infers, non ſcilicet, ea quæ hîc per errores didiciſti.

6. ET HI ENIM FORTASSE ERANT DEVM QVÆRENTES. Fortaſſe (cùm quærentes) iungendum eſt: Vel ſignificatur tantùm excuſationis inſufficientia: quaſi dicat, fortaſſe enim dici poterit eos errare, dum Deum quę;unt.

7. QVONIAM BONA SVNT QVÆ VIDENTVR: & ideò cùm per ſe notum ſit, bonum eſſe Deum, hanc quam vident bonitatem tam excellentem, ſummam eſſe ſuſpican-

tur: ex quo fit vt rebus illis diuinitatem aſcribant.

9. VT POSSENT ÆSTIMARE SÆCVLVM, id eſt, vt occultam ſæculorum rerumque naturalium naturam perſcrutari poſſent, vt fecerunt Philoſophi, quos ea de cauſa conquiſitores huius ſæculi vocat Apoſtolus. QVOMODO HVIVS DOMINVM NON FACILIVS INVENERVNT? quamuis enim accurata diuinitatis cognitio rerum naturalium notitiâ ſit longè operoſior, ea tamen notitia qua Deus eſſe & cunctis ſuis operibus excellentior eſſe intelligitur, multorum naturalium perueſtigatione facilior eſt. Nam quia multa eorum remota ſunt ſenſibus noſtris, Deus verò menti propinquat, hinc fit vt maior ad illa inuenienda ſit labor, quàm ad eum à quo facta ſunt, vt docet Aug. 6. de Geneſi ad litt. c. 16.

10. INTER MORTVOS SPES ILLORVM EST. Græcè, *in mortuis*, id eſt, idolis vita carentibus: vel potiùs, inter mortuos, quia planè deſperati ſunt: ſicut enim mortuis corpore non eſt ſpes vitæ, niſi per omnipotentiam reddatur; ita nec damnatis ſpes beatitudinis. QVI APPELLAVERVNT DEOS AVRVM, ARGENTVM, ARTIS INVENTIONEM, id eſt, per artem affabrè in ſtatuam elaborata. Hinc Græcos Clemens Alexand. in exhort. ſimiis eſſe deteriores probat, quod illi nec luteis nec cereis imagunculis fallerentur, vt Græci. Atque hic ſenſus vetus videtur, tametſi aliquibus videri poſſet per aurum & argentum ſignificari ipſa metalla; per artis verò inuentionem, opera ipſa arte confecta: vt inſinuet inter tot errores nec illum defuiſſe, quo ipſa metalla tam vtilia diuinitatis honore colerentur, ex quorum fortaſſis opinione (niſi vt Poëta ludat) Menander apud Stobæum loquitur:

Ego vtiles verè Deos arbitror.
Noſtros, & argentum & aurum maximè:
Iſtos quidem ſi dedices tua in domo,
Quidquid voles, roges, tibi omnia aderūt.

14. PERLINIENS RVBRICA, id eſt, minio & colore rubro, vt facie rubeſcant vt Plinius lib. 33. teſtatur Iouis ipſius ſimulachri faciem diebus feſtis minio illini ſolitam.

17. VOTVM FACIENS INQVIRIT. Græcè, orans inquirit, ſeu precibus poſcit ac rogat fœlicem ſucceſſum. Vota ſunt ergo non promiſſiones, ſed preces ac deſideria.

CAPVT XIV.

1. LIGNO PORTANTE SE, FRAGILIVS LIGNVM INVOCAT: quia idolum non poteſt vectores ex tempeſtate ſeruare incolumes, vt poteſt nauis: ad quam etiam fabricandam magnus lignorum delectus habetur, idolum ex trunco inutili.

3. DEDISTI IN MARI VIAM, Iſraëlitis, ET SEMITAM FIRMISSIMAM, id eſt, tutiſſimam ſeu ſecuriſſimam, fluctibus inſtar ſolidorum montium hinc inde defixis.

5. SED VT NON ESSENT VACVA SAPIENTIÆ TVÆ OPERA, quia ſcilicet per nauigationem multa ex inſulis exportantur, quæ alioqui eſſent inutilia. Ita quidam. Sed aptius inteligas, *ne eſſent vacua*, id eſt, ne ſi ſolam potentiam tuam oſtenderes, ſapientiæ tuæ opera vt naues, &c. quæ per manus artificum operaris, manerent otioſa & inutilia, & conſequenter ſapientiæ ſuæ congruente exercitatio artifices carerent. Hoc pulchra alluſione Græcè exprimitur, *Ne erga eſſent erga*.

EXIGVO LIGNO CREDVNT HOMINES ANIMAS, naui ex lignis tam exiguis compactæ, vt non niſi 4. digitis abſint à morte.

6. CVM PERIRENT SVPERBI GIGANTES, in diluuio, quibus moles corporis erat menſura ſuperbiæ, propter quam amputandam notat Theodoretus qu. 48. in Gen. Deum hominibus magnitudinem corporum negaſſe. SPES ORBIS TERRARVM AD RATEM CONFVGIENS, Noë ſcilicet cum ſuis arcam ingreſſus, REMISIT SÆCVLO SEMEN NATIVITATIS, id eſt, generationis poſteritatem ſcilicet generatione ſeu natiuitate propagandem: QVÆ MANV TVA ERAT GVBERNATA, non natiuitas, quaſi illa Deo gubernante peragatur, ſed vt ex Græco patet, ſpes orbis terrarum, Noë ſcilicet qui in fluctibus, Dei prouidentia gubernabatur.

7. BENEDICTVM EST ENIM LIGNVM PER QVOD FIT IVSTITIA. Nonnulli intelligunt benedictum lignum crucis per arcam figuratum, vt indicat Aug. 15. de ciuitate c. 26.

per quod fiat iuſtitia, quia Eccleſia fit iuſta & ſalua per lignum. Sed hoc allegoricum videtur. Ad litteram enim agitur de arca. Nonnulli igitur per arcam volunt factam eſſe iuſtitiam, quia per eam Melchiſedech Rex iuſtitiæ ex diluuii inundatione ſaluatus eſt. Sed hoc fortaſſe falſum eſt, nec textui ſatis quadrat. Facta eſt ergo per arcam iuſtitia, tum quia per illam Deus & Noë damnauit mundum, vt ait Apoſt. ad Hebr. 11. vel quia ipſi Noë per arcam ſalus data eſt, cæteris pereuntibus, vt æquum & iuſtum erat. Poteſt tamen generalis ſententia ad cætera iuſtitiæ inſtrumenta extendi, quæ benedicta dicantur, tamquam laude & benedictione celebranda: ſicut

18. IDOLVM MALEDICTVM EST ET IPSVM, quia omni execratione, ore & opere deteſtandum, eò quòd ligno, diuinitatis titulus attribuatur.

9. SIMILITER AVTEM ODIO SVNT DEO IMPIVS, id eſt, idoli artifex, ET IMPIETAS EIVS, idolum ſcilicet ex impietate profectum: Hæc Deo ſunt odio non pari ratione ſed quia ex Dei vindicta, non minùs idola quàm idololatræ, idolique artifices petituri ſunt. Sic enim etiam inter homines, ex abominabilium peccatorum horrore ac deteſtatione, peccandi inſtrumenta vnà cum ipſo peccatore deſentur, vt Achan cum anathemate Ioſue 7. homo cum iumento Leuitic. 20. Ex quo factum nonnulli putant, vt crux Chriſti vnà cum Chriſto ſepulta fuerit.

10. ETENIM QVOD FACTVM EST, idolum, CVM ILLO QVI FECIT, TORMENTA PATIETVR, quia ſcilicet idola penitus deſtruentur, vt inquit Iſaias. Vnico ergo verbo breuitatis causâ, vtriuſque volens deſignare congruentem pœnam & interitum, vtrique Dei odium, vtrique tormenta, licet vni propriè alteri impropriè aſcribit. Dæmones autem qui conſecratione ſeu dedicatione in idola inuitati delitеſcebant, non poſſe intelligi, ex eo patet, quòd illi non ſint facti ab artificibus.

11. QVONIAM CREATVRÆ DEI, aurum, argentum, ligna, lapides, IN ODIVM FACTÆ SVNT, id eſt, abominationem, quia ab hominibus in abominanda ac deteſtanda idola figuratæ ſunt: ET IN MVSCIPVLAM, ſeu laqueum, vt Grȩcè eſt, PEDIBVS INSIPIENTIVM, quia artificum eximia diligentia tentati homines ac decepti, inſipienter diuinitatem ſtatuis attribuerunt. Poſſent hæc latius extendi ad cæteras creaturas, quæ per abuſum hominum in odium fiunt: per allicientem verò delectationem earum, in tentationem & laqueum pedibus inſipientium.

12. INITIVM ENIM FORNICATIONIS, qua homines à Deo apoſtantes veluti per fornicationem quandam ſponſo fidem frangunt, EST EXQVISITIO, ſeu excogitatio, IDOLORVM: cùm enim ſponſentur homines Deo in fide ſecundùm Prophetam, fide deſertio per idololatriam, rectiſſimè dicitur fornicatio: ET ADINVENTIO ILLORVM CORRVPTIO VITÆ EST, Hinc tam enormia idololatrarum flagitia à PP. recenſetur, Clemente. Arnobio, Lactantio, vt mirum ſit naturam humanam ita potuiſſe peruerti. Sed verum eſt illud Clementis de Adriano Antinoum conſecrante: Non facilè arcetur cupiditas quȩ caret metu: ſola enim cogitatio Dei viuentis ac videntis, animam fluxoſque mores à ſceleribus ſalubri quodam timore coërcere poteſt,

15. ACERBO ENIM LVCTV DOLENS PATER, &c. Significatur primùm ſimulachrorum vſus ex mortuorum deſiderio irrepſiſſe: in quo omnes penè ſcriptores cum ſcriptura conueniunt: tametſi alii filium patri, alii patrem filio primam ſtatuam conſecraſſe velint. Vtrumque potuit diuerſis in locis contingere: itemque aliis de cauſis. Scriptura enim hîc quaſi exempli gratia, quid magis tritum fuerit, exponit.

CONSTITVIT SACRAMENTA, &c. nempe priuatim inter domeſticos: nam quod domeſtici priuatim in heri ſui ſolatium & adulationem inceperant, hoc herus poſtea tamquam debitum exegit, vt notatur apud Fulg. 1. Apologiæ: atque ita paulatim præſertim inter domeſticos factum eſt id quod dicit Cypr. lib. de idolis, vt fierent mortuorum ſacra, quæ prius fuerant viuorum ſolatia.

16. DEINDE

15. Deinde interveniente tempore, &c. Significatur idololatriæ progreſſus: ex illo enim vſu domeſtico per conſuetudinem lex eſt condita, ignorante vulgo primam illius cultus originem, quam ab aliis videbant ſuperioribus temporibus paſſim frequentatam fuiſſe. Et hos qvos in palam homines honorare non poterant, &c. Hæc eſt ſecunda idololatriæ cauſa, quod abſentium quos dilexerant memoriæ cauſa ſibi imagines finxerunt.

18. Provexit avtem ad horvm cvltvram, &c. Hæc tertia cauſa duabus prioribus dedit incrementum, imperitis hominibus tantûm artificium peritię tribuentibus, vt aliquid diuini numinis in ipſis pulchris & nudis ſtatuis latêre exiſtimarent. Hinc Pigmalion Cyprius ebutneam ſtatuam, tamquam viuam adamauit, & alius non nemo Venereus, Gnydiam, vt teſtis eſt Clemens in exhortat. ad gentes.

21. Qvoniam avt affectvi, priuati ſcilicet doloris de rapto præmaturè filio, avt regibvs deservientes, &c. iubentibus coli mortuum filium. Inſinuantur duæ potiſſimùm idololatriæ cauſæ, amor inordinatus, ac timor: quod veriſſimum eſſe deprehendet, qui variorum gentilium Deorum originem conſiderauerit. Ex perſonarum enim amore alius filium, vt Cicero Tulliam ſuam, teſte Lactantio 1. inſt. c. 15. alius parentem, vt Ninus Belum: alii regem, vt Romani Quirinum: alii ſuas delicias, vt Adrianus Antinoum, in Deos retulerunt. Ex rerum temporalium amore nimio, diuerſiſſimi dii effecti ſunt, quos iis procurandi præficerent, quorum integra plauſtra videre licet apud Auguſt. 6. de ciuit. Hinc auari Iouem pecunium & argentinum, ambitioſi deam Victoriam, mœchi Venerem, guloſi Bacchum, alii alium ſibi deum aſſciuerunt: imò ſinguli artifices, artem ſuam, idolum aliquod ex illa fingentes, vt teſtis eſt Epiphanius in Anchoreto. Ex timore quidam dii mali & cacodæmones culti ſunt, non vt prodeſſent, ſed ne nocerent. Quò facit id quod narrat quidam veterum, cùm Ægyptij cladem Pharaonis in mari rubro audiuiſſent, tanto timore fuiſſe perculſos, vt vnuſquiſque rem illam, qua occupatus domi remanſerat, gratitudinis ergò vt deum coluerit.

Incommvnicabile nomen lapidibvs et lignis imposvervnt, Quod iſtud nomen? Nonnulli volunt eſſe nomen Hebr. tetragrammaton, quod peculiari ratione Deo vero competit, neque alteri communicari poteſt. Alii nomen Græcum Θεὸς iunctum articulo; tunc enim Deum duntaxat verum ſignificat, vt multis exemplis declarat Epiphanius hæreſi 9. & Cyrillus 1. in Ioannem, c. 4. Vera hæc ſunt, ſed non integrè Scripturæ mentem exponunt. Nomine enim Hebraïco non niſi Hebræi vtebantur, nec Græco niſi Græci, cùm tamen imprimis de Ægyptiorum, Chananæorum & Orientalium idololatria ſit ſermo, quibus & Græca lingua & Hebr. incognita, maximè cùm incipiente idololatria, de qua hîc agitur, nomen illud Moyſi nondum eſſet reuelatum. Nomen ergò incommunicabile eſt illud, quo quæque natio ens illud denunciat, quo nihil melius cogitari poteſt, à quo ſe ſuaque omnia pendere, quod omnibus rebus adminiſtrandis præeſſe putant. Sicut enim hoc non eſt niſi Deus verus, ita nec nomen illud vlli alteri communicari poteſt. Vocantur tamen aliquando nonnulli, dii, quia vel opinione, vel participatione alicuius excellentiæ per analogiam idem nomen participant; non quaſi idem nomen eadem prorſus ſignificatione, vel angelis, vel hominibus, vel diis gentilium tribuatur ſubinde à ſcriptura: ſed idololatræ ſtatuas ligneas, & lapideas eadem prorſus notione qua ſoli Deo omnipotenti conuenit, deos appellabant. Vide S. Thomam 1. part. quæſt. 13. ar. 9. Ex quo patet contra Caluinum, non in idolis Deum verum, ſed idola vt Deum verum gentiles coluiſſe.

22. Sed et in magno viventes inscientiæ bello, id eſt, in magno ipſius animæ cum ſe ipſa, ipſius rationis cum ſenſu, & concupiſcentiarum inter ſe diſſidio, in quod per Dei & virtutis ignorantiam inciderant. Vel, in magno bello inſcientiæ, quia idololatræ ipſam ignorantiam inter

ſe, quaſi bello quodam partiri eſſe videbantur, & quaſi de ignorantiæ palma contendere, propter errorum abſurditatem. IAM MAGNA MALA PACEM APPELLANT, cum ſint tales non beati veraciter, ſed miſeri fortiter, vt loquitur Aug.

23. OBSCVRA SACRIFICIA FACIENTES, nocturna ſcilicet; nam Græcè eſt, occulta myſteria: quæ propterea erant plena omni turpitudine, vt de ſacris Eleuſiniis, Iſidis, &c. referunt Arnobius & alii, qui contra gentes ſcripſerunt. AVT INSANIÆ PLENAS VIGILIAS HABENTES, quia vigilando per commeſſationes inſaniebant, vt fiebat in furiis bacchanalium, de quibus Tertull. Apolog. cap. 7. Baccho Italico iam furias veſtras immolaſtis.

25. ET OMNIA COMMISTA SVNT, SANGVIS, &c. ſecundùm illud Oſee 4. ſanguis ſanguinem tetigit. Vtrobique enim ſignificatur inceſtus cum conſanguineis. TVMVLTVS BONORVM, id eſt, bonarum rerum perturbatio, vel etiam virorum bonorum vexatio.

26. DEI IMMEMORATIO, ſiue obliuio: tantis enim tenebris quidam immerguntur propter ſcelerum enormitatem, vt dicant in corde ſuo, Non eſt Deus: NATIVITATIS IMMVTATIO, id eſt, generationis immutatio per vitia contra naturam, de quibus Paulus ad Rom. 1. NVPTIARVM INCONSTANTIA, per datum leuiſſimis de cauſis repudium. Vnde Tertull. ibidem de Romanis, Repudium iam, & votum eſt, quaſi matrimonii fructus.

27. IDOLORVM CVLTVRA OMNIS MALI CAVSA EST, ET INITIVM, nempe grauitate, & quia ex illa, tam immanis vitiorum caterna pullulat: ET FINIS, quia huc cætera tendunt vitia, quibus puniendis ſæpè ſolebat à Deo tamquam ſupplicium infligi, quemadmodum nunc inter Chriſtianos alia ſpecies infidelitatis, hæreſis vel apoſtaſia.

29. NOCERI SE NON SPERANT, id eſt, arbitrantur ſe non poſſe lædi, cùm videant deos ſuos omnipotentia carere. Sic, ſperare, ſumit Poëta:

At ſperate deos memores fandi atq; nefãdi.

30. VTRAQVE ERGO ILLIS EVENIENT DIGNE, id eſt, propter vtraque peccata, quæ ſtatim ſequuntur, eueniet iis digna vindicta, ſi non ab idolis, certè à Deo.

31. NON ENIM IVRATORVM VIRTVS, potentia ſcilicet idolorum per quæ iuratur, SED PECCANTIVM POENA, quæ iuſtè peccatis debetur. Clariùs verteretur Græcum, ſed vltrix iuſtitia, vel, iuſtum iudicium Dei: PERAMBVLAT SEMPER INIVSTORVM PRÆVARICATIONEM, id eſt, perſequitur peccatorum tranſgreſſiones, vindicans in eis, tam quòd idola coluerunt eis iuramentum religionis actum deferendo, quàm etiam quòd iuramento illo in fraudem proximi abuſi ſunt.

CAPVT XV.

2. SI PECCAVERIMVS, TVI SVMVS, velut opus manuum tuarum, ſub tua poteſtate concluſi; quorum tu potes, vt placet, peccata vel ſanare vel plectere. SCIENTES MAGNITVDINEM TVAM, poteſtatis ſcilicet cui non poteſt ſe ſubtrahere peccator vel occultare, vt ſciat quòd etiam creaturæ tuæ non parces delinquenti. SCIMVS QVONIAM APVD TE SVMVS COMPVTATI, tamquam à te in pretio habiti, vt qui faciem tuam viſuri ſumus.

3. NOSSE ENIM TE, fide ſcilicet per charitatem operante: qui enim dicit quia cognouit Deum, & mandata eius non ſeruat, mendax eſt: Vel etiam, noſſe te, facie ad faciem in gloria: CONSVMMATA IVSTITIA EST ET SCIRE IVSTITIAM ET VIRTVTEM TVAM, puniendi ſcilicet potentiam, RADIX EST IMMORTALITATIS, quia totius iuſtitiæ & beatitudinis fundamentum. Quemadmodum enim in arboris radice nulla apparet ſpecies, omnis tamen decor ac pulchritudo ex illa procedit: ita quod vitæ, iuſtitiæ, ac beatitudinis anima ſuſceptura eſt, ex humilitate fidei qua Deum peccatorum vltorem cogitat, tamquam radice proficiſcitur.

5. CVIVS ASPECTVS INSENSATO DAT CONCVPISCENTIAM, quia idolorum pulchritudo ſui colendi inſipientibus hominibus accendit cupiditatem, vt ſuprà audiuimus.

12. ÆSTIMAVERVNT LVSVM ESSE VITAM NOSTRAM, vel quia idolis & imagunculis tamquam rebus veris ac ſeriis occupabantur: vel quia populi ad captandas ex vita velut ex luſu voluptates compoſiti nihil intereſſe putabant, benè hîc an malè viueretur. Ipſum carpens Cicero 1. Offic. Non ita, inquit, generati à natura ſumus, vt ad ludum & iocum facti eſſe videamur, ſed ad ſeueritatem potiùs, & ad quædam ſtudia maiora atque grauiora.

14. OMNES ENIM INSIPIENTES, &c. Sic conſtrue: Omnes inimici populi tui, & imperantes illi, ſeu opprimentes eum, Ægyptii ſcilicet Chananæi & alii ſunt inſipientes, ſuperbi & infœlices. SVPRA MODVM ANIMÆ. Græcè, ſupra animas infantium, id eſt, plus quàm ferat modus animę rationalis etiam puerorum.

17. MELIOR EST ENIM IPSE HIS QVOS COLIT, dicente lepidè Auguſt. ſerm. 55. de verbis Domini, Si faber idolo ſicut dedit figuram, daret & cor, ab ipſo idolo faber adoratur.

18. INSENSATA ENIM COMPARATA HIS, ILLIS SVNT DETERIORA, id eſt, ſi reliqua animalia ſenſu rationis carentia, his quę Ægyptii colunt, animalibus comparentur, ea quæ horum viliora deprehendentur, ita, vt ſi quis ea reſpiciat, hororem concipiat: crocodilos enim, muſcas, ibin ac ſerpentes colebant, quæ propter turpitudinem & imperfectionem, *Dei benedictione* quam cæteris impartiuit animalibus, carere videbantur.

CAPVT XVI.

1. PER MVLTITVDINEM BESTIARVM EXTERMINATI SVNT, per morſus ſcilicet cinifum, & muſcarum & locuſtarum, vt verſ. 9. nempe vt ita, per quæ quis peccat, per hæc & torqueretur.

2. QVIBVS DEDISTI CONCVPISCENTIAM DELECTAMENTI. Gręcè, concupiſcentiam appetitûs, ſeu quam appetebant, & qua delectabantur; hoc eſt, rem ipſam quam deſiderabant, nempè ESCAM PARANS EIS ORTYGOMETRAM, id eſt, coturnices. Eſt autem Ortygometra vox Græca, ſignificans earum matrem, eamque prægrandem; quâ duce (teſte Plinio) vtuntur, cùm loca mutãt: ſed hîc intelligitur illa cum exercitu ſuo.

3. VT ILLI QVIDEM, Ægyptii, PROPTER EA QVÆ ILLIS OSTENSA SVNT, propter fœdiſſimorum animalium, ranarum, muſcarum, &c. immiſſiones, etiam in ciborum reliquias, vt Exodus teſtis eſt, inuolantium, ETIAM A NECESSARIA CONCVPISCENTIA AVERTERENTVR, faſtidiendo ex nauſea cibos etiam neceſſarios. HI AVTEM IN BREVI INOPES FACTI, Hebræi ſcilicet ad breue tempus famem in deſerto paſſi, non autem inſtar Ægyptiorum occiſi, NOVAM GVSTAVERVNT ESCAM, iam dictam Ortygometram.

5. CVM ILLIS SVPERVENIT SÆVA BESTIARVM IRA, nempè cum Iſraëlitis in deſerto igniti immitterentur ſerpentes, vt hoc pacto ſecundùm Ambr. 3. de Spiritu S. cap. 9. aduerſarii venena ſentirent, qui non venerabantur autorem, MORSIBVS COLVBRORVM EXTERMINABANTVR.

6. SIGNVM HABENTES SALVTIS, ſerpentem æneum: qui ſignum erat obtinendæ ſalutis corporeæ, ſalutem myſticam præfigurans per exaltatum in cruce filium hominis, adipiſcendam ab eis, qui in eum fide aſpicerent. AD COMMEMORATIONEM MANDATI LEGIS TVÆ, vt nempe ita memores eſſent in poſterum legis Dei, nec eam murmurando infringerent, diſcerentque quàm ſalutaris eſſet obedientia diuini mandati, quæ ſolo ſerpentis aſpectu ſalutem daret: Deo non ſerpente ad ſe conuerſos ſanante. Ex quo patet eorum & cęcitas & ingratitudo, qui diuinis honoribus hunc ſerpentem poſteà venerati ſunt: quaſi ille, non Deus eos à langoribus ſuis liberaſſet.

11. IN MEMORIA ENIM SERMONVM TVORVM EXAMINABANTVR. Gręcè, pungebantur ad memoriam, id eſt, hac punctione & morſu ſerpentum extimulabantur ad hoc, vt recordarentur verborum ac mirabilium, quæ Deus eis oſtenderat, atque ita ad eum pro auertenda plaga recurrerent ſicut Pſalmus id factum eſſe teſtatur, Cùm occideret eos, quęrebant eum, & rememorati ſunt, quia Deus adiutor eorum eſt.

13. Dedvcis ad portas mortis, ad pericula, ad vulnera, morbos, &c. per quos tamquam per portas exit, & mors ingreditur. Hinc Dauid: Qui exaltas me de portis mortis, id eſt, de periculis morti proximis: et redvcis, per naturam, vel ſupra naturam diſſipatis periculis, ſanatis morbis, curatis vulneribus.

14. Et cvm exierit spiritvs, non revertetvr, ſuapte naturæ vi, ad corpus quod deſeruit: quomodo etiam aliæ quædam ſcripturę locutiones intelligendæ ſunt, quibus hæretici abuntur contra animarum apparitiones. Non reuertetur ergò ſpiritus, nec occiſoris, nec alia hominum poteſtas vel ars, revocabit animam qvæ recepta est, in locum ſcilicet ſibi pro meritis deſtinatum purgatorium, cœlum, infernum.

15. Sed tvam manvm effvgere impossibile est, quia & homicidam viuum tua poteſtate cōcluſum tenes, vt opportunè vindictam expoſcas, & defuncti occiſi animam potes corpori ſuo tempore reſtituere.

16. Negantes enim te nosse impii, Pharaone dicente, Neſcio Dominum, & Iſraël non dimittam: cui Ægyptios conſenſiſſe ſatis fatetur, cùm dicit, Ego & populus meus impii, novis aqvis, modo inuſitato in ſanguinem verſis: etſi Grçci habeant, inuſitatis pluuiis. Loco autem illius quod nos infrà habemus (pluuiis) ipſi legunt (imbribus vehementioribus) grandinibvs persecvtionem passi, et per ignem consvmpti, quia teſte Exodo cap. 9. grando & ignis miſta pariter ferebantur. Ignis autem iſte non fuit alius, quàm vt ibidem vacatur, diſcurrentia fulgura. Negant pluiſſe quidem in iſta plaga, ſed locus hic manifeſtè aduerſatur: quin etiam Exodus, Nec vltrà ſtillauit pluuia ſuprà terram, cui conſentit Philo 1. de vita Moyſis.

17. In aqva plvs ignis valebat, quia ignis aquâ velut oleo fotus acriùs exardeſcebat: Sicut ignis Eliæ præcibus impetratus aquas lambebat. Cui ſimile videmus quotidie, cùm viua calx ſuperfuſa frigida ignescit, vnde feruentia cuncta frigeſcunt, vt notat Auguſtin. 21. de ciuitate c. 4. Oleo verò adhibito, qui fomes eſt ignis, nihil fit tale. Vindex est enim orbis ivstorvm, quia Deus armat creaturas ad vlciſcendas eorum iniurias, qui Deo relinquunt vindictam, vt ipſe retribuat.

18. Mansvetabatvr ignis, ne combvrerentvr animalia: ranæ ſcilicet ac locuſtæ ad Ægyptiorum cruciatum immiſſæ, etiamſi hoc ex Exodo non conſtet. Vt scirent, qvoniam Dei ivdicio patiwntvr persecvtionem, Dei ſcilicet Iſraëlis, ad quem vel per tormenta confitendum magna ex parte hæ plagæ dirigebantur. Hoc autem ex inuerſo naturarum ordine, facile erat percipere.

19. Et qvodam tempore in aqva exardescebat, &c. non in locis humectis Sodomæ, ſed inter aquam pluuiæ, niuis, grandinis: magis enim inculcat quod antè dixerat. vt iniqvæ terræ nationem exterminaret, Ægyptios: Vel quia Græcè eſt, *germina*, hinc per, *nationem*, intelligi poſſent ea, quę naſcuntur ex terra, plantæ, herbæ, fructus: ſicut per generationem ſæpè intelligunt homines generati, Ad hoc enim aptè ſequitur:

20. Pro qvibvs, ſeu, quorum loco, Angelorvm esca nvtrivisti popvlvm tvvm id eſt, manna, quod etiam Pſal. 77. dicitur panis Angelorum: idque, vt nonnulli Rabbini docuerunt, apud Paulum Burgenſem in c. 16. Exodi, quia manna Angeli veſcuntur; vel, vt Rabbi Moyſes Gerundenſis, quia lumen diuinum quo reficiuntur Angeli, eſt incorproatum in manna. Sed hæc fabulæ ſunt Iudaicæ. Angelorum ergò, quia eorum miniſterio in cœlo, hoc eſt, nubibus atque aëre formabatur, vel quòd eſſet excellentiſſimus, Angeliſque ſi pane veſcerentur, dignus: quo ſenſu lingue Angelorum vocantur à Paulo. Quò multum facit quod cap. 19. verſu 20. in Grçco vocatur Ambroſia: quam propriè Deorum cibum eſſe, Poëtę fabulantur. Fuit & myſticè Angelorum, quia Chriſtum Euchariſtię ſpeciebus velatum figurabat.

21. Svbtantia enim tva dvlcedinem tvam, &c. ostendebat. Quidam (ſubſtantiam Dei) benignitatem eius vel po-

teſtatem ſuſtentandi intelligunt. Fulgentius ad obiectiones 4. Arrianorum, ipſum Chriſtum. Aptiùs ipſum manna acceperis, quod Hebręos ſuſtentabat. Hęc ergò ſubſtantia tua, id eſt, à te miſſa, declarabat quanta Dei eſſet in populum Iudęorum benignitas & dulcedo, eò quòd DESERVIENS VNIVSCVIVSQVE VOLVNTATI, id eſt, appetitui comedendi, AD QVOD QVISQVE CONVERTEBATVR, ita videlicet, vt ſiquis piſcem, columbam, pomum appeteret, in eadem conuerteretur, vt docent Valentia tomo 4. diſp. 6. q. 3. puncto 2. & Boſius 13. de notis Eccleſię cap. vlt. & alii. Sed hęc ſententia ſolido fundamento caret. Cur enim Hebręi murmuraſſent in manna, ſi in porrum, cepe, allia, fuiſſet mutatum? *Conuertebatur* ergo, Græcè, *transtemperabatur*, quia omnium ſaporem ac temperiem referebat, Deo ſubitò talem ſaporem inſerente. Multi recentiores Exodi ac Numeror. Interpretes, hoc omnibus omninò Hebręis conceſſum, volunt: ſed quos citant veteres, Nazianzen. de moderata diſſerendi ratione, Chryſoſtom. oratione, quòd nemo lęditur à ſeipſo, Hieronym. in Pſalm. 147. nihil eorum quę dicunt, tenent: tantum enim generátim ſine diſtinctione cum ſcriptura loquuntur. Veriſimilius igitur puto id quod expreſsè docet Auguſtin. 2. Retract. cap. 20. ſolis hoc fidelibus, id eſt, ſaltem ex fide petentibus, non autem illis aduerſus Deum murmuratoribus conceſſum fuiſſe, qui nihil niſi panem oleatum, vel ſimilam cum melle percipiebant: Non enim, inquit Auguſtin. alias eſcas deſiderarent, ſi hoc iis ſaperet manna quod vellent. Hinc Greg. 6. moral. c. 9. Manna in ore ſpiritualium iuxta voluntatatem edentium ſaporem dedit. Hoc vtrumque ipſum ſcriptura inſinuat, cùm dicit infrà,

25. CREATVRA ſeu eſca IN OMNIA TRANSFIGVRATA, hoc eſt, in omnem ſaporem mutata, OMNIVM NVTRICI GRATIÆ; id eſt, benignitati prouidentiæque tuæ, DESERVIEBAT, AD VOLVNTATEM EORVM, QVI A TE DESIDERABANT, nempe vt minimum deſiderio ac precibus ad te directis: quod non eſt profectò murmuratorum, ſed iuſtorum, vel ſaltem ex fide orantium. Sic inquiunt citati Gregor. & Hieron. Dei ſermo, adde, & Chriſti corpus in Euchariſtia, in ore iuſtorum ſapit quod quiſque deſiderat: omnibus enim congruens qualitati audientum, ac manducantium condeſcendit.

26. VT SCIRENT, hoc eſt, experimento illo deprehenderent QVONIAM NON NATIVITATIS FRVCTVS, naturaliter ſcilicet naſcentes, ſeu fructuum generationes, vt Græcè eſt, PASCVNT HOMINES, à Dei ſermone, & cooperatione ſeparati: SED SERMO TVVS hoc eſt, iuſſio & voluntas, quæ ſermone patefieri ſolet: HOS QVI IN TE CREDIDERINT, CONSERVAT; vel ſine cibo, vt Moyſen, Eliam, Chriſtum per 40. dies, vel cui lubet rei nutriendi vim inſerendo, vt fecit in manna: hoc eſt enim quod Chriſtus dicit, Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, &c. hoc eſt, in omni re quam Deus voluerit ac iuſſerit.

27. QVOD ENIM AB IGNE NON POTERAT EXTERMINARI: igne enim lixabatur torrebaturque manna: ita tamen vt non liqueſceret, quaſi ignis, vt ſuprà dixit, naturæ ſuæ eſſet oblitus. RADIO TABESCEBAT: non quod poſtridie ſcateret vermibus, ſed quia, vt inquit Exodus, cùm incaluiſſet Sol, liquefiebat. Hinc ſubiicitur.

28. VT NOTVM OMNIBVS ESSET, per miraculum, quod exortu Solis manna liqueſceret, QVONIAM OPORTET PRÆVENIRE SOLEM AD BENEDICTIONEM TVAM, id eſt, ad dona ex tua benedictione percipienda; vel potius ad gratiarum actiones & laudes tibi offerendas; Manè enim aſtabo tibi, & manè exaudies vocem meam. Quod clariùs more ſcripturæ ſequentia exponunt: ET AD ORTVM LVCIS TE ADORARE: non quod ad Orientem conuerſa facie eſſet orandum, Hebræi enim potius ad occidentem, vt ex Tabernaculi, & templi ſtructura patet, contra gentilium ritum, adorabant: ſed quia matutinus ad multum diem ſtertentium veternus excutiendus erat, cùm nihil alioquin mannæ quo viuerent reperturi eſſent. Ex quo colligas & factum quemdam ab Hebræis ri-

tum fuiſſe adhibitum cùm manna colligerent, & moralem etiam cauſam, cur ad ortum Solis eſſet colligendum; Myſticam adiicit Cyril. 3. in Ioan. c. 34. quia, inquit, ſolutis nocturnis legis tenebris, & Sole nobis intelligibili exorto (Chriſto ſcilicet) præſentis Domini gloriam intuentes copioſiſſimè panem cœleſtem ipſum Chriſtũ aſſequimur.

29. INGRATI ENIM SPES: ergò benedictio, de qua ſuprà Græcè εὐχαριστία, gratitudinis actionem, & laudem notabat. Hæc ergò ingrati ſpes, qua poſt Solis ortum ſe manna colligere poſſe ſperabat, TAMQVAM HYBERNALIS GLACIES TABESCET, quia quod petit non aſſequetur: Fruſtrà enim incaleſcit voluntas ad noua beneficia, ſi ad iam accepta frigeſcit. Aptè verò mentionem glaciei facit, vtpote cui ingratus ingratitudinis frigore, manna verò colore, & liquefactione erat ſimile.

CAPVT XVII.

HOc cap. nonam Ægyptiorum plagam tenebrarum latè proſequitur, de qua multa adiicit quæ in Exodo non habentur.

2. FVGITIVI PERPETVÆ PROVIDENTIÆ IACVERVNT, id eſt, deſtituti ab ea Dei prouidentia, quę ſeſe in genus humanum perpetuâ ſolis illuminatione protendit. Quo ſenſu mox adiicitur, quod

3. TENEBROSO OBLIVIONIS VELAMENTO DISPERSI SVNT, quia quaſi obliuioni à Deo traditi per immiſſas tenebras, tamquam ab eius cura abiecti fuerant.

6. APPAREBAT AVTEM ILLIS SVBITANEVS IGNIS, tenebris ſubinde intermicans, vt ſpectra obſcuriùs atque terribiliùs viderentur, quia ſic ÆSTIMABANT DETERIORA ESSE QVÆ VIDEBANTVR. Nam quæ obſcurè apparent in tenebris, quia non poſſumus illa internoſcere, terribiliora æſtimantur quàm ſint.

7. ET MAGICÆ ARTIS APOSITI ERANT DERISVS, id eſt, aderant ſimul magiæ ludibria, quia Deus quodammodo per immiſſas tenebras Magis videbatur illudere, vt qui ante illas de ſe mirifica iactitaſſent, nunc tenebris compediti & timore perculſi, ne loco quidem mouere ſe poſſent. ET SAPIENTIÆ GLORIÆ CORREPTIO CVM CONTVMELIA, id eſt, aderat quoque correptio, ſeu redargutio infamis, & contumelioſa illius glorioſæ iactantię, qua magis de ſua ſapientia ac prudentia erant gloriati. Qui ſenſus ex Græco perſpicuus eſt, vbi (ſapientiæ) regitur à nomine (gloriæ) Ratio ſtatim ſequitur:

9. NAM ETSI NIHIL ILLOS EX MONSTRIS PERTVRBABAT, vt qui eſſent talibus monſtris aſſueti: Quam cauſam reddit Auguſt. quæſt. 48. in Numeror. cur nec Balaam aſinæ loquentis voce terreretur.

10. CVM SIT ENIM TIMIDA NEQVITIA, tuta enim ſcelera vix eſſe poſſunt, DAT TESTIMONIVM CONDEMNATIONIS, non enim timeret, niſi ſciret eſſe ſupplicio ac damnatione dignum quod perpetrauit. Hinc Gregor. 12. moral. cap. 21. Apertus, inquit, damnationis teſtis eſt ipſe timor impietatis. SEMPER ENIM PRÆSVMIT SÆVA, id eſt, nequitia præſagit aliquid infauſtum, velut ſtipendium ſibi debitum, vtpote quæ eſt PERTVRBATA CONSCIENTIA, id eſt, per conſcientiam: Græca enim indicant (conſcientiâ) eſſe ablatiuum.

11. NIHIL EST ENIM TIMOR NISI PRODITIO COGITATIONIS AVXILIORVM: id eſt manifeſtatio per pallorem, quod aliquis de auxiliis quibus caret, cogitet anxius. Ita ferè Latini. Quamquam Græca, vbi (cogitationis) regitur à genitiuo (auxiliorum) magis hunc ſenſum inſinuent, vt timor ſit proditio, hoc eſt, defectio ac deſertio auxiliorum cogitationis, id eſt ſubſidiorum quę cogitatio poſſet ſuppeditare: ideò enim timetur, quia cogitanti non occurrunt rationes euadendi mali.

12. ET DVM ABINTVS MINOR EST EXPECTATIO, auxiliorum videlicet, quibus nequitia ſe nouit deſtitui, Deo quippe & creaturis inuiſa eſt, MAIOREM COMPVTAT INSCIENTIAM EIVS CAVSÆ, DE QVA TORMENTVM PRÆSTAT, nempe timor, id eſt, grauiora adhuc putat ſibi imminere tormenta ex ea cauſa quia timens affligitur, idque ex eo quòd illam ignoret, vtpote quę adhuc impendeat.

13. Illi autem, Ægyptii, Qui impotentem vere noctem, &c. id eſt, qui tam intolerabilem atque immoderatam noctem dormiebant, vt propter horrendam caliginem ex profundiſſimo inferno, tamquam proprio tenebrarum loco videretur effuſa; vt enim ait Poëta,

Vmbrarum hic locus eſt ſomni noctiſque ſopore.

14. Aliqvando animæ deficiebant tradvctione, id eſt deliquio: Græcè enim eſt idem verbum proditionis, quòd ſuprà.

Capvt XVIII.

6. Illa enim nox, qua primogeniti ſunt occiſi, ante cognita eſt a patribvs nostris, Moyſe & Aarone, vt ex Exodi 12. patet, vbi eam Moyſes vt minimum 4. aut 5. diebus antè Iſraëlitis diſtinctè prędixit. Et plaga hęc vltima à Moyſe cognita eſt, antequam in Ægyptum deſcenderet, vt liquet c. 4. Exodi v. 23. Primùm etiã ab Abraham eſt pręcognita, cui Deus dixit in caligine tenebroſa hanc noctem pręſignante, Gentem cui ſeruituri ſunt, ego iudicabo: poſt hęc egredientur cum magna ſubſtantia. Vt vere scientes, qvibvs ivramentis crediderant, nempe quę tali modo compleri inciperent, vt primogenitis occiſis Ægypto excederent, animæ qviores eſſent, maiori ſatisfactione acceptâ de rebus futuris.

9. Absconse enim sacrificabant, nempe noctu agnum Paſchalem, et ivstitiæ legem in concordia disposvervnt, &c. id eſt, hanc iuſtam legem vnanimiter ſeruare ſtatuerunt, vt ſimiliter Iſraëlitæ bona & mala à Deo immiſſa ſubirent, quaſi viuere ſimul & mori parati. Alii de lege Phaſe, alii de decalogo in Sinaï lato intelligunt, de quo dixerant, Omnia quæ locutus eſt Dominus, faciemus: ſed hoc diu poſteà contigit.

10. Resonabat avtem inconveniens inimicorvm vox, Græcè pulchriùs contra ſonabat, quaſi ex alterno canentium choro in concinna vox Ægyptiorum plorantium.

12. Similiter ergo vno nomine, &c. id eſt, vno genere mortis mortuos primogenitos habebant innumeros.

13. De omnibvs enim non credentes: q. d. ad cæteras omnes plagas increduli, idque propter præſtigias magorum, Dei prodigia æmulantium, hâc vltimâ conſternati, Hebræos Deo gratos eſſe confeſſi ſunt.

15. Omnipotens sermo tvvs. Communiter Dei iuſſionem & imperium accipiunt; Sed quia ſtare in terra, & cœlum attingere, omnipotentem eſſe, portare ipſum imperium, ſeu iuſſionem, melius diuinæ perſonæ quàm imperio conueniunt; malim Verbum Dei filium intelligere; de quo hoc Eccleſia in nocte Natiuitatis intelligit: cui quidem hæc in Ægyptios vindicta, ſicut & extremum de mundo iudicium appropriatur. Hoc ergò verbum, De cælo a regalibvs sedibvs prosilivit, id eſt, à regio iudicii throno deſcendit, vbi hoc maturè concluſum erat. Deſcendit autem non loci migratione, quia vt ſequitur, ſtans in terra cœlum attingebat, ſua ſcilicet immenſitate cœlum & terram implens; ſed nouâ retribilium effectuum operatione. In mediam exterminii terram, Ægyptum tot plagis vaſtatam, & grauiori exterminio deſtinatam.

16. Gladivs acvtvs, quia viuus eſt ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, nimirum iuxta intentionem Apoſtoli, ad vindicandum incredulos. Insimvlatvm imperivm portans, id eſt, ſecum ferens non fictum; ſed ſincerum & efficax imperium, quod per Angelos bonos & malos exequendum erat. Quamquam dici poſſet filius portare Patris imperium; quia vt inquit Auguſt. tractatu 54. in Ioannem, Pater filio mandatum dedit, eò quòd in ſapientia Patris, quæ eſt verbum Patris, omnia ſunt mandata Patris. Quod facilius intellexeris ſi per imperium ac mandatum, voluntatem Dei practicam acceperis, vt intelligit S. Thom. p. 1. qu. 42. a. 6. ad 2. hanc enim reſpectu omnium rerum filius habet perinde vt Pater.

21. Properens servitvtis svæ scvtvm, orationem, quia oratio erat velut

proprii miniſterii atque officii ipſius armatura: ſacerdotalis enim officii eſt pro populo vt mediatorem intercedere, oratione pugnare, aſcendere ex aduerſo, opponere murum pro domo Dei, & ſtare in prælio, in die Domini. ET PER INCENSVM DEPRECATIONEM ALLEGANS, quia incenſum perfectæ orationis conditiones vt ſignum quoddam religioſum complectitur, cuius proinde oblatio quædam oratio eſt. Hinc Pſaltes Pſal. 140. Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo. Vt enim fumus thymiamatis ſurſum tendit, aromatibus igne liqueſcentibus, ita oratio tunc ad Deum cum fructu aſcendit, cùm ex variis virtutibus, vt aromatibus charitatis ardore ſuccenſis excitatur, vt docet S. Gregor. homil. 22. in Ezechielem.

23. DIVISIST ILLAM QVÆ AD VIVOS DVCEBAT VIAM, quia vt dicitur Num. 16. ſtans Aaron inter mortuos ac viuentes, corporis ſui obiectu prohibuit, ne incendium vlterius ab occiſis ad viuentes proſerperet ac graſſaretur.

24. IN VESTE ENIM PONDERIS, id eſt, tunica talari ſcilicet hyacinthina, TOTVS ERAT ORBIS TERRARVM, ſymbolicè per colores tunicæ & malorum punicorum dependentiũ deſignatus: nam vt docet Hier. Epiſt. 128. ex Hebræis quos non nominat, ſed videtur eſſe Ioſeph. 3. Antiq. c. 6. Byſſus terræ deputatur, quia ex terra gignitur: Purpura mari, quia ex eius cochleis gignitur: Hyacinthus aëri, propter coloris ſimilitudinem: Coccus, igni & ætheri. Quod ſi ſub veſte poderis reliqua Sacerdotis veſtimenta ſynecdochicè intelligas, vt multorum opinio, rurſum eodem Hieron. & Ioſepho auctoribus, Tunica linea terram ſignificat, hyacinthina aërem, mala eius punica & tintinnabula, fulgura & tonitrua ſiue omnium conſonantiam elementorum: zona Oceanum, ephod varium cœlum ſidereum, duo Onichini Solem & Lunam, 12. lapides Rationalis menſes 12. vel ſigna Zodiaci: thiara cœlum empyreum, lamina cum nomine tetragrammaton Deum rebus omnibus præſentem. Horum omnium ratio erat, vt Pontifex Creatoris creaturarum omnium typum portans in veſtibus, indicaret cuncta indigere miſericordiæ Dei, & Sacrificio eius expiaretur vniuerſi conditio, vt non pro Iſraël tantùm, ſed pro cuncta creatura voce & habitu precaretur, vt ibidem docet Hieron. ET PARENTVM MAGNALIA, &c. Græcè, gloriæ, id eſt, magnifica & glorioſa 12. Patriarcharum nomina, qui toti Iſraël & ſingulis tribubus nomen indiderant: IN QVATVOR ORDINIBVS LAPIDVM, quos Rationale continebat, Hoc autem ſecundùm Hieronym. Deus inſtituerat, vt Pontifex nomina populi & tribuum pro quibus Dominum eſſe rogaturus, portaret, non tantùm in humeris onera eorum ferendo, ſed etiam in pectore amando. Adde, vt Patriarcharum magnalia & merita allegando, faciliùs diuinam miſericordiam impetraret. ET MAGNIFICENTIA TVA IN DIADEMATE CAPITIS ILLIVS SCVLPTA ERAT, quia nomen Dei magnificum laminæ aureæ erat inſculptum, quæ frontem tegebat Pontificis: nomen, inquam, tetragrammaton ſeu quadrilitterum, quia 4. Hebraïcis litteris ſcribebatur: quod ita erat magnificum, vt Ioſepho teſte 11. Antiqu. cap. 8. Alexand. Magnus Iaddo Pontifici occurrens, illud adorauerit. Eadem de cauſa dicebatur ineffabile, non quòd pronuntiari non poſſet tamquam ſolis conſtans conſonantibus, vt quidam putauerunt; nam Deus ad Moyſen, Moyſes ad Pharaonem illud ſæpè pronuntiauit, imò quotannis Sacerdos Sancta Sanctorum ingrediens illud efferebat, vt teſtis eſt Philo lib. 3. de vita Moyſis: nomen, inquit, quod ſolis aures linguamque ſapientiâ purgatis fas eſt audire nominaréque in ſacris, præterea nemini; ſed ideo quia immenſam diuinæ eſſentiæ abyſſum & maieſtatem incomprehenſibilem ſignificaret, velut cæterorum omnium hominum radix & fundamentum: hinc religionis & reuerentiæ cauſa, Hebræi, illius pronuntiatione abſtinebant. Vnde & Ioſephus ait libro 2. capite 5. Antiquit. ſibi hoc eloqui nec ius, nec fas eſſe. Hinc factum eſt vt Maſſaritæ quoties in ſcriptura hoc nomen occurreret, puncta illi aliena ſubiecerint nominis

Adonaï vel Elohim, ſi Adonaï præcederet: quod ex antiquo Iudæorum legentium ritu profluxit. Nam & ſeptuaginta, Apoſtoli, Chriſtus ipſe, & noſter Interpres, ſemper eius loco (κύριος) vel (Dominus) ſubſtituunt: Origenes in hexaplis & tetraplis, Adonaï. Quare & Iudæi eius pronuntiationem ignorare ſe dicunt, & ſibi à Meſſia reuelandum.

25. HIS AVTEM, ſacris ſactarum rerum ſignis, CESSIT QVI EXTERMINABAT, ſpiritus ſcilicet malignus, qui populum interficiebat incendio. Hinc patet quid adiurationibus Eccleſiaſticis ſacriſque ritibus, vt ſigno crucis ſanctorúmque imaginibus quæ repræſentant maiorum noſtrorum magnalia, contra dæmones tribuendum ſit. Vbi tamen obſeruandum eſt ex v. 2. & 24. duobus armorum generibus Aaronem pugnaſſe, oratione ad Deum directa, & ſacris ſignis ad ſpiritum aduerſarium adhibitis. Quo pacto & exorciſmi inſtituti ſunt, vt primò Deus oratione reddatur propitius, cuius iuſſu vel permiſſu nos malignus affligit: Deinde ſacra ſigna & ritus adhibeantur. Quibus tamen ſi non cedant poteſtates aduerſæ, non id prouenit, quòd iſta ſigna contemnant; contremiſcunt enim vbicumque illa proſpexerint; ſed quia Deus ipſe prohibet occultis modis ne cedant, cùm id iuſtum atque vtile iudicat, vel ad confundendos malos, cùm eos oportet confundi, vt Sceuæ filios Act. 19. vel ad admonendos bonos, vt proficiant in fide, atque iſta non iactanter ſed vtiliter poſſint; vel ad diſcernenda dona membrorum Eccleſiæ, ſicut Apoſtolus ait: Nunquid omnes dona habent curationum? vt pulchrè & prolixiùs docet Aug. l. 83. qq. quęſt. 79. ERAT ENIM SOLA TENTATIO IRÆ SVFFICIENS, id eſt, ſolus guſtus & prima experientia iſtius ſupplicii erat ſatis, vt quorumdam morte cæteri erudirentur, atque etiam pœna peccato murmurationis debita deleretur.

CAPVT XIX.

2. PRÆSCIEBAT ENIM ET FVTVRA ILLORVM, quòd ſcilicet in animi peruicacia & obſtinatione perſiſterent, ita vt Hebræos inſequerentur, vnde ſine miſericordia ad internecionem mari Rubro deleti ſunt: ad quem exitum calamitoſum, vt eſt verſ. 4. ducebat eos digna neceſſitas, diuinæ videlicet ordinationis, iuſtique Dei iudicii, qui tot peccatis Ægyptiorum penè cogebatur eos deſerere, nec à malignis conſilis inſequendi Iſraëlitas auertere, vt ita iuſto ſupplicio plecterentur.

6. OMNIS ENIM CREATVRA AD SVVM GENVS AB INITIO REFIGVRABATVR. Græcè, in ſuo genere, vel, ſecundùm ſuum genus, quaſi ab initio & de nouo refigurabatur, id eſt, reformabatur ſeu tranſmutabatur, ita vt vel nouam formam, vt virgæ in dracone verſæ vel nouos motus & agendi modos acciperet, vt inductione ſequenti probat.

9. TAMQVAM ENIM EQVI DEPAVERVNT ESCAM, quia manna in deſerto vt equi & agni paſcuis luxuriantes enutriti ſunt.

12. IN ALLOCVTIONE ENIM DESIDERII, Græcè, in conſolationem deſiderii, quia illa allocutione fieri ſolet, ASCENDIT ILLI ORTYGOMETRA, ſeu coturnix, & contrà, Ægyptiis PECCATORIBVS EXACTIONES ſeu ſupplicia SVPERVENERVNT, NON SINE ILLIS QVÆ, &c. id eſt, non ſine præuiis diuinæ iræ indicis, fulminibus, quæ vltimam cladem præceſſerunt: Vel potiùs non ſine præuio ſimilium fulminum ſupplicio, quod Deus olim in Sodomitas exercuit: cum Sodomitis enim ſtatim Ægyptiorum inhoſpitalitas comparatur.

13. ETENIM ALII, Sodomitæ ſcilicet IGNOTOS NON RECIPIEBANT ADVENAS, angelos nondum ſibi cognitos: ALII AVTEM, Ægyptii, BONOS HOSPITES, Græcè, beneficos, IN SERVITVTEM REDIGEBANT, Hebręos ſcilicet ex quibus Ioſeph illos magnis beneficiis cumulauerat.

14. SED ET ALIVS QVIDAM RESPECTVS ILLORVM ERAT, &c. ſenſus eſt, alio adhuc modo poterat conſiderari inhumanitatis differentia inter Ægyptios & Sodomitas, quod nimirum hi Sodomitæ tantùm inuitè recipiebant extraneos tum alios, tum iam dictos: illi autem Ægyptii poſtquam cum gaudio initio Hebræos excepiſſent, tamen tandem eos,

15. Qvi iisdem vsi erant ivstitiis, id eſt, cùm iam eodem cum Ægyptiis iure legibus inſtitutiſq; vixiſſent, quaſi in eorum tráſcripti Rempub. crudeliſſimè oppreſſerunt.

16. Percvssi svnt avtem cæcitate, tunc ſcilicet cùm longis & ſubitaneis tenebris opprimerentur Ægyptii, vt olim Sodomitæ, & vnuſquiſque Ægyptiorum qui in plateis inueniebantur; Transitvm, id eſt, ingreſſum, Ostii svi qværebat: quæ propriè, non erat cœcitas, ſed vt Græcè eſt, [illegible], id eſt, non videntia, qualis contingit in tenebris, itemque Sodomitis olim, qui plateas videbant oſtium Loth non videbant, vt obſeruat Aug. 12. de Ciuit. cap. 19.

17. In se enim elementa dvm convertvntvr, &c. ſupple (ita ſe habent) vel ſimile quid. Senſus autem eſt: Elementa dum inter ſe tranſmutantur, ita ſcilicet vt aqua non extinguat ignem, nec ignis liquefaciat niuem & grandinem, aqua conſiſtat inſtar terræ dans tranſitum hominibus, &c. tunc ita ſe habent quemadmodum cùm in organo ſeu Pſalterio, qvalitatis sonvs, vt Græcè eſt, ſeu harmonia & modulatio variatur, ſic tamen vt ſingulæ fides Sonvm svvm, id eſt, aliquem retineant: ſignificatur enim ex nutu Dei naturam quamque in eſſe ſuo permanentem, varias ſortiri operationes, ſicut organum varias modulationes ex vario pulſu Artificis, vt ex viſu eorum quæ tunc contingebant, poterat obſeruari.

18. Agrestia enim in aqvatica convertebantvr, id eſt, res terram incolentes, vt homines, iumenta, aquam maris quaſi piſces tranſibant: Et natantia, vt ranæ, in terram transibant.

20. Flammæ, &c. nec dissolvebant illam, qvæ facile dissolvebatvr sicvt glacies, bonam escam, id eſt, nec ignis manna cùm coqueretur liquefaciebat, cum tamen ad Solis radios inſtar glaciei liqueſceret. Vocatur autem hîc manna Græcè eſca ambroſiæ, ex eo, quòd cibus eſſet ſummæ dulcedinis de cœlo miſſus; figura cœleſtis illius panis qui de cœlo deſcendit, qui deorum, id eſt, ſanctorum hominum atque Angelorum cibus eſt: quemadmodum fortaſſis ex manna ſumptâ occaſione de ambroſia Poëta fabulati ſunt. Multa & ſimilia, Scripturæ myſteriis parum intellectis, vel de induſtria obſcuratis illos dęmonũ inſtinctu finxiſſe demonſtrat pluribus Iuſtinus Apologia 2. pro Chriſtianis, & alij.

FINIS.

CORNELII IANSENII
IN PROPHETIAM
HABACVC
PROOEMIVM.

AD verum Scripturarum intellectum aſſequendum, tria eſſe conſideranda, monet Cyrillus 8. lib. Theſauri cap. 2. perſonas tempus, & res de quibus tractatur. Quod ad perſonas attinet, Author huius prophetiæ eſt Habacuc: Ita dictus, vt inquit Hieronymus in Prologo, quaſi amplexator ſiue luctator; quod tam audaci voce Deum quaſi ad diſceptationem iuſtitiæ ſtatim prouocat Hinc Paraphraſtes Chaldæus putat eſſe filium Sunamitidis quem Heliſæus excitauit Sed probat, vt fabulatores Hebræi, nuda aſſertione. Nam temporis ratio perſpicue aduerſatur: cùm ille ſub Ioſaphat vixerit, omnes autem autores conſentiunt hunc vt minimum 200. pòſt annis prophetaſſe. Quod Hieronym. & alii recentiores volunt eſſe factum in captiuitate Babylonica atque illum ipſum eſſe Habacuc qui prandium Danieli tulit: quibus nihil niſi infirmum argumentum nomen ipſum fauet.

Alij nempe Chronicum Hebræorum quod סדר אולם Seder olam *dicitur, Theod. in prolog. Epiphan. lib. de viſa & interitu Prophet., & recentiores Cronographi, ante captiuitatem duarum tribuum, & poſt captiuitatem* 10. *tribuum prophetaſſe tradunt, tempore videlicet Manaſſis Regis, vel circiter. Quod eſt vero ſimillimum: Nam ipſe c.1. dicit:* Ecce ego ſuſcitabo, *vel vt Hebraice, ſuſcito, id eſt, iamiam ſuſcitabo* Chaldæos: *Ergo non potuit prophetia eſſe facta in captiuitate. Item* ipſe de Regibus triumphabit, *id eſt Nabuchodonoſor. Poſt captiuitatem autem, maximè tempore iſtius prandii miſſi, imperium Chaldæorum defecerat, vt ex fine cap.13. Danielis apparet. Itaque omninio dicendum videtur, eo temporis ſpatio prophetaſſe, quod interceſſit inter finem regni Ezechiæ & Ioachim, quo preciſè anno, incertum. Quapropter nihil obſtabit quo minus idem Habacuc iam ſenex prandium in Babylonem detulerit, vt expreſſe aſtruit Epiph. & Hieron. Addit Iſidorus Hiſpalenſis lib. de vita Prophetarum, biennio poſt reditum Iudæorum è Babylone eſſe defunctum. Iſti ſententiæ de tempore prophetiæ adſtipulatur Hieronym. qui præfatione in 12. Prophetas hanc regulam ſtatuit: In quibus, inquit, Prophetis tempus non præfertur in titulo, ſub illis regibus vaticinati ſunt, ſub quibus & hi qui ante eos habent titulos prophetarum. Cùm ergo Michæas qui præcedit Habacuc ſub Ezechia Rege cui Manaſſes ſucceſſit, tempus vaticinij ſui conſignauerit, relinquitur circa idem tempus Habacuc prophetaſſe.*

Argumentum Prophetiæ Habacuc.

QVod ad rem ſeu argumentum huius prophetiæ, Hieronymus arbitratur totam in deflendis malis à Chaldæorum exercitu illatis verſari. Sed quia c. 1. Deus potiùs vltionem de impiorum ſceleribus per Chaldæorum exercitum ſe ſumpturum minatur, magis congruere videtur quod Gregor. Nazianz. Orat. 1. Apologetica inſinuat, querelam de ipſorum Iudæorum impietate iuſtorumque oppreſſione, adde, de omnium impiorum ſceleribus & proſperitate, inſtitui. Cui Deus reſpondet Iudæorum iniquitates per Chaldæos, Chaldæorum per alios nempe Perſas eſſe plectendas: omnium vero impiorum ſcelera partim primo aduentu Chriſti eſſe delenda, partim ſecundo æternis ſuppliciis punienda. Hæc eſt ſumma eorumque trib. cap. continentur.

CAPVT I.

1. ONVS. Hebraïcum משא *maſſa*, id eſt, pondus triſtem atque ærumnæ plenam prophetiam metaphoricè ſignificat, quæ inſtar ponderis, vt exponit Hieron. in Prologo, premat nec ſinat eleuare ceruicem. Pro quo Theodoretus & Cyrillus hîc, & paſſim 70. verterunt לםא, id eſt, aſſumptionem, nomen aſſumptionis ſumentes, vel pro quauis prophetia, eò quòd à Deo mens Prophetæ aſſumatur, nec loquantur de cordibus ſuis quæ vellent, vt vult Cyrillus in cap. 5. Malach. vel etiam pro re ſeu onere quod ceruicibus impiorum ferendum aſſumitur.

QVOD VIDIT HABACVC PROPHETA. Hoc addit ſecundùm Cyrillum, ne cenſeatur de numero Prophetarum inſipientium qui ſequuntur ſpiritum ſuum & nihil vident. Per hoc ergo duo ſignificat. Primò quidem, internis oculis hanc viſionem eſſe peractam ſiue intellectu ſiue corporalibus figuris phantaſiæ repræſentatis. Deinde ſe quod cernebat intellexiſſe. Montani enim delirium fuit, Prophetas extaſi & amentiâ mentis raptos, nihil eorum intellexiſſe quæ prædicebant. Contra quos ſæpè ſtomachatur Origenes & Hieronym. De induſtria non additur contra quos hoc onus viſum ſit, vt ſignificetur omnibus peccatoribus, præcipuè tamen Iudæis, contra quos Propheta potiſſimum querelam inſtituit, eſſe portandum.

2. VSQVEQVO DOMINE CLAMABO, &c. VOCIFERABOR VIM PATIENS. Hebr. efficaciùs, vociferabor vim: velut Ezechiel dicebat, Iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem. Putat Hieronym. contra Nabuchodonoſor expoſtulari. Sed quia, vt dixi, propheta

quæritur de præſentibus malis peruerſiſque iudiciis tribunalium, quæ non exercuerunt aduerſus Iudeos Chaldæi, verius eſt quod ait Theodoretus: de corruptiſſimis huius temporis inter Iudæos moribus quæritur: præſertim cùm tempore Manaſſis omnia cædibus, rapinis & ſanguine innocentium redundarent, vt ſcriptura 4. Reg. 21. teſtatur. Vſquequo ergo clamabo ad te, vt his malis oppreſſos liberes, & tanta impiorum ſcelera dignè caſtiges? Loquitur autem Propheta vel ex perſona ſua excandeſcendo contra potentiorum violentiam, vel vt mauult Theodoretus in Prolog. ex perſona populi & infirmorum qui præcipuè ſolent hanc iuſtorum vicem & impiorum proſperitatem admirari: ex quorum perſona loquitur, teſte Ambroſio, Serm. 7. in Pſal. 118. Pſaltes cùm dicit, Ecce peccatores, &c. Pſalm. 72. quæ, inquit, non mediocris tentatio eſt, niſi ad ea quę ſunt futura, reſpicias. Pergit itaque malorum magnitudinem quaſi cum Deo expoſtulans exaggerare.

3. Qvare ostendisti mihi iniqvitatem et laborem, &c. id eſt, cur tam diu ſinis me alienis miſeriis atque oppreſſionibus quę quotidiè oculis obuerſantur, diſcruciari, neque tandem aliquando exaudis me? Quamquam non incongruè accipi poſſit vt etiam ex parte de ſe loquatur, cui fortè contigit quod ait Ierem. Thren. 3. Formido & laqueus facta eſt nobis vaticinatio & contritio: & conformiter ad phraſin Hebræam, quâ Videre mala, etiam ſignificat ea experiri, ſecundum illud, Non videbit mortem in æternum, Ioannis 8. Et factvm est ivdicivm, ſiue contentio, et contradictio potentior, hoc eſt, vt contentioſi, rixoſi, & contradictores in omni iudicio præualeant.

4. Propter hoc lacerata est lex. Quia enim contentioſi Deo diſſimulante vbique præualent, hinc fit vt ſine vllo timore filii hominum perpetrent mala, tranſgrediantur leges, mutent ius, diſſipent fœdus ſempiternum, & in primis omnium tribunalium iuſtitia infringitur: maximè enim enim agit de legum laceratione, quæ per iniqua contingit iudicia: ſubiungit enim, Et non pervenit vsqve ad finem ivdicivm. Qui finis eſt iuſtitiæ victoria, ſiue vt ius ſuum cuique tribuatur, vnde in Hebræo eſt verbum quod finem ſeu victoriam ſignificat cuiuſque rei vel actionis. Quo ſenſu de Chriſto dicitur alibi, Donec eiiciat ſeu educat ad victoriam iudicium, id eſt, donec efficiat vt æquitas & iuſtitia ſuperent. Explicat Propheta ſequentibus: qvia impivs prævalet adversvs ivstvm, &c. contentioſorum enim & malorum hominum machinationibus & variis artibus fit vt lites iam iudicandæ ſuſpendantur, protrahantur, appellationibus impediantur, muneribus & corruptelis peruertantur. Hoc perſpicuum fuit in iudicio Chriſti, cui cùm cauſæ iuſtitia, ſi cui vmquam faueret, tamen quia inſtar coronæ circumdederunt eum vituli multi, tauri pingues obſederunt eum, propter potentiam aduerſariorum oppreſſus eſt. Quò etiam reſpexiſſe Prophetam, ſenſu ſcilicet allegorico, vult gloſſa: & cogere videtur Apoſtolus, qui ſequentem locum de Iudæis Chriſtianæ fidei incredulis intelligit, pœnam illis conſimilem intentando qualem hîc Iudæis comminatur.

5. Aspicite in gentibvs, &c. Qui arbitrantur querelam Prophetæ inſtitutam fuiſſe contra crudelitatem Chaldæorum, vt Ierem. 6. conſequenter exiſtimant, hoc conſolationis loco adduci; quòd ſcilicet & cæteræ quaqua verſum nationes eadem à Chaldęis paſſuri ſunt. Sed veriſimilius inchoari hic onus illud contra Iudæos, de quo verſ. 1. Vnde videtur reſponſio Dei ad quęſtionem quæ Prophetam torſerat, cur impii prævalerent. Quæ tamen reſponſio quia imperfecta eſt, eo quod ipſimet Chaldæi Iudaïcorum ſcelerum vltores multò eſſent ipſis Iudæis ſceleſtiores, hinc eumdem nodum multò arctiùs conſtrictum verſ. 13. reſumit. Itaque aspicite, inquit, in gentibvs, id eſt, gentes, Chaldæos, inquam: pro quo Paulus Act. 13. legit, contemptores: quæ diuerſitas orta eſt ex paruula vnius litterę protractione.

Qvia opvs factvm est, &c. Pręteritum pro præſenti vel futuro, ſicut in Hebræo

habetur: q.d. opus iamiam inchoabo, vel etiam iam reipſa paulatim molior, ſcilicet excidium Ieroſolymæ ad puniendam veſtram deploratiſſimam impietatem: QVOD, Prophetis prædicentibus, NEMO CREDET CVM NARRABITVR. Sic enim de facto contigiſſe teſtatur Ierem. cap. 20. Omnes, inquit, ſubſannant me: quia iam olim loquor vociferans iniquitatem, & vaſtitatem clamito. Simile quid contigit Iudæis, tempore Christi, qui regnum Dei à ſe auferendum, oculos ſuos obſcurandos, Hieroſolymam excidendam nunquam crediderunt vſque ad extremum momentum. Et hoc eſt quod ſenſu myſtico iiſdem his verbis minatur Iudæis Paulus Actor. 13. Nam hæc Babylonica captiuitas figura fuit Romanæ, & eius quam ſub diaboli poteſtate etiamnum patiuntur: in quam propterea inciderunt, quòd ſicut Propheta queſtus eſt, impii Iudæi præualuerunt aduerſus Chriſtum iuſtum.

6. QVIA ECCE SVSCITABO CALDÆOS, GENTEM AMBVLANTEM SVPER LATITVDINEM TERRÆ, quæ quaqua verſum ad orientem & occidentem ſeſe diffundat ad propagandum imperium, VT POSSIDEAT TABERNACVLA NON SVA. Quibus verbis Ieroſolymam ab iis eſſe capiendam inſinuat.

7. EX SEMETIPSA IVDICIVM ET ONVS EJVS EGREDIETVR. Quia, vt inquit Theodoretus, legem ſibi facit gens illa victoriam, vnde nullo iure, nullo alio legum præſcripto quam in armis feret, ſed ex ſe & ſolo animi ſui arbitratu quaſcumque iudicabit oneroſiſſimas calamitates vobis illatura eſt.

Hoc itaque ex parte eſt illud onus, quod ſe vidiſſe dixit Propheta.

8. LEVIORES PARDIS EQVI EIVS. Pardi enim tum velociſſimi, tum verò ex crudelitate aptiores ſunt ad perſequendum quàm fugiendum. ET VELOCIORES LVPIS VESPERTINIS, quos totius diei fames acerrimè ad velocitatem & lanienam ſtimulat. Hinc Hieremias, Lupus ad veſperam vaſtabit eos. Et Sophonias, ad deſignandam inexplebilem iudicum rapacitatem: Iudices eius, inquit, lupi veſpere, non relinquebant in mane. Non malè tamen videtur quibuſdam, quidquid refragentur nonnulli, duplex eſſe lupinum genus: Vnum commune notiſſimum paſtoribus, quod ſub crepuſculum matutinum fremit ſęuitque; ne quo Poëta:

Cùm fremit ad caulas ventos perpeſſus & imbres
Nocte ſuper media:

Alterum, quod ſero, veſpere & nocta vagatur omnibus aliis crudelius, atque ipſis canibus ac homini infeſtum, hienam vocant. Nam & Oppianus lib. 3. de Venat. & Ariſtot. de hiſt. animalium lib. 8. c. 5. promiſcuè de communi lupo & hiena diſſerunt & libro 6. capite 32. dicit eſſe colore lupino. Vnde Theodorus Gaza iudicauit hienam Ariſtotelis eſſe genus luporum: quod eodem Ariſtotele teſte lib. de admirandis naturæ auditionibus, in Arabia eſt longè ferociſſimum. Vnde fortaſſis factum eſt, vt nomen Hebraïcum quod vtrumque & Veſperam & Arabiam ſignificat, à LXX. interpretibus tranſlatum ſit, lupis Arabiæ.

9. FACIES EORVM VENTVS VRENS. Hebraïcum קדים ventum certum orientalem furientiſſimum deſignat: quo Geneſ. 41. dicuntur ſpicæ arefactæ & vredine percuſſæ: & Exod. 14. mare rubrum ſiccatum. Quomodo ergo ad flatum venti illius cuncta areſcunt, ita & ad aduentum Chaldæorum omnia eſſe vaſtanda ſignificat.

ET CONGREGAVIT QVASI ARENAM, CAPTIVITATEM. Ab exercitu ad principem Nabuchodonoſor tranſit: qui, inquit, captiuos innumeros inſtar arenæ in Babylonem adducet tantâ facilitate, quemadmodum turbinis impetu arenæ & pulueres glomeratim transferuntur,

10. IPSE SVPER OMNEM MVNITIONEM RIDEBIT. Quia tamquam aduersùs imbellem ad reſiſtendum viribus ſuis contendet: nem iacto tantùm aggere munitionem quamuis munitiſſimam expugnabit. Ita fecit Tiro: quam, cùm eſſet inſula, iacto aggere continenti iunxit & expugnauit, vt tradunt hiſtorici.

11. Tvnc mvtabitvr spiritvs, ſcilicet Dei, in miſericordiam, vt planè Iudæos internecione deleat. Ita Theodoret. & Cyrillus hîc. Sed quia ſequitur, et pertranſibit et corrvet, &c. quæ de Nabuchodonoſor intelliguntur, aptiùs cum Hieronymo expoſueris, *Mutabitur ſpiritus* Nabuchodoſor in ſuperbiam, *& pertranſibit*, quia breui tempore labaſcet eius imperium, *& corruet* in interitum, ſubuerſus à Medis & Perſis: quod ei contigit non in propria perſona, ſed in poſteris.

Hæc est fortitvdo eivs Dei svi. Eſt Hebraiſmus, quo ponuntur duo relatiua pro vno: q. d. Hæc mirabilis rerum viciſſitudo ei continget per fortitudinem meam, qui Deus eius ſum, ſicut & vniuerſæ creaturæ. Quamquam Hieronymus ironicè accipiendum velit: Hæc ſcilicet eſt fortitudo Beli, cui victorias ſuas acceptas tulit.

12. Nvmqvid non tv a principio, Domine Devs mevs? qui videlicet nos in populum tibi ſanctificatum elegiſti, quem colimus, nationibus ad idola conuerſis, et non moriemvr? id eſt, An nos internecionis excidio per crudeliſſimam hanc gentem vis extinguere? Ex quo patet Prophetam qui antea de Dei lenitate quaſi querulus expoſtulauerat, nunc pro gente ſua tametſi peccatrice ſollicitum diuinæ vindictæ magnitudinem exhorreſcere. Domine in ivdicivm posvisti evm. Reſpondet Propheta ſibi: quia nempe q. d. poſuiſti eum vt inſtrumentum quo iudices & caſtiges nos in miſericordia, non in furore vt extinguas: quod explanans adiungit: et fortem, vt corriperes, fvndasti evm. Quia ſcilicet Nabuchodonoſor, Deus poteſtatem ſtabilem ac firmam ad caſtigationem iniquorum tradiderat. Hoc planè eſt illud ipſum quod Ierem. cap. 10. poſt intentas de horribili Chaldæorum veſtitate minas ſollicitus ſubdit: Corripe me Domine, Veruntamen in iudicio; & non in furore tuo, ne fortè ad nihilum redigas me.

13. Mvndi svnt ocvli tvi ne videas malvm, &c. vt impietatem probes: ſicut vulgò quæ deſtamur, dicimus nos videre non poſſe. Eo tamen non obſtante, qvare respicis svper iniqva agentes? Chaldæos nimirum: quibus, tametſi Iudæis ſint longè deteriores: cur tantum fauoris præſtas, vt tantâ immanitate in populum tuum deſæuiant? Hæc eſt, prout notat etiam Theodoretus, repetitio eiuſdem quæſtionis quæ ſuperiùs ex parte quidem ſoluta fuit, cùm Iudæorum iniquitas abundè fuiſſet per Chaldæos punita; ſed hîc quia ſcelera Iudæorum ſceleribus grauioribus punirentur, multò difficilior emergebat. Cuius occaſione barbariem eorum adhuc magis exaggerat, & occultam hac in re Dei prouidentiam admiratur.

14. Et facies homines qvasi pisces maris. Ita enim videris tuam hominibus prouidentiam ſubtrahere, vt ſinas eos inſtar piſcium iniuriis exponi. Nam & inter eos & minores à maioribus deuorantur & promiſcuè à piſcatoribus impunè capiuntur. Et qvasi reptilia non habentia principem, qui poſſit ea ab iniuriis ferarum potentiorum tueri. Sic enim Nabuchodonoſor vniuerſum orbem inſtar piſcium atque reptilium principibus ac defenſoribus deſtitutum abſorbuit. Hoc eſt enim quod ſequitur.

15. Totvm in hamo svblevavit, &c. id eſt, inſtar piſcatoris omnes quaſi hamo, vel qui hamum effugerunt, reti, qui rete, ſagenâ vaſtiori conculſos in captiuitatem adduxit & prædam ſuam fecit.

16. Propterea immolabit sagenæ svæ, &c. Sunt qui putent alludi ad ſuperſtitionem Babyloniorum, qui inter cæteros Deos, & piſcem colebant: quaſi Propheta ſignificaret piſcibus Diis ſuis Nabuchonoſor ſuas acceptas laturum victorias. Sed tum dicendum fuiſſet, immolauit piſci ſuo; deinde ſagena ſtatim aliter ſumitur. Senſus eſt ergo, proſperis inflatus ſucceſſibus non Deo non idolis, ſed viribus ſuis atque exercitui quo velut reti ac ſagenâ vniuerſum orbem ſibi ſubiugauerat, victorias illas adſcripturus eſt. Quod eum feciſſe inſinuat Theodoret. quando ad abolendos omnes Deos, ſtatuam illam immanem Dan. 3. ſibi ipſi erexit, cui thus adoleretur.

Qvia in ipsis incrassata est pars eivs, ſuâ enim virtute bellicâ partem ſuam, id eſt, imperium tantopere dilatatum putauit, et cibvs eivs electvs, ſupple, eſt factus, quia lautiſſimas opulentiſſimaſque nationes hoc reti ſuo & ſagena captos deglutiit.

17. Propter hoc ergo expandit sagenam svam, &c. quia proſpero ſucceſſu & tot nationum veluti eſcarum electarum deliciis ineſcatus, non ceſſabit nouas expeditiones ad alias gentes capiendas interficiendaſque ſubiicere.

Capvt II.

Hactenus, vt patuit, quæſtio illa abſtruſa, Quare Deus reſpiceret ſuper iniqua agentes, taceretque deuorante impio ſe iuſtiorem, necdum ſoluta eſt, ſed multò magis per proſperos illos impiiſſimorum Chaldæorum ſucceſſus intricata. Plenam igitur eius ſolutionem vt Propheta intelligere mereatur, ſic loquitur:

1. Svper cvstodiam meam stabo, hoc eſt inſtar vigilis munitionem ſeu arcem munitam cuſtodientis atque in ſpecula conſtituti, diligenter excubabo & circumſpiciam, quid à Deo mihi reſpondeatur, & quid viciſſim ego ei reſpondeam ſi interrogationem & querelam meam voluerit coarguere. Quibus verbis S. Hieronym. eleganter & miro ſenſu deſcribi dicit humanam in diſceptationibus impatientiam: quæ antequam quiſquam ex aduerſo reſpondeat ac ſciat in quo arguatur, ex præiudicata apud ſe ſuæ opinionis veritate, ad reſponſandum ſe parat.

2. Scribe visvm, ſiue viſionem, atque id quod ſpirituali atque prophetica viſione videbis. Et explana evm svper tabvlas, id eſt, plano lucidoque non tantùm charactere, ſed etiam ſenſu, buxeis in tabulis ſcribe, vt ne quo impedimento legendi cupido ac velocitas teneatur: Scribe, inquam, idque in duraturis diu tabulis:

3. Qvia adhvc visvs procvl, id eſt, viſio non ita ſtatim implebitur, ſed tamen tandem in fine mundi nouiſſima hora apparebit. Et non mentietvr, quia expectato euentu neminem fruſtrabitur hæc viſio, ſiue res quam vidiſti. Si moram fecerit, expecta illvm: qvia veniens veniet, &c. Putat Hieron. (illum) referri adhuc ad viſum ſiue ad rem illam quæ implenda præuiſa eſt: quæ non eſt alia, quàm certus ille venturus, à cuius aduentu tota quæſtionis ſolutio pendet. Hac enim de cauſa 70. Interpret. cùm anteà in fœminino de viſione locuti eſſent, genus hîc maſculinum aſſumunt. Hunc venturum aliqui putant eſſe Cyrum, qui Babylonios, de quorum immanitate quæſtus erat, ſubuertit, per Cyrum autem figuratum eſſe Chriſtum. Nec ſanè ineptè: quando quidem de Babylone & Nabuchodonoſor interitu mox vaticinatur. Sed malim generaliter de Chriſto intelligere. Nam ſi de Cyro acceperis, neque ſic prophetæ quæſtio ſoluitur. Eadem enim de Cyro etiam impio quàm de Chaldæis eſt difficultas, cur ille proſperetur. Accedit, quòd Chriſtus peculiariter paſſim per Scripturam ὁ ἐρχόμενος, id eſt, veniens ſeu venturus dicatur, vt ex Matth. 11. & Geneſ. 49. & aliis locis patet. Denique, quòd Apoſtolus clariſſimè hunc locum de Chriſto interpretetur; déque ipſo Chriſto omnium iudice impiorum paulò pòſt cap. 3. latiſſimè diſſeratur. Hic igitur venturus etiamſi humanæ potentiæ aliquantulum tardare videatur, certiſſimè veniet, et non tardabit, quia vltra præſtitutam temporis à Deo plenitudinem non morabitur. Aduentum autem intelligit non ſolùm vltimum quem propoſito ſuo ſeruientem expreſſit Apoſtol. ad Hebr. 10. ſed & primum: illum enim latè Propheta c. 3. conſequitur. Meſſias ergo, quem notiſſimum erat nomine (venturi) ſignificari, veniet, qui iuſtis etiam in hac vita quantumuis afflictis ſalutem afferet, vt ſine timore omnium inimicorum liberati ſeruiant illi; ſed potiſſimum in futura, cum poſuerit omnes inimicos ſuos & eorum, ſcabellum pedum ſuorum. Nam & de iſto aduentu expreſsè hoc expoſuit Apoſtolus & ipſe Propheta prophetiam ſuam concludit.

Ex quo patet, aptiſſimam hanc eſſe reſ-

ponſionem ac quærelam à Propheta propoſitam, & planè ſimilem illi quæ eſt Pſal. 71. Exiſtimabam vt cognoſcerem hoc: labor eſt ante me, donec intrem in ſanctuarium Dei, & intelligam in nouiſſimis eorũ.

4. Ecce qui incredulus est. Paulus ad Hebr. 10. quaſi exponens poſuit, Quòd ſi ſubtraxerit ſe, ſcilicet à Deo per incredulitatem, hac pœna mulctabitur, quod anima eius non erit recta in semetipso, ſed iniqua & diſtorta, quia Deo diffidit, & maximè quia ſi hæc de Chriſti aduentu ad iudicandum non crediderit, iniqua putabit eſſe Dei iudicia, propter diuinæ prouidentiæ ignorantiam. Et hoc eſt quod Apoſtolus eodem ſenſu dixit, Non placebit animæ meæ Deo enim nulla niſi recta anima, placet.

Iustus autem in fide sua vivet. Quia & hac promiſſionis diuinæ fide, in præſenti vita iuſtitiæ vita viuificabitur, ſicut & Abraham fide iuſtificatus eſt ac tandem per eandem fidem vitam ęternam conſequetur. Hic genuinus videtur eſſe ſenſus Prophetæ; ac proinde reiiciendi qui per priorem partem. Nabuchod. vel Iudæorum Chaldæis ſe tradere cum Sedecia nolentium, putent ſignificari ſuperbiam: poſteriore verò per iſtam prædictionis fidem, vitam, id eſt, conſtantiam contra ærumnas eſſe conſequendam. Nam cum tribus locis Apoſtolus hæc de vera fide veroque coram Deo iuſtificatione intelligat quòd non ex operibus legis, ſed ex fide hauriri ex hoc loco docet, neceſſe eſt idem à Propheta ſignificari. Oſtendit ergo Propheta generaliter vim fidei atque infidelitatis, quod hæc diuinam offenſam, illa vitam iuſtitię atque æternam conciliet; idque non tantum tempore & reſpectu huius vaticinii locum habere, ſed in primis tum quando auctor ille fidei qui venturus erat, veniſſet, quem tunc reuelatum omnis fides reſpicere deberet. De Chriſto enim eſſe prophetiam perſpicuam, pręter Hieron. Cyril. Iſid. Hiſpal. aliosque ipſe Apoſtolus ad Hebr. 10. clarè teſtatur. Neque tamen hinc inferas, ſolâ fide iuſtitiam eſſe adipiſcendam, quemadmodum nec ſolâ ſpe cùm dicitur, In te Domine ſperaui, non confundar &c. nec ſolâ inuocatione; dicente Apoſtolo ad Roman. 10. Omnis quicumque inuocauerit, ſaluus erit: Sed per has & ſimiles ſcripturas vim cuiuſque virtutis & neceſſitatem inſinuantes, ſuppletur ſcriptura, quę dixit, Iuſtus ex fide viuet: ſicut & illa, Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. Scripturæ itaque pro occurrentia perſonarum & temporum, vel hanc, vel illam virtutem commendant, eique iuſtificationem aſſcribunt. Nam inter fideles Dauid frequentiſſimè inculcabat ſpem. Apoſtolus inter gentes ſolis legis operibus prę ſidentes, fidem in Chriſtum: quod eò potiori ratione de fide dicitur, quòd fides omnis planè iuſtitiæ ſit fundamentum, nec vllus actus, neque vllum opus, neque vllus vel tenuiſſimus motus quo iuſtitiam vel vitam ęternam mereamur, ſine præeunte fide haberi poſſit; & quia ſic in fide tamquam fundamento, radice & ſemine, tota iuſtitia & vita ęterna contineatur.

Quia autem dixerat Propheta, in fine appariturum illum qui omni iniquitati iuſtorumque oppreſſioni iuſtam redderet mercedis retributionem; ne quis tamen exiſtimaret omnia ita in poſterum reſeruari vt in hac vita Deus nullas in impios iuſtorum oppreſſores vindictę ſuę ſcintillas immitteret, ſubiungit, Chaldaici imperii quod Iudæos acriter vexerat, breui ignominioſam ſubuerſionem imminere. Vnde ait:

5. Et quomodo vinum potantem decipit, quia ſuauitate ineſcatus creſcente per vini calorem ſiccitate, faucibus ſe plenis magis magiſque ingurgitat; cuius tamen omnis exhilaratio mox vertitur in fabulam, inſaniam & ruinam: sic erit vir superbus. Veriſſimum eſt enim illud Sapientis Prouerb. 29. ſuperbum ſequitur humilitas. Sedes enim ducum ſuperborum deſtruxit Deus & ſedere fecit mites pro eis, Eccleſ. 10. Et non decorabitur, ſed cum ignominia decore & imperio ſpoliabitur, quemadmodum Daniel tum in ipſo Nabuchodonoſore capite 4. tum in poſteris capite 5. id factum eſſe teſtatur. Per figuram ergo

ſcripturæ

ſcripturis familiarem, plus ſignificatur quàm dicitur: vt 1. Reg. 12. Nolite declinare poſt vana, quæ non proderunt vobis, id eſt, exitium afferent.

Qvi dilatavit qvasi infernvs animam svam, inſatiabili videlicet cupiditate vniuerſum orbem ſubigendi: qui locus ex Prouerb. 27. ſumptus videtur, vbi hoc explicando dicitur, Infernus & perditio, ſiue mors numquam implentur.

6. Nvnqvid non omnes isti, tyrannide videlicet tuâ olim oppreſſi, ac tandem liberati, parabolam svment et loqvelam ænigmatvm Nomen apud Hebræos parabolę reſpondens, à verbo deducitur quod dominari & authoritate excellere ſignificat: ex quo factum eſt, vt nomen illud Hebræum ſignificet parabolam, prouerbium & omne ſcitè dictum, ſiue ſit parabola, id eſt ſimilitudo, ſiue adagium propriè dictum, ſiue quiuis figuratus ac proinde obſcurus ſermo eò quòd in oratione illuſtris ſit atque emineat, ſuaque authoritate vulgus teneat admiratione captiuum. Hinc ita vocantur Parabolæ Salomonis, etſi ſæpè non ſint parabolæ propriè dictæ, ſed graues tantùm & obſcuræ ſententię. Hæc ænigmatica obſcuritas, quia carminibus & elegiis lugubribus familiaris eſt, vt ex toto thehenorum libro perſpicuum eſt, hinc parabola & ænigma pro tali carmine obſcuro ſimilitudinibus redundante, ad deplorandam calamitatem vel irridendam ſuperbiam non rarò vſurpatur: maximè quia olim graues ſententiæ vix ſine ſimilitudinibus & inuolucris paraboliſque propriè dictis proponebantur, vt ex ſententiis Pythagoræ, fabulis Æſopi, & ſimilibus manifeſtum eſt. Hinc Iſaias capite 14. Sumes parabolam iſtam contra regem Babylonis: Quomodo ceſſauit exactor &c. Et Michęæ 2. Sumetur ſuper vos parabola & canticum: Vbi parabola per canticum videtur explicari more Scripturę idem repetentis. Sic ergo & hîc variis & obſcuris ſimilitudinibus atque allegoriis quaſi parabolis, tyranni ſuperbia & inſatiabilis cupiditas irridetur. Væ ei qvi mvltiplicat non sva, opes, videlicet iniuſtas corradens. Vsqveqvo et aggravat contra se, hoc eſt, in perniciem ſuam, densvm lvtvm? Per quod ſecundùm Hieron. & Gregor. 34. Moral. cap. 8. terrenarum diuitiarum multiplicitas deſignatur, maximè quando magnâ facilitate corraditur inſtar luti, ſecundùm illud Zachariæ 9. Tyrus coaceruauit argentum quaſi humum, & aurum vt lutum platearum: & Iob. 27. Si comportauerit quaſi terram argentum, & ſicut lutum præparauerit veſtimenta, &c. Denſum autem abſolutum aggregat, quia vt ait ibidem Gregor. peccati ſui ſe oppreſſione coanguſtat: atque in primis, quia ex alienarum rerum poſſeſſione emergere & expedire ſe homines difficilè poſſunt.

7. Nvmqvid non repente consvrgent qvi mordeant te? Medi ſcilicet & Perſæ, vt hîc paſſim intelligunt: qui minoribus imperium Chaldaïcum prœliis primò laceſſiuerunt, poſteà lacerarunt. Medis & Perſis alii populi ex vaſtatione Nabuchodonoſoris reliqui, præ odio tyrannidis eius, ſe coniunxerunt ad ſubuertendos Babylonios. Non deſunt tamen qui per *reliquos de populis* ipſos Medos & Perſas intelligunt, eò quòd numquam à Babyloniis fuiſſent perdomiti, quamuis in Mediæ fines Aſtyage ſuperſtite ſubinde populabundi magis quàm more belli inuolaſſent. Repente autem conſurrexerunt, quia Babylon, teſtibus hiſtoricis, aſtu capta eſt, feſtum agentibus Babyloniis, fluuioque ſiccato. Hoc autem euenit eis,

8. Propter sangvinem hominis &c. id eſt, propter immanes cædes in primis Iudæorum: propter iniurias illatas terræ Iudaïcę civitatis Ieruſalem & habitatorum eius. Ita ferè Hieron.

9. Væ qvi congregat avaritiam, id eſt, opes, auaritiæ materiam ac fomentum, quemadmodum Rex Babylonis fecit: nam etſi verba ſint generalia, illum tamen omnia vt ſcopum ſpectant. Vt sit in excelso nidvs eivs, ne facilè à conſcendentibus ſpolietur. Quo ſignificat, omnium nationum diuitias Babylone fuiſſe congeſtas, vt velut arx tutiſſima à nemine

poſſit expugnari. Ex quo factum eſt, vt cùm teſte Ioſepho 10. Antiq. c. 11. Babylonem Nabuchodonoſor magnificentiſſimè inſtruxiſſet apud Danielem veluti de nido in excelſis poſito glorietur: Nonne hæc eſt Babylon magna quam ego ædificaui in domum regni? &c.

10. COGITASTI CONFVSIONEM DOMVI TVÆ: quia qui ædificat domum & imperium ſuum impendiis alienis, quemadmodum qui colligit lapides ſuos in hyeme, id eſt, ædificat infirmam & propter temporis incommoditatem diſſoluto cęmento certiſſimæ ruinæ proximam. Quæ confuſio tibi continget: quia CONCIDISTI POPVLOS MVLTOS. Hebraicè, concidendo & interficiendo populos multos.

11. QVIA LAPIS DE PARIETE CLAMABIT, editoque clamore raptoris reſtabitur iniuſtitiam: ET LIGNVM QVOD INTER IVNCTVRAS ÆDIFICIORVM EST, id eſt, trabes ad continendos, parietes in medio ſtructuræ collocatę RESPONDEBIT, clamoribus videlicet lapidum vindictam expoſtulantium aduerſus iniquum ædificii ſcilicet Babylonis dominum ac ſtructorem: Quæ per poëticam Proſopopœiam dicuntur, ad exaggerandam iniuſtitiam Chaldæorum. Vnde ſubiungit quaſi explicationis cauſa:

12. VÆ QVI ÆDIFICAT CIVITATEM IN SANGVINIBVS: cædibus videlicet & rapinis, tyrannide & iniuſtis oppreſſionibus parans ei imperium & vires.

13. NVNQVID NON HÆC, quæ mox dicturus ſum, SVNT illi ſuperuentura A DOMINO EXERCITVVM? Nemini autem dubium eſt, inquit Hier. adhuc contra Regem Babylonis eſſe ſermonem. Quæ autem interminatus eſt, hæc ſunt:

LABORABVNT ENIM POPVLI, Chaldæi IN MVLTO IGNE, extinguendo ſcilicet incenſa Babylone, vt quidam intelligunt. Sed quia in Hebr. eſt laborabunt in ſufficientiam ignis, rectiùs intellexeris ſignificari omnes labores diuitiaſque Chaldæorum & Babylonis eo fine terminandas, vt quaſi pyra ſtruatur, vt conflagratione conſumantur. Hunc ſenſum planè requirit Ierem. qui cap. 51. de eadem Babylone loquens, iiſdem verbis Hebraïcis vtitur quæ vulgaris interpres ſic tranſtulit: portæ eius excelſæ igne comburentur, & labores populorum ad nihilum, & gentium in ignem erunt & diſperibunt.

14. QVIA REPLEBITVR TERRA, &c. QVASI AQVÆ OPERIENTES MARE id eſt, magnâ copiâ inundantes in alueum maris: niſi malis intelligere, prout eadem planè verba Hebraïca explicuit Iſaias c. 11. Sicut aquæ maris operientes, id eſt, vbique iuſtiſſima Dei prouidentia & ſcelerum Chaldaïcorum vltio cognoſcetur, ſicut cùm aquæ maris magno impetu & copiâ ſe in terram diffundunt. Quibus verbis tenditur paulatim ad ſcopum totius Prophetię, ſignificans non impunè viam impiorum ad tempus proſperari.

15. VÆ QVI POTVM DAT AMICO SVO, &c, id eſt, væ ei qui calicem felle mixtum amicis ſiue illis qui nihil ſe læſerunt, propinat, vt inebrientur & ad nuditatem vſque ignominioſè ſpolientur. Propinare autem aliqui talem calicem ex phraſi ſcripturæ nihil eſt aliud quàm grauiſſimas iis calamitates & perniciem inferre: bibere verò eſt illa perpeti. Hinc Ierem. cap. 25. de eodem illo calice Babylonis clariſſimè, Sume, inquit, calicem furoris huius de manu mea: & propinabis de illo cunctis gentibus. Et bibent, & turbabuntur, & inſanient à facie gladij: Et capite 51. Calix aureus fuit Babylon in manu Domini, inebrians omnem terram: de vino eius biberunt gentes, & ideo commotæ ſunt. Et ne longè quæramus interpretem, hoc ipſo loco poſtquam dixiſſet Propheta,

16. REPLETVS EST IGNOMINIA PRO GLORIA, in vindictam ſcilicet iuſtiſſimam in ſolentiæ, ſtatim hoc exponens, & in metaphora calicis perſiſtens, addit: BIBE TV QVOQVE, ET CONSOPIRE, id eſt, bibes de ſuppliciis, & ſopieris morte ſempiternâ: ſecundum quod Ieremias clarius idem exponit: Inebriabo principes eius & fortes eius: & dormient ſomnum ſempiternum. CIRCVMDABIT TE CALIX DEXTERÆ DOMINI, quem Dei dextra tibi vindictâ & ſuppliciis plenum propinabit vſque ad ſe-

ces exhauriendum: Et vomitvs ignominiæ, ſiue ignominioſus quo Dominus eiiciet, ſiue euomere te faciet omnes diuitias, vaſa templi, ſpolia quæ abſorbueras, de ore tuo, vt loquitur Ierem. c. 51. verſ. 44. idque svper gloriam tvam, hoc eſt loco gloriæ quaſi te olim circumdedit.

Quia ergo eadem Nabuchodonoſor paſſurus deſcribitur, quæ alios pati fecit: hinc liquet tamquam fabulam eſſe reiiciendam Hebræor. traditionem quam narrat Hier. & fortaſſis ex ipſo Cyrillus, quòd Nabuchodonoſor potionem dederit Sedechiæ in conuiuio, quo cùm ipſum inebriaſſet, omnibus nuditas & ſordes illis riſui fuerint.

17. Qvia iniqvitas Libani operiet te, &c. Libanum templum vocat Salomonis ſecundũ Hier. tum hîc, tum in illud Zachar. 11. Aperi Libane portas tuas: eò quod ex cedris Libani eſſet extructum: niueoque candore, quo teſte Ioſepho 6. de bello Iudaïco c. 6. candicabat, Libanum referret. Theodoretus Ieruſalem ipſam intelligit, itemque Cyrillus in hoc loco, quibus & Euſebius 8. dedemonſtrat. Euangelica conſentit. Iniquitas ergo ſiue crudelitas quam in Ieruſalem & templum exercuiſti, in caput tuum deuoluetur. Et quia ſemel nominauerat montem Libanum, ſub eiuſdem tranſlatione victimas & ſacrificia, vel certè multitudinem populorum, quæ in Ieruſalem interfecta eſt, animalibus comparans, vastitas, inquit, animalivm, id eſt, hominum vaſtatio & trucidatio, deterrebit eos, ſiue terrorem Chaldæis iniiciet, idque de sangvinibvs hominvm, id eſt, propter cędes Iudęorum, & iniuſtitias terrę Iudaïcæ ac ciuitati Ieruſalem illatas & hoc eſt quod ſine metaphora clariùs dicit Ierem. c. 51. Reddent Babylonii omne malum quod fecerunt in Sion: & c. 50. Vt annunciant vltionem Dñi Dei noſtri, vltionẽ templi ſui.

18. Qvid prodest scvlptile et conflatile, &c. Sculptile, inquit Hier. ex ligno & lapide; conflatilia ex auro, ære cęteriſque metallis fiunt. Irridet hîc ergo in primis Chaldęorum vanitatem, quòd lignis lapidibuſque ab imminente calamitate ſe tutos fore arbitrarentur. Hinc clariùs huius prophetiam quaſi interpretans Ierem. cap. 50. v. 2. Capta eſt, inquit, Babylon confuſus eſt Bel, confuſa ſunt ſculptilia eius, &c.

19. Nvmqvid ipse docere poterit, quid ſcilicet agendum, quid cauendum ſit? His ergo vanis opponitur quod ſequitur:

20. Dominvs avtem in templo sancto svo: quod exponens Pſaltes, cùm iiſdem verbis dixiſſet, Dominus in templo ſuo, adiecit, Dominus in cœlo ſedes eius. Sileat a facie eivs omnis terra, vt profundiſſimo quodam admirationis ac reuerentiæ ſilentio prouidentiam eius ſuper bonos & malos, ac mirabilem in perſequenda impietate iuſtitiam, quam etiam in hac vita exercuit, pertimeſcat.

Capvt III.

Iudæorum è Babylonica captiuitate liberatio, quemadmodum ſalutationis omnium iuſtorum exemplar fuit; ita & Chaldæorum, de quo ſuprà excidium, generalem in omnes impios vltionem per Chriſtum exercendam præfigurauit: ad quem proinde opportunè hîc tranſit, vt ſic querelæ propheticæ ſupra dictæ omni ex parte ſatisfiat. De Chriſto enim hîc agi conſentiunt veteres, Cyrillus, Theod. Aug. 18. de Ciuit. Dei c. 32. & ali. Vnde Hier. manifeſtiſſimam prophetiam de Chriſto appellat. Quod eſt contra recentiores nonnullos, qui hæc de Iudæorum ex captiuitate Babylonica liberatione intelligunt; quorum expoſitiones multùm inter ſe diſſonæ, frigidæ & inconſtantes ſunt: ita vt hoc ipſa veteribus atteſtentur. Nec obſtat quòd dicatur allegoricè poſſe prophetiam de Chriſto conſiſtere; quia vt rectiſſimè docet Hier. in verſ. 10. cap. 1. Malachiæ: Regula eſt Scripturarum, vbi manifeſtiſſima prophetia de futuris texitur, per incerta allegoriæ non eſſe extenuanda quæ ſcripta ſunt.

ORATIO HABACVC PROPHETÆ

Pro ignorantiis.

Oratio hæc eſt magna, ex parte prophetica inſtar epici carminis & pſal-

terii, id eſt, lyrico more compoſita, vt docet, hoc loco Hieron. Vnde LXX. tranſtulerunt, Oratio cum cantico. Per ignorantias autem peccata populi & Prophetæ intelligenda ſunt: qui orat ne incarnationis Dominicæ & aduentus eius myſterium iam antè ſibi cap. ſuperiore promiſſum impediat, vt ita iuſti à malis omnibus liberentur.

2. DOMINE AVDIVI AVDITIONEM TVAM, id eſt, famam obſcuriorem de te audiui, cùm mihi ſuperiùs reuelando dixiſti, Veniens veniet ſcilicet Chriſtus, & non tardabit. Sic enim auditio pro fama paſſim accipitur, vt Nahum 3. v.19. & alibi. ET TIMVI, timore reuerentiæ atque admirationis propter rei magnitudinem, quòd clariùs LXX. expoſuerunt transferendo, ἐξέστην, id eſt, in extaſin raptus expaui: non penetraui, inquit Bernardus Epiſt. 190.

DOMINE OPVS TVVM IN MEDIO ANNORVM VIVIFICA ILLVD. Opus hoc Dominica eſt Incarnatio, vt paſſim Veteres exponunt. Hoc opus *viuificari*, id eſt, ſuſcitari atque exhiberi petit, ne, vt inquit Hieronym. promiſſio & ſermo Dei irritus moriatur: idque *in medio annorum*, in annis à Deo præſtitutis, cùm plenitudo temporis appropinquauerit. Quem ſenſum clariſſimè indicant LXX. qui transferunt: Cùm appropinquauerint anni, vel opportunitas temporis, cognoſcêris.

IN MEDIO ANNORVM NOTVM FACIES, ſingulare videlicet illud Dominicæ incarnationis opus: pro quo ex LXX. interpretatione paſſim veteres legunt. In medio duorum animalium cognoſcêris. Quæ interpretatio tam diuerſa & citra dubium inde eſt orta, quòd tres Hebraïcæ voces diuerſis punctis diuerſa ſignificant. Hoc autem variè interpretati ſunt veteres, Hieron. & Auguſt. 18. de Ciuit. cap. 32. & Oration. contra Paganos. In medio Moyſis & Eliæ ſuper montem Thabor: vel in medio duorum latronum, vel duorum Seraphim in propitiatorio, vel duorum teſtamentorum veteris & noui, vel in medio circumciſionis & præputii, vel denique in medio duorum animalium bouis & aſini in præſepio, vt videtur intelligere Eccleſia in officio circumciſionis & Aug. Orat. contra Iudæos cap. 13. Euſebius 6. de demonſtrat. legit, In medio duarum vitarum, mortalis & immortalis, quam Chriſtus habuit: quem ſenſum & Cyrillus refert, ſed ex errore accentûs Græci ortus videtur.

CVM IRATVS FVERIS, peccatis hominum quos propterea vias ſuas ingredi permiſeras, MISERICORDIÆ RECORDABERIS, quam tamdiu differendo quodammodo oblitus eſſe videbaris.

2. DEVS AB AVSTRO VENIET, Hebræus habet, מתימן *de Theman*: quod ſeptuaginta & omnes penè interpretes præter vulgatum expreſſerunt. Eſt autem Theman, teſte Hieronym. in locis Hebraïcis, regio & vrbs Idumææ, quę Iudæę Auſtralis eſt. Vnde omnis regio Auſtralis Hebræis Theman dicitur. Eodem ſenſu Auguſt. loco citato legit ab Aphrico, qui Auſtro litteralis eſt; Locus autem deſumptus, videtur ex cap 33. Deut. vbi dicit Moyſes: Dominus de Sinaï venit, & de Seïr ortus eſt nobis: apparuit de mōte Pharan. Videtur ergo ſignificare illum eūdem Deū qui Patribus in tot mirabilium oſtenſione apparuit in montibus Pharan, Sinaï, &c. & in locis Theman ac Auſtralibus: eumdem versùs Auſtralem illam regionem appariturum, nempe ad Bethleem vbi natus eſt, quæ Ieroſolymis eſt Auſtralis, vergens ad Idumæam & montem Pharan. Hunc ſenſum ab Hebræo ſe didiciſſe teſtatur Hieronym. quamuis eumdem habeant Irenęus, Cyrill. & Theodor. in hunc locum. ET SANCTVS DE MONTE PHARAN. LXX. & ferè omnes veteres, de monte vmbroſo & condenſo: quem myſticâ ſignificatione Theodor. vult eſſe Ieruſalem chariſmatibus abundantem & ſub vmbra & protectione Dei commorantem: Auguſt. verò loco citato, Scripturarum altitudinem diuinarum quibus prophetatus eſt Chriſtus: Multa quippe ibi vmbroſa ac condenſa ſunt, quæ mentem quærentis exerceant. Inde autem venit, cùm ibi eum qui intelligit, inuenit. Per Auſtrum, inquit, meridies intelligitur, id eſt, feruor charitatis, & ſplendor veritatis.

OPERVIT COELOS GLORIA EIVS, mirabi-

lium operum perpetratione, quæ cœlum & terram gloriâ impleuerunt, ſecundùm illud, Exaltare ſuper cœlos Deus, & ſuper omnem terram gloria tua.

4. SPLENDOR EIVS VT LVX ERIT, quia doctrinæ ipſius claritas tenebras errorum infidelitatis & peccatorum diſpellet. CORNVA IN MANIBVS EIVS. Quæ cornua Hieronym. & Auguſt. ſuprà, vexilla ac trophæa crucis exponunt: manus enim eius extremitatibus crucis velut cornibus, vel vt vult Tertull. contra Iudæos c. 10. clauis velut cornibus affixæ fuerunt.

5. ANTE FACIEM EIVS IBIT MORS, quia ab illo victa, ante eum velut in triumphum minabitur, ita vt dici poſſit, Vbi eſt mors victoria tua? vbi eſt mors ſtimulus tuus? Verbum autem Hebraïcum aliis punctis ſignificat *verbum*: quomodo Auguſt. 18. de Ciuit. c. 21. & plurimi veteres ex LXX. legerunt. Verbum ergo quo prænunciatus eſt à Prophetis, Chriſtum præceſſit.

ET EGREDIETVR DIABOLVS ANTE PEDES EIVS, quia ab ipſo ſuperatus diabolus coram eo diffugiet, quemadmodum ex innumerabilium dæmonum non modo ex corporibus, ſed etiam animis Iudæorum ac Gentilium expulſione Chriſtus patefecit.

6. STETIT ET MENSVS EST TERRAM, more victorum qui terram inter ſuos diſpertiunt. Quod Chriſtus fecit, cùm datâ ſibi omni poteſtate in cœlo & in terra prouincias ſuis Apoſtolis partitus eſt. Quibus prædicantibus, oculis ſuę miſericordiæ.

ASPEXIT, ET DISSOLVIT GENTES, ſoluendo videlicet funiculos peccatorum quibus conſtringebantur, defixamque eorum in ſceleribus pertinaciam ſpiritu pœnitentiæ impartito diſrumpens, vt indicat Auguſt. loco citato.

CONTRITI SVNT MONTES SÆCVLI, ET INCVRVATI COLLES, &c. quia, vt inquit Aug. miraculis elatorum eſt contrita ſuperbia. Siue ergo per montes & colles, principes ſæculi, ſiue ſapientes atque Philoſophos, ſiue omnem ſæculi faſtum intellexerimus, omnis collis & mons humiliatus eſt. AB ITINERIBVS ÆTERNITATIS EIVS, id eſt, ab aduentu Dei æterni, ſiue in mundum per incarnationem & conſeruationem in carne, vt vult Bernardus, ſiue in animas fidelium, cùm illis gratiam ſuam infundit.

7. PRO INIQVITATE VIDI TENTORIA ÆTHIOPIÆ, id eſt, vidi caſtra impiorum omni peccatorum fœditate inſtar Æthiopum deformium ſimul collecta, vt auitam ſuam ſuperſtitionem propugnatent. Sed quid illis continget?

TVRBABVNTVR PELLES TERRÆ MADIAN, id eſt, pauore contremiſcens ac diſſipabuntur Æthiopum iſtorum tabernacula ſeu caſtra. Madian enim pars eſt Æthiopię, non occiduę quæ eſt in Africa, ſed orientalis quæ in Arabiam protenditur, ex qua Moyſis vxor Madianitis, dicta eſt Æthiopiſſa, vt Auguſt. quæſt. 20. ſuper Numeros. Alluditur autem ad hiſtoriam Gedeonis, qui ſicuti Madianitas tubis & lampadibus, diſſipauit; ita Chriſtus Gentiles ac fidei aduerſarios, Euangelii pręedicatione ac fidei ſplendore ſubiecit.

8. NVMQVID IN FLVMINIBVS IRATVS ES DOMINE? &c. id eſt, ſecundùm Hieron. & Cyrillum, Numquid vt olim flumina in ſanguinem commutaſti, vel potiùs Iordanem ſiccaſti, Pharaonem mari Rubro pręfocaſti, furorem denuò hoc tuo aduentu in turbandis mari ac fluminibus demonſtrabis? q.d. Nequaquam. Non enim venit Chriſtus primo aduentu vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum. Quid ergo?

ASCENDES SVPER EQVOS TVOS, diſcipulos atque Apoſtolos, qui te per vniuerſum terrarum orbem ſua prædicatione circumferent, vt Ambroſ. lib. de Naboth. cap. 15. Iſtis autem equis, inquit idem ſerm. 4. in Pſalm. 11. Frena pacis, habenæ ſunt charitatis, conſtricti ſunt inter ſe concordiæ vinculis & iugo fidei ſubiecti.

ET QVADRIGÆ TVÆ SALVATIO, id eſt, quatuor Euangeliſtæ qui te tamquam aurigam portant, ſalutem credituris adferent.

9. SVSCITANS SVSCITABIS ARCVM TVVM. Hactenus manſuetum Chriſti aduentum deſcripſit, qui ſalutem populo ſuo, conuerſatione, peccatorum conuerſione, verbi pręedicatione, ac Spiritus ſui elargitione, dedit: Nunc eumdem inſigni pro-

ſopographia vt bellatorem inducit, qui omni armorum panopliâ inſtructus ad retributionem peccatorum & conterendos impios de terra egreditur. *Suſcitans* itaque *ſuſcitabis*, id eſt, certiſſimè tandem ſuſcitabis *arcum tuum* diutiſſimè ſepoſitum, in quo vaſa mortis lethaliaque peccatoribus ſupplicia præparaſti, vt ita ſimul ſuſcites, id eſt, ad effectum deducas, IVRAMENTA TRIBVBVS QVÆ LOCVTVS ES, quando ſcilicet iuraſti ad Abraham patrem noſtrum, omnium videlicet tribuum credentium, daturum te nobis, vt ſine timore de manu inimicorum liberati, ſeruiamus tibi, in pleniſſima ſcilicet futuræ vitæ libertate. Hęc enim iuramenta quamdiu deuorabat hic impius iuſtiorem ſe, iacere & negligi à Deo videbantur; ſuſcitabunt verò cum in fine mundi veniet ad ponendam terram in ſolitudinem. Ad hunc autem diem cùm ſeſe accinget, armabit creaturam ad vltionem impiorum, vt pugnet cum illo orbis terrarum contra inſenſatos. Nam de præambulis ad iudicii diem, hæc intelligit Tertull. 4. contra Marcionem cap. 39. Tunc itaque

FLVVIOS SCINDES TERRÆ, Hebr. dirumpes fluuios, aggeribus videlicet diſſipatis vt ita ſecundùm Sap. flumina concurrant duriter.

10. VIDERVNT TE, ET DOLVERVNT MONTES. Per quod poëtica loquendi phraſi qua Prophetæ abundant, ſignificatur montium atque omnium eorum quæ in terra ſunt, ab adueniente iudice futura demolitio ac diſſipatio: quæ ſine dolore, ſi eius capaces eſſent montes, fieri non poſſet. GVRGES AQVARVM TRANSIIT, id eſt, vehemens impetus, & vt habet Heb. inundatio aquarum tranſit. Quo ſignificatur impetuoſiſſimus motus raptorum fluuiorum & marium, ex quo continget id quod ſequitur.

DEDIT ABYSSVS VOCEM SVAM, id eſt, dabit aquarum illa inundatio ac profunditas terribilem fluctuum ſuorum fremitum. Quod clariùs expoſuit Chriſtus Luc. 21. vbi dixit fore in terris preſſuram gentium præ confuſione ſonitûs maris & fluctuum. ALTITVDO, ſiue aquarum iſta abyſſus, MANVS SVAS LEVAVIT. Quidam transferunt ex Hebræo, locum ſuum leuauit. Quo nihil aliud ſignificatur, quàm fore vt intumeſcat mare, & fluctus ſuos inſtar montium attollat, ac inſtar manuum curuarum eleuet ac deprimat viciſſim.

Porrò Hieronymus his verſibus irati Dei quidem effectus ſignificari putat, ſed hoc ſenſu: fluuios ſcindes, quia iuſtorum perſecutores diſſipabis: viderunt te Reges, populi tui vexatores & doluerunt: & viſo te gurges aquarum, id eſt, omnis eorum perſecutio tranſiit ac ceſſauit. Quo facto, abyſſus & altitudo, id eſt, inferi & ſuperi te pariter laudauerunt, vt victorem veluti geſtu quodam & tripudio eleuatarum manuum demonſtrarent. Quæ interpretatio magis ad myſticam videtur accedere.

11. SOL ET LVNA STETERVNT IN HABITACVLO SVO, quia finitis motuum alternationibus ſtationem ſtabilem in cœlo ſeruabunt, recipientque, vt inquit Hieron. priſtinum ſplendorem, cùm anteà malorum pondere vniuerſa eſſent tenebrarum horrore cooperta.

IN LVCE SAGITTARVM TVARVM IBVNT, &c. Redit ad debellationem impiorum. Ibunt ergo impii atque diffugient, ad lucem, ſiue præ coruſcatione fulgorum tuorum & fulminum, quibus tamquam ſagittis & haſtâ acutâ atque ſplendente peccatores inuades. Quod pleniùs dixit Sap. cap. 5. Ibunt directè emiſſiones fulgurum, &c. Et ad certum locum inſilient. Acues duram iram in lanceam, &c. atque ita

IN FREMITV, & animi indignatione, CONCVLCABIS TERRAM: pedum quaſi protritu, ponendo eam in ſolitudinem, vt inquit Iſaias c. 14. ET IN FVRORE OBSTVPEFACIES GENTES, quia malorum imminentium metu vnuſquiſque ad proximum ſuum ſtupebit, areſcentque homines præ timore & expectatione iudicis aduentantis.

13. EGRESSVS ES IN SALVTEM POPVLI TVI. Hæc eſt ratio tanti bellici apparatus, tanti furoris ac fremitûs Dei; nempe, quia populum ſuum de manu peſſimorum liberaturus egreſſus eſt, vna cum CHRISTO TVO, cui omne iudicium Pater tradidit. Quod idem pulchrè ſignificauit Pſaltes,

cum dixit: Tecum, ô Chriſte, principium, ſeu Pater qui in Chriſto iudicabit mundum in die virtutis tuæ, id eſt, vt ait Cyril. t. in Ioan. c. 1. in die iudicij, cùm ad iudicandum deſcenderis cum virtute magna & maieſtate.

PERCVSSISTI CAPVT DE DOMO IMPII. Domus impii eſt familia diaboli, omnium ſcilicet cœtus impiorũ: cuius caput ac ducem cæteris impietate præcellentem Antichriſtum, Spiritu oris ſui Chriſtus interficiet. De quo Antichriſto hoc exponit Hier.

DENVDASTI FVNDAMENTVM EIVS VSQVE AD COLLVM, quia omnibus eum populis, ducibus ac militibus, quibus tamquam potentiis ac fulcris innitebatur penitus ac vndequaque nudaſti ſecundùm illud Apoc. deſcendit ignis de cœlo & deuorauit eos qui circuierant caſtra Sanctorum & ciuitatem dilectam. Alludit autem ad domum quæ vſque ad fundamenta ſubuertitur, & ad hominem qui vſque ad collum ſubmergitur.

14. MALEDIXISTI SCEPTRIS EIVS, quia poteſtatem tyrannicam dæmonis & Antichriſti quam in mundo contra iuſtos exerunt deſtruxiſti, eoſque æternâ maledictione addixiſti.

CAPITI BELLATORVM EIVS, id eſt, coryphæo omnium bellatorum Antichriſti Lucifero principi tenebrarum, VENIENTIBVS VT TVRBO, qui inſtar turbidinis ac tempeſtatis vltimâ Eccleſiæ perſecutione populum Dei diſſipare conati ſunt. Electorum enim perſonam hîc Propheta aſſumit: quos ſub finem mundi breuiſſima quidem, ſed impetuoſiſſima violentia inſtar turbinis celeriter tranſeuntis, nitentur proſternere.

15. VIAM FECISTI IN MARI EQVIS TVIS. Mare lutum, aquæ ſubinde tribulationem ſignificant dicente Pſalm. 68. Intrauerunt aquæ vſque ad animam meam, vt quando ſcilicet homo ſubmergitur. Item, infixus ſum in limo profundi. Item eripe me de luto. Per has ergo aquas, per hoc lutum & mare, viam aperuiſti equis tuis ad prælium inſtructis, vt electos tuos à tribulatione quæ eos circumdederat, liberares. Similis equorum exercitus Apocal. 19. deſcribitur.

16. AVDIVI, vocem ſcilicet tuam qua hæc terribilia portenta auribus meis propheticè inſonniſti, ET CONTVRBATVS EST VENTER MEVS, quia præ pauore viſcera mea commota ſunt propter ea quæ orbi terrarum ſuperuenient. Et AB eadem VOCE CONTREMVERVNT LABIA MEA, præ timore. Significat enim his omnibus Propheta, ſe vindictæ diuinæ magnitudinem exhorruiſſe. Sic enim Iſaias cap. 21. de Babylonis licet excidio vaticinatus, tamen ſtatim adiungit: Corrui cùm audirem, conturbatus ſum cùm viderem, emarcuit cor meum, tenebræ ſtupefecerunt me.

INGREDIATVR PVTREDO IN OSSIBVS MEIS, id eſt, vt exponit S. Hier. libenter patior quod paſſus eſt Iob: non ſolùm carnes meas, ſed medullas quoque oſſium cupio tabefieri, & ſtratũ meum putredine corporis & vermibus ſcatere; vt poſtquã hîc pro peccatis ſuſtinuero, requieſcam in die tribulationis quã mihi propheticè oſtendiſti.

VT ASCENDAM AD POPVLVM ACCINCTVM NOSTRVM, populum videlicet Sanctorum, qui tum in hoc mundo inſtar peregrinantium accincti fuerunt, & in illa die veluti bellatores accingentur, vt faciant vindictam in nationibus & increpationes in populis, &c. Hoc autem meritò ſe optaſſe oſtendens, futura ſub finem mundi mala particulam depingit:

17. FICVS ENIM NON FLOREBIT, &c.

18. EGO AVTEM IN DOMINO GAVDEBO: ET EXVLTABO IN DEO IESV MEO, id eſt, ſaluatore, ſiue vt habent LXX. ſalutari meo. Sed præfert Aug. loc. cit. vt nomen ipſum ponatur: quod eſt inquit, nobis amiciùs & dulciùs nominare. Hoc autem adiecit Propheta poſt enumeratas ſæculi calamitates, quia vt ait Cypr. ad Demetr. Cultores Dei inter ipſas ſæculi labentis ruinas exultant in Domino, & mala atque aduerſa mundi fortiter tolerant, cùm dona & proſpera futura proſpectant: leuantes videlicet capita ſua, quia appropinquat redemptio ipſorum.

19. ET PONET PEDES MEOS QVASI CERVORVM, date agilitatis mihi impertitâ, vt vnà cum ſanctis mundi mala tranſiliens rapiat

obuiam Chriſto in aëra. ET SVPER EXCELSA MEA DEDVCET ME VICTOR IN PSALMIS CANENTEM. Per *excelſa mea* cœlum intelligit, tamquam patriam ſuam, meritiſque ſuis comparatam, factâ pulchrâ ad ceruos alluſione, qui acti à venatoribus, excelſa petunt, vbi ſecuti conſiſtát. Huc ergo deducet me victor Chriſtus, qui & ſibi & nobis victoriam peperit. IN PSALMIS CANENTEM, quia venient in Sion cum laude: & lætitiâ ſempiternâ ſuper capita eorum: & per vicos Ieruſalem, vt ait Tobias, alleluia cãtabitur.

FINIS.

CORNELII IANSENII IN PROPHETIAM SOPHONIÆ

ARGVMENTVM.

IDEM Sophoniæ quod Ieremiæ eſt argumentum, quod enim hic prolixiùs, ille tribus capitibus complexus eſt. Nec mirum, cùm eodem tempore ſub Ioſia prophetauerit: Ieremias quidem ab anno eius 13. vſque ad captiuitatem prophetiam perduxit: Sophonias vero, quo præcisè anno inceperit, eſt incertum. Certum vero quod non ad Iſraël ſiue decem tribus, ſed ad duas tribus Iudam & Beniamin vaticinatus ſit. Nam decem tribus iam ab octoginta circiter, annis à ſexto ſcilicet anno Ezechiæ, in captiuitatem erant abductæ. Duas igitur tribus vaſtitatis intermi[illegible]tione, quam non tantum ipſis ſed etiam vicinis gentibus Ammonitis, Moabitis, Ethiopibus ac Niniuitis intentat, ad pœnitentiam prouocat. Sub finem vero more prophetis ſolemni, conſolationem de Chriſti aduentu adiungit quo & Iudæi & Gentes captiuitatis iugo exempti, humero vno & vnanimi conſenſu Deo eſſent ſeruituri, præuaricatoribus debito mulctatis ſupplicio, prout idem expreſſit ad amuſſim Ieremias c. 16. v. 13. & ſeq.

CAPVT I.

1\. VERBVM DOMINI QVOD FACTVM EST. Verbum à viſione videtur diſtingui, quòd viſio ſit videntis Prophetæ, Verbum loquentis Dei. Itaque verbum eſſe factum nihil eſt aliud quàm factam eſſe reuelationem, vel etiam ſermonem à Deo ad Prophetam, Deo videlicet mentem eius prophetico lumine illuſtrante. Vnde ſubtiliùs quàm veriùs quidam per Verbum Dei, Filium intelligunt, qui Prophetas ſit allocutus. AD SOPHONIAM, &c. FILII EZECHIÆ. Regem Iudæ intelligunt quidam Hebræi, cuius Sophonias fuerit abnepos: Sed quia Scripturæ nullum Ezechiæ filium nominant niſi Manaſſem, neque veriſimile eſt ſilentio illam Prophetæ dignitatem fuiſſe prætermiſſam, genealogia iſta Hebræorum prorſus incerta eſt. Adde quod Epiphan. & Iſidor. Hiſpalenſis ex Tribu Simeonis oriundum fuiſſe velint, glorioſâ tamen maiorum ſtirpe progenitum: ad id fortè reſpicientes quod ex Hebræis adfert Hieronym. cuiuſcumque Prophetæ pater aut auus ponatur in titulo, ipſos quoque Prophetas fuiſſe: Vnde & Amos qui dixerat cap. 7. Non ſum filius Prophetæ, ſed armentarius ego ſum vellicans Sicomoros, patris nomen in titulo non habere.

2\. CONGREGANS CONGREGABO OMNIA A FACIE TERRÆ, id eſt, congregando vel carptim colligendo auferam omnia atque conſumam: quæ propriè verbi Hebraïci vis eſt: vnde ſæpè per auferre ab interprete vulgato transfertur. Geminatio autem hæc partim certitudinis rei futuræ, partim ip-

tenſæ ac vehementis actionis indicium eſt, tum hic, tum aliis Scripturæ locis, prout Ioſeph interpretatur Geneſis 4. quod Hebræis eſt familiariſſimum.

DICIT DOMINVS. Hoc frequentiſſimè etiam de eadem re inculcant Prophetæ, tum vt Domini authoritate vis verbis adderetur, tum maximè quia cùm Chriſto ſoli proprium foret ſpiritum haberet deſcendentem & manentem in ſe; à reliquiis autem Prophetis propter humanam fragilitatem & huius vitæ neceſſitates ſpiritus interdum recederet, vt intelligeretur ſe ſingulorum prolatione à ſpiritu Dei agi, ſicut hoc notauit Hieronym. in verſu 1. c. 35. Ezechielis lib. 11. comment.

4. DISPERDAM DE LOCO HOC RELIQVIAS BAAL, id eſt, id quod tot Prophetarum & piorum Regum Ezechiæ & Ioziæ zelus profligare non potuit, omnes illas idololatriæ reliquias vno momento per Nabuchodonoſ. exterminabo: quemadmodum Victor Vticenſis notat, Deum in vindictam vno die per Vvandalos Carthagine aboleuiſſe, quod Chriſtiani cócionando aliquot centenis annis non potuerant.

Fuit autem Baal propriè & primitùs Deus Aſſyriorum ſiue Babyloniorum, vt teſtatur Hier. in c. 2. Oſée, qui alio nomine Bel dicebatur ſiue Belus: quod Dominũ ſignificat. Hic Belus fuit pater Nini & veriſimiliter ipſe Nemrod, tyrannidis ac idololatriȩ incentor, à filio publica ſuperſtitione vt Deus cultus, vt docet ibidem Hier. & in v. 11. c. 13. Ezech. Ex quo nobis Idololatriæ cognitio & origo manauit, prout hoc teſtatur Cyrill. 3. in Iulian. circa finem. Fuit autem idem ille Belus communis ille gentium Saturnus, vel potiùs Iupiter: ſicut Aſtaroth, Iuno vt docet S. Aug. q. 6. in lib. Iudicum. Cùm autem Aſſyriorum Monarchia longè lateque diffunderetur, ſimul paſſim ſuperſtitio atque idola inuecta ſunt, vt Propheta Nahum c. 3. v. 4. de Niniue Aſſyriorum metropoli inſinuat. Hinc factum eſt, vt omnium penè orientalium dii, nomen ab iſto Belo ſeu Baal ſiue vt Hier. Aſſyrios legere dicit, Baal: Hebrȩos autem & Phȩnicȩs Bahal inſerta littera ע mutuati ſint, addito diſcrimine vel loci, vel idoli, vel alterius occaſionis, vt Baal berit, Beelphegor, Beelzebub. Sed peculiari cultu Baal & Aſtaroth ſibi Sidonii ac Tyrij vendicauerunt, vt teſtatur Ioſephus 9. Antiq. c.6. & ſatis indicat ipſa Scriptura 3. Reg. 16. Achab à Sidoniis propter vxorem Iezabel, cultum Baal in Samariam induxiſſe. Acceperunt eum Sidonii ab Aſſyriis: fortaſſis quòd, vt ait Seruius in 1. Æneidos, pater Didonis ex I. illo Belo genus duxerit. Ab illis ergo ad Iudæos propagatus eſt cultus Baal: in quem ſæpiſſimè Prophetæ inuecti ſunt. Cùm autem eſſet per Iehu ex Samaria & Iſraël exterminatus, & ædes eius in latrinas redacta, vt eſt 4. Reg. 10. ſexcennio aut circiter pòſt à Ioas Rege Iudæ, aræ & imagines eius deſtructæ ſunt in Ieruſalem: quod poſteà imitatus eſt Ioſias, vt eſt 4. Reg. 23. ſub quo vixit hic Sophonias. Sed ita tamen, vt reliquiȩ illius ſuperſtitioſi cultus, & ibi & alibi remanſiſſe vel reuixiſſe videantur, quas diſperdendas eſſe vaticinatur.

ET NOMINA ÆDITVORVM CVM SACERDOTIBVS. Quos hic *aedituos*, 3. Reg. 23. v. 5. noſter vertit *aruſpices*. Sunt ergo idololatriæ ſacrificolæ, templorum miniſtri atque cuſtodes, quos ſe eraſurum minatur vnà cum veris Dei ſacerdotibus: nam etiam in templo Domini, vt eſt 2. Paralip. 33. idolum & altaria fuerant collocata, Deum ſcilicet verum ſimul & idola venerantes: quam fuiſſe ſtatuam Baal docet Hieron. hic & alibi ſæpius.

5. ET EOS QVI ADORANT SVPER TECTA MILITIAM COELI, Solem, & Lunam, reliquorumque aſtrorum ſeriem inſtar militiæ ſiue inſtructi exercitus ordinatiſſimè præcedentium, quorum Luna ſubinde vocatur regina. Hinc idem verbum Deuteron. 4. verſ. 16. transfertur, *aſtra cœli*. Hæc igitur ſuper tecta, quæ plana in oriente erant, adorabant, vt eorum aſpectu liberius fruerentur. Cultum illum aſtrorum paſſim reprehendit Scriptura: quem & Ioſiam exterminaſſe teſtatur 4. Reg. 23. deleuit Ioſias eos qui adolebant incenſum Baal, & Soli & Lunæ & 12. ſignis & omni militiæ cœli,

Vbi cùm & equos Solis abſtuliſſe, & currum Solis igne combuſſiſſe dicatur, non eſt impoſſibile ritum etiam iuſtum ab orientalibus nempe Perſis ad ipſos manaſſe. Nam & Achas à rege Aſſyriorum qui Perſis finitimi ſunt, ſuperſtitioſum quendam cultum hauſiſſe ſtructo nouo altari, teſtis eſt Scriptura 4. Regum 16. Perſæ autem Solem nomine Mitræ coluerunt, & equos ei ſacrificarunt.

Et ivrant in Domino, et ivrant in Melchom, ſimul vtrique iuramento honorem deferentes, quaſi par eſſet in vtroque firmandæ veritatis auctoritas. Simile quid feciſſe Samaritas narrat Scriptura 4. Reg. 17. Melchom autem idem eſt qui Moloch, vt docet Hieron. in v. 9. c. 57. Iſaiæ: pro quo, inquit, LXX. ſolent transferre Melchom: Quod verum eſſe patet ex 3. Reg. 11. vbi idem idolum ter nominatur Hebraïcè, & quidem verſ. 5. & 33. vocatur Milchom, verſ. verò 7. Molech ſiue Moloch: vbi LXX. ſemper habent Melchom. Significat autem Regem; quo nomine ſummæ cauſa reuerentiæ ſuum idolum vocabant Ammonitę: nam Ammonitarum idolum fuiſſe, ex eodem 3. Reg. loco cit. & aliis perſpicuum eſt. Cuius cultui tantopere addicti fuerunt Iudæi, vt etiam in ipſo deſerto poſt egreſſum ex Ægypto eidem ſeruierint teſte S. Stephano Actor. 7. Quæ cauſa fuit, vt ſtrictiſſimè opus eſſet præcepto Leuitic. 20. ne quis filium ſuum immolaret per ignem, vt fieri ſolebat idolo Moloch, ſicut Achaz fecit 4. Reg. 16.

6. Et qvi avertvntvr de post tergvm Domini, abiecto eius cultu, quem ſemel ſuſceperat, ne eum amplius ſequantur.

Et qvi non qværiervnt Dominvm, quales ſunt illi, qui ex multa ſalutis incuria, nihil de rebus diuinis inquirunt.

Silete a facie Domini Dei. Hebręis eſt interiectio indicens ſilentium: cuiuſmodi reuerentiæ cauſa aduentanti principi ſolet indici. Hinc LXX. habent, Timete vel reueremini, q. d. profundo timoriſque pleno ſilentio Deum aduentantem expectate: ſequitur enim,

Qvia ivxta est dies Domini, captiuitatis ſcilicet duarum tribuum: qui eadem ratione dies Domini vocatur, quâ dies extremi iudicii; quòd videlicet in eo ſola Dei iuſtitia contra præuaricatores partes ſuas acturà ſit. Hunc propterea paulò pòſt vocat *diem hoſtiæ Domini* quam præparauit, ad quam *ſanctificauit vocatos ſuos*. Hæc hoſtia ſunt Iudæi, qui loco gratiſſimi diuinæ iuſtitiæ ſacrificii & hoſtiæ erant immolandi. Sacerdotes huius victimæ offerendæ ſimul & conuiuæ futuri erant Chaldæi: qui propterea *vocati* ſiue inuitati dicuntur & *ſanctificati*, id eſt, vt exponit Theodoret. ſeparati ſiue per peculiarem electionem à Deo præparati, vt gladiis eorum hęc hoſtia iuguletur. Sicuti enim impiorum cædes dicitur Domini ſacrificium, ſecundùm illud Iſaiæ, Victima Domini in Boſra, eò quòd eorum interfectio perinde habeatur ac publicum, quo terra expiatur ſacrificium; ita qui illam exequuntur, ſerui Dei ſanctificari & vocati dicuntur.

Visitabo svper principes, et svper filios Regis. Viſitare eſt punire ſeu animaduertere, ſecundùm illud Pſal. Viſitabo in virga iniquitates eorum. Per filios autem Regis, ſcilicet Ioſiæ, intelligit vel poſteros eius; nam vt eſt Ieremiæ 52. v. 10. Iugulauit Rex Babylonis filios Sedeciæ (nepotes Ioſiæ) in oculis eius, ſed & omnes principes Iuda occidit in Reblatha: vel ipſos veros Ioſiæ filios, Ioachaz quem regno ſpoliatum Pharao in Ægyptum abripuit, Ioakim & Sedeciam quos in Babylonem abductos eſſe teſtatur 2. Paralip. cap. vlt. Non addit autem, Viſitabo ſuper regem quia ille ſanctus & pius iram Domini non merebatur, nec mala Ieruſalem ſecundùm prophetiam 4. Reg. 22. erat viſurus.

Et svper omnes qvi indvti svnt veste peregrina, per quam peregrinarum gentium ſuperbum ac varium cultum æmulabantur, ita vt non ſolum veſtitu, ſed moribus eis ſimiles redderentur, quod Iudæis feciſſe inſinuat Ezech. cap. 23. verſu 12. & 2. Machab. cap. 4. Poſt minas ergo principibus intentas, reliquæ aulæ cuius hoc proprium eſt vitium, comminatur.

9. Et visitabo svper omnem qvi ar-

ROGANTER INGREDITVR SVPER LIMEN, id eſt, ſuperbos & opulentos in Sion, qui, vt inquit Amos c. 6. pompaticè ingrediuntur domum Iſrael, quam implent intereà rapinis & hypocriſi.

10. ET ERIT VOX CLAMORIS A PORTA PISCIVM, per quam piſces à mari & occidente inferebantur: docebat enim iſta teſte Hier. Dioſcolim & Ioppen vt mari vicinior. ET VLVLATVS A SECVNDA, ſupple, portâ ſecundi muri, vel à ſecunda ciuitate, in qua dicitur habitaſſe Holda Prophetes 4. Reg. 22. Antiquitùs enim Ieruſalem duobus muris cingebatur, vt ex 2. Paralip. 32. v. 7. colligitur ita vt duæ conſtituerentur ciuitates, quarum prima continebat arcem & templum, ſecunda verſus Aquilonem vergens, reliquam complectebatur ciuitatem. His duobus muris, populi augeſcente multitudine, Agrippa tertium adiecit, qui tertiam ciuitatem comprehenderet, mercatorum officinis deſtinatam, vt teſtatur Ioſeph. 6. de bello Iudaïco cap. 6. Prædicit itaque ab illis portis vlulatum oriturum propter hoſtium ingreſſum: nam per portam mediam quæ fuit in muro illo ſecundo Chaldæos ingreſſos eſſe, imò & Romanos illac irrepuiſſe, teſtes ſunt Ieremias c. 39. v. 3. & Ioſeph. 6. belli Iud. c. 10. Reliqua enim vrbis pars, ab occidente, oriente & meridie, etſi tantùm vno muro cingeretur, propter abruptas tamen rupes valleſque profundas inexpugnabilis erat.

ET CONTRITIO MAGNA, ſiue ingens calamitas orietur, A COLLIBVS, quia Nabuſardam domum Domini & omnem domum magnam Ieruſalem, proinde & arcem Sion, incendet: Templum autem Domini & arcem duobus collibus ædificata fuiſſe, qui ſuperiorem ciuitatem contineret, teſtis eſt ibidem Ioſephus cap. 6.

11. VLVLATE HABITATORES PILÆ, id eſt, mortarii, vt Hebr. eſt: per quod communiter poſt Ierem. accipitur vallis Sion, ſiue vallis quæ inter Sion & vrbem interiecta erat, profunda inſtar mortarii, in quam vt Ioſeph. creberrimæ domus deſinebant. Sed quia LXX. tranſtulerunt, conciſam, id eſt, contuſam explicantes clarius quo ſenſu hîc pila ſiue mortarium capiatur, veriſſimilius videtur vlularum indici habitatoribus Ieruſalem ex vaſtita reliquis, quia vi Chaldaïci exercitus deſtructa, exuſta, & in rudera conuerſa, quaſi in mortario erat confracta atque contuſa, prout innuit Cyrill. atque Theod. Hinc ſequitur, CONTICVIT, Hebr. quia conticuit præ mœrore ſcilicet & gentis excidio, POPVLVS CHANAAN, id eſt, Iudæi perditiſſimis moribus, facti ſemen Chanaan & non Iuda, cuius pater Amorrhæus, & mater Hethæa, vt ait Ezechiel cap. 16. Ita vt ſit ratio præcedentis. DISPERIERVNT OMNES INVOLVTI ARGVMENTO, quo ſe tamquam muro munitos tutoſque fore arbitrabantur.

12. ET ERIT IN TEMPORE ILLO: SCRVTABOR IERVSALEM IN LVCERNIS, curioſiſſimè per Chaldæos iuſtitiæ executores indagnans ne quis elabatur. Cuiuſmodi ſcrutationem per cloacas & ſepulchra ad litteram eſſe factam à Romanis capta Ieroſolyma teſtatur Ioſephus lib. 7. cap. 17. Nam etiam de hac captiuitate hæc intelligit Hieron. vtpote quam Babylonica præfigurabat.

ET VISITABO SVPER VIROS DEFIXOS IN FÆCIBVS SVIS, id eſt, diuitiis ſuis incumbentes inſtar vini non transfuſi de vaſe in vas, vel etiam qui in peccatorum ac ſordium ſuarum vina demerſi ſunt.

QVI DICVNT IN CORDIBVS SVIS, quia quamuis vitâ eſſent teterrimi, non audebant tantam impietatem profiteri. NON FACIET BENE DOMINVS, ET NON FACIET MALE, id eſt, tollentes prouidentiam, nec boni, nec mali Deum eſſe auctorem dixerunt, ita ſcilicet vt nec bonis bona, nec malis mala redderet, ſed omnia caſu ferrentur incerto.

13. ET ERIT FORTITVDO EORVM, id eſt, vires exercitûs, diuitiæ quas enumerat & quibus ſibi fortes eſſe videbantur, IN DIREPTIONEM.

14. VOX DIEI DOMINI AMARA. Diem Domini, id eſt, captiuitatis Chaldäicæ, itémque Romanæ ſecundùm Hieron. particulatim depingit: cuius quaſi præſentis amaras voces & eiulatus perdentium &

pereuntium iam ſibi Propheta audire videbatur. Hęc dies vocatur.

15. DIES TENEBRARVM ET CALIGINIS, id eſt, triſtiſſima: lux enim atque ſplendor hilaritatem ſolet afferre: de quâ die Hieron. Quid, inquit, neceſſe eſt nunc deſcribere., quantas in vtraque captiuitate ſuſtinuerint calamitates? legamus Ioſephum, & Prophetiam Sophoniæ; illius cernemus hiſtoriam. Hæc autem omnia longè veriſſima ſunt, ſi ad diem Domini nouiſſimum vtraque captiuitate figuratum referantur.

17. AMBVLABVNT VT CÆCI, propter magnitudinē preſſuræ, quod acturi ſunt ignorātes: idq; QVIA DOMINO PECCAVERVNT.

18. IN IGNE ZELI EIVS DEVORABITVR OMNIS TERRA, id eſt, in ira Domini ſiue zelo inſtar ignis ſæuiente tota Iudæa vaſtabitur. Porrò zelum vocat, vt amantem adhuc Dominum intelligeremus.: nam vt notat Hieronym. niſi amaret, numquam zelaretur, nec in ſimilitudinem mariti peccatum vlciſceretur vxoris.

CAPVT II.

1. CONVENITE, CONGREGAMINI GENS NON AMABILIS: q.d. etſi mihi ſitis inuiſi & amore indigni, pace tamen & charitate ſociati in vnam Eccleſiam confluite, vt, quemadmodum loquitur Tertull. in Apolog. c. 40. ieiuniis aridi, & omni continentia expreſſi, in ſacco & cinere volutantes, inuidiâ cœlum tundatis., Deum tangatis, & miram extorqueatis pœnitentiam. Ad quam hic poſt grauiſſimas minas Propheta prouocat. Vt oſtenderet, inquit Hier. ſe noluiſſe inferre ſupplicium, ſed tantum terrere paſſuros: timentibus enim veriſimile erat ſe faciliùs perſuaſurum.

2. PRIVSQVAM PARIAT IVSSIO QVASI PVLVEREM TRANSEVNTEM DIEM, id eſt, antequam præceptum Dei adducat diem prędictum captiuitatis, qui videlicet ira facilè & repentè adueniet, quaſi puluis pertranſiens magno ventorum turbine excitatus.

3. QVÆRITE IVSTVM, QVÆRITE MANSVETVM, id eſt, iuſtitiam & manſuetudinem, quæ indifferenter in Hebræo pro humilitate ſumitur: Has, inquam, quærite, ſi quomodo iuſtitiæ veſtræ merito diem illum poſſitis euadere. Iuſtorum autem hic peculiariter preces expoſcit, non peccatorum, quia illorum eſt aſcendere ex aduerſo in prœlio, in die Domini.

4. QVIA GAZA DESTRVCTA ERIT, &c. Alii aliis modis hæc verba connectunt præcedentibus. Veriſimilius videtur quod ſentit Hieronym. explicari quatenus Domini eſt furor futurus, qui nempe inuictas & minutiſſimas etiam Palæſtinorum ciuitates euerſurus ſit. Quod pulchrâ admodum paronomaſiâ nominis Gaza & Aſcalon Hebraïcè exponitur.

AZOTVM IN MERIDIE EIICIENT, quia palam & apertâ vi in captiuitatem trahent. Erant autem 5. Palæſtinæ ciuitates munitiſſimæ, totidem Satrapiarum metropoles, Gaza, Accaron, Azotus, Aſcalon & Geth, quæ à perpetuis Iudæorum hoſtibus tenebantur: de quibus ſubiungit:

5. VÆ QVI HABITATIS FVNICVLVM MARIS. Palæſtinos intelligit ſeu Philiſtæos, qui ab Ægypto vſque ad Ioppe littus maris magni ſeu mediterranei incolebant: Quæ regio funiculus ſeu plaga maris vocatur, quòd funiculis veluti menſuris ſortes agrorum diuiderentur. Hinc paulò pòſt vocantur Chanaan & terra Philiſtinorum quæ erat pars Chananeæ.

GENS PERDITORVM, qui perdere atque interficere alios ſolebatis. Hebr. gens Cerethim: quod Hier. hîc vertit, perditores, & Ezech. 25. interfectores. Ex quo vtroque loco manifeſtum eſt omnes Palæſtinos Cerethim appellari, nomine videlicet illis gentibus non proprio, ſed appropriato ex eo quòd bellandi & interficiendi ferociâ excellerent. Vnde ſignificatio illius vocis etiam ad alios poteſt extendi. Putant nonnulli Cerethim paruam Palęſtinæ partem fuiſſe: probantes ex 1. Reg. 3. v. 14. vbi Amalechita ait: Erupimus ad Auſtralem partem, Cerethim: Vbi, inquiunt, intelligitur ſeu exprimitur pars Auſtralis Palæſtinæ. Sed contra hoc eſt, quod ibid. v. 16. explicatur generaliter pro Palæſtinis. Hinc dicta eſt legio Dauidis Cerethi, ſiue quòd eſſet ex regione Philiſtinorum ab ipſo conſcripta, cum

ibi habitaret, vt aliqui ex 1. Regum 27. & 2. Reg. 15. colligunt, ſiue quod veriſimilius eſt & ſancto Hieronymo in caput 25. Ezech. placet, quòd eſſent interfectores, id eſt, milites præſtantiſſimi. Nam eædem legiones etiam ſubactis ac domitis Palæſtinis durarunt 200. poſt annis, vt ex 4. Reg. 11. patet, cùm tamen tunc ſub ditionem Ieroboam & Regum Iſraël eſſent redacti. Nec veriſimile eſt alienigenis militibus ad corporis cuſtodiam Dauidem & Reges Iuda vſos fuiſſe; cùm ipſi Iudæi militia & fidelitate præſtarent. Nec vllus ex tot fortiſſimis viris qui recenſentur 2. Reg. cap. 23. & 1. Paralipom. 11. legatur fuiſſe Philiſtæus. Sic etiam altera legio Pheleti, non conſtat fuiſſe alicuius determinatæ gentis, etſi diuinando hoc etiam quidam exiſtiment; ſed dicta eſt Pheleti à pala פלא, id eſt, mirabilem vel potiùs פלה, id eſt, ſeparare: quòd eſſent milites virtute & robore mirabili, & ſeparati ac ſelecti à cæteris. Ex quo patet ſine fundamento quemdam dixiſſe Cerethi fuiſſe lictores qui noxios perderent, Pheleti qui nocentes tuerentur. Conſtat enim integras fuiſſe legiones, imò corporis cuſtodes ex 3. Reg. 1. & Ioſepho 7. Antiquit. cap. 11. Multò abſurdius quod alii volunt, fuiſſe conſiliarios conſilii סנדרין

6. Et erit funiculus maris requies pastorum, id eſt, hæc maritima plaga ita vaſtabitur, vt loco cultarum vrbium pecudes ibi requieſcant & caulæ extruantur.

7. Et erit funiculus eius qui remanserit de domo Iuda. Hebr. clariùs; Et erit regio reſiduo ſiue reliquiis domus Iudę. Quo ſignificatur Palæſtinam etſi ſemper Iudæis infeſtiſſimam, ceſſuram in partem eorum qui poſt cladem Babylonicam, in primam reuerſi ſunt, ablata vt ſequitur captiuitate. Hoc autem impletum ſecundùm Theodoret. ſub Machabæis, qui multas ciuitates maritimas, Gazan, Aſcalonem, Ptolemaïdam, vi ceperunt.

In domibus Ascalonis ad vesperam requiescent. Quo ſignificatur magna vaſtitas Aſcalonis & Palæſtinæ, ita vt ſcilicet in domibus ſolo æquatis herbæ creſcant, & pecudes ibi poſſint requieſcere: de qua vaſtitate; inquit Hieronym. in caput 23. Iſaiæ, legamus Græcorum hiſtorias, & maximè eorum qui Aſſyriæ gentis bella deſcribunt, ibique reperiemus poſt captiuitatem Ieruſalem Palæſtinos & Arabes & Damaſcenos ac proinde Ægyptios fuiſſe ſubuerſos.

8. Et magnificati svnt svper terminos eorvm, id eſt, ſecundùm phraſim Hebr. in Scripturis frequentem, magnificauerunt os vel linguam ſuam, id eſt, magnificè ſuperbéque locuti ſunt ſuper terram Iſraëlis. Quid autem dixerint, pulchrè declarat ſimili planè phraſi Ezechiel. c. 35. v. 10. & ſeqq. Inſurrexiſtis ſuper me ore veſtro, & locutus eſt de montibus Iſraël, dicens: Deſerti, nobis ad deuorandum dati ſunt, &c. Duæ gentes & duę terrę meæ erunt, hæreditate poſſidebo eos. Vnde qualem ibi vltionem Idumæis intentat, eò quòd inſultaſſent calamitatibus Iſraëlis, talem & hîc Ammonitis & Moabitis minatur: quòd videlicet

9. Vt Sodoma ervnt, et Gomorrha, id eſt, quòd euertentur penitus atque in deſertum redigendi ſunt: non enim in modo fit comparatio, quaſi igne & ſulphure eſſent obruendi. Nam ſimili phraſi dicit Amos cap. 4. de ipſis Iſraëlitis: Subuerti vos, ſicut ſubuertit Deus Sodomam & Gomorrham, & facti eſtis quaſi torris raptus ab incendio.

Siccitas spinarvm, et acervi salis, id eſt, Ammonitarum terra deſerta atque infœcunda erit: Per ſalis enim aceruos terra exuſta ſterileſcit: Spinæ verò non modo creſcentes; ſed vſque ad ſiccitatem derelictæ, ſummæ ſolitudinis ſunt argumentum. Atque hoc eſt quod interpretando ſubiungit: Desertvm vsqve in æternvm, id eſt, vſque ad longum tempus. Factum eſt autem iſtud quinquennio circiter ab excidio Ieroſolymæ, cùm à Nabuchodonoſore Moabitæ & Ammonitæ inuaſi ac domiti ſunt, vt teſtis eſt Ioſeph. 10. Antiquit. capite 11. poſtquam captiuitatem perpetuò Babylonis, Perſis, Græcis, ac denique Romanis ſeruierunt.

ponſionem ac quæ relam à Propheta propoſitam, & planè ſimilem illi quæ eſt Pſal. 71. Exiſtimabam vt cognoſcerem hoc: labor eſt ante me, donec intrem in ſanctuarium Dei, & intelligam in nouiſſimis eorũ.

4. Ecce qvi incredvlvs est. Paulus ad Hebr. 10. quaſi exponens poſuit, Quòd ſi ſubtraxerit ſe, ſcilicet à Deo per incredulitatem, hac pœna mulctabitur, quod anima eivs non erit recta in semetipso, ſed iniqua & diſtorta, quia Deo diffidit, & maximè quia ſi hæc de Chriſti aduentu ad iudicandum non crediderit, iniqua putabit eſſe Dei iudicia, propter diuinæ prouidentiæ ignorantiam. Et hoc eſt quod Apoſtolus eodem ſenſu dixit, Non placebit animæ meæ Deo enim nulla niſi recta anima, placet.

Ivstvs avtem in fide sva vivit. Quia & hac promiſſionis diuinæ fide, in præſenti vita iuſtitiæ vita viuificabitur, ſicut & Abraham fide iuſtificatus eſt ac tandem per eandem fidem vitam ęternam conſequetur. Hic genuinus videtur eſſe ſenſus Prophetæ; ac proinde reiiciendi qui per priorem partem. Nabuchod. vel Iudæorum Chaldæis ſe tradere cum Sedecia nolentium, putent ſignificari ſuperbiam: poſteriore verò per iſtam prædictionis fidem, vitam, id eſt, conſtantiam contra ærumnas eſſe conſequendam. Nam cum tribus locis Apoſtolus hæc de vera fide veroque coram Deo iuſtificatione intelligat quòd non ex operibus legis, ſed ex fide hauriri ex hoc loco docet, neceſſe eſt idem à Propheta ſignificari. Oſtendit ergo Propheta generaliter vim fidei atque infidelitatis, quod hæc diuinam offenſam, illa vitam iuſtitię atque æternam conciliet; idque non tantum tempore & reſpectu huius vaticinii locum habere, ſed in primis tum quando auctor ille fidei qui venturus erat, veniſſet, quem tunc reuelatum omnis fides reſpicere deberet. De Chriſto enim eſſe prophetiam perſpicuam, pręter Hieron. Cyril. Iſid. Hiſpal. aliosque ipſe Apoſtolus ad Hebr. 10. clarè teſtatur. Neque tamen hinc inferas, ſolâ fide iuſtitiam eſſe adipiſcendam, quemadmodum nec ſolâ ſpe cùm dicitur, In te Domine ſperaui, non confundar &c. nec ſolâ inuocatione; dicente Apoſtolo ad Roman. 10. Omnis quicumque inuocauerit, ſaluus erit: Sed per has & ſimiles ſcripturas vim cuiuſque virtutis & neceſſitatem inſinuantes, ſuppletur ſcriptura, quę dixit, Iuſtus ex fide viuet: ſicut & illa, Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. Scripturæ itaque pro occurrentia perſonarum & temporum, vel hanc, vel illam virtutem commendant, eique iuſtificationem aſſcribunt. Nam inter fideles Dauid frequentiſſimè inculcabat ſpem. Apoſtolus inter gentes ſolis legis operibus pręfidentes, fidem in Chriſtum: quod eò potiori ratione de fide dicitur, quòd fides omnis planè iuſtitiæ ſit fundamentum, nec vllus actus, neque vllum opus, neque vllus vel tenuiſſimus motus quo iuſtitiam vel vitam ęternam mereamur, ſine præeunte fide haberi poſſit; & quia ſic in fide tamquam fundamento, radice & ſemine, tota iuſtitia & vita ęterna contineatur.

Quia autem dixerat Propheta, in fine appariturum illum qui omni iniquitati iuſtorumque oppreſſioni iuſtam redderet mercedis retributionem; ne quis tamen exiſtimaret omnia ita in poſterum reſeruari vt in hac vita Deus nullas in impios iuſtorum oppreſſores vindictę ſuę ſcintillas immitteret, ſubiungit, Chaldaïci imperii quod Iudæos acriter vexerat, breui ignominioſam ſubuerſionem imminere. Vnde ait:

5. Et qvomodo vinvm potantem decipit, quia ſuauitate ineſcatus creſcente per vini calorem ſiccitate, faucibus ſe plenis magis magiſque ingurgitat; cuius tamen omnis exhilaratio mox vertitur in fabulam, inſaniam & ruinam: sic erit vir svperbvs. Veriſſimum eſt enim illud Sapientis Prouerb. 29. ſuperbum ſequitur humilitas. Sedes enim ducum ſuperborum deſtruxit Deus & ſedere fecit mites pro eis, Eccleſ. 10. Et non decorabitvr, ſed cum ignominia decore & imperio ſpoliabitur, quemadmodum Daniel tum in ipſo Nabuchodonoſore capite 4. tum in poſteris capite 5. id factum eſſe teſtatur. Per figuram ergo

ſcripturis

ſcripturis familiarem, plus ſignificatur quàm dicitur: vt 1. Reg. 12. Nolite declinare poſt vana, quæ non proderunt vobis, id eſt, exitium afferent.

QVI DILATAVIT QVASI INFERNVS ANIMAM SVAM, inſatiabili videlicet cupiditate vniuerſum orbem ſubigendi: qui locus ex Prouerb. 27. ſumptus videtur, vbi hoc explicando dicitur, Infernus & perditio, ſiue mors numquam implentur.

6. NVNQVID NON OMNES ISTI, tyrannide videlicet tuâ olim oppreſſi, ac tandem liberati, PARABOLAM SVMENT ET LOQVELAM ÆNIGMATVM. Nomen apud Hebræos parabolę reſpondens, à verbo deducitur quod dominari & authoritate excellere ſignificat: ex quo factum eſt, vt nomen illud Hebræum ſignificet parabolam, prouerbium & omne ſcitè dictum, ſiue ſit parabola, id eſt ſimilitudo, ſiue adagium propriè dictum, ſiue quiuis figuratus ac proinde obſcurus ſermo eò quòd in oratione illuſtris ſit atque emineat, ſuaque authoritate vulgus teneat admiratione captiuum. Hinc ita vocantur Parabolæ Salomonis, etſi ſæpè non ſint parabolæ propriè dictæ, ſed graues tantùm & obſcuræ ſententię. Hæc ænigmatica obſcuritas, quia carminibus & elegiis lugubribus familiaris eſt, vt ex toto threnorum libro perſpicuum eſt, hinc parabola & ænigma pro tali carmine obſcuro ſimilitudinibus redundante, ad deplorandam calamitatem vel irridendam ſuperbiam non rarò vſurpatur: maximè quia olim graues ſententiæ vix ſine ſimilitudinibus & inuolucris paraboliſque propriè dictis proponebantur, vt ex ſententiis Pythagoræ, fabulis Æſopi, & ſimilibus manifeſtum eſt. Hinc Iſaias capite 14. Sumes parabolam iſtam contra regem Babylonis: Quomodo ceſſauit exactor &c. Et Michęæ 2. Sumetur ſuper vos parabola & canticum: Vbi parabola per canticum videtur explicari more Scripturę idem repetentis. Sic ergo & hîc variis & obſcuris ſimilitudinibus atque allegoriis quaſi parabolis, tyranni ſuperbia & inſatiabilis cupiditas irridetur. VÆ EI QVI MVLTIPLICAT NON SVA, opes, videlicet iniuſtas corradens. VSQVEQVO ET AGGRAVAT CONTRA SE, hoc eſt, in perniciem ſuam, DENSVM LVTVM? Per quod ſecundùm Hieron. & Gregor. 34. Moral. cap. 8. terrenarum diuitiarum multiplicitas deſignatur, maximè quando magnâ facilitate corraditur inſtar luti, ſecundùm illud Zachariæ 9. Tyrus coaceruauit argentum quaſi humum, & aurum vt lutum platearum: & Iob. 27. Si comportauerit quaſi terram argentum, & ſicut lutum præparauerit veſtimenta, &c. Denſum autem abſolutum aggregat, quia vt ait ibidem Gregor. peccati ſui ſe oppreſſione coanguſtat: atque in primis, quia ex alienarum rerum poſſeſſione emergere & expedire ſe homines difficilè poſſunt.

7. NVMQVID NON REPENTE CONSVRGENT QVI MORDEANT TE? Medi ſcilicet & Perſæ, vt hîc paſſim intelligunt: qui minoribus imperium Chaldaïcum prœliis primò laceſſiuerunt, poſteà lacerarunt. Medis & Perſis alii populi ex vaſtatione Nabuchodonoſoris reliqui, præ odio tyrannidis eius, ſe coniunxerunt ad ſubuertendos Babylonios. Non deſunt tamen qui per *reliquos de populis* ipſos Medos & Perſas intelligunt, eò quòd numquam à Babyloniis fuiſſent perdomiti, quamuis in Mediæ fines Aſtyage ſuperſtite ſubinde populabundi magis quàm more belli inuolaſſent. Repente autem conſurrexerunt, quia Babylon, teſtibus hiſtoricis, aſtu capta eſt, feſtum agentibus Babyloniis, fluuioque ſiccato. Hoc autem euenit eis,

8. PROPTER SANGVINEM HOMINIS &c. id eſt, propter immanes cædes in primis Iudæorum: propter iniurias illatas TERRÆ Iudaicę CIVITATIS Ieruſalem & habitatorum eius. Ita ferè Hieron.

9. VÆ QVI CONGREGAT AVARITIAM, id eſt, opes, auaritiæ materiam ac fomentum, quemadmodum Rex Babylonis fecit: nam etſi verba ſint generalia, illum tamen omnia vt ſcopum ſpectant. VT SIT IN EXCELSO NIDVS EIVS, ne facilè à conſcendentibus ſpolietur. Quo ſignificat, omnium nationum diuitias Babylone fuiſſe congeſtas, vt velut arx tutiſſima à nemine

poſſit expugnari. Ex quo factum eſt, vt cùm teſte Ioſepho 10. Antiq. c. 12. Babylonem Nabuchodonoſor magnificentiſſimè inſtruxiſſet apud Danielem veluti de nido in excelſis poſito gloriaretur: Nonne hæc eſt Babylon magna quam ego ædificaui in domum regni? &c.

10. Cogitasti confvsionem domvi tvæ: quia qui ædificat domum & imperium ſuum impendiis alienis, quemadmodum qui colligit lapides ſuos in hyeme, id eſt, ædificat infirmam & propter temporis incommoditatem diſſoluto cęmento certiſſimæ ruinæ proximam. Quæ confuſio tibi continget: quia concidisti popvlos mvltos. Hebraicè, concidendo & interficiendo populos multos.

11. Qvia lapis de pariete clamabit, editoque clamore raptoris re tabitur iniuſtitiam: et lignvm qvod inter ivnctvras ædificiorvm est, id eſt, trabes ad continendos, parietes in medio ſtructuræ collocatę respondebit, clamoribus videlicet lapidum vindictam expoſtulantium aduerſus iniquum ædificii ſcilicet Babylonis dominum ac ſtructorem: Quæ per poëticam Proſopopœiam dicuntur, ad exaggerandam iniuſtitiam Chaldæorum. Vnde ſubiungit quaſi explicationis cauſa:

12. Væ qvi ædificat civitatem in sangvinibvs: cædibus videlicet & rapinis, tyrannide & iniuſtis oppreſſionibus parans ei imperium & vires.

13. Nvnqvid non hæc, quæ mox dicturus ſum, svnt illi ſuperuentura a Domino exercitvvm? Nemini autem dubium eſt, inquit Hier. adhuc contra Regem Babylonis eſſe ſermonem. Quæ autem interminatus eſt, hæc ſunt:

Laborabvnt enim popvli, Chaldæi in mvlto igne, extinguendo ſcilicet incenſa Babylone, vt quidam intelligunt. Sed quia in Hebr. eſt laborabunt in ſufficientiam ignis, rectiùs intellexeris ſignificari omnes labores diuitiaſque Chaldæorum & Babylonis eo fine terminandas, vt quaſi pyra ſtruatur, vt conflagratione conſumantur. Hunc ſenſum planè requirit Ierem. qui cap. 51. de eadem Babylone loquens, iiſdem verbis Hebraïcis vtitur quæ vulgaris interpres ſic tranſtulit: portæ eius excelſæ igne comburentur, & labores populorum ad nihilum, & gentium in ignem erunt & diſperibunt.

14. Qvia replebitvr terra, &c. qvasi aqvæ operientes mare id eſt, magnâ copiâ inundantes in alueum maris: niſi malis intelligere, prout eadem planè verba Hebraïca explicuit Iſaias c. 11. Sicut aquæ maris operientes, id eſt, vbique iuſtiſſima Dei prouidentia & ſcelerum Chaldaïcorum vltio cognoſcetur, ſicut cùm aquæ maris magno impetu & copiâ ſe in terram diffundunt. Quibus verbis tenditur paulatim ad ſcopum totius Prophetię, ſignificans non impunè viam impiorum ad tempus proſperari.

15. Væ qvi potvm dat amico svo, &c, id eſt, væ ei qui calicem felle mixtum amicis ſiue illis qui nihil ſe læſerunt, propinat, vt inebrientur & ad nuditatem vſque ignominioſè ſpolientur. Propinare autem aliqui talem calicem ex phraſi ſcripturæ nihil eſt aliud quàm grauiſſimas iis calamitates & perniciem inferre: bibere verò eſt illa perpeti. Hinc Ierem. cap. 25. de eodem illo calice Babylonis clariſſimè, Sume, inquit, calicem furoris huius de manu mea: & propinabis de illo cunctis gentibus. Et bibent, & turbabuntur, & inſanient à facie gladij: Et capite 51. Calix aureus fuit Babylon in manu Domini, inebrians omnem terram: de vino eius biberunt gentes, & ideo commotæ ſunt. Et ne longè quæramus interpretem, hoc ipſo loco poſtquam dixiſſet Propheta,

16. Repletvs est ignominia pro gloria, in vindictam ſcilicet iuſtiſſimam in ſolentiæ, ſtatim hoc exponens, & in metaphora calicis perſiſtens, addit: Bibe tv qvoqve, et consopire, id eſt, bibes de ſuppliciis, & ſopieris morte ſempiternâ: ſecundum quod Ieremias clarius idem exponit: Inebriabo principes eius & fortes eius: & dormient ſomnum ſempiternum. Circvmdabit te calix dexteræ Domini, quem Dei dextera tibi vindictâ & ſuppliciis plenum propinabit vſque ad ſe-

ces exhauriendum: ET VOMITVS IGNOMINIÆ, ſiue ignominioſus quo Dominus eiiciet, ſiue euomere te faciet omnes diuitias, vaſa templi, ſpolia quæ abſorbueras, de ore tuo, vt loquitur Ierem. c. 51. verſ. 44. idque SVPER GLORIAM TVAM, hoc eſt loco gloriæ quaſi te olim circumdedit.

Quia ergo eadem Nabuchodonoſor paſſurus deſcribitur, quæ alios pati fecit: hinc liquet tamquam fabulam eſſe reiiciendam Hebræor. traditionem quam narrat Hier. & fortaſſis ex ipſo Cyrillus, quòd Nabuchodonoſor potionem dederit Sedechiæ in conuiuio, quo cùm ipſum inebriaſſet, omnibus nuditas & ſordes illis riſui fuerint.

17. QVIA INIQVITAS LIBANI OPERIET TE, &c. Libanum templum vocat Salomonis ſecundũ Hier. tum hîc, tum in illud Zachar. 11. Aperi Libane portas tuas: eò quod ex cedris Libani eſſet extructum: niueoque candore, quo teſte Ioſepho 6. de bello Iudaïco c. 6. candicabat, Libanum referret. Theodoretus Ieruſalem ipſam intelligit, itemque Cyrillus in hoc loco, quibus & Euſebius 8. dedemonſtrat. Euangelica conſentit. Iniquitas ergo ſiue crudelitas quam in Ieruſalem & templum exercuiſti, in caput tuum deuoluetur. Et quia ſemel nominauerat montem Libanum, ſub eiuſdem tranſlatione victimas & ſacrificia, vel certè multitudinem populorum, quæ in Ieruſalem interfecta eſt, animalibus comparans, VASTITAS, inquit, ANIMALIVM, id eſt, hominum vaſtatio & trucidatio, DETERREBIT EOS, ſiue terrorem Chaldæis iniiciet, idque DE SANGVINIBVS HOMINVM, id eſt, propter cędes Iudęorum, & iniuſtitias terrę Iudaicæ ac ciuitati Ieruſalem illatas & hoc eſt quod ſine metaphora clariùs dicit Ierem. c. 51. Reddent Babylonii omne malum quod fecerunt in Sion: & c. 50. Vt annunciant vltionem Dñi Dei noſtri, vltionẽ templi ſui.

18. QVID PRODEST SCVLPTILE ET CONFLATILE, &c. Sculptile, inquit Hier. ex ligno & lapide; conflatilia ex auro, ære cęteriſque metallis fiunt. Irridet hîc ergo in primis Chaldęorum vanitatem, quòd lignis lapidibuſque ab imminente calamitate ſe tutos fore arbitrarentur. Hinc clariùs huius prophetiam quaſi interpretans Ierem. cap. 50. v. 2. Capta eſt, inquit, Babylon confuſus eſt Bel, confuſa ſunt ſculptilia eius, &c.

19. NVMQVID IPSE DOCERE POTERIT, quid ſcilicer agendum, quid cauendum ſit? His ergo vanis opponitur quod ſequitur:

20. DOMINVS AVTEM IN TEMPLO SANCTO SVO: quod exponens Pſaltes, cùm iiſdem verbis dixiſſet, Dominus in templo ſuo, adiecit, Dominus in cœlo ſedes eius. SILEAT A FACIE EIVS OMNIS TERRA, vt profundiſſimo quodam admirationis ac reuerentiæ ſilentio prouidentiam eius ſuper bonos & malos, ac mirabilem in perſequenda impietate iuſtitiam, quam etiam in hac vita exercuit, pertimeſcat.

CAPVT III.

IVdæorum è Babylonica captiuitate liberatio, quemadmodum ſalutationis omnium iuſtorum exemplar fuit; ita & Chaldæorum, de quo ſuprà excidium, generalem in omnes impios vltionem per Chriſtum exercendam præfigurauit: ad quem proinde opportunè hîc tranſit, vt ſic querelæ propheticæ ſupra dictæ omni ex parte ſatisfiat. De Chriſto enim hîc agi conſentiunt veteres, Cyrillus, Theod. Aug. 18. de Ciuit. Dei c. 32. & ali. Vnde Hier. manifeſtiſſimam prophetiam de Chriſto appellat. Quod eſt contra recentiores nonnullos, qui hæc de Iudæorum ex captiuitate Babylonica liberatione intelligunt; quorum expoſitiones multùm inter ſe diſſonæ, frigidæ & inconſtantes ſunt: ita vt hoc ipſa veteribus atteſtentur. Nec obſtat quòd dicatur allegoricè poſſe prophetiam de Chriſto conſiſtere; quia vt rectiſſimè docet Hier. in verſ. 10. cap. 1. Malachiæ: Regula eſt Scripturarum, vbi manifeſtiſſima prophetia de futuris texitur, per incerta allegoriæ non eſſe extenuanda quæ ſcripta ſunt.

ORATIO HABACVC PROPHETÆ

Pro ignorantiis.

ORatio hæc eſt magna, ex parte prophetica inſtar epici carminis & pſal-

terii, id eſt, lyrico more compoſita, vt docet, hoc loco Hieron. Vnde LXX. tranſtulerunt, Oratio cum cantico. Per ignorantias autem peccata populi & Prophetæ intelligenda ſunt: qui orat ne incarnationis Dominicæ & aduentus eius myſterium iam antè ſibi cap. ſuperiore promiſſum impediat, vt ita iuſti à malis omnibus liberentur.

2. DOMINE AVDIVI AVDITIONEM TVAM, id eſt, famam obſcuriorem de te audiui, cùm mihi ſuperiùs reuelando dixiſti, Veniens veniet ſcilicet Chriſtus, & non tardabit. Sic enim auditio pro fama paſſim accipitur, vt Nahum 3. v.19. & alibi. ET TIMVI, timore reuerentiæ atque admirationis propter rei magnitudinem, quòd clariùs LXX. expoſuerunt transferendo, ἐξέστην, id eſt, in extaſin raptus expaui: non penetraui, inquit Bernardus Epiſt. 190.

DOMINE OPVS TVVM IN MEDIO ANNORVM VIVIFICA ILLVD. Opus hoc Dominica eſt Incarnatio, vt paſſim Veteres exponunt. Hoc opus *viuificari*, id eſt, ſuſcitari atque exhiberi petit, ne, vt inquit Hieronym. promiſſio & ſermo Dei irritus moriatur: idque *in medio annorum*, in annis à Deo præſtitutis, cùm pleniiudo temporis appropinquauerit. Quem ſenſum clariſſimè indicant LXX. qui transferunt: Cùm appropinquauerint anni, vel opportunitas temporis, cognoſcêris.

IN MEDIO ANNORVM NOTVM FACIES, ſingulare videlicet illud Dominicæ incarnationis opus: pro quo ex LXX. interpretatione paſſim veteres legunt. In medio duorum animalium cognoſcêris. Quę interpretatio tam diuerſa & citra dubium inde eſt orta, quòd tres Hebraïcæ voces diuerſis punctis diuerſa ſignificant. Hoc autem variè interpretati ſunt veteres, Hieron. & Auguſt. 18. de Ciuit. cap. 32. & Oration. contra Paganos. In medio Moyſis & Eliæ ſuper montem Thabor: vel in medio duorum latronum, vel duorum Seraphim in propitiatorio, vel duorum teſtamentorum veteris & noui, vel in medio circumciſionis & pręputii, vel denique in medio duorum animalium bouis & aſini in præſepio, vt videtur intelligere Eccleſia in officio circumciſionis & Aug. Orat. contra Iudæos cap. 13. Euſebius 6. de demonſtrat. legit, In medio duarum vitarum, mortalis & immortalis, quam Chriſtus habuit: quem ſenſum & Cyrillus refert, ſed ex errore accentûs Gręci ortus videtur.

CVM IRATVS FVERIS, peccatis hominum quos propterea vias ſuas ingredi permiſeras, MISERICORDIÆ RECORDABERIS, quam tamdiu differendo quodammodo oblitus eſſe videbaris.

3. DEVS AB AVSTRO VENIET, Hebræus habet, מתימן *de Theman*: quod ſeptuaginta & omnes penè interpretes præter vulgatum expreſſerunt. Eſt autem Theman, teſte Hieronym. in locis Hebraïcis, regio & vrbs Idumææ, quę Iudęæ Auſtralis eſt. Vnde omnis regio Auſtralis Hebræis Theman dicitur. Eodem ſenſu Auguſt. loco citato legit ab Aphrico, qui Auſtro litteralis eſt; Locus autem deſumptus videtur ex cap 33. Deut. vbi dicit Moyſes: Dominus de Sinaï venit, & de Seïr ortus eſt nobis: apparuit de mõte Pharan. Videtur ergo ſignificare illum eũdem Deũ qui Patribus in tot mirabilium oſtenſione apparuit in montibus Pharan, Sinaï, &c. & in locis Theman ac Auſtralibus: eumdem versùs Auſtralem illam regionem appariturum, nempe ad Bethleem vbi natus eſt, quæ Ieroſolymis eſt Auſtralis, vergens ad Idumæam & montem Pharan. Hunc ſenſum ab Hebræo ſe didiciſſe teſtatur Hieronym. quamuis eumdem habeant Irenęus, Cyrill. & Theodor. in hunc locum. ET SANCTVS DE MONTE PHARAN. LXX. & ferè omnes veteres, de monte vmbroſo & condenſo: quem myſticâ ſignificatione Theodor. vult eſſe Ieruſalem chariſmatibus abundantem & ſub vmbra & protectione Dei commorantem: Auguſt. verò loco citato, Scripturarum altitudinem diuinarum quibus prophetatus eſt Chriſtus: Multa quippe ibi vmbroſa ac condenſa ſunt, quæ mentem quærentis exerceant. Inde autem venit, cùm ibi eum qui intelligit, inuenit. Per Auſtrum, inquit, meridies intelligitur, id eſt, feruor charitatis, & ſplendor veritatis.

OPERVIT COELOS GLORIA EIVS, mirabi-

lium operum perpetratione, quæ cœlum & terram gloriâ impleuerunt, ſecundùm illud, Exaltare ſuper cœlos Deus, & ſuper omnem terram gloria tua.

4. SPLENDOR EIVS VT LVX ERIT, quia doctrinæ ipſius claritas tenebras errorum infidelitatis & peccatorum diſpellet. CORNVA IN MANIBVS EIVS. Quæ cornua Hieronym. & Auguſt. ſuprà, vexilla ac trophæa crucis exponunt: manus enim eius extremitatibus crucis velut cornibus, vel vt vult Tertull. contra Iudæos c. 10. clauis velut cornibus affixæ fuerunt.

5. ANTE FACIEM EIVS IBIT MORS, quia ab illo victa, ante eum velut in triumphum minabitur, ita vt dici poſſit; Vbi eſt mors victoria tua? vbi eſt mors ſtimulus tuus? Verbum autem Hebraïcum aliis punctis ſignificat *verbum*: quomodo Auguſt. 18. de Ciuit. c. 21. & plurimi veteres ex LXX. legerunt. Verbum ergo quo prænunciatus eſt à Prophetis, Chriſtum præceſſit.

ET EGREDIETVR DIABOLVS ANTE PEDES EIVS, quia ab ipſo ſuperatus diabolus coram eo diffugiet, quemadmodum ex innumerabilium dæmonum non modo ex corporibus, ſed etiam animis Iudæorum ac Gentilium expulſione Chriſtus patefecit.

6. STETIT ET MENSVS E T TERRAM, more victorum qui terram inter ſuos diſpertiunt. Quod Chriſtus fecit, cùm datâ ſibi omni poteſtate in cœlo & in terra prouincias ſuis Apoſtolis partitus eſt. Quibus prædicantibus, oculis ſuę miſericordiæ.

ASPEXIT, ET DISSOLVIT GENTES, ſoluendo videlicet funiculos peccatorum quibus conſtringebantur, defixamque eorum in ſceleribus pertinaciam ſpiritu pœnitentiæ impartito diſrumpens, vt indicat Auguſt. loco citato.

CONTRITI SVNT MONTES SÆCVLI, ET INCVRVATI COLLES, &c. quia, vt inquit Aug. miraculis elatorum eſt contrita ſuperbia. Siue ergo per montes & colles, principes ſæculi, ſiue ſapientes atque Philoſophos, ſiue omnem ſæculi faſtum intellexerimus, omnis collis & mons humiliatus eſt. AB ITINERIBVS ÆTERNITATIS EIVS, id eſt, ab aduentu Dei æterni, ſiue in mundum per incarnationem & conſeruationem in carne, vt vult Bernardus, ſiue in animas fidelium, cùm illis gratiam ſuam infundit.

7. PRO INIQVITATE VIDI TENTORIA ÆTHIOPIÆ, id eſt, vidi caſtra impiorum omni peccatorum fœditate inſtar Æthiopum deformium ſimul collecta, vt auitam ſuam ſuperſtitionem propugnarent. Sed quid illis continget?

TVRBABVNTVR PELLES TERRÆ MADIAN, id eſt, pauore contremiſcens ac diſſipabuntur Æthiopum iſtorum tabernacula ſeu caſtra. Madian enim pars eſt Æthiopię, non occiduę quæ eſt in Africa, ſed orientalis quæ in Arabiam protenditur, ex qua Moyſis vxor Madianitis, dicta eſt Æthiopiſſa, vt Auguſt. quæſt. 20. ſuper Numeros. Alluditur autem ad hiſtoriam Gedeonis, qui ſicuti Madianitas tubis & lampadibus, diſſipauit; ita Chriſtus Gentiles ac fidei aduerſarios, Euangelii pręedicatione ac fidei ſplendore ſubiecit.

8. NVMQVID IN FLVMINIBVS IRATVS ES DOMINE? &c. id eſt, ſecundùm Hieron. & Cyrillum, Numquid vt olim flumina in ſanguinem commutaſti, vel potiùs Iordanem ſiccaſti, Pharaonem mari Rubro præfocaſti, furorem denuò hoc tuo aduentu in turbandis mari ac fluminibus demonſtrabis? q.d. Nequaquam: Non enim venit Chriſtus primo aduentu vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum. Quid ergo?

ASCENDES SVPER EQVOS TVOS, diſcipulos atque Apoſtolos, qui te per vniuerſum terrarum orbem ſua prædicatione circumferent, vt Ambroſ. lib. de Naboth. cap. 15. Iſtis autem equis, inquit idem ſerm. 4. in Pſalm. 11. Frena pacis, habenæ ſunt charitatis, conſtricti ſunt inter ſe concordiæ vinculis & iugo fidei ſubiecti.

ET QVADRIGÆ TVÆ SALVATIO, id eſt, quatuor Euangeliſtæ qui te tamquam aurigam portant, ſalutem credituris adferent.

9. SVSCITANS SVSCITABIS ARCVM TVVM. Hactenus manſuetum Chriſti aduentum deſcripſit, qui ſalutem populo ſuo, conuerſatione, peccatorum conuerſione, verbi prędicatione, ac Spiritus ſui elargitione, dedit: Nunc eumdem inſigni pro-

ſopographia vt bellatorem inducit, qui omni armorum panopliâ inſtructus ad retributionem peccatorum & conterendos impios de terra egreditur. *Suſcitans* itaque *ſuſcitabis*, id eſt, certiſſimè tandem ſuſcitabis *arcum tuum* diutiſſimè ſepoſitum, in quo vaſa mortis lethaliaque peccatoribus ſupplicia præparaſti, vt ita ſimul ſuſcites, id eſt, ad effectum deducas, IVRAMENTA TRIBVBVS QVÆ LOCVTVS ES, quando ſcilicet iuraſti ad Abraham patrem noſtrum, omnium videlicet tribuum credentium, daturum te nobis, vt ſine timore de manu inimicorum liberati, ſeruiamus tibi, in pleniſſima ſcilicet futuræ vitæ libertate. Hęc enim iuramenta quamdiu deuorabat hic impius iuſtiorem ſe, iacere & negligi à Deo videbantur; ſuſcitabunt verò cum in fine mundi veniet ad ponendam terram in ſolitudinem. Ad hunc autem diem cùm ſeſe accinget, armabit creaturam ad vltionem impiorum, vt pugnet cum illo orbis terrarum contra inſenſatos. Nam de præambulis ad iudicii diem, hæc intelligit Tertull. 4. contra Marcionem cap. 39. Tunc itaque

FLVVIOS SCINDES TERRÆ, Hebr. dirumpes fluuios, aggeribus videlicet diſſipatis vt ita ſecundùm Sap. flumina concurrant duriter.

10. VIDERVNT TE, ET DOLVERVNT MONTES. Per quod poëtica loquendi phraſi qua Prophetæ abundant, ſignificatur montium atque omnium eorum quæ in terra ſunt, ab adueniente iudice futura demolitio ac diſſipatio: quæ ſine dolore, ſi eius capaces eſſent montes, fieri non poſſet. GVRGES AQVARVM TRANSIIT, id eſt, vehemens impetus, & vt habet Heb. inundatio aquarum tranſit. Quo ſignificatur impetuoſiſſimus motus raptorum fluuiorum & marium, ex quo continget id quod ſequitur.

DEDIT ABYSSVS VOCEM SVAM, id eſt, dabit aquarum illa inundatio ac profunditas terribilem fluctuum ſuorum fremitum. Quod clariùs expoſuit Chriſtus Luc. 21. vbi dixit fore in terris preſſuram gentium præ confuſione ſonitûs maris & fluctuum. ALTITVDO, ſiue aquarum iſta abyſſus, MANVS SVAS LEVAVIT. Quidam transferunt ex Hebræo, locum ſuum leuauit. Quo nihil aliud ſignificatur, quàm fore vt intumeſcat mare, & fluctus ſuos inſtar montium attollat, ac inſtar manuum curuarum eleuet ac deprimat viciſſim.

Porrò Hieronymus his verſibus irati Dei quidem effectus ſignificari putat, ſed hoc ſenſu: fluuios ſcindes, quia iuſtorum perſecutores diſſipabis: viderunt te Reges, populi tui vexatores & doluerunt: & viſo te gurges aquarum, id eſt, omnis eorum perſecutio tranſiit ac ceſſauit. Quo facto, abyſſus & altitudo, id eſt, inferi & ſuperi te pariter laudauerunt, vt victorem veluti geſtu quodam & tripudio eleuatarum manuum demonſtrarent. Quæ interpretatio magis ad myſticam videtur accedere.

11. SOL ET LVNA STETERVNT IN HABITACVLO SVO, quia finitis motuum alternationibus ſtationem ſtabilem in cœlo ſeruabunt, recipientque, vt inquit Hieron. priſtinum ſplendorem, cùm antea malorum pondere vniuerſa eſſent tenebrarum horrore coopecta.

IN LVCE SAGITTARVM TVARVM IBVNT, &c. Redit ad debellationem impiorum. Ibunt ergo impii atque diffugient, ad lucem, ſiue præ coruſcatione fulgorum tuorum & fulminum, quibus tamquam ſagittis & haſtâ acutâ atque ſplendente peccatores inuades. Quod pleniùs dixit Sap. cap. 5. Ibunt directè emiſſiones fulgurum, &c. Et ad certum locum inſilient. Acues duram iram in lanceam, &c. atque ita

IN FREMITV, & animi indignatione, CONCVLCABIS TERRAM: pedum quaſi protritu, ponendo eam in ſolitudinem, vt inquit Iſaias c 14. ET IN FVRORE OBSTVPEFACIES GENTES, quia malorum imminentium metu vnuſquiſque ad proximum ſuum ſtupebit, areſcentque homines præ timore & expectatione iudicis aduentantis.

13. EGRESSVS ES IN SALVTEM POPVLI TVI. Hæc eſt ratio tanti bellici apparatus, tanti furoris ac fremitûs Dei; nempe, quia populum ſuum de manu peſſimorum liberaturus egreſſus eſt, vna CVM CHRISTO TVO, cui omne iudicium Pater tradidit. Quod idem pulchrè ſignificauit Pſaltes,

tum dixit: Tecum, ô Chriſte, principium, ſeu Pater qui in Chriſto iudicabit mundum in die virtutis tuæ, id eſt, vt ait Cyril. 1. in Ioan. c. 1. in die iudicij, cùm ad iudicandum deſcenderis cum virtute magna & maieſtate.

PERCVSSISTI CAPVT DE DOMO IMPII. Domus impij eſt familia diaboli, omnium ſcilicet cœtus impiorũ: cuius caput ac ducem cæteris impietate præcellentem Antichriſtum, Spiritu oris ſui Chriſtus interficiet. De quo Antichriſto hoc exponit Hier.

DENVDASTI FVNDAMENTVM EIVS VSQVE AD COLLVM, quia omnibus eum populis, ducibus ac militibus, quibus tamquam potentiis ac fulcris innitebatur penitus ac vndequaque nudaſti ſecundùm illud Apoc. deſcendit ignis de cœlo & deuorauit eos qui circuierant caſtra Sanctorum & ciuitatem dilectam. Alludit autem ad domum quæ vſque ad fundamenta ſubuertitur, & ad hominem qui vſque ad collum ſubmergitur.

14. MALEDIXISTI SCEPTRIS EIVS, quia poteſtatem tyrannicam dæmonis & Antichriſti quam in mundo contra iuſtos exerunt deſtruxiſti, eoſque æternâ maledictione addixiſti.

CAPITI BELLATORVM EIVS, id eſt, coryphæo omnium bellatorum Antichriſti Lucifero principi tenebrarum, VENIENTIBVS VT TVRBO, qui inſtar turbidinis ac tempeſtatis vltimâ Eccleſiæ perſecutione populum Dei diſſipare conati ſunt. Electorum enim perſonam hîc Propheta aſſumit: quos ſub finem mundi breuiſſima quidem, ſed impetuoſiſſima violentia inſtar turbinis celeriter tranſeuntis, nitentur proſternere.

15. VIAM FECISTI IN MARI EQVIS TVIS. Mare lutum, aquæ ſubinde tribulationem ſignificant dicente Pſalm. 68. Intrauerunt aquæ vſque ad animam meam, vt quando ſcilicet homo ſubmergitur. Item, infixus ſum in limo profundi. Item eripe me de luto. Per has ergo aquas, per hoc lutum & mare, viam aperuiſti equis tuis ad prælium inſtructis, vt electos tuos à tribulatione quæ eos circumdederat, liberares. Similis equorum exercitus Apocal. 19. deſcribitur.

16. AVDIVI, vocem ſcilicet tuam quâ hæc terribilia portenta auribus meis prophetìcè inſonuiſti, ET CONTVRBATVS EST VENTER MEVS, quia præ pauore viſcera mea commota ſunt propter ea quæ orbi terrarum ſuperuenient. Et AB eadem VOCE CONTREMVERVNT LABIA MEA, præ timore. Significat enim his omnibus Propheta, ſe vindictæ diuinæ magnitudinem exhorruiſſe. Sic enim Iſaias cap. 21. de Babylonis licet excidio vaticinatus, tamen ſtatim adiungit: Corrui cùm audirem, conturbatus ſum cùm viderem, emarcuit cor meum, tenebræ ſtupefecerunt me.

INGREDIATVR PVTREDO IN OSSIBVS MEIS, id eſt, vt exponit S. Hier. libenter patior quod paſſus eſt Iob: non ſolùm carnes meas, ſed medullas quoque oſſium cupio tabefieri, & ſtratũ meum putredine corporis & vermibus ſcatere; vt poſtquã hîc pro peccatis ſuſtinuero, requieſcam in die tribulationis quã mihi prophetìcè oſtendiſti.

VT ASCENDAM AD POPVLVM ACCINCTVM NOSTRVM, populum videlicet Sanctorum, qui tum in hoc mundo inſtar peregrinantium accincti fuerunt, & in illa die veluti bellatores accingentur, vt faciant vindictam in nationibus & increpationes in populis, &c. Hoc autem meritò ſe optaſſe oſtendens, futura ſub finem mundi mala particulam depingit:

17. FICVS ENIM NON FLOREBIT, &c.

18. EGO AVTEM IN DOMINO GAVDEBO: ET EXVLTABO IN DEO IESV MEO, id eſt, ſaluatore, ſiue vt habent LXX. ſalutari meo. Sed præfert Aug. loc. cit. vt nomen ipſum ponatur: quod eſt inquit, nobis amiciùs & dulciùs nominare. Hoc autem adiecit Propheta poſt enumeratas ſæculi calamitates, quia vt ait Cypr. ad Demetr. Cultores Dei inter ipſas ſæculi labentis ruinas exultant in Domino, & mala atque aduerſa mundi fortiter tolerant, cùm dona & proſpera futura proſpectant: leuantes videlicet capita ſua, quia appropinquat redemptio ipſorum.

19. ET PONET PEDES MEOS QVASI CERVORVM, dare agilitatis mihi impertitã, vt vnà cum ſanctis mundi mala tranſiliens rapiat

obuiam Chriſto in aëra. Et ſuper excelsa mea dedvcet me victor in Psalmis canentem. Per *excelſa mea* cœlum intelligit, tamquam patriam ſuam, meritiſque ſuis comparatam, factâ pulchrâ ad ceruos alluſione, qui acti à venatoribus, excelſa petunt, vbi ſecuri conſiſtũt. Huc ergo deducet me victor Chriſtus, qui & ſibi & nobis victoriam peperit. In Psalmis canentem, quia venient in Sion cum laude: & lætitiâ ſempiternâ ſuper capita eorum: & per vicos Ieruſalem, vt ait Tobias, alleluia cãtabitur.

FINIS.

CORNELII IANSENII IN PROPHETIAM SOPHONIÆ

ARGVMENTVM.

IDEM Sophonia quod Ieremiæ eſt argumentum, quod enim hic prolixiùs, ille tribus capitibus complexus eſt. Nec mirum, cùm eodem tempore ſub Ioſia prophetauerit: Ieremias quidem ab anno eius 13. vſque ad captiuitatem prophetiam perduxit: Sophonias vero, quo præcisè anno inceperit, eſt incertum. Certum vero quod non ad Iſraël ſiue decem tribus, ſed ad duas tribus Iudam & Beniamin vaticinatus ſit. Nam decem tribus iam ab octoginta circiter, annis à ſexto ſcilitet anno Ezechiæ, in captiuitatem erant abductæ. Duas igitur tribus vaſtitatis intermi[...]tione, quam non tantum ipſis ſed etiam vicinis gentibus Ammonitis, Moabitis, Ethiopibus ac Niniuitis intentat, ad pœnitentiam prouocat. Sub finem vero more prophetis ſolemni, conſolationem de Chriſti aduentu adiungit quo & Iudæi & Gentes captiuitatis iugo exempti, humero vno & vnanimi conſenſu Deo eſſent ſeruituri, præuaricatoribus debito mulctatis ſupplicio, prout idem expreſſit ad amuſſim Ieremias c. 16. v. 13. & ſeq.

CAPVT I.

1. Verbvm Domini qvod factvm est. Verbum à viſione videtur diſtingui, quòd viſio ſit videntis Prophetæ, Verbum loquentis Dei. Itaque verbum eſſe factum nihil eſt aliud quàm factam eſſe reuelationem, vel etiam ſermonem à Deo ad Prophetam, Deo videlicet mentem eius prophetico lumine illuſtrante. Vnde ſubtiliùs quàm veriùs quidam per Verbum Dei, Filium intelligunt, qui Prophetas ſit allocutus. Ad Sophoniam, &c. filii Ezechiæ. Regem Iudæ intelligunt quidam Hebræi, cuius Sophonias fuerit abnepos: Sed quia Scripturæ nullum Ezechiæ filium nominant niſi Manaſſem, neque veriſimile eſt ſilentio illam Prophetæ dignitatem fuiſſe prætermiſſam, genealogia iſta Hebræorum prorſus incerta eſt. Adde quod Epiphan. & Iſidor. Hiſpalenſis ex Tribu Simeonis oriundum fuiſſe velint, glorioſâ tamen maiorum ſtirpe progenitum: ad id fortè reſpicientes quod ex Hebræis adfert Hieronym. cuiuſcumque Prophetæ pater aut auus ponatur in titulo, ipſos quoque Prophetas fuiſſe: Vnde & Amos qui dixerat cap. 7. Non ſum filius Prophetæ, ſed armentarius ego ſum vellicans Sicomoros, patris nomen in titulo non habere.

2. Congregans congregabo omnia a facie terræ, id eſt, congregando vel carptim colligendo auferam omnia atque conſumam: quæ propriè verbi Hebraici vis eſt: vnde ſæpè per auferre ab interprete vulgato transfertur. Geminatio autem hæc partim certitudinis rei futuræ, partim ip-

tenſæ ac vehementis actionis indicium eſt, tum hic, tum aliis Scripturæ locis, prout Ioſeph interpretatur Geneſis 4. quod Hebræis eſt familiariſſimum.

Dicit Dominvs. Hoc frequentiſſimè etiam de eadem re inculcant Prophetæ, tum vt Domini authoritate vis verbis adderetur, tum maximè quia cùm Chriſto ſoli proprium foret ſpiritum haberet deſcendentem & manentem in ſe; à reliquiis autem Prophetis propter humanam fragilitatem & huius vitæ neceſſitates ſpiritus interdum recederet, vt intelligeretur ſe ſingulorum prolatione à ſpiritu Dei agi, ſicut hoc notauit Hieronym. in verſu 1. c. 35. Ezechielis lib. 11. comment.

4. Disperdam de loco hoc reliqvias Baal, id eſt, id quod tot Prophetarum & piorum Regum Ezechiæ & Ioziæ zelus profligare non potuit, omnes illas idololatriæ reliquias vno momento per Nabuchodonoſ. exterminabo: quemadmodum Victor Vticenſis notat, Deum in vindictam vno die per Vvandalos Carthagine aboleuiſſe, quod Chriſtiani cõcionando aliquot centenis annis non potuerant.

Fuit autem Baal propriè & primitùs Deus Aſſyriorum ſiue Babyloniorum, vt teſtatur Hier. in c. 2. Oſee, qui alio nomine Bel dicebatur ſiue Belus: quod Dominũ ſignificat. Hic Belus fuit pater Nini & veriſimiliter ipſe Nemrod, tyrannidis ac idololatrię incentor, à filio publica ſuperſtitione vt Deus cultus, vt docet ibidem Hier. & in v. 11. c. 13. Ezech. Ex quo nobis Idololatriæ cognitio & origo manauit, prout hoc teſtatur Cyrill. 3. in Iulian. circa finem. Fuit autem idem ille Belus communis ille gentium Saturnus, vel potiùs Iupiter: ſicut Aſtaroth, Iuno vt docet S. Aug. q. 6. in lib. Iudicum. Cùm autem Aſſyriorum Monarchia longè lateque diffunderetur, ſimul paſſim ſuperſtitio atque idola inuecta ſunt, vt Propheta Nahum c. 3. v. 4. de Niniue Aſſyriorum metropoli inſinuat. Hinc factum eſt, vt omnium penè orientalium dii, nomen ab iſto Belo ſeu Baal ſiue vt Hier. Aſſyrios legere dicit, Baal: Hebręos autem & Phœnices Bahal inſerta littera ה mutuati ſint, addito diſcrimine vel loci, vel idoli, vel alterius occaſionis, vt Baal-berit, Beelphegor, Beelzebub. Sed peculiari cultu Baal & Aſtaroth ſibi Sidonii ac Tyrij vendicauerunt, vt teſtatur Ioſephus 9. Antiq. c.6. & ſatis indicat ipſa Scriptura 3. Reg. 16. Achab à Sidoniis propter vxorem Iezabel, cultum Baal in Samariam induxiſſe. Acceperunt eum Sidonii ab Aſſyriis: fortaſſis quòd, vt ait Seruius in 1. Æneidos, patet Didonis ex I. illo Belo genus duxerit. Ab illis ergo ad Iudæos propagatus eſt cultus Baal: in quem ſæpiſſimè Prophetæ inuecti ſunt. Cùm autem eſſet per Iehu ex Samaria & Iſraël exterminatus, & ædes eius in latrinas redacta, vt eſt 4. Reg. 10. ſexcennio aut circiter pòſt à Ioas Rege Iudæ, aræ & imagines eius deſtructæ ſunt in Ieruſalem: quod poſteà imitatus eſt Ioſias, vt eſt 4. Reg. 23. ſub quo vixit hic Sophonias. Sed ita tamen, vt reliquię illius ſuperſtitioſi cultus, & ibi & alibi remanſiſſe vel reuixiſſe videantur, quas diſperdendas eſſe vaticinatur.

Et nomina æditvorvm cvm sacerdotibvs. Quos hic *æditues*, 3. Reg. 23. v. 5. noſter vertit *aruſpices*. Sunt ergo idololatriæ ſacrificolæ, templorum miniſtri atque cuſtodes, quos ſe eraſurum minatur vnà cum veris Dei ſacerdotibus: nam etiam in templo Domini, vt eſt 2. Paralip. 33. idolum & altaria fuerant collocata, Deum ſcilicet verum ſimul & idola venerantes: quam fuiſſe ſtatuam Baal docet Hieron. hic & alibi ſæpius.

5. Et eos qvi adorant svper tecta militiam coeli, Solem, & Lunam, reliquorumque aſtrorum ſeriem inſtar militiæ ſiue inſtructi exercitus ordinatiſſimè præcedentium, quorum Luna ſubinde vocatur regina. Hinc idem verbum Deuteron. 4. verſ. 16. transfertur, *aſtra cæli*. Hæc igitur ſuper tecta, quæ plana in oriente erant, adorabant, vt eorum aſpectu liberius fruerentur. Cultum illum aſtrorum paſſim reprehendit Scriptura: quem & Ioſiam exterminaſſe teſtatur 4. Reg. 23. deleuit Ioſias eos qui adolebant incenſum Baal, & Soli & Lunæ & 12. ſignis & omni militiæ cœli,

Vbi cùm & equos Solis abſtuliſſe, & currum Solis igne combuſſiſſe dicatur, non eſt impoſſibile ritum etiam iuſtum ab orientalibus nempe Perſis ad ipſos manaſſe. Nam & Achas à rege Aſſyriorum qui Perſis finitimi ſunt, ſuperſtitioſum quendam cultum hauſiſſe ſtructo nouo altari, teſtis eſt Scriptura 4. Regum 16. Perſæ autem Solem nomine Mitræ coluerunt, & equos ei ſacrificarunt.

Et ivrant in Domino, et ivrant in Melchom, ſimul vtrique iuramento honorem deferentes, quaſi par eſſet in vtroque firmandæ veritatis auctoritas. Simile quid feciſſe Samaritas narrat Scriptura 4. Reg. 17. Melchom autem idem eſt qui Moloch, vt docet Hieron. in v. 9. c. 57. Iſaiæ: pro quo, inquit, LXX. ſolent transferre Melchom: Quod verum eſſe patet ex 3. Reg. 11. vbi idem idolum ter nominatur Hebraïcè, & quidem verſ. 5. & 33. vocatur Milchom, verſ. verò 7. Molech ſiue Moloch: vbi LXX. ſemper habent Melchom. Significat autem Regem; quo nomine ſummæ cauſa reuerentiæ ſuum idolum vocabant Ammonitę: nam Ammonitarum idolum fuiſſe, ex eodem 3. Reg. loco cit. & aliis perſpicuum eſt. Cuius cultui tantopere addicti fuerunt Iudæi, vt etiam in ipſo deſerto poſt egreſſum ex Ægypto eidem ſeruierint teſte S. Stephano Actor. 7 Quæ cauſa fuit, vt ſtrictiſſimè opus eſſet præcepto Leuitic. 20. ne quis filium ſuum immolaret per ignem, vt fieri ſolebat idolo Moloch, ſicut Achaz fecit 4. Reg. 16.

6. Et qvi avertvntvr de post tergvm Domini, abiecto eius cultu, quem ſemel ſuſceperat, ne eum amplius ſequantur.

Et qvi non qvæsiervnt Dominvm, quales ſunt illi, qui ex multa ſalutis incuria, nihil de rebus diuinis inquirunt.

Silete a facie Domini Dei. Hebrę is eſt interiectio indicens ſilentium: cuiuſmodi reuerentiæ cauſa aduentanti principi ſolet indici. Hinc LXX. habent, Timete vel reueremini, q. d. profundo timoriſque pleno ſilentio Deum aduentantem expectare: ſequitur enim,

Qvia ivxta est dies Domini, captiuitatis ſcilicet duarum tribuum: qui eadem ratione dies Domini vocatur, quâ dies extremi iudicii; quòd videlicet in eo ſola Dei iuſtitia contra præuaricatores partes ſuas actura ſit. Hunc propterea paulò pòſt vocat *diem hoſtiæ Domini* quam præparauit, ad quam *ſanctificauit vocatos ſuos.* Hæc hoſtia ſunt Iudæi, qui loco gratiſſimi diuinæ iuſtitiæ ſacrificii & hoſtiæ erant immolandi. Sacerdotes huius victimæ offerendæ ſimul & conuiuæ futuri erant Chaldæi: qui propterea *vocati* ſiue inuitati dicuntur & *ſanctificati*, id eſt, vt exponit Theodoret. ſeparati ſiue per peculiarem electionem à Deo præparati, vt gladiis eorum hęc hoſtia iuguletur. Sicuti enim impiorum cædes dicitur Domini ſacrificium, ſecundùm illud Iſaiæ, Victima Domini in Boſra, eò quòd eorum interfectio perinde habeatur ac publicum, quo terra expiatur ſacrificium; ita qui illam exequuntur, ſerui Dei ſanctificari & vocati dicuntur.

Visitabo svper principes, et svper filios Regis. Viſitare eſt punire ſeu animaduertere, ſecundùm illud Pſal. Viſitabo in virga iniquitates eorum. Per filios autem Regis, ſcilicet Ioſiæ, intelligit vel poſteros eius; nam vt eſt Ieremiæ 52. v. 10. Iugulauit Rex Babylonis filios Sedeciæ (nepotes Ioſiæ) in oculis eius, ſed & omnes principes Iuda occidet in Reblatha: vel ipſos veros Ioſiæ filios, Ioachaz quem regno ſpoliatum Pharao in Ægyptum abripuit, Ioakim & Sedeciam quos in Babylonem abductos eſſe teſtatur 2. Paralip. cap. vlt. Non addit autem, Viſitabo ſuper regem quia ille ſanctus & pius iram Domini non merebatur, nec mala Ieruſalem ſecundùm prophetiam 4. Reg. 22. erat viſurus.

Et svper omnes qvi indvti svnt veste peregrina, per quam peregrinarum gentium ſuperbum ac varium cultum æmulabantur, ita vt non ſolum veſtitu, ſed moribus eis ſimiles redderentur, quod Iudæis feciſſe inſinuat Ezech. cap. 23. verſu 12. & 2. Machab. cap. 4. Poſt minas ergo principibus intentas, reliquæ aulæ cuius hoc proprium eſt vitium, comminatur.

9. Et visitabo svper omnem qvi ar-

ROGANTER INGREDITVR SVPER LIMEN, id eſt, ſuperbos & opulentos in Sion, qui, vt inquit Amos c. 6. pompaticè ingrediuntur domum Iſrael, quam implent intereà rapinis & hypocriſi.

10. ET ERIT VOX CLAMORIS A PORTA PISCIVM, per quam piſces à mari & occidente inferebantur: ducebat enim iſta teſte Hier. Dioſcolim & Ioppen vt mari viciníor. ET VLVLATVS A SECVNDA, ſupple, portâ ſecundi muri, vel à ſecunda ciuitate, in qua dicitur habitaſſe Holda Prophetes 4. Reg. 22. Antiquitùs enim Ieruſalem duobus muris cingebatur, vt ex 2. Paralip. 32. v. 7. colligitur ita vt duæ conſtituerentur ciuitates, quarum prima continebat arcem & templum, ſecunda verſus Aquilonem vergens, reliquam complectebatur ciuitatem. His duobus muris, populi augeſcente multitudine, Agrippa tertium adiecit, qui tertiam ciuitatem comprehenderet, mercatorum officinis deſtinatam, vt teſtatur Ioſeph. 6. de bello Iudaïco cap. 6. Prædicit itaque ab illis portis vlulatum oriturum propter hoſtium ingreſſum: nam per portam mediam quæ fuit in muro illo ſecundo Chaldæos ingreſſos eſſe, imò & Romanos illac irrepuiſſe, teſtes ſunt Ieremias c. 39. v. 3. & Ioſeph. 6. belli Iud. c. 10. Reliqua enim vrbis pars, ab occidente, oriente & meridie, etſi tantùm vno muro cingeretur, propter abruptas tamen rupes valleſque profundas inexpugnabilis erat.

ET CONTRITIO MAGNA, ſiue ingens calamitas orietur, A COLLIBVS, quia Nabuſardam domum Domini & omnem domum magnam Ieruſalem, proinde & arcem Sion, incendet: Templum autem Domini & arcem duobus collibus ædificata fuiſſe, qui ſuperiorem ciuitatem continerer, teſtis eſt ibidem Ioſephus cap. 6.

11. VLVLATE HABITATORES PILÆ, id eſt, mortarii, vt Hebr. eſt: per quod communiter poſt Ierem. accipitur vallis Sion, ſiue vallis quæ inter Sion & vrbem interiecta erat, profunda inſtar mortarii, in quam vt Ioſeph. creberrimæ domus deſinebant. Sed quia LXX. tranſtulerunt, conciſam, id eſt, contuſam explicantes clarius quo ſenſu hîc pila ſiue mortarium capiatur, veriſſimilius videtur vlulatum indici habitatoribus Ieruſalem ex vaſtita reliquis, quia vi Chaldaïci exercitus deſtructa, exuſta, & in rudera conuerſa, quaſi in mortario erat confracta atque contuſa, prout innuit Cyrill. atque Theod. Hinc ſequitur, CONTICVIT, Hebr. quia conticuit præ mœrore ſcilicet & gentis excidio, POPVLVS CHANAAN, id eſt, Iudæi perditiſſimis moribus, facti ſemen Chanaan & non Iuda, cuius pater Amorrhæus, & mater Hethæa, vt ait Ezechiel cap. 16. Ita vt ſit ratio præcedentis. DISPERIERVNT OMNES INVOLVTI ARGVMENTO, quo ſe tamquam muro munitos tutoſque fore arbitrabantur.

12. ET ERIT IN TEMPORE ILLO: SCRVTABOR IERVSALEM IN LVCERNIS, curioſiſſimè per Chaldæos iuſtitiæ executores indagnans ne quis elabatur. Cuiuſmodi ſcrutationem per cloacas & ſepulchra ad litteram eſſe factam à Romanis capta Ieroſolyma teſtatur Ioſephus lib. 7. cap. 17. Nam etiam de hac captiuitate hæc intelligit Hieron. vtpote quam Babylonica præfigurabat.

ET VISITABO SVPER VIROS DEFIXOS IN FÆCIBVS SVIS, id eſt, diuitiis ſuis incumbentes inſtar vini non transfuſi de vaſe in vas, vel etiam qui in peccatorum ac ſordium ſuarum vina demerſi ſunt.

QVI DICVNT IN CORDIBVS SVIS, quia quamuis vitâ eſſent teterrimi, non audebant tantam impietatem profiteri. NON FACIET BENE DOMINVS, ET NON FACIET MALE, id eſt, tollentes prouidentiam, nec boni, nec mali Deum eſſe auctorem dixerunt, ita ſcilicet vt nec bonis bona, nec malis mala redderet, ſed omnia caſu ferrentur incerto.

13. ET ERIT FORTITVDO EORVM, id eſt, vires exercitûs, diuitiæ quas enumerat & quibus ſibi fortes eſſe videbantur, IN DIREPTIONEM.

14. VOX DIEI DOMINI AMARA. Diem Domini, id eſt, captiuitatis Chaldaïcæ, itémque Romanæ ſecundùm Hieron. particulatim depingit: cuius quaſi præſentis amaras voces & eiulatus perdentium &

pereuntium iam ſibi Propheta audire videbatur. Hęc dies vocatur.

15. DIES TENEBRARVM ET CALIGINIS, id eſt, triſtiſſima: lux enim atque ſplendor hilaritatem ſolet afferre: de qua die Hieron. Quid, inquit, neceſſe eſt nunc deſcribere, quantas in vtraque captiuitate ſuſtinuerint calamitates? legamus Ioſephum, & Prophetiam Sophoniæ; illius cernemus hiſtoriam. Hæc autem omnia longè veriſſima ſunt, ſi ad diem Domini nouiſſimum vtraque captiuitate figuratum referantur.

17. AMBVLABVNT VT CÆCI, propter magnitudinẽ preſſuræ, quod acturi ſunt ignorātes: idq; QVIA DOMINO PECCAVERVNT.

18. IN IGNE ZELI EIVS DEVORABITVR OMNIS TERRA, id eſt, in ira Domini ſiue zelo inſtar ignis ſæuiente tota Iudæa vaſtabitur. Porrò zelum vocat, vt amantem adhuc Dominum intelligeremus: nam vt notat Hieronym. niſi amaret, numquam zelaretur, nec in ſimilitudinem mariti peccatum vlciſceretur vxoris.

CAPVT II.

1. CONVENITE, CONGREGAMINI GENS NON AMABILIS: q.d. etſi mihi ſitis inuiſi & amore indigni, pace tamen & charitate ſociati in vnam Eccleſiam confluite, vt, quemadmodum loquitur Tertull. in Apolog. c. 40. ieiuniis aridi, & omni continentia expreſſi, in ſacco & cinerē volutantes, inuidiâ cœlum tundatis, Deum tangatis, & miram extorqueatis pœnitentiam. Ad quam hic poſt grauiſſimas minas Propheta prouocat. Vt oſtenderet, inquit Hier. ſe noluiſſe inferre ſupplicium, ſed tantum terrere paſſuros: timentibus enim veriſimile erat ſe faciliùs perſuaſurum.

2. PRIVSQVAM PARIAT IVSSIO QVASI PVLVEREM TRANSEVNTEM DIEM, id eſt, antequam præceptum Dei adducat diem prędictum captiuitatis, qui videlicet ita facilè & repentè adueniet, quaſi puluis pertranſiens magno ventorum turbine excitatus.

3. QVÆRITE IVSTVM, QVÆRITE MANSVETVM, id eſt, iuſtitiam & manſuetudinem, quæ indifferenter in Hebræo pro humilitate ſumitur: Has, inquam, quærite, ſi quomodo iuſtitiæ veſtræ merito diem illum poſſitis euadere. Iuſtorum autem hic peculiariter preces expoſcit, non peccatorum, quia illorum eſt aſcendere ex aduerſo in prœlio, in die Domini.

4. QVIA GAZA DESTRVCTA ERIT, &c. Alii aliis modis hæc verba connectunt præcedentibus. Veriſimilius videtur quod ſentit Hieronym. explicari quatenus Domini eſt furor futurus, qui nempe inuictas & minutiſſimas etiam Palæſtinorum ciuitates euerſurus ſit. Quod pulchrâ admodum paronomaſiâ nominis Gaza & Aſcalon Hebraïcè exponitur.

AZOTVM IN MERIDIE EIICIENT, quia palam & apertâ vi in captiuitatem trahent. Erant autem 5. Palæſtinæ ciuitates munitiſſimæ, totidem Satrapiarum metropoles, Gaza, Accaron, Azotus, Aſcalon & Geth, quæ à perpetuis Iudæorum hoſtibus tenebantur: de quibus ſubiungit:

5. VÆ QVI HABITATIS FVNICVLVM MARIS. Palæſtinos intelligit ſeu Philiſtæos, qui ab Ægypto vſque ad Ioppe littus maris magni ſeu mediterranei incolebant: Quæ regio funiculus ſeu plaga maris vocatur, quòd funiculis veluti menſuris ſortes agrorum diuiderentur. Hinc paulò pòſt vocantur Chanaan & terra Philiſtinorum quæ erat pars Chananęæ.

GENS PERDITORVM, qui perdere atque interficere alios ſolebatis. Hebr. gens Çerethim: quod Hier. hîc vertit, perditores, & Ezech. 25. interfectores. Ex quo vtroque loco manifeſtum eſt omnes Palæſtinos Cerethim appellari, nomine videlicet illis gentibus non proprio, ſed appropriato ex eo quòd bellandi & interficiendi ferociâ excellerent. Vnde ſignificatio illius vocis etiam ad alios poteſt extendi. Putant nonnulli Cerethim paruam Palęſtinæ partem fuiſſe: probantes ex 1. Reg. 3. v. 14. vbi Amalechita ait: Erupimus ad Auſtralem partem, Cerethim: Vbi, inquiunt, intelligitur ſeu exprimitur pars Auſtralis Palæſtinæ. Sed contra hoc eſt, quod ibid. v. 16. explicatur generaliter pro Palæſtinis. Hinc dicta eſt legio Dauidis Cerethi, ſiue quòd eſſet ex regione Philiſtinorum ab ipſo conſcripta, cùm

ibi habitatet, vt aliqui ex 1. Regum 17. & 2. Reg. 15. colligunt, ſiue quod veriſimilius eſt & ſancto Hieronymo in caput 25. Ezech. placet, quòd eſſent interfectores, id eſt, milites præſtantiſſimi. Nam eædem legiones etiam ſubactis ac domitis Palæſtinis durarunt 200. poſt annis, vt ex 4. Reg. 11. patet, cùm tamen tunc ſub ditionem Ietoboam & Regum Iſraël eſſent redacti. Nec veriſimile eſt alienigenis militibus ad corporis cuſtodiam Dauidem & Reges Iuda vſos fuiſſe, cùm ipſi Iudæi militia & fidelitate præſtarent. Nec vllus ex tot fortiſſimis viris qui recenſentur 2. Reg. cap. 23. & 1. Paralipom. 11. legatur fuiſſe Philiſtæus. Sic etiam altera legio Pheleti, non conſtat fuiſſe alicuius determinatæ gentis, etſi diuinando hoc etiam quidam exiſtiment; ſed dicta eſt Pheleti à pala פלא, id eſt, mirabilem vel potiùs פלה, id eſt, ſeparare: quòd eſſent milites virtute & robore mirabili, & ſeparati ac ſelecti à cæteris. Ex quo patet ſine fundamento quemdam dixiſſe Cerethi fuiſſe lictores qui noxios perderent, Pheleti qui nocentes tuerentur. Conſtat enim integras fuiſſe legiones, imò corporis cuſtodes ex 3. Reg. 1. & Ioſepho 7. Antiquit. cap. 11. Multò abſurdius quod alii volunt, fuiſſe conſiliarios conſilii סנדרין

6. ET ERIT FVNICVLVS MARIS REQVIES PASTORVM, id eſt, hæc maritima plaga ita vaſtabitur, vt loco cultarum vrbium pecudes ibi requieſcant & caulæ extruantur.

7. ET ERIT FVNICVLVS EIVS QVI REMANSERIT DE DOMO IVDA. Hebr. clariùs; Et erit regio reſiduo ſiue reliquiis domus Iudę. Quo ſignificatur Palæſtinam etſi ſemper Iudæis infeſtiſſimam, ceſſuram in partem eorum qui poſt cladem Babylonicam, in primam reuerſi ſunt, ablata vt ſequitur captiuitate. Hoc autem impletum ſecundùm Theodoret. ſub Machabæis, qui multas ciuitates maritimas, Gazan, Aſcalonem, Ptolemaïdam, vi ceperunt.

IN DOMIBVS ASCALONIS AD VESPERAM REQVIESCENT. Quo ſignificatur magna vaſtitas Aſcalonis & Palæſtinæ, ita vt ſcilicet in domibus ſolo æquatis herbæ creſcant, & pecudes ibi poſſint requieſcere: de qua vaſtitate; inquit Hieronym. in caput 23. Iſaiæ, legamus Græcorum hiſtorias, & maximè eorum qui Aſſyriæ gentis bella deſcribunt, ibique repetiemus poſt captiuitatem Ierufalem Palæſtinos & Arabes & Damaſcenos ac proinde Ægyptios fuiſſe ſubuerſos.

8. ET MAGNIFICATI SVNT SVPER TERMINOS EORVM, id eſt, ſecundùm phraſim Hebr. in Scripturis frequentem, magnificauerunt os vel linguam ſuam, id eſt, magnificè ſuperbéque locuti ſunt ſuper terram Iſraëlis. Quid autem dixerint, pulchrè declarat ſimili planè phraſi Ezechiel. c. 35. v. 10. & ſeqq. Inſurrexiſtis ſuper me ore veſtro, & locutus eſt de montibus Iſraël, dicens: Deſerti, nobis ad deuorandum dati ſunt, &c. Duæ gentes & duę terrę meæ erunt, hæreditate poſſidebo eos. Vnde qualem ibi vltionem Idumæis intentat, eò quòd inſultaſſent calamitatibus Iſraëlis, talem & hîc Ammonitis & Moabitis minatur: quòd videlicet

9. VT SODOMA ERVNT, ET GOMORRHA, id eſt, quòd euertentur penitus atque in deſertum redigendi ſunt: non enim in modo fit comparatio, quaſi igne & ſulphure eſſent obruendi. Nam ſimili phraſi dicit Amos cap. 4. de ipſis Iſraëlitis: Subuerti vos, ſicut ſubuertit Deus Sodomam & Gomortham, & facti eſtis quaſi torris raptus ab incendio.

SICCITAS SPINARVM, ET ACERVI SALIS, id eſt, Ammonitarum terra deſerta atque infœcunda erit: Per ſalis enim aceruos terra exuſta ſterileſcit: Spinæ verò non modo creſcentes; ſed vſque ad ſiccitatem derelictæ, ſummæ ſolitudinis ſunt argumentum. Atque hoc eſt quod interpretando ſubiungit: DESERTVM VSQVE IN ÆTERNVM, id eſt, vſque ad longum tempus. Factum eſt autem iſtud quinquennio circiter ab excidio Ieroſolymæ, cùm à Nabuchodonoſore Moabitæ & Ammonitæ inuaſi ac domiti ſunt, vt teſtis eſt Ioſeph. 10. Antiquit. capite 11. poſtquam captiuitatem perpetuò Babylonis, Perſis, Græcis, ac denique Romanis ſeruierunt.

ponſionem ac quærelam à Propheta propoſitam, & planè ſimilem illi quæ eſt Pſal. 72. Exiſtimabam vt cognoſcerem hoc: labor eſt ante me, donec intrem in ſanctuarium Dei, & intelligam in nouiſſimis eorū.

4. ECCE QVI INCREDVLVS EST. Paulus ad Hebr. 10. quaſi exponens poſuit, Quòd ſi ſubtraxerit ſe, ſcilicet à Deo per incredulitatem, hac pœna mulctabitur, quod ANIMA EIVS NON ERIT RECTA IN SEMETIPSO, ſed iniqua & diſtorta, quia Deo diffidit, & maximè quia ſi hæc de Chriſti aduentu ad iudicandum non crediderit, iniqua putabit eſſe Dei iudicia, propter diuinæ prouidentiæ ignorantiam. Et hoc eſt quod Apoſtolus eodem ſenſu dixit, Non placebit animæ meæ Deo enim nulla niſi recta anima, placet.

IVSTVS AVTEM IN FIDE SVA VIVIT. Quia & hac promiſſionis diuinæ fide, in præſenti vita iuſtitiæ vita viuificabitur, ſicut & Abraham fide iuſtificatus eſt ac tandem per eandem fidem vitam ęternam conſequetur. Hic genuinus videtur eſſe ſenſus Prophetæ; ac proinde reiiciendi qui per priorem partem. Nabuchod. vel Iudæorum Chaldæis ſe tradere cum Sedecia nolentium, putent ſignificari ſuperbiam: poſteriore verò per iſtam prædictionis fidem, vitam, id eſt, conſtantiam contra ærumnas eſſe conſequendam. Nam cum tribus locis Apoſtolus hæc de vera fide veroque coram Deo iuſtificatione intelligat quòd non ex operibus legis, ſed ex fide hauriri ex hoc loco docet, neceſſe eſt idem à Propheta ſignificari. Oſtendit ergo Propheta generaliter vim fidei atque infidelitatis, quod hæc diuinam offenſam, illa vitam iuſtitię atque æternam conciliet; idque non tantum tempore & reſpectu huius vaticinii locum habere, ſed in primis tum quando auctor ille fidei qui venturus erat, veniſſet, quem tunc reuelatum omnis fides reſpicere deberet. De Chriſto enim eſſe prophetiam perſpicuam, pręter Hieron. Cyril. Iſid. Hiſpal. alioſque ipſe Apoſtolus ad Hebr. 10. clarè teſtatur. Neque tamen hinc inferas, ſolâ fide iuſtitiam eſſe adipiſcendam, quemadmodum nec ſolâ ſpe cùm dicitur, In te Domine ſperaui, non confundar &c. nec ſolâ inuocatione; dicente Apoſtolo ad Roman. 10. Omnis quicumque inuocauerit, ſaluus erit: Sed per has & ſimiles ſcripturas vim cuiuſque virtutis & neceſſitatem inſinuantes, ſuppletur ſcriptura, quę dixit, Iuſtus ex fide viuet: ſicut & illa, Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. Scripturæ itaque pro occurrentiâ perſonarum & temporum, vel hanc, vel illam virtutem commendant, eique iuſtificationem aſſcribunt. Nam inter fideles Dauid frequentiſſimè inculcabat ſpem. Apoſtolus inter gentes ſolis legis operibus pręſidentes, fidem in Chriſtum: quod eò potiori ratione de fide dicitur, quòd fides omnis planè iuſtitiæ ſit fundamentum, nec vllus actus, neque vllum opus, neque vllus vel tenuiſſimus motus quo iuſtitiam vel vitam ęternam mereamur, ſine præeunte fide haberi poſſit; & quia ſic in fide tamquam fundamento, radice & ſemine, tota iuſtitia & vita ęterna contineatur.

Quia autem dixerat Propheta, in fine apparitur um illum qui omni iniquitati iuſtorumque oppreſſioni iuſtam redderet mercedis retributionem; ne quis tamen exiſtimaret omnia ita in poſterum reſeruari vt in hac vita Deus nullas in impios iuſtorum oppreſſores vindictę ſuę ſcintillas immitteret, ſubiungit, Chaldaïci imperii quod Iudæos acriter vexerat, breui ignominioſam ſubuerſionem imminere. Vnde ait:

5. ET QVOMODO VINVM POTANTEM DECIPIT, quia ſuauitate ineſcatus creſcente per vini calorem ſiccitate, faucibus ſe plenis magis magiſque ingurgitat; cuius tamen omnis exhilaratio mox vertitur in fabulam, inſaniam & ruinam: SIC ERIT VIR SVPERBVS. Veriſſimum eſt enim illud Sapientis Prouerb. 29. ſuperbum ſequitur humilitas. Sedes enim ducum ſuperborum deſtruxit Deus & ſedere fecit mites pro eis, Eccleſ. 10. ET NON DECORABITVR, ſed cum ignominia decore & imperio ſpoliabitur, quemadmodum Daniel tum in ipſo Nabuchodonoſore capite 4. tum in poſteris capite 5. id factum eſſe teſtatur. Per figuram ergo

ſcripturis

ſcripturis familiarem, plus ſignificatur quàm dicitur: vt 1. Reg. 12. Nolite declinare poſt vana, quæ non proderunt vobis, id eſt, exitium afferent.

Qvi dilatavit qvasi infernvs animam svam, inſatiabili videlicet cupiditate vniuerſum orbem ſubigendi: qui locus ex Prouerb. 27. ſumptus videtur, vbi hoc explicando dicitur, Infernus & perditio, ſiue mors numquam implentur.

6. Nvnqvid non omnes isti, tyrannide videlicet tuâ olim oppreſſi, ac tandem liberati, parabolam svment et loqvelam ænigmatvm Nomen apud Hebræos parabolę reſpondens, à verbo deducitur quod dominari & authoritate excellere ſignificat: ex quo factum eſt, vt nomen illud Hebræum ſignificet parabolam, prouerbium & omne ſcitè dictum, ſiue ſit parabola, id eſt ſimilitudo, ſiue adagium propriè dictum, ſiue quiuis figuratus ac proinde obſcurus ſermo eò quòd in oratione illuſtris ſit atque emineat, ſuaque authoritate vulgus teneat admiratione captiuum. Hinc ita vocantur Parabolæ Salomonis, etſi ſæpè non ſint parabolæ propriè dictæ, ſed graues tantùm & obſcuræ ſententię. Hæc ænigmatica obſcuritas, quia carminibus & elegiis lugubribus familiaris eſt, vt ex toto threnorum libro perſpicuum eſt, hinc parabola & ænigma pro tali carmine obſcuro ſimilitudinibus redundante, ad deplorandam calamitatem vel irridendam ſuperbiam non rarò vſurpatur: maximè quia olim graues ſententiæ vix ſine ſimilitudinibus & inuolucris paraboliſque propriè dictis proponebantur, vt ex ſententiis Pythagoræ, fabulis Æſopi, & ſimilibus manifeſtum eſt. Hinc Iſaias capite 14. Sumes parabolam iſtam contra regem Babylonis: Quomodo ceſſauit exactor &c. Et Michęæ 2. Sumetur ſuper vos parabola & canticum: Vbi parabola per canticum videtur explicari more Scripturę idem repetentis. Sic ergo & hîc variis & obſcuris ſimilitudinibus atque allegoriis quaſi parabolis, tyranni ſuperbia & inſatiabilis cupiditas irridetur. Væ ei qvi mvltiplicat non sva, opes, videlicet iniuſtas corradens. Vsqveqvo et aggravat contra se, hoc eſt, in perniciem ſuam, densvm lvtvm? Per quod ſecundùm Hieron. & Gregor. 34. Moral. cap. 8. terrenarum diuitiarum multiplicitas deſignatur, maximè quando magnâ facilitate corraditur inſtar luti, ſecundùm illud Zachariæ 9. Tyrus coacervauit argentum quaſi humum, & aurum vt lutum platearum: & Iob. 27. Si comportauerit quaſi terram argentum, & ſicut lutum præparauerit veſtimenta, &c. Denſum autem abſolutum aggregat, quia vt ait ibidem Gregor. peccati ſui ſe oppreſſione coanguſtat: atque in primis, quia ex alienarum rerum poſſeſſione emergere & expedire ſe homines difficilè poſſunt.

7. Nvmqvid non repente consvrgent qvi mordeant te? Medi ſcilicet & Perſæ, vt hîc paſſim intelligunt: qui minoribus imperium Chaldaïcum prœliis primò laceſſiuerunt, poſteà lacerarunt. Medis & Perſis alii populi ex vaſtatione Nabuchodonoſoris reliqui, præ odio tyrannidis eius, ſe coniunxerunt ad ſubuertendos Babylonios. Non deſunt tamen qui per *reliquos de populis* ipſos Medos & Perſas intelligunt, eò quòd numquam à Babyloniis fuiſſent perdomiti, quamuis in Mediæ fines Aſtyage ſuperſtite ſubinde populabundi magis quàm more belli inuolaſſent. Repente autem conſurrexerunt, quia Babylon, teſtibus hiſtoricis, aſtu capta eſt, feſtum agentibus Babyloniis, fluuioque ſiccato. Hoc autem euenit eis,

8. Propter sangvinem hominis &c. id eſt, propter immanes cædes in primis Iudæorum: propter iniurias illatas terræ Iudaïcę civitatis Ieruſalem & habitatorum eius. Ita ferè Hieron.

9. Væ qvi congregat avaritiam, id eſt, opes, auaritiæ materiam ac fomentum, quemadmodum Rex Babylonis fecit: nam etſi verba ſint generalia, illum tamen omnia vt ſcopum ſpectant. Vt sit in excelso nidvs eivs, ne facilè à conſcendentibus ſpolietur. Quo ſignificat, omnium nationum diuitias Babylone fuiſſe congeſtas, vt velut arx tutiſſima à nemine

poſſit expugnari. Ex quo factum eſt, vt cùm teſte Ioſepho 10. Antiq. c. 11. Babylonem Nabuchodonoſor magnificentiſſimè inſtruxiſſet apud Danielem veluti de nido in excelſis poſito gloriaretur: Nonne hæc eſt Babylon magna quam ego ædificaui in domum regni? &c.

10. COGITASTI CONFVSIONEM DOMVI TVÆ: quia qui ædificat domum & imperium ſuum impendiis alienis, quemadmodum qui colligit lapides ſuos in hyeme, id eſt, ædificat infirmam & propter temporis incommoditatem diſſoluto cęmento certiſſimæ ruinæ proximam. Quæ confuſio tibi continget: quia CONCIDISTI POPVLOS MVLTOS. Hebraicè, concidendo & interficiendo populos multos.

11. QVIA LAPIS DE PARIETE CLAMABIT, editoque clamore raptoris te ſtabitur iniuſtitiam: ET LIGNVM QVOD INTER IVNCTVRAS ÆDIFICIORVM EST, id eſt, trabes ad continendos, parietes in medio ſtructuræ collocatę RESPONDEBIT, clamoribus videlicet lapidum vindictam expoſtulantium aduerſus iniquum ædificii ſcilicet Babylonis dominum ac ſtructorem: Quæ per poëticam Proſopopœiam dicuntur, ad exaggerandam iniuſtitiam Chaldæorum. Vnde ſubiungit quaſi explicationis cauſa:

12. VÆ QVI ÆDIFICAT CIVITATEM IN SANGVINIBVS: cædibus videlicet & rapinis, tyrannide & iniuſtis oppreſſionibus parans ei imperium & vires.

13. NVNQVID NON HÆC, quæ mox dicturus ſum, SVNT ILLI ſuperuentura A DOMINO EXERCITVVM? Nemini autem dubium eſt, inquit Hier. adhuc contra Regem Babylonis eſſe ſermonem. Quæ autem interminatus eſt, hæc ſunt:

LABORABVNT ENIM POPVLI, Chaldæi IN MVLTO IGNE, extinguendo ſcilicet incenſa Babylone, vt quidam intelligunt. Sed quia in Hebr. eſt laborabunt in ſufficientiam ignis, rectiùs intellexeris ſignificari omnes labores diuitiaſque Chaldæorum & Babylonis eo fine terminandas, vt quaſi pyra ſtruatur, vt conflagratione conſumantur. Hunc ſenſum planè requirit Ierem. qui cap. 51. de eadem Babylone loquens, iiſdem verbis Hebraïcis vtitur quæ vulgaris interpres ſic tranſtulit: portæ eius excelſæ igne comburentur, & labores populorum ad nihilum, & gentium in ignem erunt & diſperibunt.

14. QVIA REPLEBITVR TERRA, &c. QVASI AQVÆ OPERIENTES MARE id eſt, magnâ copiâ inundantes in alueum maris: niſi malis intelligere, prout eadem planè verba Hebraïca explicuit Iſaias c. 11. Sicut aquæ maris operientes, id eſt, vbique iuſtiſſima Dei prouidentia & ſcelerum Chaldaïcorum vltio cognoſcetur, ſicut cùm aquæ maris magno impetu & copiâ ſe in terram diffundunt. Quibus verbis tenditur paulatim ad ſcopum totius Prophetię, ſignificans non impunè viam impiorum ad tempus proſperari.

15. VÆ QVI POTVM DAT AMICO SVO, &c, id eſt, væ ei qui calicem felle mixtum amicis ſine illis qui nihil ſe læſerunt, propinat, vt inebrientur & ad nuditatem vſque ignominioſè ſpolientur. Propinare autem aliqui talem calicem ex phraſi ſcripturæ nihil eſt aliud quàm grauiſſimas iis calamitates & perniciem inferre: bibere verò eſt illa perpeti. Hinc Ierem. cap. 25. de eodem illo calice Babylonis clariſſimè, Sume, inquit, calicem furoris huius de manu mea: & propinabis de illo cunctis gentibus. Et bibent, & turbabuntur, & inſanient à facie gladij: Et capite 51. Calix aureus fuit Babylon in manu Domini, inebrians omnem terram: de vino eius biberunt gentes, & ideo commotæ ſunt. Et ne longè quæramus interpretem, hoc ipſo loco poſtquam dixiſſet Propheta,

16. REPLETVS EST IGNOMINIA PRO GLORIA, in vindictam ſcilicet iuſtiſſimam in ſolentiæ, ſtatim hoc exponens, & in metaphora calicis perſiſtens, addit: BIBE TV QVOQVE, ET CONSOPIRE, id eſt, bibes de ſuppliciis, & ſopieris morte ſempiternâ: ſecundum quod Ieremias clarius idem exponit: Inebriabo principes eius & fortes eius: & dormient ſomnum ſempiternum. CIRCVMDABIT TE CALIX DEXTERÆ DOMINI, quem Dei dextra tibi vindictâ & ſuppliciis plenum propinabit vſque ad ſe-

ces exhauriendum: ET VOMITVS IGNOMINIÆ, ſiue ignominioſus quo Dominus eiiciet, ſiue euomere te faciet omnes diuitias, vaſa templi, ſpolia quæ abſorbueras, de ore tuo, vt loquitur Ierem. c. 51. verſ. 44. idque SVPER GLORIAM TVAM, hoc eſt loco gloriæ quaſi te olim circumdedit.

Quia ergo eadem Nabuchodonoſor paſſurus deſcribitur, quæ alios pati fecit: hinc liquet tamquam fabulam eſſe reiiciendam Hebræor. traditionem quam narrat Hier. & fortaſſis ex ipſo Cyrillus, quòd Nabuchodonoſor potionem dederit Sedechiæ in conuiuio, quo cùm ipſum inebriaſſet, omnibus nuditas & ſordes illis riſui fuerint.

17. QVIA INIQVITAS LIBANI OPERIET TE, &c. Libanum templum vocat Salomonis ſecundũ Hier. tum hîc, tum in illud Zachar. 11. Aperi Libane portas tuas: eò quod ex cedris Libani eſſet extructum: niueoque candore, quo teſte Ioſepho 6. de bello Iudaico c. 6. candicabat, Libanum referret. Theodoretus Ieruſalem ipſam intelligit, itemque Cyrillus in hoc loco, quibus & Euſebius 8. de demonſtrat. Euangelica conſentit. Iniquitas ergo ſiue crudelitas quam in Ieruſalem & templum exercuiſti, in caput tuum deuoluetur. Et quia ſemel nominauerat montem Libanum, ſub eiuſdem tranſlatione victimas & ſacrificia, vel certè multitudinem populorum, quæ in Ieruſalem interfecta eſt, animalibus comparans, VASTITAS, inquit, ANIMALIVM, id eſt, hominum vaſtatio & trucidatio, DETERREBIT EOS, ſiue terrorem Chaldæis iniiciet, idque DE SANGVINIBVS HOMINVM, id eſt, propter cędes Iudęorum, & iniuſtitias terrę Iudaicæ ac ciuitati Ieruſalem illatas & hoc eſt quod ſine metaphora clariùs dicit Ierem. c. 51. Reddent Babylonii omne malum quod fecerunt in Sion: & c. 50. Vt annunciant vltionem Dñi Dei noſtri, vltionẽ templi ſui.

18. QVID PRODEST SCVLPTILE ET CONFLATILE, &c. Sculptile, inquit Hier. ex ligno & lapide; conflatilia ex auro, ære cęteriſque metallis fiunt. Irridet hîc ergo in primis Chaldęorum vanitatem, quòd lignis lapidibuſque ab imminente calamitate ſe tutos fore arbitrarentur. Hinc clariùs huius prophetiam quaſi interpretans Ierem. cap. 50. v. 2. Capta eſt, inquit, Babylon confuſus eſt Bel, confuſa ſunt ſculptilia eius, &c.

19. NVMQVID IPSE DOCERE POTERIT, quid ſcilicet agendum, quid cauendum ſit? His ergo vanis opponitur quod ſequitur:

20. DOMINVS AVTEM IN TEMPLO SANCTO SVO: quod exponens Pſaltes, cùm iiſdem verbis dixiſſet, Dominus in templo ſuo, adiecit, Dominus in cœlo ſedes eius. SILEAT A FACIE EIVS OMNIS TERRA, vt profundiſſimo quodam admirationis ac reuerentiæ ſilentio prouidentiam eius ſuper bonos & malos, ac mirabilem in perſequenda impietate iuſtitiam, quam etiam in hac vita exercuit, pertimeſcat.

CAPVT III.

IVdæorum è Babylonica captiuitate liberatio, quemadmodum ſalutationis omnium iuſtorum exemplar fuit; ita & Chaldæorum, de quo ſuprà excidium, generalem in omnes impios vltionem per Chriſtum exercendam præfigurauit: ad quem proinde opportunè hîc tranſit, vt ſic querelæ propheticæ ſupra dictæ omni ex parte ſatisfiat. De Chriſto enim hîc agi conſentiunt veteres, Cyrillus, Theod. Aug. 18. de Ciuit. Dei c. 32. & ali. Vnde Hier. manifeſtiſſimam prophetiam de Chriſto appellat. Quod eſt contra recentiores nonnullos, qui hæc de Iudæorum ex captiuitate Babylonica liberatione intelligunt; quorum expoſitiones multùm inter ſe diſſonæ, frigidæ & inconſtantes ſunt: ita vt hoc ipſa veteribus atteſtentur. Nec obſtat quòd dicatur allegoricè poſſe prophetiam de Chriſto conſiſtere; quia vt rectiſſimè docet Hier. in verſ. 10. cap. 1. Malachiæ: Regula eſt Scripturarum, vbi manifeſtiſſima prophetia de futuris texitur, per incerta allegoriæ non eſſe extenuanda quæ ſcripta ſunt.

ORATIO HABACVC PROPHETÆ

Pro ignorantiis.

ORatio hæc eſt magna, ex parte propheticæ inſtar epici carminis & pſal-

terii, id eſt, lyrico more compoſita, vt docet, hoc loco Hieron. Vnde LXX. tranſtulerunt, Oratio cum cantico. Per ignorantias autem peccata populi & Prophetæ intelligenda ſunt: qui orat ne incarnationis Dominicæ & aduentus eius myſterium iam antè ſibi cap. ſuperiore promiſſum impediat, vt ira iuſti à malis omnibus liberentur.

2. DOMINE AVDIVI AVDITIONEM TVAM, id eſt, famam obſcuriorem de te audiui, cùm mihi ſuperiùs reuelando dixiſti, Veniens veniet ſcilicet Chriſtus, & non tardabit. Sic enim auditio pro fama paſſim accipitur, vt Nahum 3. v. 19. & alibi. ET TIMVI, timore reuerentiæ atque admirationis propter rei magnitudinem, quòd clariùs LXX. expoſuerunt transferendo, ἐξέστην, id eſt, in extaſin raptus expaui: non penetraui, inquit Bernardus Epiſt. 190.

DOMINE OPVS TVVM IN MEDIO ANNORVM VIVIFICA ILLVD. Opus hoc Dominica eſt Incarnatio, vt paſſim Veteres exponunt. Hoc opus *viuificari*, id eſt, ſuſcitari atque exhiberi petit, ne, vt inquit Hieronym. promiſſio & ſermo Dei irritus moriatur: idque *in medio annorum*, in annis à Deo præſtitutis, cùm plenitudo temporis appropinquauerit. Quem ſenſum clariſſimè indicant LXX. qui transferunt: Cùm appropinquauerint anni, vel opportunitas temporis, cognoſcêris.

IN MEDIO ANNORVM NOTVM FACIES, ſingulare videlicet illud Dominicæ incarnationis opus: pro quo ex LXX. interpretatione paſſim veteres legunt. In medio duorum animalium cognoſcêris. Quę interpretatio tam diuerſa & citra dubium inde eſt orta, quòd tres Hebraïcæ voces diuerſis punctis diuerſa ſignificant. Hoc autem variè interpretati ſunt veteres, Hieron. & Auguſt. 18. de Ciuit. cap. 32. & Oration. contra Paganos. In medio Moyſis & Eliæ ſuper montem Thabor: vel in medio duorum latronum, vel duorum Seraphim in propitiatorio, vel duorum teſtamentorum veteris & noui, vel in medio circumciſionis & pręputii, vel denique in medio duorum animalium bouis & aſini in præſepio, vt videtur intelligere Eccleſia in officio circumciſionis & Aug. Orat. contra Iudæos cap. 13. Euſebius 6. de demonſtrat. legit, In medio duarum vitarum, mortalis & immortalis, quam Chriſtus habuit: quem ſenſum & Cyrillus refert, ſed ex errore accentûs Græci ortus videtur.

CVM IRATVS FVERIS, peccatis hominum quos propterea vias ſuas ingredi permiſeras, MISERICORDIÆ RECORDABERIS, quam tamdiu differendo quodammodo oblitus eſſe videbaris.

2. DEVS AB AVSTRO VENIET, Hebræus habet, תימן *de Theman*: quod ſeptuaginta & omnes penè interpretes præter vulgatum expreſſerunt. Eſt autem Theman, teſte Hieronym. in locis Hebraïcis, regio & vrbs Idumææ, quę Iudææ Auſtralis eſt. Vnde omnis regio Auſtralis Hebræis Theman dicitur. Eodem ſenſu Auguſt. loco citato legis ab Aphrico, qui Auſtro litteralis eſt; Locus autem deſumptus videtur ex cap 33. Deut. vbi dicit Moyſes: Dominus de Sinaï venit, & de Seïr ortus eſt nobis: apparuit de mõte Pharan. Videtur ergo ſignificare illum eũdem Deũ qui Patribus in tot mirabilium oſtenſione apparuit in montibus Pharan, Sinaï, &c. & in locis Theman ac Auſtralibus: eumdem verſùs Auſtralem illam regionem appariturum, nempe ad Bethleem vbi natus eſt, quæ Ieroſolymis eſt Auſtralis, vergens ad Idumæam & montem Pharan. Hunc ſenſum ab Hebræo ſe didiciſſe teſtatur Hieronym. quamuis eumdem habeant Irenęus, Cyrill. & Theodor. in hunc locum. ET SANCTVS DE MONTE PHARAN. LXX. & ferè omnes veteres, de monte vmbroſo & condenſo: quem myſticâ ſignificatione Theodor. vult eſſe Ieruſalem chariſmatibus abundantem & ſub vmbra & protectione Dei commorantem: Auguſt. verò loco citato, Scripturarum altitudinem diuinarum quibus prophetatus eſt Chriſtus: Multa quippe ibi vmbroſa ac condenſa ſunt, quæ mentem quærentis exerceant. Inde autem venit, cùm ibi eum qui intelligit, inuenit. Per Auſtrum, inquit, meridies intelligitur, id eſt, feruor charitatis, & ſplendor veritatis.

OPERVIT CŒLOS GLORIA EIVS, mirabi-

lium operum perpetratione, quæ cœlum & terram gloriâ impleuerunt, ſecundùm illud, Exaltare ſuper cœlos Deus, & ſuper omnem terram gloria tua.

4. SPLENDOR EIVS VT LVX ERIT, quia doctrinæ ipſius claritas tenebras errorum infidelitatis & peccatorum diſpellet. CORNVA IN MANIBVS EIVS. Quæ cornua Hieronym. & Auguſt. ſuprà, vexilla ac trophæa crucis exponunt: manus enim eius extremitatibus crucis velut cornibus, vel vt vult Tertull. contra Iudæos c. 10. clauis velut cornibus affixæ fuerunt.

5. ANTE FACIEM EIVS IBIT MORS, quia ab illo victa, ante eum velut in triumphum minabitur, ita vt dici poſſit, Vbi eſt mors victoria tua? vbi eſt mors ſtimulus tuus? Verbum autem Hebraïcum aliis punctis ſignificat *verbum*: quomodo Auguſt. 18. de Ciuit. c. 21. & plurimi veteres ex LXX. legerunt. Verbum ergo quo prænunciatus eſt à Prophetis, Chriſtum præceſſit.

ET EGREDIETVR DIABOLVS ANTE PEDES EIVS, quia ab ipſo ſuperatus diabolus coram eo diffugiet, quemadmodum ex innumerabilium dæmonum non modo ex corporibus, ſed etiam animis Iudæorum ac Gentilium expulſione Chriſtus patefecit.

6. STETIT ET MENSVS EST TERRAM, more victorum qui terram inter ſuos diſpertiunt. Quod Chriſtus fecit, cùm datâ ſibi omni poteſtate in cœlo & in terra prouincias ſuis Apoſtolis partitus eſt. Quibus prædicantibus, oculis ſuę miſericordiæ.

ASPEXIT, ET DISSOLVIT GENTES, ſoluendo videlicet funiculos peccatorum quibus conſtringebantur, defixamque eorum in ſceleribus pertinaciam ſpiritu pœnitentiæ impartito diſrumpens, vt indicat Auguſt. loco citato.

CONTRITI SVNT MONTES SÆCVLI, ET INCVRVATI COLLES, &c. quia, vt inquit Aug. miraculis elatorum eſt contrita ſuperbia. Siue ergo per montes & colles, principes ſæculi, ſiue ſapientes atque Philoſophos, ſiue omnem ſæculi faſtum intellexerimus, omnis collis & mons humiliatus eſt. AB ITINERIBVS ÆTERNITATIS EIVS, id eſt, ab aduentu Dei æterni, ſiue in mundum per incarnationem & conſeruationem in carne, vt vult Bernardus, ſiue in animas fidelium, cùm illis gratiam ſuam infundit.

7. PRO INIQVITATE VIDI TENTORIA ÆTHIOPIÆ, id eſt, vidi caſtra impiorum omni peccatorum fœditate inſtar Æthiopum deformium ſimul collecta, vt auitam ſuam ſuperſtitionem propugnarent. Sed quid illis continget?

TVRBABVNTVR PELLES TERRÆ MADIAN, id eſt, pauore contremiſcens ac diſſipabuntur Æthiopum iſtorum tabernacula ſeu caſtra. Madian enim pars eſt Æthiopię, non occiduę quæ eſt in Africa, ſed orientalis quæ in Arabiam protenditur, ex qua Moyſis vxor Madianitis, dicta eſt Æthiopiſſa, vt Auguſt. quæſt. 20. ſuper Numeros. Alluditur autem ad hiſtoriam Gedeonis, qui ſicuti Madianitas tubis & lampadibus, diſſipauit; ita Chriſtus Gentiles ac fidei aduerſarios, Euangelii pręedicatione ac fidei ſplendore ſubiecit.

8. NVMQVID IN FLVMINIBVS IRATVS ES DOMINE? &c. id eſt, ſecundùm Hieron. & Cyrillum, Numquid vt olim flumina in ſanguinem commutaſti, vel potiùs Iordanem ſiccaſti, Pharaonem mari Rubro pręfocaſti, furorem denuò hoc tuo aduentu in turbandis mari ac fluminibus demonſtrabis? q. d. Nequaquam. Non enim venit Chriſtus primo aduentu vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum. Quid ergo?

ASCENDES SVPER EQVOS TVOS, diſcipulos atque Apoſtolos, qui te per vniuerſum terrarum orbem ſua prædicatione circumferent, vt Ambroſ. lib. de Naboth. cap. 15. Iſtis autem equis, inquit idem ſerm. 4. in Pſalm. 11. Frena pacis, habenæ ſunt charitatis, conſtricti ſunt inter ſe concordiæ vinculis & iugo fidei ſubiecti.

ET QVADRIGÆ TVÆ SALVATIO, id eſt, quatuor Euangeliſtæ qui te tamquam aurigam portant, ſalutem credituris adferent.

9. SVSCITANS SVSCITABIS ARCVM TVVM. Hactenus manſuetum Chriſti aduentum deſcripſit, qui ſalutem populo ſuo, conuerſatione, peccatorum conuerſione, verbi pręedicatione, ac Spiritus ſui elargitione, dedit: Nunc eumdem inſigni pro-

ſopographia vt bellatorem inducit, qui omni armorum panopliâ inſtructus ad retributionem peccatorum & conterendos impios de terra egreditur. *Suſcitans* itaque *ſuſcitabis*, id eſt, certiſſimè tandem ſuſcitabis *arcum tuum* diutiſſimè ſepoſitum, in quo vaſa mortis lethaliaque peccatoribus ſupplicia præparaſti, vt ita ſimul ſuſcites, id eſt, ad effectum deducas, IVRAMENTA TRIBVBVS QVÆ LOCVTVS ES, quando ſcilicet iuraſti ad Abraham patrem noſtrum, omnium videlicet tribuum credentium, daturum te nobis, vt ſine timore de manu inimicorum liberati, ſeruiamus tibi, in pleniſſima ſcilicet futuræ vitæ libertate. Hęc enim iuramenta quamdiu deuorabat hic impius iuſtiorem ſe, iacere & negligi à Deo videbantur; ſuſcitabunt verò cum in fine mundi veniet ad ponendam terram in ſolitudinem. Ad hunc autem diem cùm ſeſe accinget, armabit creaturam ad vltionem impiorum, vt pugnet cum illo orbis terrarum contra inſenſatos. Nam de præambulis ad iudicii diem, hæc intelligit Tertull. 4. contra Marcionem cap. 39. Tunc itaque

FLVVIOS SCINDES TERRÆ, Hebr. dirumpes fluuios, aggeribus videlicet diſſipatis vt ita ſecundùm Sap. flumina concurrant duriter.

10. VIDERVNT TE, ET DOLVERVNT MONTES. Per quod poëtica loquendi phraſi qua Prophetæ abundant, ſignificatur montium atque omnium eorum quæ in terra ſunt, ab adueniente iudice futura demolitio ac diſſipatio: quæ ſine dolore, ſi eius capaces eſſent montes, fieri non poſſet. GVRGES AQVARVM TRANSIIT, id eſt, vehemens impetus, & vt habet Heb. inundatio aquarum tranſit. Quo ſignificatur impetuoſiſſimus motus raptorum fluuiorum & marium, ex quo continget id quod ſequitur.

DEDIT ABYSSVS VOCEM SVAM, id eſt, dabit aquarum illa inundatio ac profunditas terribilem fluctuum ſuorum fremitum. Quod clariùs expoſuit Chriſtus Luc. 21. vbi dixit fore in terris preſſuram gentium præ confuſione ſonitûs maris & fluctuum. ALTITVDO, ſiue aquarum iſta abyſſus, MANVS SVAS LEVAVIT. Quidam transferunt ex Hebræo, locum ſuum leuauit. Quo nihil aliud ſignificatur, quàm fore vt intumeſcat mare, & fluctus ſuos inſtar montium attollat, ac inſtar manuum ſuarum eleuet ac deprimat viciſſim.

Porrò Hieronymus his verſibus irati Dei quidem effectus ſignificari putat, ſed hoc ſenſu: fluuios ſcindes, quia iuſtorum perſecutores diſſipabis: viderunt te Reges, populi tui vexatores & doluerunt: & viſo te gurges aquarum, id eſt, omnis eorum perſecutio tranſiit ac ceſſauit. Quo facto, abyſſus & altitudo, id eſt, inferi & ſuperi te pariter laudauerunt, vt victorem veluti geſtu quodam & tripudio eleuatarum manuum demonſtrarent. Quæ interpretatio magis ad myſticam videtur accedere.

11. SOL ET LVNA STETERVNT IN HABITACVLO SVO, quia finitis motuum alternationibus ſtationem ſtabilem in cœlo ſeruabunt, recipientque, vt inquit Hieron. priſtinum ſplendorem, cùm anteà malorum pondere vniuerſa eſſent tenebrarum horrore cooperta.

IN LVCE SAGITTARVM TVARVM IBVNT, &c. Redit ad debellationem impiorum. Ibunt ergo impii atque diffugient, ad lucem, ſiue præ coruſcatione fulgorum tuorum & fulminum, quibus tamquam ſagittis & haſtâ acutâ atque ſplendente peccatores inuades. Quod pleniùs dixit Sap. cap. 5. Ibunt directè emiſſiones fulgurum, &c. Et ad certum locum inſilient. Acues duram iram in lanceam, &c. atque ita

IN FREMITV, & animi indignatione, CONCVLCABIS TERRAM: pedum quaſi protritu, ponendo eam in ſolitudinem, vt inquit Iſaias c 14. ET IN FVRORE OBSTVPEFACIES GENTES, quia malorum imminentium metu vnuſquiſque ad proximum ſuum ſtupebit, areſcentque homines præ timore & expectatione iudicis aduenientis.

13. EGRESSVS ES IN SALVTEM POPVLI TVI. Hæc eſt ratio tanti bellici apparatus, tanti furoris ac fremitûs Dei; nempe, quia populum ſuum de manu peſſimorum liberaturus egreſſus eſt, vna CVM CHRISTO TVO, cui omne iudicium Pater tradidit. Quod idem pulchrè ſignificauit Pſaltes,

rum dixit: Tecum, ô Chriſte, principium, ſeu Pater qui in Chriſto iudicabit mundum in die virtutis tuæ, id eſt, vt ait Cyril. t. in Ioan. c. 1. in die iudicii, cùm ad iudicandum deſcenderis cum virtute magna & maieſtate.

PERCVSSISTI CAPVT DE DOMO IMPII. Domus impii eſt familia diaboli, omnium ſcilicet cœtus impiorũ: cuius caput ac ducem cæteris impietate præcellentem Antichriſtum, Spiritu oris ſui Chriſtus interficiet. De quo Antichriſto hoc exponit Hier.

DENVDASTI FVNDAMENTVM EIVS VSQVE AD COLLVM, quia omnibus eum populis, ducibus ac militibus, quibus tamquam potentiis ac fulcris innitebatur penitus ac vndequaque nudaſti ſecundùm illud Apoc. deſcendit ignis de cœlo & deuorauit eos qui circuierant caſtra Sanctorum & ciuitatem dilectam. Alludit autem ad domum quæ vſque ad fundamenta ſubuertitur, & ad hominem qui vſque ad collum ſubmergitur.

14. MALEDIXISTI SCEPTRIS EIVS, quia poteſtatem tyrannicam dæmonis & Antichriſti quam in mundo contra iuſtos exerunt deſtruxiſti, eoſque æternâ maledictione addixiſti.

CAPITI BELLATORVM EIVS, id eſt, coryphæo omnium bellatorum Antichriſti Lucifero principi tenebrarum, VENIENTIBVS VT TVRBO, qui inſtar turbidinis ac tempeſtatis vltimâ Eccleſiæ perſecutione populum Dei diſſipare conati ſunt. Electorum enim perſonam hîc Propheta aſſumit: quos ſub finem mundi breuiſſima quidem, ſed impetuoſiſſima violentia inſtar turbinis celeriter tranſeuntis, nitentur proſternere.

15. VIAM FECISTI IN MARI EQVIS TVIS. Mare lutum, aquæ ſubinde tribulationem ſignificant dicente Pſalm. 68. Intrauerunt aquæ vſque ad animam meam, vt quando ſcilicet homo ſubmergitur. Item, infixus ſum in limo profundi. Item eripe me de luto. Per has ergo aquas, per hoc lutum & mare, viam aperuiſti equis tuis ad prælium inſtructis, vt electos tuos à tribulatione quæ eos circumdederat, liberares. Similis equorum exercitus Apocal. 19. deſcribitur.

16. AVDIVI, vocem ſcilicet tuam quâ hæc terribilia portenta auribus meis propheticè inſonuiſti, ET CONTVRBATVS EST VENTER MEVS, quia præ pauore viſcera mea commota ſunt propter ea quæ orbi terrarum ſuperuenient. ET AB eadem VOCE CONTREMVERVNT LABIA MEA, præ timore. Significat enim his omnibus Propheta, ſe vindictæ diuinæ magnitudinem exhorruiſſe. Sic enim Iſaias cap. 21. de Babylonis licet excidio vaticinatus, tamen ſtatim adiungit: Corrui cùm audirem, conturbatus ſum cùm viderem, emarcuit cor meum, tenebræ ſtupefecerunt me.

INGREDIATVR PVTREDO IN OSSIBVS MEIS, id eſt, vt exponit S. Hier. libenter patior quod paſſus eſt Iob: non ſolùm carnes meas, ſed medullas quoque oſſium cupio tabefieri, & ſtratũ meum putredine corporis & vermibus ſcatere; vt poſtquã hæc pro peccatis ſuſtinuero, requieſcam in die tribulationis quã mihi propheticè oſtendiſti.

VT ASCENDAM AD POPVLVM ACCINCTVM NOSTRVM, populum videlicet Sanctorum, qui tum in hoc mundo inſtar peregrinantium accincti fuerunt, & in illa die veluti bellatores accingentur, vt faciant vindictam in nationibus & increpationes in populis, &c. Hoc autem meritò ſe optaſſe oſtendens, futura ſub finem mundi mala particulam depingit:

17. FICVS ENIM NON FLOREBIT, &c.

18. EGO AVTEM IN DOMINO GAVDEBO: ET EXVLTABO IN DEO IESV MEO, id eſt, ſaluatore, ſiue vt habent LXX. ſalutari meo. Sed præfert Aug. loc. cit. vt nomen ipſum ponatur: quod eſt inquit, nobis amiciùs & dulciùs nominare. Hoc autem adiecit Propheta poſt enumeratas ſæculi calamitates, quia vt ait Cypr. ad Demetr. Cultores Dei inter ipſas ſæculi labentis ruinas exultant in Domino, & mala atque aduerſa mundi fortiter tolerant, cùm dona & proſpera futura proſpectant: leuantes videlicet capita ſua, quia appropinquat redemptio ipſorum.

19. ET PONET PEDES MEOS QVASI CERVORVM, date agilitatis mihi impertitâ, vt vnà cum ſanctis mundi mala tranſiliens rapiat

obuiam Chriſto in aëra. ET SVPER EXCELSA MEA DEDVCET ME VICTOR IN PSALMIS CANENTEM. Per *excelſa mea* cœlum intelligit, tamquam patriam ſuam, meritiſque ſuis comparatam, factâ pulchrâ ad ceruos alluſione, qui acti à venatoribus, excelſa petunt, vbi ſecuri conſiſtât. Huc ergo deducet me victor Chriſtus, qui & ſibi & nobis victoriam peperit. IN PSALMIS CANENTEM, quia venient in Sion cum laude : & lætitiâ ſempiternâ ſuper capita eorum? & per vicos Ieruſalem, vt ait Tobias, alleluia câtabitur.

FINIS.

CORNELII IANSENII IN PROPHETIAM

SOPHONIÆ

ARGVMENTVM.

IDEM Sophoniæ quod Ieremiæ eſt argumentum, quod enim hic prolixiùs, ille tribus capitibus complexus eſt. Nec mirum, cùm eodem tempore ſub Ioſia prophetauerit: Ieremias quidem ab anno eius 13. vſque ad captiuitatem prophetiam perduxit: Sophonias vero, quo præcisè anno inceperit, eſt incertum. Certum vero quod non ad Iſraël ſiue decem tribus, ſed ad duas tribus Iudam & Beniamin vaticinatus ſit. Nam decem tribus iam ab octoginta circiter, annis à ſexto ſcilicet anno Ezechiæ, in captiuitatem erant abductæ. Duas igitur tribus vaſtitatis intermi[n]atione, quam non tantum ipſis ſed etiam vicinis gentibus Ammonitis, Moabitis, Ethiopibus ac Niniuitis intentat, ad pœnitentiam prouocat. Sub finem vero more propheticis ſolemni, conſolationem de Chriſti aduentu adiungit quo & Iudæi & Gentes captiuitatis iugo exempti, humero vno & vnanimi conſenſu Deo eſſent ſerrituri, præuaricatoribus debito mulctatis ſupplicio, prout idem expreſſit ad amuſſim Ieremias c. 16. v. 13. & ſeq.

CAPVT I.

1. VERBVM DOMINI QVOD FACTVM EST. Verbum à viſione videtur diſtingui, quòd viſio ſit videntis Prophetæ, Verbum loquentis Dei. Itaque verbum eſſe factum nihil eſt aliud quàm factam eſſe reuelationem, vel etiam ſermonem à Deo ad Prophetam, Deo videlicet mentem eius prophetico lumine illuſtrante. Vnde ſubtiliùs quàm veriùs quidam per Verbum Dei, Filium intelligunt, qui Prophetas ſit allocutus. AD SOPHONIAM, &c. FILII EZECHIÆ. Regem Iudæ intelligunt quidam Hebræi, cuius Sophonias fuerit abnepos : Sed quia Scripturæ nullum Ezechiæ filium nominant niſi Manaſſem, neque veriſimile eſt ſilentio illam Prophetæ dignitatem fuiſſe prætermiſſam, genealogia iſta Hebræorum prorſus incerta eſt. Adde quod Epiphan. & Iſidor. Hiſpalenſis ex Tribu Simeonis oriundum fuiſſe velint, glorioſâ tamen maiorum ſtirpe progenitum : ad id fortè reſpicientes quod ex Hebræis adfert Hieronym. cuiuſcumque Prophetæ pater aut auus ponatur in titulo, ipſos quoque Prophetas fuiſſe : Vnde & Amos qui dixerat cap. 7. Non ſum filius Prophetæ, ſed armentarius ego ſum vellicans Sicomoros, patris nomen in titulo non habere.

2. CONGREGANS CONGREGABO OMNIA A FACIE TERRÆ, id eſt, congregando vel carptim colligendo auferam omnia atque conſumam : quæ propriè verbi Hebraici vis eſt : vnde ſæpè per auferre ab interprete vulgato transfertur. Geminatio autem hæc partim certitudinis rei futuræ, partim ip-

tenſæ

tenſæ ac vehementis actionis indicium eſt, tum hic, tum aliis Scripturæ locis, prout Ioſeph interpretatur Geneſis 4. quod Hebræis eſt familiariſſimum.

Dicit Dominvs. Hoc frequentiſſimè etiam de eadem re inculcant Prophetæ, tum vt Domini authoritate vis verbis adderetur, tum maximè quia cùm Chriſto ſoli proprium foret ſpiritum haberet deſcendentem & manentem in ſe; à reliquiis autem Prophetis propter humanam fragilitatem & huius vitæ neceſſitates ſpiritus interdum recederet, vt intelligeretur ſe ſingulorum prolatione à ſpiritu Dei agi, ſicut hoc notauit Hieronym. in verſu 1. c. 35. Ezechielis lib. 11. comment.

4. Disperdam de loco hoc reliqvias Baal, id eſt, id quod tot Prophetarum & piorum Regum Ezechiæ & Ioziæ zelus profligare non potuit, omnes illas idololatriæ reliquias vno momento per Nabuchodonoſ. exterminabo: quemadmodum Victor Vticenſis notat, Deum in vindictam vno die per Vvandalos Carthagine aboleuiſſe, quod Chriſtiani cõcionando aliquot centenis annis non potuerant.

Fuit autem Baal propriè & primitùs Deus Aſſyriorum ſiue Babyloniorum, vt teſtatur Hier. in c. 2. Oſee, qui alio nomine Bel dicebatur ſiue Belus: quod Dominũ ſignificat. Hic Belus fuit pater Nini & veriſimiliter ipſe Nemrod, tyrannidis ac idololatriç incentor, à filio publica ſuperſtitione vt Deus cultus, vt docet ibidem Hier. & in v. 11. c. 13. Ezech. Ex quo nobis Idololatriæ cognitio & origo manauit, prout hoc teſtatur Cyrill. 3. in Iulian. circa finem. Fuit autem idem ille Belus communis ille gentium Saturnus, vel potiùs Iupiter: ſicut Aſtaroth, Iuno vt docet S. Aug. q. 6. in lib. Iudicum. Cùm autem Aſſyriorum Monarchia longè lateque diffunderetur, ſimul paſſim ſuperſtitio atque idola inuecta ſunt, vt Propheta Nahum c. 3. v. 4. de Niniue Aſſyriorum metropoli inſinuat. Hinc factum eſt, vt omnium penè orientalium dii, nomen ab iſto Belo ſeu Baal ſiue vt Hier. Aſſyrios legere dicit, Baal: Hebrços autem & Phçnices Bahal inſerta littera ה mutuati ſint, addito diſcrimine vel loci, vel idoli, vel alterius occaſionis, vt Baal-berit, Beelphegor, Beelzebub. Sed peculiari cultu Baal & Aſtaroth ſibi Sidonii ac Tyrij vendicauerunt, vt teſtatur Ioſephus 9. Antiq. c. 6. & ſatis indicat ipſa Scriptura 3. Reg. 16. Achab à Sidoniis propter vxorem Iezabel, cultum Baal in Samariam induxiſſe. Acceperunt eum Sidonii ab Aſſyriis: fortaſſis quòd, vt ait Seruius in 1. Æneidos, pater Didonis ex I. illo Belo genus duxerit. Ab illis ergo ad Iudæos propagatus eſt cultus Baal: in quem ſæpiſſimè Prophetæ inuecti ſunt. Cùm autem eſſet per Iehu ex Samaria & Iſraël exterminatus, & ædes eius in latrinas redacta, vt eſt 4. Reg. 10. ſexcentio aut circiter pòſt à Ioas Rege Iudæ, aræ & imagines eius deſtructæ ſunt in Ieruſalem: quod poſteà imitatus eſt Ioſias, vt eſt 4. Reg. 23. ſub quo vixit hic Sophonias. Sed ita tamen, vt reliquiç illius ſuperſtitioſi cultus, & ibi & alibi remanſiſſe vel reuixiſſe videantur, quas diſperdendas eſſe vaticinatur.

Et nomina ædituorum cum sacerdotibus. Quos hic *æditues*, 3. Reg. 23. v. 5. noſter vertit *aruſpices*. Sunt ergo idololatriæ ſacrificolæ, templorum miniſtri atque cuſtodes, quos ſe eraſurum minatur vnà cum veris Dei ſacerdotibus: nam etiam in templo Domini, vt eſt 2. Paralip. 33. idolum & altaria fuerant collocata, Deum ſcilicet verum ſimul & idola venerantes: quam fuiſſe ſtatuam Baal docet Hieron. hic & alibi ſæpius.

5. Et eos qui adorant super tecta militiam cœli, Solem, & Lunam, reliquorumque aſtrorum ſeriem inſtar militiæ ſiue inſtructi exercitus ordinatiſſimè præcedentium, quorum Luna ſubinde vocatur regina. Hinc idem verbum Deuteron. 4. verſ. 16. transfertur, *aſtra cœli*. Hæc igitur ſuper tecta, quæ plana in oriente erant, adorabant, vt eorum aſpectu liberius fruerentur. Cultum illum aſtrorum paſſim reprehendit Scriptura: quem & Ioſiam exterminaſſe teſtatur 4. Reg. 23. deleuit Ioſias eos qui adolebant incenſum Baal, & Soli & Lunæ & 12. ſignis & omni militiæ cœli,

Vbi cùm & equos Solis abſtuliſſe, & currum Solis igne combuſſiſſe dicatur, non eſt impoſſibile ritum etiam iuſtum ab orientalibus nempe Perſis ad ipſos manaſſe. Nam & Achas à rege Aſſyriorum qui Perſis finitimi ſunt, ſuperſtitioſum quendam cultum hauſiſſe ſtructo nouo altari, teſtis eſt Scriptura 4. Regum 16. Perſæ autem Solem nomine Mitræ coluerunt, & equos ei ſacrificarunt.

ET IVRANT IN DOMINO, ET IVRANT IN MELCHOM, ſimul vtrique iuramento honorem deferentes, quaſi par eſſet in vtroque firmandæ veritatis auctoritas. Simile quid feciſſe Samaritas narrat Scriptura 4. Reg. 17. Melchom autem idem eſt qui Moloch, vt docet Hieron. in v. 9. c. 57. Iſaiæ: pro quo, inquit, LXX. ſolent transferre Melchom: Quod verum eſſe patet ex 3. Reg. 11. vbi idem idolum ter nominatur Hebraicè, & quidem verſ. 5. & 33. vocatur Milchom, verſ. verò 7. Molech ſiue Moloch: vbi LXX. ſemper habent Melchom. Significat autem Regem; quo nomine ſummæ cauſa reuerentiæ ſuum idolum vocabant Ammonitę: nam Ammonitarum idolum fuiſſe, ex eodem 3. Reg. loco cit. & aliis perſpicuum eſt. Cuius cultui tantopere addicti fuerunt Iudæi, vt etiam in ipſo deſerto poſt egreſſum ex Ægypto eidem ſeruierint teſte S. Stephano Actor. 7. Quæ cauſa fuit, vt ſtrictiſſimè opus eſſet præcepto Leuitic. 20. ne quis filium ſuum immolaret per ignem, vt fieri ſolebat idolo Moloch, ſicut Achaz fecit 4. Reg. 16.

6. ET QVI AVERTVNTVR DE POST TERGVM DOMINI, abiecto eius cultu, quem ſemel ſuſceperat, ne eum amplius ſequantur.

ET QVI NON QVÆSIERVNT DOMINVM, quales ſunt illi, qui ex multa ſalutis incuria, nihil de rebus diuinis inquirunt.

SILETE A FACIE DOMINI DEI. Hebręis eſt interiectio indicens ſilentium: cuiuſmodi reuerentiæ cauſa aduentanti principi ſolet indici. Hinc LXX. habent, Timete vel reueremini, q. d. profundo timoriſque pleno ſilentio Deum aduentantem expectate: ſequitur enim,

QVIA IVXTA EST DIES DOMINI, captiuitatis ſcilicet duarum tribuum: qui eadem ratione dies Domini vocatur, quâ dies extremi iudicii; quòd videlicet in eo ſola Dei iuſtitia contra præuaricatores partes ſuas actura ſit. Hunc propterea paulò pòſt vocat *diem hoſtiæ Domini* quam præparauit, ad quam *ſanctificauit vocatos ſuos.* Hæc hoſtia ſunt Iudæi, qui loco gratiſſimi diuinæ iuſtitiæ ſacrificii & hoſtiæ erant immolandi. Sacerdotes huius victimæ offerendæ ſimul & conuiuæ futuri erant Chaldæi: qui propterea *vocati* ſiue inuitati dicuntur & *ſanctificati*, id eſt, vt exponit Theodoret. ſeparati ſiue per peculiarem electionem à Deo præparati, vt gladiis eorum hęc hoſtia iuguletur. Sicuti enim impiorum cædes dicitur Domini ſacrificium, ſecundùm illud Iſaiæ, Victima Domini in Boſra, eò quòd eorum interfectio perinde habeatur ac publicum, quo terra expiatur ſacrificium; ita qui illam exequuntur, ſerui Dei ſanctificati & vocati dicuntur.

VISITABO SVPER PRINCIPES, ET SVPER FILIOS REGIS. Viſitare eſt punire ſeu animaduertere, ſecundùm illud Pſal. Viſitabo in virga iniquitates eorum. Per filios autem Regis, ſcilicet Ioſiæ, intelligit vel poſteros eius; nam vt eſt Ieremiæ 52. v. 10. Iugulauit Rex Babylonis filios Sedeciæ (nepotes Ioſiæ) in oculis eius, ſed & omnes principes Iuda occidit in Reblatha: vel ipſos voros Ioſiæ filios, Ioachaz quem regno ſpoliatum Pharao in Ægyptum abripuit, Ioakim & Sedeciam quos in Babylonem abductos eſſe teſtatur 2. Paralip. cap. vlt. Non addit autem, Viſitabo ſuper regem quia ille ſanctus & pius iram Domini non merebatur, nec mala Ieruſalem ſecundùm prophetiam 4. Reg. 22. erat viſurus.

ET SVPER OMNES QVI INDVTI SVNT VESTE PEREGRINA, per quam peregrinarum gentium ſuperbum ac varium cultum æmulabantur, ita vt non ſolum veſtitu, ſed moribus eis ſimiles redderentur, quod Iudæis feciſſe inſinuat Ezech. cap. 23. verſu 12. & 2. Machab. cap. 4. Poſt minas ergo principibus intentas, reliquæ aulæ cuius hoc proprium eſt vitium, comminatur.

9. ET VISITABO SVPER OMNEM QVI AR-

ROGANTER INGREDITVR SVPER LIMEN, id eſt, ſuperbos & opulentos in Sion, qui, vt inquit Amos c. 6. pompaticè ingrediuntur domum Iſrael, quam implent intereà rapinis & hypocriſi.

10. ET ERIT VOX CLAMORIS A PORTA PISCIVM, per quam piſces à mari & occidente inferebantur: ducebat enim iſta teſte Hier. Dioſcolim & Ioppen vt mari viciaior. ET VLVLATVS A SECVNDA, ſupple, portâ ſecundi muri, vel à ſecunda ciuitate, in qua dicitur habitaſſe Holda Prophetes 4. Reg. 22. Antiquitùs enim Ieruſalem duobus muris cingebatur, vt ex 2. Paralip. 32. v. 7. colligitur ita vt duæ conſtituerentur ciuitates, quarum prima continebat arcem & templum, ſecunda verſus Aquilonem vergens, reliquam complectebatur ciuitatem. His duobus muris, populi augeſcente multitudine, Agrippa tertium adiecit, qui tertiam ciuitatem comprehenderet, mercatorum officinis deſtinatam, vt teſtatur Ioſeph. 6. de bello Iudaico cap. 6. Prædicit itaque ab illis portis vlulatum oriturum propter hoſtium ingreſſum: nam per portam mediam quæ fuit in muro illo ſecundo Chaldæos ingreſſos eſſe, imò & Romanos illac irrepuiſſe, teſtes ſunt Ieremias c. 39. v. 3. & Ioſeph. 6. belli Iud. c. 10. Reliqua enim vrbis pars, ab occidente, oriente & meridie, etſi tantùm vno muro cingeretur, propter abruptas tamen rupes valleſque profundas inexpugnabilis erat.

ET CONTRITIO MAGNA, ſiue ingens calamitas orietur, A COLLIBVS, quia Nabuſardam domum Domini & omnem domum magnam Ieruſalem, proinde & arcem Sion, incendet: Templum autem Domini & arcem duobus collibus ædificata fuiſſe, qui ſuperiorem ciuitatem continerent, teſtis eſt ibidem Ioſephus cap. 6.

11. VLVLATE HABITATORES PILÆ, id eſt, mortarii, vt Hebr. eſt: per quod communiter poſt Ierem. accipitur vallis Sion, ſiue vallis quæ inter Sion & vrbem interiecta erat, profunda inſtar mortarii, in quam vt Ioſeph. creberrimæ domus deſinebant. Sed quia LXX. tranſtulerunt, conciſam, id eſt, contuſam explicantes clarius quo ſenſu hîc pila ſiue mortarium capiatur, veriſſimilius videtur vlularum indici habitatoribus Ieruſalem ex vaſtita reliquis, quia vi Chaldaïci exercitus deſtructa, exuſta, & in rudera conuerſa, quaſi in mortario erat confracta atque contuſa, prout innuit Cyrill. atque Theod. Hinc ſequitur, CONTICVIT, Hebr. quia conticuit præ mœrore ſcilicet & gentis excidio, POPVLVS CHANAAN, id eſt, Iudæi perditiſſimis moribus, facti ſemen Chanaan & non Iuda, cuius pater Amorrhæus, & mater Hethæa, vt ait Ezechiel cap. 16. Ita vt ſit ratio præcedentis. DISPERIERVNT OMNES INVOLVTI ARGVMENTO, quo ſe tamquam muro munitos tutoſque fore arbitrabantur.

12. ET ERIT IN TEMPORE ILLO: SCRVTABOR IERVSALEM IN LVCERNIS, curioſiſſimè per Chaldæos iuſtitiæ executores indagnans ne quis elabatur. Cuiuſmodi ſcrutationem per cloacas & ſepulchra ad litteram eſſe factam à Romanis capta Ieroſolyma teſtatur Ioſephus lib. 7. cap. 17. Nam etiam de hac captiuitate hæc intelligit Hieron. vtpote quam Babylonica præfigurabat.

ET VISITABO SVPER VIROS DEFIXOS IN FÆCIBVS SVIS, id eſt, diuitiis ſuis incumbentes inſtar vini non transfuſi de vaſe in vas, vel etiam qui in peccatorum ac ſordium ſuarum vina demerſi ſunt.

QVI DICVNT IN CORDIBVS SVIS, quia quamuis vitâ eſſent teterrimi, non audebant tantam impietatem profiteri. NON FACIET BENE DOMINVS, ET NON FACIET MALE, id eſt, tollentes prouidentiam, nec boni, nec mali Deum eſſe auctorem dixerunt, ita ſcilicet vt nec bonis bona, nec malis mala redderet, ſed omnia caſu ferrentur incerto.

13. ET ERIT FORTITVDO EORVM, id eſt, vires exercitûs, diuitiæ quas enumerat & quibus ſibi fortes eſſe videbantur, IN DIREPTIONEM.

14. VOX DIEI DOMINI AMARA. Diem Domini, id eſt, captiuitatis Chaldaïcæ, itémque Romanæ ſecundùm Hieron. particulatim depingit: cuius quaſi præſentis amaras voces & eiulatus perdentium &

ibi habitaret, vt aliqui ex 1. Regum 27. & 2. Reg. 15. colligunt, ſiue quod veriſimilius eſt & ſancto Hieronymo in caput 25. Ezech. placet, quòd eſſent interfectores, id eſt, milites præſtantiſſimi. Nam eædem legiones etiam ſubactis ac domitis Palæſtinis durarunt 200. poſt annis, vt ex 4. Reg. 11. patet, cùm tamen tunc ſub ditionem Ieroboam & Regum Iſraël eſſent redacti. Nec veriſimile eſt alienigenis militibus ad corporis cuſtodiam Dauidem & Reges Iuda vſos fuiſſe; cùm ipſi Iudæi militia & fidelitate præſtarent. Nec vllus ex tot fortiſſimis viris qui recenſentur 2. Reg. cap. 23. & 1. Paralipom. 11. legatur fuiſſe Philiſtæus. Sic etiam altera legio Pheleti, non conſtat fuiſſe alicuius determinatæ gentis, etſi diuinando hoc etiam quidam exiſtiment; ſed dicta eſt Pheleti à pala פלא, id eſt, mirabilem vel potiùs פלה, id eſt, ſeparare: quòd eſſent milites virtute & robore mirabili, & ſeparati ac ſelecti à cæteris. Ex quo patet ſine fundamento quemdam dixiſſe Cerethi fuiſſe lictores qui noxios perderent, Pheleti qui nocentes tuerentur. Conſtat enim integras fuiſſe legiones, imò corporis cuſtodes ex 3. Reg. 1. & Ioſepho 7. Antiquit. cap. 11. Multò abſurdius quod alii volunt, fuiſſe conſiliarios conſilii סנהדרין

6. ET ERIT FVNICVLVS MARIS REQVIES PASTORVM, id eſt, hæc maritima plaga ita vaſtabitur, vt loco cultarum vrbium pecudes ibi requieſcant & caulæ extruantur.

7. ET ERIT FVNICVLVS EIVS QVI REMANSERIT DE DOMO IVDA. Hebr. clariùs; Et erit regio reſiduo ſiue reliquiis domus Iudę. Quo ſignificatur Palæſtinam etſi ſemper Iudæis infeſtiſſimam, ceſſuram in partem eorum qui poſt cladem Babylonicam, in primam reuerſi ſunt, ablata vt ſequitur captiuitate. Hoc autem impletum ſecundùm Theodoret. ſub Machabæis, qui multas ciuitates maritimas, Gazan, Aſcalonem, Ptolemaïdam, vi ceperunt.

IN DOMIBVS ASCALONIS AD VESPERAM REQVIESCENT. Quo ſignificatur magna vaſtitas Aſcalonis & Palæſtinæ, ita vt ſcilicet in domibus ſolo æquatis herbæ creſcant, & pecudes ibi poſſint requieſcere: de qua vaſtitate; inquit Hieronym. in caput 23. Iſaiæ, legamus Græcorum hiſtorias, & maximè eorum qui Aſſyriæ gentis bella deſcribunt, ibique reperiemus poſt captiuitatem Ieruſalem Palæſtinos & Arabes & Damaſcenos ac proinde Ægyptios fuiſſe ſubuerſos.

8. ET MAGNIFICATI SVNT SVPER TERMINOS EORVM, id eſt, ſecundùm phraſim Hebr. in Scripturis frequentem, magnificauerunt os vel linguam ſuam, id eſt, magnificè ſuperbéque locuti ſunt ſuper terram Iſraëlis. Quid autem dixerint, pulchrè declarat ſimili planè phraſi Ezechiel. c. 35. v. 10. & ſeqq. Inſurrexiſtis ſuper me ore veſtro, & locutus eſt de montibus Iſraël, dicens: Deſerti, nobis ad deuorandum dati ſunt, &c. Duæ gentes & duę terrę meæ erunt, hæreditate poſſidebo eos. Vnde qualem ibi vltionem Idumæis intentat, eò quòd inſultaſſent calamitatibus Iſraëlis, talem & hic Ammonitis & Moabitis minatur: quòd videlicet

9. VT SODOMA ERVNT, ET GOMORRHA, id eſt, quòd euertentur penitus atque in deſertum redigendi ſunt: non enim in modo fit comparatio, quaſi igne & ſulphure eſſent obruendi. Nam ſimili phraſi dicit Amos cap. 4. de ipſis Iſraëlitis: Subuerti vos, ſicut ſubuertit Deus Sodomam & Gomorrham, & facti eſtis quaſi torris raptus ab incendio.

SICCITAS SPINARVM, ET ACERVI SALIS, id eſt, Ammonitarum terra deſerta atque infœcunda erit: Per ſalis enim aceruos terra exuſta ſterileſcit: Spinæ verò non modo creſcentes; ſed vſque ad ſiccitatem derelictæ, ſummæ ſolitudinis ſunt argumentum. Atque hoc eſt quod interpretando ſubiungit: DESERTVM VSQVE IN ÆTERNVM, id eſt, vſque ad longum tempus. Factum eſt autem iſtud quinquennio circiter ab excidio Ieroſolymæ, cùm à Nabuchodonoſore Moabitæ & Ammonitæ inuaſi ac domiti ſunt, vt teſtis eſt Ioſeph. 10. Antiquit. capite 11. poſtquam captiuitatem perpetuò Babylonis, Perſis, Græcis, ac denique Romanis ſeruierunt.

RELIQVIÆ POPVLI MEI DIRIPIENT EOS. Quod factum eſſe ſignificat Ioſephus ſub Machabæis 13. Antiquit. cap. 21. & 23. Per hæc, inquit, tempora & Syriorum & Idumęorum & Phenicum vrbes tenebant (Iudæi) totamque Samariam, & Moabitas vrbes; quas ibidem enumerat. De Ammonitis ibidem teſtatur libro 1. Machab. c. 5. v. 6. Sed tametſi hæc litteraliter ita rectè cohæreant; veriſimile tamen eſt, quod indicat Theodoretus, principaliter Spiritum ſanctum reſpicere ad reliquias populi quę ſalutę factæ ſunt ex Iudæis, Apoſtolos nempe & Apoſtolicos viros, qui vicinas gentes fidei prædicatione ſubegerunt & diripuerunt. Vnde ſequitur:

11. HORRIBILIS DOMINVS SVPER EOS, Ammonitas ſcilicet & Moabitas, vtpotè quos non tantum perditurus eſt, ſed etiam ATTENVABIT OMNES DEOS TERRÆ, in quibus habebant fiduciam. Quod quamuis in vtilitatem illarum gentium ceſſerit à ſcriptura facta tamen ita deſcribi ſolet, quaſi Deus inſtar fortis bellatoris præ ira & indignatione idola exterminaſſet, & colla gentium contrita ſuperſtitione ſibi ſubieciſſet. Sic enim & Balaam. Percutiet, inquit, duces Moab (Chriſtus) & vaſtabit omnes filios Seth, id eſt, totum mundum. Itemque Iſaiæ 63. Ego, inquit, qui loquor iuſtitiam, & propugnator ſum ad ſaluandum. Et ſtatim exponens modum: Calcaui eos, inquit, in furore meo, & conculcaui eos ira mea, dies enim vltionis in corde meo, annus redemptionis meæ venit. Quod ipſum infra clariùs explicans: In dilectione ſua, & in indulgentia ſua ipſe redimet eos. Vnde etiam hîc de gentium per fidem ſubactione eſſe ſermonem, neminem dubitare ſinit quod ſequitur. ET ADORABVNT EVM VIRI DE LOCO SVO, ET OMNES INSVLÆ GENTIVM: quemadmodum hoc notauit S. Auguſt. de Ciuit. Dei cap. 33.

12. SED ET VOS ÆTHIOPES INTERFECTI GLADIO MEO ERITIS. Tranſilit iterum ad proſequendam cladem gentibus, quæ Iudæos vexauerant, inferendam, in ſolatium aliquod populi ſui. Nam & Æthiopes grauiſſimè in feſtaſſe Iudęam teſtis eſt l. 2. Paralip. cap. 12. ac 14. Videntur autem hæc eſſe impleta quando Ægyptus propinqua Æthiopiæ à Chaldęis ſubacta eſt, quinquennio circiter poſt excidium Ieruſalem. Nam Ioſephus 10. Antiquit. cap. 11. docet Nabuchodonoſorem vſque in Lybiam & Hiſpaniam perrupiſſe, & maximam Africę partem ſubiugaſſe. Quod ſi verò intelligamus Æthiopes Orientales, Arabes, videlicet mari Rubro vicinos, certiſſimum eſt illos à Chaldęis eſſe vaſtatos.

13. ET EXTENDENT MANVM SVAM SVPER AQVILONEM, id eſt, terram Iudęę aquilonarem: quam exponens adiungit, ET PERDET ASSVR, quia Aſſyrii 10. tribus in captiuitatem abduxerant, nec parum Iudæos infeſtauerant. ET PONET SPECIOSAM IN SOLITVDINEM, id eſt, Niniuen Aſſyriorum Metropolim per eoſdem Chaldęos vaſtabit. Quod contingit initio regni Nabuchodonoſoris, qui Aſſyriorum imperium ad Chaldęos tranſtulit, atque eis Niniuen eripuit. Niniuen enim per *ſpecioſam* intelligi, ex Hebręo certiſſimum eſt: pro qua tamen tranſtulit interpres, *ſpecioſam*, vt vis & lepor prophetiæ ſeruaretur, quòd non obſtante eius decore in ſolitudinem eſſet redigenda.

Huius ſolitudinis & vaſtitatis magnitudinem graphicè prophetico more depingit eodem ferè modo quo Iſaias cap. 34. qui ſimiliter meminit auium non niſi in ſolitudinibus commorantium, Onocrotali & Ericii & Corui. Onocrotalus à voce nomen habet, quod inſtar aſini rudat. Duplex eius genus ſtatuitur ab Hieronymo in hunc locum, & clariùs in Pſalm. 101. terreſtre, de Plinius lib. 10. & aquatile, de quo Ælianus lib. 3. de hiſt. animalium. Vocatur autem & Pelicanus, auis ingentis ingluuiei; vnde & immunda erat in lege, atque Hebr. קא dicitur, à vomitu, quem iterum inſtar canis reſorbet.

14. VOX CANTANTIS IN FENESTRA ſcilicet corui vel auicularum loca deſerta quærentium, audietur.

15. HÆC EST CIVITAS GLORIOSA, &c. Poſt euerſionem inſultat ruinæ ſuperbiſſimæ ciuitatis, quæ præ aliarum contemptu dicere ſo-

lebat, Ego ſvm, &c. quaſi reliquas omnes prę ſe deſpiciens. *Sed* & ipſa patebit contemptui, quia omnis qvi transit per eam, ſibilabit, id eſt, cùm ſibilo irridebit: quod ſummi contemptus eſt, vt patet ex Thren. 2. Sibilauerunt, & mouerunt caput ſuum: loco cuius hîc additur, et movebit manvm svam, nempe digitum ei per contemptum intendens, vel etiam more geſtientium plaudens, quod eius violentia & ſuperbia in terram detracta ſit.

Capvt III.

1. Væ peccatrix, &c. Poſtquam de aliarum gentium ruinis diſſeruit, ad Ieruſalem ſuas minas conuertit, eò quòd crebrò multis calamitatibus & periculis liberata & redempta, tamen clementem & pronum ad miſericordiam Dominum prouocaret & irritaret, atque vt ait Oſeas c. 7. quòd eſſet quaſi columba ſeducta & non habens cor: nam vecordiam Ieruſalem & non pulchritudinem eius ſignificari, quod putauit Theodoretus, indicant ſequentia:

2. Non avdivit vocem, Domini ſcilicet per Prophetas commonentis & diſciplinam ſuam ſuggerentis.

3. Principes eivs qvasi leones rvgientes, prędę ſemper ac ſanguini intenti: ivdices eivs lvpi vesperæ, hoc eſt, præ fame diurna crudeliores: qua de re diximus in Habacuc no relinqvebant in mane, ne oſſa quidem, vt indicant Hebræa ſed omnia deuorabant: Quò immanis iudicum rapacitas, & ſubditorum oppreſſio ſignificatur.

4. Prophetæ eivs vesani, quia Pſeudo-Prophetæ phrenetico quaſi ſpiritu acti prophetando inſaniebant. Viri infideles, quia prophetantes in Baal, Pax erit vobis & non videbitis malum, decipiebant populum Dei, vt latè declarat Ierem. cap. 25.

5. Dominvs ivstvs in medio eivs, vt poſſit vndequaque peccata, quæ ab omni hominum genere fiebant, inſpicere & vindicare, non faciet iniqvitatem, id eſt, non iniquus eſſe probabitur, ſi, vt inquit Hier. reſtituat vrbi peſſimæ quod meretur. Mane mane ivdicivm svvm dabit in lvcem, id eſt, non diſſimulabit amplius, ſed celerrimè vltionem ſuam & iudicium ita palam proferet, vt à nemine poſſit abſcondi, Nescivit avtem iniqvvs confvsionem, vt pro peccatis ſuis erubeſceret & ageret pœnitentiam: de quo queritur & Ieremias cap. 3. Frons mulieris meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere.

6. Disperdidi gentes, quæ variis temporibus contra Ieruſalem & populum meum inſurrexerant, Chananæos in ingreſſu terrę, Amalecitas ſub Saül, Philiſtæos ſub Dauid, Æthiopes ſub Aſa, Moabitas ſub Ioſaphat, Aſſyrios ſub Ezechia, &c.

Dissipati svnt angvli earvm, id eſt, munitiones & turres deſtructę ſunt: vel potiùs, principes eorum ac duces occiſi. Nam iſta phraſi dicitur Iudicum 20. verſ. 2. Omnes anguli populorum, id eſt, principes, & cunctæ tribus Iſraël in Eccleſiam populi Dei conuenerunt. Hoc autem fecit, tum vt qui per plagas me non ſenſeras, ſaltem per beneficia ſentires: tum verò vt ſuppliciorum ſimilium terrore concuteretis. Hac enim de cauſa ſequitur:

7. Dixi: Attamen timebis me, id eſt, profectò timebis me, tot gentium videlicet excidio, ac præſertim recenti decem tribuum captiuitate ac ciuitatum deſolatione perterrita. Et non peribit habitacvlvm eivs. Mutat perſonam, q. d. atque ita fiet vt Ieruſalem ac templum non deuaſtentur propter peccata quę hactenus leuioribus ſuppliciis viſitaui atque puniui. Vervntamen, è contrario, dilvcvlo svrgentes corrvpervnt omnes cogitationes svas: me enim eos ad pœnitentiam prouocante, quaſi de induſtria & quaſi ex contentione ſurrexerunt, vt feſtinatione, quâ ad me redire debuerant, in ſcelera, quæ mente conceperant, ſine obſtaculo prorumperent.

8. Qvapropter expecta me, &c. Diuerſa eſt ſequentium intelligentia. Cyrillus hæc de Chaldęis poſt captiuitatem Babylon. delendis intelligit. Hebręi de futuri ſui Meſſiæ aduentu, quo Gog & Magog delendi ſunt, & omnes vt fabulantur linguâ Hebraïcâ locuturi. Alii de poſte-

riori Chriſti ad iudicium aduentu. Sed certè cùm manifeſtum ſit de populi Chriſtiani vnico per vniuerſum orbem cultu agi, de priori Chriſti aduentu ſequentia intelligenda ſunt, prout veteres Euſeb. lib. 2. de demonſtrat. Euangelica, Aug. 18. de Ciuit Dei cap. 33. Hieron. & Theodoretus intellexerunt. Senſus igitur eſt: Cùm tot minis, tot gentium excidiis, beneficiis, Prophetarum concionibus, nihil ad emendationem veſtram profecerint expecta illum quo à mortuis ſurrecturus ſum, tunc enim apertiorem vos conuertendi rationem indico, IVDICIVM MEVM VT CONGREGEM GENTES, id eſt, fixum apud me atque decretum eſt, vt omnes gentes in Eccleſiam aggregem, atque ad me traham, furoremque meum quo impietatem & idololatriæ offenſus ſum; ſuper eos effundam, vt omnis impietas ex animis eorum deleatur: nam tunc etiam tu, ô Iuda, ad me conuerteris. Non intelligi hîc ergo iram Dei ad puniendum gentes, ſed ad ſaluandum potiùs, ſecundùm ea quæ dixi verſ. 11 cap. 2. patet ex eo quod ſequitur; rationem enim furoris ſui exequendi & modum ſubiungit:

9. QVIA TVNC REDDAM POPVLIS LABIVM ELECTVM, ſermonem ſcilicet purum ac ſanctum: Non quo omnes loquentur Græcè, propterea quod primitùs Euangelium Græcè, annunciatum eſt: vel Latinè, propter eius linguę ſub Romano Pontifice communitatem: vel Hebraicè, quo Adonaï inuocetur, vt Galat. l. 12. & quidam apud ipſum voluerunt: ſed quo omnium linguarum diuerſitas in vnitatem fidei atque inuocationis diuini numinis conſpirabit, exterminatis omnium idolorum ac falſorum Deorum nominibus: Hoc enim exponit textus dicens, VT INVOCENT OMNES IN NOMINE DOMINI, ET SERVIANT EI HVMERO VNO, id eſt, vno conatu vnoque, conſenſu, vt illi ſolent qui mutuis operis idem onus ferunt. Quod ſi quis furorem, iram ac zelum de quo hîc ſermo eſt, propriè accipiendum putet ad vindicandum, eodem ſenſu de Chriſto retento, percommodè intelligi poterit Deus minari vaſtitatem Ieroſolymæ per Titum inferendam, quia ſuper omnes penè Iudæos vndequaque Dei nutu congregatos mirabilis Dei ira effuſa eſt.

10. VLTRA FLVMINA ÆTHIOPIÆ, INDE SVPPLICES MEI, FILII DISPERSORVM MEORVM DEFERENT MVNVS MIHI. Quia ab illis terræ plagis, quæ vltra flumina Æthiopiæ ſitæ ſunt, ad colendum Deum confluxere Chriſtiani: quos, *ſupplices* vocat, vt ſignificet venturos omni faſtu depoſito curuos ad Eccleſiam, & adoraturos veſtigia pedum eius, vt eſt apud Iſaiam c. 60. Vocantur & *filii diſperſorum* ſiue diſperſi prædeſtinati è gentibus, ſecundùm illud Ioannis 11. Vt filios Dei qui erant diſperſi, congregaret in vnum. Flumina Æthiopiæ ſunt Nilus ac 7. oſtia eius, qui ipſos Æthiopes interluit. Quamquam veriſimile ſit ſub Æthiopibus & vicinos Ægyptios comprehendi, inter quos in primis diſciplina Chriſtiana excelluit.

11 IN DIE ILLA, quando ſcilicet ad me ſe gentium multitudo conuerterit, NON CONFVNDERIS SVPER ADINVENTIONIBVS TVIS, id eſt, ſtudiis & cogitationibus vitæ preteritę, quia eas Baptiſmi & Pœnitentiæ expiatione delebo.

QVIA TVNC AVFERAM MAGNILOQVOS SVPERBIÆ TVÆ, magiſtros ſcilicet tuos Phariſæos & Scribas, quibus in ſuperbiam efferebaris: ET NON ADIICIES EXALTARI AMPLIVS IN MONTE SANCTO MEO, id eſt, Eccleſia, quæ eſt mons domus Domini in vertice montium, quàm cùm Iudæi ingreſſi eſſent, omnem illam ſuperbiam depoſuerunt, qua in templo Domini & lege data gloriabantur; per cuius obſeruationem noui teſtamenti gratia ſe dignos fuiſſe, ſuperbiſſimè exiſtimauerant.

12. ET DERELINQVAM IN MEDIO TVI POPVLVM PAVPEREM ET EGENVM: pro quo Hebraicè eſt, *manſuetum & humilem*; pauperem enim pro manſueto ponere ſolet: Populum enim egenum vocat, quia relictis omnibus Chriſtum ſecuti ſunt. Intelligit autem Apoſtolos cæteroſque Iudæorum reliquias, quas cæteris pereuntibus per electionem gratię Deus ſibi dereliquit & ſaluas fecit: quorum innocentiæ & ſanctitatis ſtudium cùm expoluiſſet, cauſam adiecit:

13. QVO-

13. QVONIAM IPSI PASCENTVR ET ACCVBABVNT, &c. id eſt, quia à Paſtore paſtorum amantiſſimo & vigilantiſſimo, diligenterque hoſtium tam viſibilium quàm inuiſibilum inſidias ita vel arcebit vel elidet, vt inſtar ouium ſine timore luporum accubent & requieſcant.

14. LAVDA FILIA SION, Eccleſia ſcilicet noua, tam ex Iudæis quàm ex gentilibus congregata, cuius Ieruſalem figura fuit, & quam Zacharias ſimilibus verbis cap. 9. compellat. Tu ergo lauda, iubila, lætare, & inenarrabili gaudio exulta, quia

15. ABSTVLIT DOMINVS IVDICIVM TVVM, peccata nempe quibus iudicium & condemnationem merebaris: AVERTIT INIMICOS TVOS, dæmones, à quorum captiuitate te liberam aſſeruit.

16. IN DIE ILLA DICETVR IERVSALEM, à Paſtoribus Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus: NOLI TIMERE, perſecutionem turbines, quibus ad adnegandam Chriſti fidem impelleris: NON DISSOLVANTVR MANVS TVÆ, id eſt, non flacceſcas animo vel opere. Rationem concipiendæ fiduciæ adiungit: quia

17. DOMINVS DEVS TVVS IN MEDIO TVI FORTIS, IPSE SALVABIT. Ille itaque Dominus GAVDEBIT SVPER TE IN LÆTITIA, propter amorem, fiduciam & conſtantiam in perſecutione ſeruatam. Sed tamen quantumuis te diligat, ſæpè numerò SILEBIT IN DILECTIONE SVA, quia illam non ſemper vrgente tentationum impetu declarabit, ſed diſſimulabit, vt ſecuriùs ſine ſuperbiæ periculo fides & fiducia tua in Deum probetur.

18. NVGAS QVÆ A LEGE RECESSERANT, id eſt, nugaces & nullius pretii homines, legis ſibi per Moyſen datæ deſertores, Chriſtique interfectores, in vnam Eccleſiam CONGREGABO, idque ideo, QVIA EX TE ERANT, id eſt, quia pars tui fuerant, quam ſemper ſingulari amore complexus ſum: vt videlicet per pœnitentiam ad Dominum conuerſi, NON VLTRA HABEAS SVPER EIS OPPROBRIVM, id eſt, non ſint tibi vltra dedecori, ſed honori.

De reliquis autem in obſtinatione perſeuerantibus, duo ſubiungit: primò quidem,

19. ECCE EGO INTERFICIAM OMNES QVI AFFLIXERVNT TE IN TEMPORE ILLO, quia maximam eorum partem, immiſſo Romanorum exercitu, ſubuerſaque Ieruſalem eorum ciuitate, delebo. Deinde verò quia multi per totum orbem diſperſi vſque ad finem mundi, in incredulitate obſtinatiſſimi vagabuntur. De illis ſubiungit: ET SALVABO CLAVDICANTEM, Synagogam ſcilicet quæ ſæpiſſimè in Dei cultu claudicauit, & etiamdum claudicat innumeris blaſphemiis Dei filium inceſſens. ET EAM QVÆ EIECTA FVERAT, CONGREGABO: quia eamdem Synagogam à me marito ſuo propter incredulitatem eius repudiatam, rurſum in Eccleſiam meam colligam: ita vt, expiatis eorum criminibus, per vniuerſam terram, quam extrema cum confuſione & ignominia oberrant vagabundi, laudentur & celebrentur. Hanc autem ſalutem claudicanti allaturus ſum Synagogæ.

20. IN TEMPORE ILLO, QVO ADDVCAM VOS, id eſt, quando adduxero, ET CONGREGABO VOS, omnes ex Gentibus prædeſtinatos: tunc enim ingreſſa iam Gentium plenitudine, poſt longas infidelitatis tenebras, Iudæos Deus poſtliminiò ad Eccleſiam ſuam reuocabit.

FINIS.

CENSVRA.

HÆc Commentaria Reuerendiſſimi D. CORNELII IANSENII in Prouerbia Salomonis, Eccleſiaſten, librum Sapientiæ: In Habacuc & Sophoniam, ſolidè & dilucidè genuinum Scripturæ Sacræ ſenſum exponunt, è Sanctorum Patrum monumentis potiſſimè depromptum: Quapropter digna cenſeo quæ publicam lucem adſpiciant. Datum Louanij die 17. Iunij, Anno 1644.

IACOBVS PONTANVS *S. Theol. Doctor, Apoſtolicus ac Regius librorum Cenſor.*

INDEX
EORVM QVÆ HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

P. Prouerbia ſignificat. E. Eccleſiaſten. Sap. Sapientiam. H. Habacuc. Sop. Sophoniam. Prior numerus caput, poſterior, verſum denotat.

A

AAronis veſtis Hyacinthina ſymbolicè deſignabat totum mundū. Sap 18. 24.
Quid ſignificarent ſingula eius ornamenta ibid.
Magnificentia nominis tetragrammati inſculpti laminæ aureæ in fronte Aaronis, ibid.
Iudæi dicunt ſe ignorare illius ſignificationem & eam ſibi reuelandam à Meſſia ibid.
Abſtinent religioſiſſimè ab illius pronuntiatione. ibid.
Abraham & domus Thare afflicta fuit in Chaldæa propter verum Dei cultum. Sap. 10 5.
Illa nox, quà Ægyptiorum primogeniti occiſi ſunt, fuerat à Deo prædicta Abrahamo. Sap. 18 6.
Abyſſus ſub terra latet ingens ex qua fontium & puteorum aquæ ſcaturiunt. E. 1. 7.
Accuſatio conſcientię peccatorum in iudicio. Sap. 4. 20.
Adagium vnde ſic dictum? in argument. libr. Prouerb.
Adagium, in parœmia, & Prouerbium ſæpe in ſcripturis confunduntur. ibid.
Adami corpus Deus primo finxit velut ſtatuam, in quam poſtea animam infudit. Sap. 7. 1.
Adam ſepultus eſt in monte Caluariæ. Sap. 4. 8.
Quamdiu Adam perſeuerauerit in innocentia, varij variè opinantur. Sap. 10. 1.
Veriſimilius ipſo die quo creatus eſt, & hora qua Chriſtus mortuus eſt, ſcilicet nona peccauit. Ibid.
Adam vtrum ſaluatus eſt. Sap. 10. 2.
Adiurationum & exorciſmorum Eccleſiaſticorum contra dæmones vtilitas. Sap. 18 25.
Dæmonibus ſunt horrori & timori. ibid.
Cur iis non ſemper cedant. ibid.
Adoleſcentis via eſt vnum ex illis 4. quæ ſapienti videntur difficilia intellectu. P. 30. 19.
In Adoleſcentia non indulgendum voluptatibus. E. 11. 9.
Adoleſcentia vaga eſt & efferenis in voluptates. ibid.
In Adoleſcentia bonis operibus ſtudendum, quia in ſenectute non poteris. E. 12 1.
Adoleſcentes non ita obnoxii defluxionibus & catharris & quare. E. 11. 2.
Adoleſcentia & iuuentus immaculata moribus eſt ſenectus venerabilis. Sap. 4. 8. & 9.
Adoleſcentiæ perplexitas & inconſtantia quanta. P. 30. 19.
Aduerſa non mouent iuſtos & quare: P 12 21.
Aduerſorum & proſperorum viſſitudo & alternatio à Deo venit. E. 7. 15.
Aduerſa vti proſpera de manu Dei accipienda. ibid.
Quod iuſtis aduerſa, & malis proſpera eueniant, eſt homini lapſo conuenientiſſimus diuinę prouidentiæ modus, in quem per peccatum incidimus. E. 8. 14.
Adulator plus nocet quàm perſecutor. P. 10. 9. item. 26. 28.
Seuera correptio melior quàm adulatio. E. 7. 4. 5 & 6.
Adulatio ſimilis ſonitui ſpinarum ſub olla ardentium. E. 7. 7.
Adulterium grauius furto, & mala quæ inde oriuntur. P. 6. 35. item. 7. 22.
Filii adulterini apud Deum & homines contempti. Sap 3. 17. 18. & 19.
Ex adulterio nati ordinariè ſunt ſimiles parentibus improbi & impuri. Sap. 4 3. 4. 5. & 6.
Spuriorum & adulterinorum poſteritas & proſperitas cito extinguitur. ibid.
Ægypti flumina conuerſa ſunt in ſanguinem ad vindictam occiſionis infantium Hebræorum Sap. 11. 8.
Ob eandem etiam cauſam ranæ ebullierunt. ibidem.
Ægyptij adorabant canes, ſerpentes, piſces, talpas, veſpertiliones, ſcarabęos, cæpas, porros. allia, feles, imo etiam crepitum ventris. Sap. 11. 16.
Qui occidebat vnum ex illis animalibus, morte plectebatur. ibid.
Illa publicâ & ſolemni pompa in templo ſepeliebant, ac vltra 660. genera ſacrificiorum habebant. ibid.
Ægytii ideo à ranis, cyniphibus, &c. vexati, qui ea tanquam Deos coluerant. Sap. 12. 25.
Auditâ clade Pharaonis in mari rubro, quiſque Ægyptiorum illam rem pro Deo coluit, circa quam occupatus in domo remanſerat. Sap. 14. 21.
Inter plagas Ægyptii fuit ignis talis vt magis accenderetur in ipſis aquis, nec tamen conſumeret ranas, muſcas, & quibus Ægyptii flagellabantur. Sap 16 16. 17. & item 19. & 20.
Cum igne cecidit pluuia, licet id aliquid negent. Sap. 16. 16. 17. & 18.
In horrendis illis tenebris ſpectra horrenda Ægyptiis apparebant. Sap. 10. 4. & 6.

Illa nox qua primogeniti occiſi ſunt, fuit præcognita Iſraëlitis, & Abrahamo antea à Deo prædicta. Sap. 18. 6
Ænigma quid ſit ſecundum Auguſtinum in arg. lib. Prouerb.
Ænigma in quo diſtinguitur à prouerbio, ibidem.
Ænigma quomodo poteſt fieri prouerbium. ibidem.
De Æternitate & morte cogitandum, non autem voluptatibus indulgendum. E. 11. 8.
Afflictiones & tribulationes iuſtis videntur dulces. E. 8. 5. Sap. 3. 5.
per Afflictiones Deus tentat & probat ſuos. Sap. 5.
Afflictiones huius vitæ comparatione futuræ mercedis leues ſunt & momentaneæ. ibidem.
Altare thymiamatis templi ſecundum quoſdam non fuit à Salomone extructum. Sap. 9. 8.
Ambitio eſt inſatiabilis. P. 30. 19.
Amici defectus diſſimulandi, & non per ſuperbiam deſpiciendus. P. 11. 12.
Veteres amici ſunt retinendi. P. 27. 10.
Vtilitas amicitiæ & ſocietatis. P. 27. 17.
Qui fidit amico infideli, vtitur dente putrido ad comedendum, aut pede laſſo, ad ambulandum. P 13 19
Amandus Deus etiam eum caſtigat P. 3. 11 & 12.
Amor facit amantem ſeruum rei amatæ. E. 2. 11.
Amor & affectus ſunt animæ pedes. E. 4. 17.
Amor & affectus ſunt rami noſtræ arboris, qui illam declinant, vbi exciſa fuerit in illam partem in qua maior eſt & ponderoſior copia ramorum, ſpiritualium nempe vel carnalium. E. 11. 3.
Ancilla in vxorem à Domino ſuo aſſumpta, fit intolerabilis. P. 30. 23
Animæ vita, ſapientia; mors, ſtultitia. P. 3. 22.
Animus non ſatiatur vlla re creata. E. 1. 8.
Animæ pedes, ſunt effectus. E. 4. 17.
Anima noſtra ſecundum impios mortalis. Sap. 2. 2.
Animæ ſalus eſt Sapientia. Sap. 2. 7.
Quidam antiqui Philoſophi putarunt animam noſtram non eſſe aliud quàm ignem in corde latentem, quod, quando commouetur, ſcintillas emittat ſcilicet verba quæ loquimur, & fumum quo reſpiramus Sap. 2. 2.
Diogenes putauit animam eſſe aërem. Sap. 2. 3.
Plato & Stoïci putarunt prima aſpiratione naſcentis infantis adduci, ſicut expiratione nouiſſime educi ibidem.
Animus vt ſeipſum cognoſcat, debet eſſe mundus & imperturbatus P. 27. 19.
Anima per corpus aggrauatur & quomodo. Sap. 9. 15.
Annonæ caritatem inducentes retentione & abſconſione frumentorum maledicentur. P. 11. 25.
Arca Noë diuina prouidentia gubernabatur ne naufragium faceret. Sap. 10. 4. item 14. 6. & 7.
Aſtutia ſubinde ſumitur in bonam partem pro prudentia. P. 1. 4.
Auaritia rapit auaros in damnationem. P. 1. 19.
Auaritia eſt inſatiabilis. P. 30. 16. item 27. 20. E. 4. 8. item 5. 9. item 6. 7.
Auarus non capit fructum ex diuitiis & quare. E. 5. 9.
Auaria nec die nec nocte quieſcunt. E 4. 7. item 5. 11.
Abortiuus melior eſt auaro. E 6 3.
Auari diuitias ſæpe congregant externis & alienis. P. 13. 23. E. 2. 26.
Auarorum labor & ſollicitudo in congerendis diuitiis eſt pœna à Deo ipſis immiſſa. E. 2. 26.
Auarus quomodo fruſtratur fine diuitiarum. E. 6. 4
Auſter in bono cur poni ſoleat, Aquilo in malo. E. 11. 13.

B

BAal propriè & primitus fuit Deus Babyloniorum. Soph. 1. 4.
alio nomine Bel, ſiue Belus vocabatur, fuitque veriſimiliter ipſe Nemrod. ibid.
Belus fuit communis ille gentium Saturnus aut Iupiter, ſicut & Aſtaroth, Iuno. ibid.
Omnium fere Orientalium Dii ab iſto Baal, ſiue Belo nomen ſumpſerunt & quare. ibidem.
Idolum Baal fuit etiam collocatum in templo Dei. ibid.
Baalam cur non terreretur voce aſinæ loquentis. Sap. 17. 9.
Beatitudo æterna eſt dies quæ nec ortum habet nec occaſum, ſed eſt inſtar meridiei ſplendentis. P. 4. 18
Bellica prudentia præualet viribus & fortitudini. P. 20. 19. item 20. 18. E. 9. 13. & 18. Sap. 6. 1.
in Bello Deo magis quam ſuis viribus confidendum. P. 21. 31.
Benedictio in ſcripturis ſæpe accipitur pro munerum largitione. P. 11. 25.
Benefaciendum inimicis. P. 25 21.
Benefaciendum bonis & malis. E. 7. 19. item 11. 1 & 3.
Bethleem Hieroſolymis eſt auſtralis, & ideo Chriſtus dicitur venturus ab auſtro. H. 3. 3.
Bethſabée diuino ſpiritu afflata, Salomonem inſtruxit. P. 31. 1.
Blanditiæ mulierum maxime peruertunt. P. 2. 16. item. 5. 3.
Bonis, quæ Deus dedit, vtendum & fruendum cum honeſtate & gaudio. E. 9. 7. item 2. 24. item 3. 12. & 22. item 5. 17.
Boni & digni in hoc mundo contemnuntur & poſtponuntur malis & indignis. E. 9. 11. & 16. item 10. 5.
Quod hoc fiat, eſt ex iuſta Dei prouidentia, & ordinatione. E. 10. 5

C

CAïn fuit prædo, tyrannus, & dux latronum. Sap. 10. 7.

Caluariæ in monte Adam ſepultus eſt, Iſaac & Chriſtus immolatus. Sap. 9. 8.

Calumnia quantum turbet & frangat robur etiam viri ſapientis. E. 7. 8.

Qui calumnia opprimitur, quàm difficulter poteſt Dei mandata ſeruare. ibid.

Calumnia & tormentum corporis ſunt duo fortiſſima virtutis probandæ media. Sap. 2. 19.

Capparis appetitū cibi & veneris prouocat. E. 12. 5.

Carnem ſuam qui non domat à pueritia, poſtea ſentiet illam ſpiritui rebellem. P. 29. 21

Caro, ſiue corpus corruptibile aggrauat animam & quomodo. Sap. 9. 15.

Caſtigans Deus, etiam amandus eſt. P. 3. 11. & 12. Sap. 3. 5.

Cùm Deus caſtigat pius pater eſt. P. 3. 12.

Caſtigatio & diſciplina ducit ad vitam. P. 6. 23. Sap 3 5.

Pater filium, quem non caſtigat, etiam non amat. P. 13. 24.

Caſtigandi pueri. P. 22. 15. item 23. 13. item 29. 15.

Caſtitas eſt æditua & antiſtes templi Spiritus ſancti hoc eſt animæ. Sap. 3. 14.

Caſtitatis merces & præmium. Sap. 3. 14 & 15. item 4. 1. & 2.

Caſtitatis laus. Sap. 4. 1. & 2.

Nunc eſt tempus caſtitatis ſeruandæ, olim erat tempus coniugij. E. 3. 5.

Caſtitas eſt donum à Deo proueniens. Sap. 8. 21.

Cerethi non fuerunt lictores vt quidam putant, ſed præſtantiſſimi milites ſic dicti eo quod eſſent interfectores Sap. 1. 5.

Palæſtini, ſiue Philiſtæi dicti ſunt Cerethi nomine appropriato, eo quod bellandi & occidendi ferocia præcellerent. ibid.

Qualis fuerit legio Cerethim Dauidis. ibid.

Quidam putant Cerethim fuiſſe tantum partem Palæſtinę, ſed non eſt veriſimile. ibid.

Cerua mare tranans caput in dorſum præcedentis reclinat. P. 5. 15.

Vxor inſtar Ceruæ diligenda. ibid.

Chananæi epulabantur viſceribus filiorum ſuorum idolo Moloch immolatorum. Sap. 12. 5.

Chananæi paulatim, & non vna vice à Deo exterminati ſunt, quare? Sap. 12. 10.

Chananæi & Ægyptii ideo vexati à ranis, cyniphibus, &c. quia illa tamquam Deos coluerant. Sap. 12. 25.

Chriſti de paſſione & Iudæorum machinatione clariſſima prophetia Sap. 2. 12. 13. &c.

Infirmitas carnis Chriſti fuit Iudæis erroris occaſio & quare? Sap 2. 21.

Chriſtus decimo poſt conceptionem menſe natus eſt, qui menſis decimus heroibus adſcribitur. Sap. 7. 2.

Cicero ſuam filiam Tulliam in Deos retulit. Sap. 14. 21.

Commeſſationes fugiendæ. P. 23. 21.

Concordia reddit res inexpugnabiles. P. 18. 18. E. 4. 12.

Concubitus coniugalis quinam ſint limites, & quo fine exercendus. E. 3. 5.

Dormire in ſcripturis ſæpe vſurpatur pro concubitu. Sap. 4. 6.

Confidendum non in ſua prudentia, ſed in ſolo Deo. P. 3. 5.

Fruſtra confiditur amico infideli. P. 25. 19.

Conſcientiæ tranquillitas quaſi iuge conuiuium. P. 15. 15.

Conſcientia arguet & accuſabit peccatores in iudicio. Sap. 4. 20.

Conuerſationis cum aliis vtilitas. P. 27. 17.

Conuitium fruſtra in aliquem prolatum in ipſum conuitiantem refunditur. P. 26. 2.

Cordis, id eſt mentis & voluntatis cuſtodia eſt claudendo duas portas, cupiditatis ſcilicet & timoris, P. 4 23.

Cor duplex Deo abominabile. P. 11. 20. item 17. 20.

Cor hominis etiam ipſimet eſt inſcrutabile. P. 9. 2.

Corrigere nemo poteſt illum quem Deus deſpexerit & reiecerit. E. 7. 14.

Correptus corripientem vt benefactorem amare debet P. 25 12.

qui Corripit hominem, poſtea plus ab eo diligetur, quam is qui blanditus eſt. P 28. 23.

qui Corripientē contemnit, ſubito peribit. P. 29. 1.

in Corrigendo & corripiendo etiam eſt ſeruanda lenitas & mediocritas. P. 30. 33.

Correptio rigida melior eſt riſu & blanditiis. E. 7. 4.

Correptio auſtera & rigida corrigit delinquentem. P. 20 30. E. 7. 4. 5. & 6.

Quando & cui correptio ſit ſalubris? E. 7. 14.

Correptio vtilis eſſe nequit, niſi Deo intrinſecus inſonante, & operante. P. 1. 6. E. 7. 14.

qui odit Corripientem, odit ſcientiam & manebit inſipiens. P. 12. 1. & 2. Item 15. 31. & 12.

manifeſta Correptio etiam ab inimico, melior eſt amore occulto amici qui non corripit delinquentem. P. 25. 5.

melior eſt Correptio & caſtigatio diligentis, quam adulatio odientis. P. 27. 6.

Crabrones veri miſſi ſunt ad Chananæos ante Iſraëlitas, qui illos è Chananæa expellerent. Sap. 12 8.

Creauit Deus quidquid verè congruebat creari E. 3. 14.

Crepitus ventris adorabatur ab Ægyptiis. Sap. 12. 16.

Eum plurimùm extimeſcebant. ibid.

Crucis mors eſt ignominioſiſſima. 2. 20.

Romani quotannis canem affixum cruci circumgeſtabant in pompa ſolemni, vt ſic intelligeretur, eos, qui pro patria non vigilarent, tam ignominioſa morte dignos eſſe Sap. 2. 20.

Apud Romanos, ad crucem, ad coruos, erat diriſſima imprecatio. ibid.

Crux Chriſti à Iudæis vna cum Chriſto ſepulta fuit & quare. Sap. 14. 9.

Curioſitas de occultis Dei rationibus & iudiciis vana eſt. E. 6. 10. Item. 7. 1.

Curioſus rerum diuinarum ſcrutator opprimetur à gloria illarum. P. 25. 27.

D

DAmnatione Deus non delectatur hominum, ſed potius dolet de cauſa. Sap. 1. 13.
Deus non eſt cauſa damnationis hominum aut Angelorum Sap. 1. 13. & 14.
Dat qui lentus inuitus dat. P. 3. 28.
Delicatus in nutriendo ſuam carnem, poſtea illam ſentenriet ſpiritui rebellem. P. 29. 21.
Detrahentem linguam facies triſtis diſſipat. P. 25. 23. E. 7. 4.
Detractor eſt ſimilis ſerpenti. E. 10. 11.
Detractio Regis etiam occultiſſima, eſt periculoſa & quare. E. 10. 20.
Detractio eſt vipera quæ tres vno afflatu inficit loquentem, audientem, & detractum. Sap. 1. 11.
Detractio etiam occultiſſima, non manebit impunita. Sap. 1. 11. P. 24. 21.
Deus amandus etiam cum caſtigat. P. 3. 11. & 12. Sap. 3. 5.
Deus pius pater, cum caſtigat. P. 3. 12.
Deus enim iuſtis & ſimplicibus familiariter agit. P. 3. 32.
Deus eſt turris & protector iuſtorum. P. 18. 10.
Deus eſt propinquus & tutor pupillorum. P. 23. 11. Item 15. 25.
Deus eſt mirabilis etiam in minimis operibus, quarum naturam homo non poteſt penitus cognoſcere. E. 3. 11.
Deus fecit quidquid verè congruebat fieri. E. 3. 14.
de Deo rebuſque diuinis parum & ſine temeritate affirmandi loquendum eſt. E. 5. 1.
Deus incomprehenſibilis & incogitabilis ab homine. E 5. 1. & 2. Item 8. 16. & 16.
de Deo nihil dignum aut verè dicere poſſumus, ſed ſolum quid non ſit. E. 5 2.
Dei, rerumque diuinarum curioſus ſcrutator opprimetur à gloria illarum. P. 25. 27.
Deus eſt Index Iudicum iniquorum. E. 5. 7.
Dei verbum efficaſſimum. E. 8. 4.
Dei bonitas & patientia cum impiis deducit nos in cognitionem eius miſericordiæ & bonitatis in iuſtos. E. 8. 12.
Deus hominem diligit ſuper omnia opera ſua. P. 8. 31.
Deus cognoſcit cognitiones cordis. P. 16. 2. Item 15. 11. Sap. 1. 9. 7. &c.
Deus res omnes diſponit & regit ſine vlla coactione aut violentia ſeſe earum naturis, maxima cum facilitate & ſuauitate accommodando. Sap. 8. 1.
ſoli Deo propriè competit eſſe. Sap. 13. 1.
Dei pulchritudo ex eius operibus cognoſcitur & quare Sap. 13. 1. 3 & 5.
Quanta fuerit magnificentia nominis Dei inſculpti laminæ aureæ in fronte Aaronis. Sap. 18. 24.
Cur dicatur ineffabile. ibid.
Cur Iudæi ab eius pronuntiatione religioſiſſimè abſtinerent. ibid.
Iudæi dicunt ſe illius ſignificationem ignorare, eamque ſibi à Meſſia reuelandam, ibidem. Apoſtoli, 70. Interpretes & Chriſtus loco illius ſemper ſubſtituunt vocem dominus. ibid.
Cur & vnde apud Gentiles tantus Deorum numerus, Sap. 14. 21.
Cur ſcriptura homines & idola aliquando Deos vocat. ibid.
Dextra quid ſit? P. 4 27.
Conciliantur hæc duo, ne declines ad dexteram, aut ſiniſtram, & viæ, quæ à dextris, ſunt bonæ: ibid 28. 29.
Diaboli inuidia mors intrauit in orbem. Sap. 2. 24.
Homo ante peccatum erat diabolo ſuperior & ab eius dominatu exemptus. ibid.
Hoc ei inuidens perſuaſit peccatum vt ei per omnia ſubderetur tam ordine naturæ, quam vitii. ibid.
Dialecticæ diſciplinæ loco, olim Hebræi exercebant iuuentutem in enucleandis ænigmatibus, prouerbiis, aliiſque ſermonibus parabolicis, & quare. In arg. lib. Prouerb.
Dido veriſimiliter traxit genus ex Baal, ſiue Belo & propterea Sidonii & Tyrii peculiari cultu coluerunt Baal & Aſtaroth. Sap. 1. 4.
Diluuio poſteriores homines mole corporis cur fuerint minores quàm ante. Sap 14. 6.
Homo ſine Dei directione nihil poteſt benè agere. P. 20. 24.
Dirigere ſæpe ſumitur pro proſperare. Sap. 11. 1.
Diſciplinas tradentes & parabolas cur obſcuritatem affectauerint antiquitus Ægyptii, Chaldæi, Pythagorici. in arg. lib. Prouerb.
Quid ſignificet, diſciplina apud ſcriptores Eccleſiaſticos. Sap. 6. 12.
Diſciplina ducit ad vitam. P. 6. 23.
Diſcordiarum ſeminatio eſt vitium maximè deteſtabile inter ſeptem quę recenſentur. P. 6. 16.
Diuitiarum ſpes eſt impiis acerrimus ad mala ſtimulus. P. 1. 13
Diuitiis omnibus præponenda eſt ſapientia. P. 8. 10. & 18.
in Diuitiis non eſt confidendum. P. 11. 28.
Homo non diteſcit ex male acquiſitis. P. 11. 24. Item 12. 27. item 13. 11. H. 2. 9.
Diuitiis multis melius eſt nomen bonum & gratioſum. P. 22. 1.
Diues & pauper vterque vtrique neceſſarius & propter ſe mutuo à Deo factus. P. 22. 2.
Diues videtur ſibi ſapiens. P. 28. 11.
Parentes relinquunt ſuas diuitias talibus filiis, quos ignorant quales futuri ſint & hoc nihil vanius. E 2. 19. 21 & 26.
Minima portio diuitiarum ad dominum ipſum pertinet, maxima vero ad famulos & alios E. 5. 10.
Diuitiæ cum ſapientia præſtant ſoli ſapientiæ. E. 7. 12.

Diuitiæ ſicut impedimenta ſunt reprobis, ita bonis adiumenta virtutis. ibid.
Quæ ſint veræ hominis diuitiæ. P. 10. 21. item 22. 27.
Diuitiæ de ſe viles, pretioſiſſimæ fiunt erogatione in pauperes. P. 13. 8.
Diuitiis hilariter & cum honeſtate vtendum eſt, & non iis anxiè conquirendis inhiendum. E. 2. 24. item. 5. 17.
Diuitiæ vocantur lutum. H. 2. 6.
Væ congregantibus iniuſte diuitias. H. 2. 9. & 10.
Diuitiæ ſæpe tolluntur ab indignis & dantur iis qui illis vti benè faciendo ſciunt. P. 13. 22.
In extremo iudicio nihil proderunt diuitiæ, P. 11. 4. item 10. 2.
Diuitiæ ſæpe congregantur extraneis. P. 13 23. E. 2. 16. item 6. 2.
Pauper ſimplex eſt melior diuite ſuperbo. P. 19. 1.
Doctus vir quo magis in doctrina proficit, eo ſibi indoctior & plura ignorare videtur. E. 7. 24.
Lingua alios docentium à Deo gubernanda eſt, vt apte & fructuosè docere queant. Sap. 7. 16.
Homo fruſtra externis docet, niſi Deus etiam internis doceat. P. 16. 21.
Quæ ſit merces, & præmium eorum qui docent alios. P. 2. 6.
Domanda eſt caro à pueritia, ne rebellet poſtea ſpiritui. P. 29 21.
Domini non debent curiosè inquirere quid de ſe famuli dicant & quare. E. 7. 22.
Dormire in ſcripturis ſæpe vſurpatur pro concubitu. Sap. 4. 6.
Duplicis cordis homo Deo abominabilis eſt. P. 11. 20. item 17. 20.

E

EBrietatis & commeſſationum mala. P. 23. 21. & 29.
Eccleſiæ deſcriptio cum omnibus ſuis muniis ſub forma mulieris fortis & virtuoſæ. P. 31. 10. 11. &c.
Eleemoſyna omnibus danda dignis & indignis. E. 11. 2. & 3.
Eleemoſynę fructus ibid.
Eleemoſyna eſt valde pretioſa. P. 13. 8.
Eſſe ſoli Deo propriè & abſolutè competit. Sap. 13. 1
Euangeliorum codex olim in Conc. Eccleſiaſticis excelſiori loco ſtatuebatur vt Chriſti iudicis referret præſentiam. Sap. 9. 4.
Euchariſtia cum reuerentia & ſui probatione recipienda. P. 23 3.
Exaltans ſe humiliabitur. P. 17. 17. item. 29. 23.
Exaudire Deus in calamitatibus, impios non vult, etſi clamauerint ad ſe & quare. P. 1. 28.
Excæcat Deus Impios pluendo pœnales cœcitates ſuper illorum cupiditates. P. 2. 13.
Peccata ſunt cauſa cœcitatis, & cœcitas cauſa peccatorum. Sap. 2 21.
Exorciſmi ad quid primo inſtituti. Sap. 18. 25.
Virtus & vtilitas illorum contra dæmones. ibid.
Exorciſmos dæmones plurimùm horreſcunt, ibid.
Curiis non ſemper cedant. ibid.
Expugnantur per prudentiam & ſapientiam vitia, alias viribus inexpugnabiles. 21 22.

F

FAma bona melior eſt diuitiis. P. 22. 1.
Melior etiam vnguentis. E. 7. 2.
De qua bona fama hoc intelligendum. ibid.
Bona fama quorum bonorum ſit cauſa ibid.
Fame non affliguntur iuſti, quare & quomodo P, 10. 3.
Felis adorabantur ab Ægyptiis Sap. 11. 16.
Fide viuit iuſtus & qua ratione. H. 2. 4.
Filius deſpiciens patrem aut fratrem dignus eſt cui corui eruant oculos. P. 30. 17.
Fili nequam ſubinde à Deo dantur in punitionem parentum. Sap. 9. 12.
Sæpè Deus maledicit filiis propter parentum peccata. Sap. 3. 13.
Filius ſecunda Trinitatis perſona.
Filii cum Patre conſubſtantialitas. Sap. 7. 25. & 26
Ex quibus ſcripturis ſancti Patres colligunt filii conſubſtantialitatem ibid.
Flagella ducunt ad vitam. P. 6. 23.
Flagella emendant peccatores. P. 20. 30.
Fœtus formatio ordinariè perficitur nouem menſibus. ſubinde pluribus, ſubinde paucioribus. Sap. 7. 2.
Menſis formationis Fœtus infra ſeptimum non eſt vitalis, ſupra decimum rarus & monſtroſus. ibid.
Menſis decimus attribuitur heroïbus, vti & Chriſto. ibid.
Formicæ exemplo ſapientiæ ſtudendum in æſtate, hoc eſt in tranquillitate vt inde viuamus in hieme, hoc eſt in aduerſitate. P. 6. 6.
Formica eſt ſapientior ſapientibus. P. 30. 25.
Fraudulenti non habitant cum ſapientia. Sap. 1. 4.
Spiritus ſanctus fugit & auerſatur fraudulentos. Sap. 1. 5.
Frui re aliqua ſecundùm Auguſtinum, quid ſit? E. 2. 10.
Furtis & rapinis homo non diteſcit. P. 11. 24. Item 21. 27. item. 13. 11.
Grauiter peccat qui à parentibus furatur. P. 28. 24.
Furor Dei aliquando ſumitur in bonam partem, vt non ſit ad puniendum, ſed ad ſaluandum. Sap. 2. 11. item. 5. 8.

G

GArrulitas diuagatio propria eſt meretricibus. P. 6. 16.
Garrulitas & multiloquium ſtultorum propria. E. 10. 13. & 14.
Gehenna pro inferno vſurpatur & vnde ſic dicta. Sap. 12. 5.

Gloria & ſplendor impiorum in hoc ſæculo non eſt aliud, quam peccatum. P. 21. 4

Gratia vacui nihil bene agere poſſumus. P. 20. 20.

Gratiæ efficacia non tollit, ſed adiuuat & auget libertatem. Sap. 9. 10.

H

HA' acuc vnde ſic dictus in proœmio Proph. Hab.

Non fuit filius Sunamitis, quem Eliſæus ſuſcitauit vt quidam opinantur. ibid.

Nonnulli arbitrantur fuiſſe iſtum Habacuc, qui Danieli prandium tulit. ibid. quo tempore prophetauit? ibid.

Hæredibus talibus diuitiæ congregantur qui ignorantur quales futuri ſint, & hoc vanitas eſt. E. 7. 19.

Hęreſis deſcriptio P. 9. 13. & 14.

Hæretici ſunt ſimiles muſcis, quæ morientes inficiunt, & corrumpunt oleum. E. 10 1.

Hæreſis à Deo permittitur in ſupplicum peccatorum, ſicuti olim Idololatria Iudæorum. Sap. 14 27.

Hebræ antiqui loco dialecticæ exercebant iuuentutem in enucleandis prouerbiis, ænigmatibus, aliiſque ſermonibus obſcuris & quare in arg. lib. Prouerb.

Quo iure Hebræi potuerint retinere ſpolia Ægyptiorum. Sap. 10. 17.

Pueri Hebræorum poſt egreſſum è mari rubro omnes vno quaſi ore idem canticum cantabant. Sap. 10. 21.

Vide alia ſub voce Iſraëlitæ.

Hilaritate quanta vtendum bonis à Deo datis. E. 2. 24. item 3. 12. & 21. item. 5. 17. item. 9. 7.

Hominis & Bruti quoad corpus ſimilis eſt conditio, ſimiliter naſcitur & moritur. E. 3. 18. & 20.

Homines tranſeunt inſtar aquæ fluentis. E. 11. 1.

Homo duobus nominibus Hebraicis appellatur, Adam à terra, & Iſch. ab igne, quaſi illud conditionem corporis, hoc animæ deſignet. Sap. 2. 3.

Homo creatus eſt à Deo immortalis, ſi non peccaſſet. Sap. 2. 23.

Homo eſt Dei imago & in quo conſiſtat illa imago ibid.

Homo ante peccatum erat diabolo ſuperior & ab eius dominatu exemptus & hoc illi diabolus inuidit. Sap. 2. 24.

Homo à Deo diligitur ſuper omnia alia opera. P. 8. 31.

Hominum cogitationes & conſilia incerta & erroribus obnoxia. Sap. 9. 14.

Cur homines poſt diluuium naſcantur minores, quam ante. Sap. 14 6.

Humilis animus eſt maxime Sapientiæ capax. P. 2. 2. item 11. 2.

Qui ſe exaltat humiliabitur. P. 17. 17. item 29. 23.

Deus ſæpe permittit iuſtum humiliari, vt inde contra tentationes reſurgat fortior. P. 24. 16.

Humilitas hominem roborat ne vllis rebus commoueatur. P. 10. 25 item 12. 12.

Hyperboles quis ſit vſus? E. 7. 29.

In Hyperbole nulla falſitas ibid.

Hyperbole incredibilia affirmat vt credibilia, credantur. ibidem.

I

IDololatria eſt fornicatio. Sap. 14. 12.

Vnde Idolorum vſus & inuentio & Idololatriæ propagatio. Sap. 14. 15. 16. 21. &c.

Idololatria omnium malorum & vitiorum cauſa, initium & finis. Sap. 14. 27.

Peccata per Idololatriam tanquam per ſupplicium Deus ſæpe olim puniuit, ſicut & nunc per Hæreſim. ibid.

Imago Dei eſt homo, & in quo conſiſtat illa imago. Sap. 2 23.

Homo creatus eſt à Deo immortalis ſi non peccaret. ibid.

Impii nocendo aliis, ſibi ipſis nocent. P. 1 18. Item 11. 3. 5. & 6. item 26. 2.

Impiorum proſperitas illos perdit. P. 1. 32. E. 8 13.

Impii Deum relinquentes à Deo excæcantur. P 2. 13

Impiorum vita paulatim tenebris maioribus repletur. P. 4. 19. E. 2. 14.

Impiorum poteſtas etiam à Deo eſt P 8. 15.

Impii continuo intenti flagitiis & ſceleribus perpetrandis. P. 4. 16.

Impii quaſi per riſum peccant. P. 10. 23.

Impius citò tranſit & perit. P. 10. 25. item 3 19. item 24. 19. Sap. 5. 14. P. 2. 22.

Impius non eſt ſecurus, ſed ſemper timidus. P. 10. 29.

Impius incidit in foueam quam aliis facit. P. 1. 18. item 11. 3. 4. 5. & 8. item 16. 2. & 27. E. 10. 8.

Impius ita paulatim peccatis aſſueſcit vt in fine contemnat. P. 18. 3.

Dies mortis Impii & reprobi aliquo ſenſu eſt melior die natiuitatis. E. 7. 2.

Impiis & piis in hac vita omnia indifferenter eueniunt. E. 9. 2.

Propter vitæ breuitatem Impii indulgent voluptatibus, & pii ſtudent virtutibus. Sap. 2. 6.

Impii pœnitus exterminabuntur. P. 15. 5. Sap. 4 19.

Impiorum horror, ſtupor & gemitus in extremo Iudicio. Sap. 5. 2. 3. & 4.

Impiorum vita etiam voluptuoſiſſima, eſt plena ſpinis pungentibus & doloribus. Sap. 5. 7.

Impiorum ſplendor & gloria in hoc ſæculo non eſt aliud, quam peccatum. 21. 4.

Impunitatis ſpe impii excitantur ad mala. P. 1. 11.

Incipientibus via virtutis valde arcta eſt; poſtea valde dilatatur. P. 4. 12

Infans per vagitum ſuum in natiuitate prophetat quodammodo quid malorum ingreſſus ſit. Sap. 7. 3.

Infantes primis diebus non plorant proprie, ſed vagiunt, ibid.

Solus Zoroaſtes in natiuitate ſua non vagiit, aut fleuit, ſed riſit, riſu etiam portentoſo. ibidem.

Ingenium bonum eſt Dei donum. P. 20. 12.
Inimicis benefaciendum. P. 25. 22.
Non eſt gaudendum de caſu & malis inimicorum. P. 24. 17.
Innocentiæ ſtatus. Vide Inuidia.
Innocentiæ in ſtatu fuiſſet hominum gubernatio & directio per ſuperiores Sap 9 3.
Inuidia quid ſit, & vnde oriatur. E. 4. 4.
Homo vbicumque verſetur, periculo inuidiæ ſemper eſt expoſitus. ibid.
Inuidia qua quis melioribus inuidet, eſt vitium diabolicum & fere inſanabile. Sap. 2 25.
Inuidiæ aliorum ſunt expoſiti qui bene agunt. E. 4. 4.
Ira & auſteritas ſiue verborum ſiue actionum eſt melior riſu, & blanditiis. E. 7. 4.
Non facile iraſcendum. E. 7. 11.
Ira eſt ſtultorum propria ibid.
Qui ſcit Iram ſuam frænare, ſapiens eſt. P. 12. 16.
Ira Dei in ſcripturis ſubinde ſumitur in bonam partem, vt non ſit ad punitionem, ſed ad ſalutem afferendam. Sap. 2. 11. item. 3. 8.
Iſaac immolatus eſt in monte Caluariæ, Sap. 9. 8.
An bis aquæ eruperint Iſraelitis de petra in deſerto & non tantum ſemel vt quidam opinantur, S. 11. 4.
Aliqui opinati ſunt eandem petram perpetuo cum caſtris Iſraelitarum quaſi plauſtro circumductam fuiſſe, ex qua aquæ fluerent. ibid.
Vide alia ſub voce, Hebræi.
Iudicium iniquum eſt ſtatera doloſa & pondus iniquum. P. 11. 1 item 20. 10.
Iudicium, ſiue ſententia, non modo iuſta, ſed etiam iuſte ferri debet, hoc eſt ex amore iuſtitiæ. Sap. 6. 5.
Iudicium duriſſimum fiet iis qui præſunt aliis. Sap. 6 6.
Deus iudicabit iudices iniquos. E. 5. 7. Sap. 6. 6.
Iudicia Dei, eiuſque rationes occultiſſimæ. P. 4 28. E 8. 16
Iudicii extremi ſigna. E. 12. 2. 3. &c. Sap. 5. 22. 23. & 24.
Iudices memores eſſe debent ſe non hominis, ſed Dei inſpectoris exercere Iudicium. Sap. 1. 1.
Omnes ſancti cum Chriſto iudicabunt. Sap. 3. 8.
Conſcientia arguet & accuſabit peccatores in Iudicio. Sap. 4. 20.
Horror, ſtupor & gemitus Impiorum, in Iudicio extremo. Sap. 5. 2. 3. & 4.
In Iudicio extremo ira Dei ſine vlla miſericordia. Sap. 5. 21.
Nemo eximetur ab extremo Iudicio. Sap. 6. 8.
in Iudicio nihil proderunt diuitiæ. P. 11. 4.
Homines mali iudicant alios eſſe ſibi ſimiles, verbi gratia impurus alios etiam eſſe impuros. E. 10. 3.
Cur dies extremi Iudicii vocetur dies Domini. Sop. 1. 7.
Iudices iniqui & auari ſunt Lupi veſpertini. H. 1. 8.
Iuſtitia Iudaica qualis? P. 2. 21.
Iuſtorum vita in perfectione eſt ſimilis auroræ, quæ ſuccedentibus lucis incrementis aucta pertingit ad meridiem. P. 4. 18
Iuſtos Deus benedicit. P. 3. 33. item 10. 6.
Iuſtorum vias nouit Dominus & quomodo & quare. P. 4. 28. & 29
anima Iuſti non affligitur fame, vtpote cui Deus inhabitans eſt perpetua refectio. P. 10. 3.
Iuſti magis, magiſque proficiunt. P. 11. 28. item 12. 12.
Iuſti non mouentur vllis aduerſis & quare. P. 12. 21.
cur Iuſtis Deus differat vitam æternam P. 13. 12.
Deus eſt iuſtorum turris & protector. P. 18 10.
Iuſtus permittitur humiliari & affligi, vt inde fortior reſurgat. P. 24. 16.
Iuſtis afflictiones videntur dulces. E. 8. 5.
Quod iuſtis aduerſa, & impiis proſpera in hac vita eueniant, eſt conuenientiſſimus homini lapſo diuinæ prouidentiæ modus, in quem per peccatum incidimus. E. 8. 5.
Iuſtus de ſua iuſtitia plane incertus. E. 9. 1. & 2.
Qua de cauſa hoc Deus velit & permittat. ibid.
Iuſtis & impiis omnia in hac vita communia. ibid.
Iuſtorum animæ in manu & protectione Dei ſunt. Sap. 3. 1. item 5. 18.
Mortis acceleratio eſt magnum iuſtis Dei beneficium. Sap. 4. 11. 15.
Iuſtos Deus præmatura morte eripit, ne malitia mutentur. ibid.
Iuſtorum merces. Sap. 5. 16. & 17.
Qua ratione iuſtitia dicitur homini naturalis. P. 21. 8.
Iuſti ſunt ſalus ciuitatis. P. 11. 11.
cor Iuſti eſt quaſi libra iuſticiariæ poteſtatis, qua quid Deo, quid hominibus debeatur, examinat & appendit P. 12. 15.
Iuſtus cadens coram impio perdit ſuam claritatem & arguendi authoritatem. P. 25. 26.
Iudæi errauerunt circa carnis Chriſti infirmitatem exſpectantes Meſſiam cum virtute & poteſtate. Sap. 2. 21.
Iudæa, ſiue Palæſtina vocabatur ſancta etiam ante Chriſtum & quare. Sap. 12 3.
cur Iudæi adorabant ad occidentem verſi contra motem Gentilium? Sap. 16 28.

L

Laborandum in hac vita exemplo formicæ. P. 6. item 20. 13. item 24. 30.
Labor & diligentia afferunt diuitias & imperium. P. 10. 4 item 12. 24 item 13. 4.
omnis Labor hominis eſt propter victum. P. 16. 26. E. 6. 7.
Lætitia huius ſæculi ſemper temperata eſt aliquo dolore. P. 14. 13.
Laudantis ore homo probatur ſicut igne argentum, & laus humana eſt quotidiana noſtra fornax. P. 27. 29.
Lepuſculus ſapientior ſapientibus docet homines, vbi debeant fundare ſuum ædificium ſpirituale. P. 30. 28.

Linguam

Linguam à domino regi quàm neceſſarium. P. 16. 1. Sap. 7. 16.
Qui non poteſt cohibere linguam, eſt ſimilis vrbi omnibus patenti. P. 25. 28.
Lingua docentium à Deo dirigenda eſt vt aptè & cum fructu loqui poſſint. Sap. 7. 16.
Loquens præcipitanter ad interrogata, ſtultus eſt. P. 29. 20.
De rebus altiſſimis & diuinis parcè loquendum eſt & ſine affirmandi temeritate E. 5. 11.
Nihil dignè de Deo loqui poſſumus E. 5. 2.
Qui parcè & moderatè loquitur ſapiens eſt. P. 17. 27.
Non eſt temerè & ſine circumſpectione in verba erupendum. P. 25. 8.
Verbum opportunè prolatum magnam habet gratiam. P. 25. 11.
Qui pronus eſt & facilis ad loquendum eſt ſimilis vrbi omnibus patenti. P. 25. 28.
Lot vxor ob quem finem fuerit in ſtatuam ſalis conuerſa. Sap. 10. 7.
Hebræi fabulantur ideo in ſtatuam ſalis fuiſſe conuerſam, quod veſperi hoſpitibus angelis ex inhoſpitalitate non appoſuiſſet ſalem. ibid.
Si quid ex illa ſtatua decerpatur, ſtatim in integrum ſeſe reſtituit ſecundum Tertull. ibid.
Secundū eundem ei etiam menſtrua fluunt. ibid.
Lucri ſpes eſt impiis acerrimus ad mala ſtimulus. P. 1. 19.
Luporum duplex genus, veſpertinorum ſcilicet & matutinorum. H. 1. 8.
Iudices iniqui & auari ſunt Lupi veſpertini, ibid.
Luxurioſa res eſt vinum. P. 20. 1.
Deus ſubinde permittit ſuperbos ad humiliationem cadere in aliquod infame peccatum luxuriæ. P. 22. 14.
Luxurioſi tenebras quærunt, ſed tamen Deus videt. P. 5. 21.
Luxurioſus eſt inſatiabilis. P. 30. 16.
Cum luxurioſis non habitat ſapientia. Sap. 1. 4.

M

Maledicuntur ob peccata parentum poſteri. Sap. 3. 13.
Exiguum malum res optimas vitiat & corrumpit. E. 10. 1.
Non eſt gaudendum de malo alieno. P. 24. 17.
Mandata obſeruantibus promittuntur ſub iiſdem verbis bona temporalia hominibus carnalibus, & æterna ſpiritualibus. P. 3. 2.
Via mandatorum diuinorum quibus arcta, & quibus & quomodo dilatetur. P. 4. 11.
Mandata diuina ſemper ob oculos habenda. P. 6. 22. item 7. 3.
Mandatum diuinum eſt lux & lucerna P. 6. 23.
Manna cur dictum panis Angelorum. Sap. 16. 20.
Fabulantur Rabbini ideo ſic dictum quod eo veſcerentur Angeli, aut quia lumen diuinum, quo Angeli reficiuntur, eſſet incorporatum in manna. ibid.
Falsò aliqui putant manna, ſi quis piſcem, pomum, &c. appeteret, fuiſſe in illa conuerſum. Sap 16. 21. 25.
Præbebat tamen omnem ſaporem, ſed iis duntaxat, qui illum ex fide petebant, non autem infidelibus murmuratoribus. ibid.
Manna ſole incaleſcente liquefiebat, & non igne, & quare. Sap. 16. 22. & 27. item 19. 20.
Iſraëlitæ Manna colligentes ſacrum quemdam ritum adhibebant. ibid.
Ratio moralis & myſtica cur debuerit colligi ante ſolem. ibid.
Manna in ſcripturis ſæpe vſurpatur pro miniſterio. Sap. 11. 5.
Mare cur non exundet influxu tot fluminum. ibid.
Martyres ſunt holocauſta Deo oblata. Sap. 3. 6.
Medicamentum ſubinde accipitur pro veneno. Sap 1. 14.
Mediocritas diuitiarum cum timore Domini, melior eſt quàm omnes theſauri P. 15. 16. & 8.
Mediocritas à Deo petenda eſt, non autem diuitiarum abundantia, aut egeſtas. P. 30. 8. & 9.
Mendaces & fictos Spiritus ſanctus auerſatur & fugit. Sap. 1. 5.
Mendaces Deus non ſinit impunitos. Sap. 1. 6. & 8.
Mendacium occidit animam. Sap. 1. 11.
Meretricis deſcriptio cum ſuis blanditiis & modo agendi Sap. 5. 3. 4. &c.
Meretricis oculus eſt laqueus quo capiuntur amantes. P. 6. 25.
pretium Meretricis eſt viliſſimum, pro qua tamen homo dat animam ſuam pretioſiſſimam. ibid.
Garrulitas & diuagatio eſt propria meretricum. P. 7. 10.
qui Meretricem ſequitur, ducitur inſtar bouis ad macellum. P. 7. 22.
Via ad Meretricem eſt via ad infernum P. 7. 27.
Meretrix quæ ſecretum celauerit, inſtar prodigi habita eſt & digna ſimulachro. P. 7. 10.
Vide etiam vocem, Mulier.
Metendi tempus finitur cum vita. E. 9. 5. & 10. P. 6. 7.
aliorum Meritis poſſumus apud Deum iuuari & ab eo diligi Sap. 9. 1.
Meſſiam expectabant Iudæi cum virtute & poteſtate, vnde carnis Chriſti infirmitas exſtitit ipſis cauſa erroris Sap. 2. 21.
Miſericordes in pauperes Deus remuneratur affluentia temporalium bonorum. P. 3. 10. item 19. 17.
qui Miſeretur proximi, benefacit animæ ſuæ. P. 11. 17.
Miſericordia Deo gratior eſt quàm victimæ. P. 21. 3.
Qui non eſt miſericors, nec à Deo etiam miſericordiam conſequetur. P. 21. 13.
Ex miſericordia & bonitate Dei in impios cognoſcimus quanta futura ſit eius bonitas & miſericordia in iuſtos, E. 8. 12.

Qui eſt miſericors in pauperes, Deum honorat. P. 14. 31.
Monitiones ſapientiæ, qui contemnit poſtea non exaudietur. P. 1. 28.
Mortis dies eſt melior die natiuitatis, etiam reprobis ſaltem aliquo ſenſu. E. 7. 2.
Homo ſimiliter vt pecus moritur & oritur. E. 3. 18. & 20.
Nemo habet poteſtatem contra mortem. E. 8. 8.
Mortui non habent amplius vllam notitiam aut curam huius ſæculi. E. 9. 6. & 10.
Mors non eſt à Deo, ſed ab homine & diabolo. Sap. 1. 13. 14. & 16. item 2. 24.
Deus non lætatur de morte aut perditione hominum, ſed potius triſtatur. Sap. 1. 13.
Acceleratio mortis eſt magnum iuſto Dei beneficium. Sap. 4. 11. & 15.
Mulier quàm nociua. P. 2. 16.
Nihil magis virilem animum ex arce rationis deiicit quàm mulierum blandimenta. ibid. item. 7. 26.
Familiaritas cum mulieribus eſt periculoſiſſima. P. 6. 25. & 29. E. 7. 27.
Mulier quæ pulchra eſt & fatua ſimilis eſt ſui habenti in naribus annulum aureum. P. 11. 22.
Mulier bona, eſt donum Dei. P. 18. 22. item 14. E. 7. 29.
Mulier litigioſa eſt inſtar tecti perſtillantis. P. 19. 13
Mulieris virtute præditæ cum ſuis muneribus deſcriptio. P. 31. 10. &c.
Mulier peior morte corporali. E. 7. 27.
Mulier eſt laqueus & ſagena quibus capiuntur pretioſæ virorum animæ. E. 7. 27.
Solus tactus manuum mulieris ita illecebroſus eſt vt capiat & ſiget arctiſſime virorum animas. E. 7. 27.
Mulier allicit viros, ſicut magnes ferrum attrahit. E. 7. 27.
Mulier bona & pudica rariſſima eſt. E. 7. 29.
Multiloquium quàm vitioſum, & quid ſit? P. 10. 14. & 19. E. 5. 2.
Multiloquium eſt ſtultis proprium. P. 10. 14. E. 10. 13. & 14.
Mundi huius vanitas & peruerſitas tanta eſt, vt in eo omnia præpoſtero modo fiant. E. 9. 11. & 16. item 10. 5.
Signa conſummationis mundi. E. 12. 2. 3. &c.
Amor rerum huius mundi obnubilat cognitionem & amorem cœleſtium. Sap. 4. 12.
Omnis gloria & ſplendor huius mundi non eſt aliud, quam peccatum. P. 21. 4.
Muneribus omnia ſunt peruia etiam palatia regum & cœlum. P. 18. 16.
Muſcæ morientes in oleo illud corrumpunt, hæretici ſunt illis ſimiles. E. 10. 1.
Ægyptij adorabant muſcas tanquam Deos. Sap. 11. 16. item 12. 25.

N

NAtiuitatis die melior eſt dies mortis. E. 7. 2.
Homo, ſimiliter vt pecus moritur & naſcitur. E. 3. 18. & 20.
Tempus ordinarium Natiuitatis eſt nonus poſt conceptionem menſis. Sap. 7. 2.
Menſis Natiuitatis infra ſeptimum non eſt vitalis, ſupra decimum rarus & monſtroſus. ibid.
Menſis decimus adſcribitur heroibus vti & Chriſto. ibid.
Qui nondum natus eſt felicior eſt viuente calamitatibus oppreſſo. E. 4. 3.
Nomen bonum melius eſt quam diuitiæ multæ. P. 22. 1.
Bonum nomen melius eſt vnguentis pretioſis. E. 7. 2.
Bonum nomen quorum bonorum ſit cauſa? ibid.
De quo bono nomine hoc intelligatur. ibid.
Quid nomen incommunicabile. Sap. 14. 21.
Quanta fuerit magnificentia nominis Tetragrammationi inſculpti laminæ aureæ in fronte Aaronis. Sap. 18. 24.
Iudæi ab illius pronuntiatione religioſiſſime abſtinebant. ibid.
Dicunt ſe ignorare illius ſignificationem, eamque ſibi à Meſſia reuelandam. ibid.
Noſcere. Vide Cognoſcere.
Nouum nihil ſub ſole. E. 1. 10. item 3. 14.

O

OBedientia filiorum erga parentes meretur coronam in cœlis. P. 1. 9.
Obedientia melior victima & quare. E. 4. 17.
Oblationes frugum ſuis miniſtris factas Deus largius compenſat etiam in temporalibus. P. 3. 10.
Quid ſignificet oblatio primitiarum. P. 3. 9.
Obſcuritatem qua de cauſa ſcriptura affectet ſemper in parabolis & prouerbiis. in arg. lib. prouerb. Item. P. 25. 2.
Obſcuritatem prudenter affectarunt in ſuis diſciplinis tradendis antiquitus Ægyptii, Chaldæi, Pythagoras, &c. In arg. lib. prouerb.
Obſeruantibus mandata promittuntur ſub iiſdem verbis bona temporalia carnalibus, verbi gratia, Iudæis & æterna ſpiritualibus, v. Chriſtianis. P. 3. 2.
Obſeruans mandata gratus eſt Deo & hominibus. P. 3. 4.
Oculorum diuagatio ſignum ſtultitiæ. P. 17. 24.
Onocrotalus inde nomen habet quod inſtar aſini rudat. Soph. 2. 13.
Eſt duplex, alius terreſtris, alius aquatilis. ibid.
Alio nomine Pelicanus appellatur. ibid.
Operibus bonis in hac vita ſtudendum. E. 11. 3. 4. &c. P. 24. 30.
Qui bene operantur, ſemper aliorum inuidię expoſiti ſunt. E. 4. 4.
Opportune prolatum verbum magnam habet gratiam. P. 25. 11.
Omnia ſuam opportunitatem & tempus habent. E. 8. 6.
Orationis intentio cor expurgat & capacius red-

dit ad Dei munera ſuſcipienda. P. 2. 3.
Perſeuerentia in Oratione lætitiam & ardorem infundit. E 7. 9.
Otium fugiendum. P. 6. 6. Item 24. 30.
Otio, deſidia & negligentia res firmiſſimæ collabuntur & pereunt. E. 10. 18.
Otio animus hebeſcit E. 10. 10.

P

PArabola Græcè ſignificat ſermonem aliquem qui rei alicuius geſtæ, aut gerendæ ſimilitudinem habet. in arg. lib. prouerb.
Parabola ſolet eſſe obſcurior, pauloque prolixior narratio, ſed quia metaphorica eſt, opponitur hiſtoriæ. ibid.
Quomodo parabola diſtinguatur ab adagio parœmia à prouerbio. ibid.
Qua de cauſa ſcriptura in parabolis ſemper affectet obſcuritatem. ibid.
Parabola in ſcripturis vſurpati ſolet pro graui & obſcura H. 2. 6.
Paræmia Græcè quaſi ad viam, ſiue præter viam dicta ſignificat verbum per vias, ſiue vſu vulgi tritum. in arg lib. prouerb.
Parœmia adagium prouerbium quo modo in ſignificatione differant. ibid.
Sæpe tamen confunduntur & ſignificant quamuis celebrem grauemque ſententiam, maximè paulo obſcuriorem. ibid.
Parentes iuſti bonos filios poſt ſe relinquunt. P. 20. 7.
Qui à parentibus furatur grauiter peccat. P. 28. 24.
qui Parentes deſpicit dignus eſt cui corui eruant oculos. P. 30. 17.
Parentum impietatem ſubinde Deus punit immiſſione filiorum ſimiliter iniquorum. Sap. 3. 2.
Propter peccata parentum ſæpe filii maledicuntur à Deo. Sap. 3. 13.
Parentes ſæpe congregant diuitias non filiis, ſed externis P. 13. 23 E. 2. 26.
Item malis & inſipientibus hæredibus, quo nihil eſt vanius 2. 19. & 20.
Paſſionum ſuarum moderator fortior eſt viro bellicoſo. P. 16. 32.
Paſtorum negligentia Eccleſia animarum cibo deſtituitur. P. 14. 4.
Paſtores debent aduigilare ſuis ouibus. P. 27. 23. 25. & 26.
Paſtores non debent ab omnibus ſuis vltra neceſſaria victum accipere. P. 27. 26. & 27.
Pater amat filium, quem caſtigat, & quem non caſtigat, odit. P. 13. 24.
Qui deſpicit patrem, dignus eſt cui corui eruant oculos. P 30. 17.
Pauper & diues vterque vtrique neceſſarius & propter ſe mutuo à Deo facti ſunt. P. 12. 2.
Paupertas eſt quibuſdam neceſſaria vt perueniant ad cœlum. P. 30. 3.
Qui pauperi paupertatem exprobrat, exprobrat factori eius. P. 14. 3. Item 17. 5. Item 28. 6.
Pauper ſimplex eſt melior diuite ſuperbo. P. 19. 1.
Deus eſt defenſor pauperis. P. 22. 22.
Pauper puer & ſapiens melior eſt rege, ſene & ſtulto. E. 4. 13.
Pax mentis quid ſit? P. 3. 17.
Pax Hebræis ſignificat omne genus fœlicitatis. Sap. 3 3.
Peccata ſunt vincula quibus peccator conſtringit. P. 5. 22.
Impius ita paulatim peccatis aſſueſcit vt in fine contemnat. P. 18. 3.
Nemo immunis à peccato. P. 20 9.
Peccandi ſocietas impiis eſt iucundiſſima. Sap. 2. 9.
Per quæ quis peccat, per hæc & punietur. P. 22. 16. E. 10. 8. 9. Sap. 11. 17.
Animus inordinatus & peccans eſt ſibimet pœna idque ex Dei ordinatione. Sap. 5. 7.
Pecuniæ omnia obediunt. E. 10. 19.
Pecunia de ſe vilis, erogatione in pauperes fit pretioſiſſimo P. 13. 8.
Pecunia eſt lutum H. 2. 6.
Peregrinationibus in hac vita non inhærendum rebus ſuperfluis, quæ inſtitutum iter abrumpant, aut retardent. E. 7. 1.
Petræ de medio, in deſerto bis aquæ fluxerunt, & non ſemel tantum vt quidam opinantur. Sap 11. 4.
Falsò aliqui putant eandem petram perpetuo in caſtris Iſraëlitarum quaſi plauſtro fuiſſe circumductam ex qua aquæ fluerunt. ibid.
Pharan mons hoc eſt mons denſus & vmbroſus & cur ſic dictus. H 3. 3.
Cur Chriſtus dicitur venturus de monte Pharan. ibid
Pheleti legio quid fuerit & vnde ſic dicta? Soph. 2. 5.
Philiſtæi ſiue Palæſtini nomine appropriato dictis ſunt Cerethim eo quod bellandi & interficiendi ferocia præcellerent. Soph. 2. 5.
Philoſophi Gentiles ſidera, aquam, aërem, ventum ignem, terram tanquam Deos ſtatuerunt. Sap. 13. 2.
Pigritia cauſat paupertatem. P. 10. 4. Item 12. 24.
Piger vult & non vult laborare. P. 13. 4. Item 21. 25. Item 26. 14.
Piger in lectulo ſuo eſt inſtar oſtij in cardine ſuo verſi. P. 26. 14.
Pigri apprehendunt omnia difficillima & ſpinis plena P. 15. 19. Item 22. 13. Item 26. 14. Vide vocem, otium.
Pigri deſcriptio. E. 4. 6.
Plato credidit ſidera, eſſe genus Deorum igneum Sap. 13. 2
Induxit etiam vnum Deum facientem illos Deos cœleſtes. ibid.
Poëtæ dæmonum inſtinctu multa fabulatis ſunt, ſcripturæ myſteriis non intellectis, aut de induſtria obſcuratis. Sap. 19 20.
Populi peccata ſubinde Deus punit multitudine principum. P. 28. 2.

Potestas omnis, etiam impiorum, à Deo eſt. P. 8. 15.
Abſtinendum à porationibus & commeſſationibus. P. 23. 20. 29. & 30.
Mala quæ cauſantur per porationes. ibid.
Præcipitatio quam noxia ſit in actionibus. P. 19. 26.
Prædicandi. qui abſcondit talentum maledicentur. P. 11. 26.
Præſumendum non eſt de ſe. P. 3. 5 & 7.
Præteritorum experientia eſt mater prudentiæ. E. 8. 7.
Primitiarum oblatio. P. 3. 9.
Principes mendacium dedecet. P. 17. 7.
Quomodo ſeſe oporteat gerere in menſa principis. P. 21. 2.
Principis qui delectatur detractionibus, calumniis & adulationibus aliorum, omnes miniſtri ſunt impij. P. 29. 12.
Probari nos contigit in laude humana, ſicut aurum igne probatur P. 22. 27.
Deus ſuos probat per afflictiones. Sap. 3. 5. & 6.
Calumnia & corporis tormenta ſunt duo fortiſſima virtutis probandæ media. Sap. 2. 19.
Prohibita cur ſuauius & lubentius guſtentur & percipiantur. P. 9. 17.
Promittentes multa & nihil efficientes ſunt vento ſimiles & nubibus ſterilibus. P. 25. 14.
Prophetas extaſi & mentis amentia raptos nihil eorum intellexiſſe quę prędicabant, Montani delirium fuit. H. 1. 1.
Cur prophetæ hoc, dicit Dominus tam frequenter vſurpent. Sap. 1. 2.
Proſperitas impios perdit. P. 1. 32. E. 8. 13.
Proſperitas impii facilè perit & extinguitur. P. 24. 19.
Proſperitas & aduerſitatis alternatio & viciſſitudo ex Dei ordinatione prouenit. E. 7. 15.
Proſperitas eſt impiis præcipuus peccandi fomes. E. 8. 13.
Proſperitatis malorum & iuſtorum aduerſitas in hac vita eſt ex modo diuinę prouidentiæ conuenientiſſimo homini lapſo. E. 8. 14.
Dirigere ſæpe ponitur pro proſperare. Sap 11. 1.
Prouerbiorum liber ſemper habitus fuit ſacer, vt pote à quo Prophetæ & Apoſtoli multos verſus mutuati ſunt. in arg. lib. prouerb.
Prouerbiorum Hebræis eſt quæuis locutio ſignificans metaphoram, & ſimilitudinem, quæ in oratione vim magnam habet, & quaſi dominatur ibid.
Vox Hebraïca correſpondens voci prouerbium, deriuatur à verbo ſignificante dominari, aut principari: hinc prouerbium eſt oratio quę quodammodo principatur & dignitatem habet. ibid.
Quomodo prouerbium diſtinguatur ab ænigmate. ibid.
Prouidentiæ omnia ſubſunt diuinæ. Sap. 6. 8.
Homines prouidentiam nullam de rebus inferioribus eſſe putant, eo quod omnia hic indifferenter eueniant bonis & malis. E. 9. 3.
Dei prouidentia qua regit res ſingulas, eſt ſuauiſſima, & maximè rerum naturis accommodata, ſine vlla coactione aut violentia. Sap. 8. 1.
Prudentia vrbes capiuntur aliàs viribus inexpugnabiles. P. 21. 22.
Prudentia vrbes magis defenduntur quàm fortitudine. E. 9. 13. & 18.
In quo conſiſtat ſumma hominis prudentia? Sap. 6. 16.
Quid ſit Christiana prudentia. P. 9. 10.
Quis verè prudens appellandus. P. 16. 21.
Pueri caſtigandi. P. 22. 15. item 13. 15. item 29. 15.
Ex moribus ſui colligitur qualis puer futurus ſit in ætate adulta. P. 20 11.
Omnes Hebræorum pueri poſt egreſſum è mari rubro vna quaſi voce ſimul idem canticum cantabant. Sap. 10. 21.
Pulchritudo eſt vana & fallax. P. 31. 30.
Quanta ſit Dei pulchritudo ex eius operibus cognoſcitur. Sap. 13. 3.
Punitio, qua Deus punit nocentes, & benignitas in alios, Sap. 16.
Animus inordinatus eſt ſuamet punitio. Sap. 5. 2.
Per quæ quis peccat, per hæc & punietur. P. 22. 16.
Pupillorum pater, propinquus & tutor eſt Deus. P. 23. 11. item 15. 25. item. 22. 22.

R

Ranæ in Ægypto ebullierunt in vindictam occiſionis infantium Hebræorum. Sap. 11. 8.
Ranæ adorantur ab Ægyptiis. Sap. 12. 25.
Rationem reddere actionum ſuarum quęrenti quomodo oporteat. E. 8. 5.
In iudicio de omnibus eſt Deo reddenda ratio. 11. 9 item 12 14.
Rectitudo greſſuum hominis quid ſit & quando? P. 5 6.
Quid ſit recta voluntas E. 7. 30. P. 2. 21. Sap. 9. 1.
Referendæ omnes actiones noſtræ in Deum, P. 3. 6. item 4. 25.
Regentibus alios, fiet iudicium duriſſimum. Sap. 6. 6.
qui Regunt & præſunt, debent habere & amare ſapientiam Sap. 6. 22.
Vide Rex.
Remuneratur Deus affluentia bonorum temporalium liberalitatem in pauperes, & ſuos miniſtros exhibitam. P. 3. 10. item 11. 14. & 25. item 19. 17.
Reſpondens antequam audiat, ſtultum ſe eſſe demonſtrat. P. 18. 13. item 29 10
in Reſponſione ad interrogata non licet vti reſtri-

ctionibus & alienis à propoſito interpretationibus. Sap.1. 5.
Reſpublicæ etiam firmiſſimæ otio & deſidia collabuntur & pereunt. E. 10 18.
Reſtrictiones mentales Spiritus ſancti odit Sap. 1. 5.
vti Reſtrictionibus mentalibus in reprehenſione ad interrogata fallacia eſt & dementia. ibid.
Regis cor in manu Dei eſt & inclinat illud, quocumque vult. P.21 1.
Quomodo oporteat ſe gerere in menſa Regis. P. 23.2.
Regis cogitationes & conſilia debent eſſe ſecretiſſima.P.25 3.
Regis ſolium firmatur iuſtitia in pauperes facta.P. 25.5.item 20.28.item 29.14.
Fides ſubditorum in reges inconſtans vagæque & fluxæ affectiones. E.4.11.
Væ terræ habenti Regem puerum & intemperantem,E.10 16.
Male loqui de Rege etiam occultiſſime,eſt periculoſum.E.10.20.
Reges maxime debent diligere iuſtitiam. Sap.1.1.
Rex debet facile audire prudentum conſilia. Sap. 6.2.
Regum poteſtas eſt à Deo,Sap.6.4.
Rex ſapiens eſt populi ſtabilimentum. Sap.6 26.
Regibus vinolentia maxime fugienda eſt. P.31. 4.
Reges debent eſſe iudices & defenſores pauperum. P.31.8.
Ridens & contemnens ſapientiam ridebitur in interitu ſuo.P.1.26
Riſus ſtultorum eſt ſimilis ſono ſpinarum ſub olla ardentium.E.7. 1.

S

SAcerdotis officium eſt pro populo tanquam mediatorem intercedere.Sap.18.2.
Salomonem Prophetis annumerat Auguſtinus & quare? P.1.1.
Salomon decimo poſt conceptionem menſe natus eſt. Sap.7.2.
Salomon multis precibus impetrat ſapientiam.Sap. 7.7.
Salomon præoptat ſapientiam ſuper omnia alia bona.Sap.7.7.&c.
Sapientia eſt ſalus hominis.P 27.
Sancti in extremo iudicio cum Chriſto iudicabunt. Sap 3 8
Sapiendum eſſe, ſed non plus, quam oportet .P. 3. 7.item 25.16.& 27 E.7.17.
Sapientes in oculis ſuis difficilius inſtruuntur & curantur, quam inſipientes P 26. 26.
Sapientes facile aduertunt & cognoſcunt corda aliorum P 20.5 item 27 16.Sap.7.20.
Nemo Sophos, ſiue ſapiens, qui ante non fuerit philoſophus Sap.6.12.
Sapientum multitudo eſt populi ſalus.Sap.6.26.
Sapiens eſt capax alios gubernandi P.1.5.
Quando quis & vere ſapiens P.3 19.Sap.6.24.
Sapiens quo magis in ſapientia proficit, eo magis ab illa ſibi videtur abeſſe. E.7.14.
Sapiens ita præmediate agit vt actionum ſuarum poſſit quærenti rationem reddere.E 8.5.
Quo ſenſu timor Domini ſit principium ſapientiæ, ſapientia ipſa, & eius plenitudo. P. 1. 7. item 2.5
Sapientia palam & confidenter agit,clamat, prædicat.P.1.21.item 8.1.
contemptor Sapientiæ, contemnetur quoque & ridebitur in ſuo interitu.P.1 26.& 28.
Humilis animus eſt maxime ſapientiæ capax. P.2. 2.item 11.2.
vera Sapientia à ſolo Deo donatur.P. 2 5 &6. Sap. 7. 16.
Sapientia hominem præſeruat & ſeductoribus & vita mala. P.2 12 item 7.3.E.7.20.
Sapientia eſt ſalus & vita animæ. P. 2.7.item 3.22. item. 8.35.
Sapientia hominem dirigit ne impingat & offendat.P.3.23.
Sapientia per obſeruationem mandatorum perducit ad vitam æternam. Sap.6.19 & 20.
Sapientia reddit hominem ſecurum P.3.23.& 24.
Sapientiæ in æſtate ſtudendum, hoc eſt in tranquillitate, vt inde viuamus in hieme, hoc eſt in aduerſis.P. 6.6.
Sapientia auro & diuitiis præponenda. P.8.10.& 18. item 16. 16 Sap 7.8 & 9.
Quis ſapientiæ amator? P.8.17.
Quæ ſit vera ſapientia? P.1. 2.item 14. 8. Sap. 6. 24.
Sapientia emenda, & non vendenda.P.23.23.
Sapientia cum diuitiis vtilior ſola ſapientia. E. 7. 12.
Sapientia inſtar ligni vitæ præſeruat à morte. P. 3. 18.
Homines quandiu adhærent ſapientiæ, ſunt inuicti, immutabiles. E.7 20.Sap.16 12.
Sapientia reddit homines admirabiles, regibus horrendos, &c. Sap. 8 10.11.&c.
Hominis ſapientia lucet in eius vultu.E.8.1.
Sapientia humilis & parua, quæ apud homines eſt ſtultitia, melior eſt illa glorioſa ſapientia & apud homines honorata, quæ apud Deum eſt ſtultitia. E.10.1.
Sapientia magna eſt deſipere tempore & loco. ibidem.
Doctrina ſapientiæ eſt inſtar mellis & faui dulciſſimi. P. 24.13.Sap.8.16.
Sapientia eſt merces & præmium caſtitatis. Sap. 3. 15.
Sapientia non niſi amore, ſiue charitate & magno labore acquiritur. P.2.3. item 8. 17.& 34 Sap. 6. 12.13.& 15.
Sapientia eſt parens omnium bonorum. Sap. 7. 11. item.8.10.11.& 15.
in Sapientiæ inueſtigatione & inuentæ contemplatione conſiſtit ſumma hominis prudentia. E. 10.10.Sap.6.16.

Sapientia non habitat in fraudulentis, & Veneri deditis. Sap. 1. 4. item 8. 8.
Sapientia increata eſt vapor virtutis Dei, & emanatio quædam ſincera claritatis Dei. Sap. 7. 25.
Eſt candor lucis æternæ, ſpeculum ſine macula & imago bonitas Dei. ibid.
Liber ſapientiæ ſemper habitus eſt in Eccleſia pro Canonico, in proœmio. lib. Sap.
Illum deiecerunt Semipelagiani, vti & poſtea Caluinus & Lutherus. ibid.
Autor illius eſt Salomon, non Philo vt quidam opinantur, in principio libro ſap. de authore eiuſdem.
Dubitatur adhuc quis illum ex Hebraïco in Græcum tranſtulerit. ibid.
Scarabæus adorabatur ab Ægyptiis. Sap 11. 17.
Scientia hominis tam parua eſt, vt naturam minimi operis diuini non poſſit penitus cognoſcere. E. 3. 11. item 8. 19.
Scientia & cognitio humana de Deo tam infirma vt quidquid de eo cogitaueris, aliter ſeſe habeat, quam cogitaueris. E. 5. 1 & 2.
Scientia hominis tam exigua eſt vt ignoret multa etiam ſibi maximè neceſſaria, quæ videt ante ſe. E. 7. 1.
Homo non poteſt ſcire quid poſt ſe futurum ſit, ibid.
Homo ſcire nequid an ſua opera recta ſint & non aliquo occulto defectu contaminata. E. 9. 2.
Scripturam ſacram ſic Deus diſpoſuit vt per eadem verba promittat bona temporalia hominibus carnalibus & æterna ſpiritualibus. P. 2. 3.
Qua de cauſa obſcuritas ſcripturæ ſacræ congruat. in arg. lib. Prouerb. item 25. 2.
Scrutator curioſus rerum diuinarum opprimetur à gloria illarum. P. 5. 27.
Curioſa rationum & iudiciorum diuinorum ſcrutatio vana eſt & inutilis. E. 6. 10. item 7. 1.
Segor, ſiue Bala vrbes precibus Loth liberta fuit ab incendio. Sap. 10. 6.
Eius incolæ poſt diſceſſum Loth, omnes hiatu terræ abſorpiti ſunt. ibid.
Senes ſolent deprædicare tempus præteritum. E. 7. 11.
in Senectute propter infirmitatem non poteris bene agere, ac proinde in iuuentute bonis operibus inſudandum. E. 12. 1.
Senes obnoxii defluxionibus & catharris, non ſimiliter iuuenes quare. E 12. 2.
Deſcriptio ſenis cum omnibus defectibus ſenilibus 12. 2. 3. &c.
Senectus venerabilis conſiſtit in prudentia & bonis moribus, Sap. 4. 8. & 9.
Iuuenis viuens vitam immaculatam, officio & moribus vere ſenex eſt Sap. 4. 8. & 9. E. 7. 18.
Seruus & ancilla cum dominantur, ſunt intolerabiles. P. 29. 21. Item 30. 21.
Amor facit amantem ſeruum rei amatæ. E. 2. 11.
Seruus ſapiens dominabitur filiis domini ſui. P. 17. 2.
Indulgentia Dominorum ſerui redduntur rebelles. P. 29. 21.
Sidonij & Tyrij cur peculiari cultu adorarent Baal & Aſtaroth. Soph. 1. 4.
Simpliciter qui agit, eſt Deo gratus P. 11. 20.
Quis vere ſimplex & rectus. P. 2. 21.
Societatis quanta ſit vtilitas & conuerſationis cum aliis. P. 27. 17. E. 4. 6. 10. &c.
Societas peccandi eſt impiis iucundiſſima. Sap. 2. 9.
Sodomæ & Gomorrhæ ignis fuit fulmineus, ſiue fulmen. Sap. 10. 6.
Locus in quem regio Sodomorum conuerſa eſt, ſemper fumans eſt, & ita tenebroſus vt videatur os inferni. Sap. 10. 7.
Loca vicina ad quinque leucas ſunt omnino ſterilia. ibid.
Naſcuntur tamen ibi arbores, ſed quarum fructus manibus carpentium in fumum diſſoluuntur & cineres. ibid.
Sodomitæ plateas quidem, ſed non hoſtium domus Loth videbant. Sap. 19. 16.
Solitudo mala eſt & periculoſa. E. 4. 9. & 10.
Solitarius, inquit Ariſtoteles, vel Deus eſt, vel beſtia. ibid.
Somnia ſunt vigiliæ dormiantium. E. 5. 2.
Non indulgendum ſomno. P. 20. 13.
Sophoniam fuiſſe filium Regis Ezechiæ, nonnulli putant, ſed hoc minus veriſimile eſt. Soph. 1. 1.
Spiritus ſanctus fugit & auerſatur mendaces & fictos. Sap. 1. 5.
Spurii apud Deum & homines contempti. Sap. 3. 17. & 18.
Spurii ordinariè tales ſunt, quales parentes, impuri & impii. Sap. 4. 3. 4. 5. & 6.
Spuriorum poſteritas & proſperitas citò extinguitur ibid.
Statera doloſa eſt abominatio apud Deum. P. 11. 1. Item 20. 10. & 23.
Stellio ſapientior ſapientibus docet homines præparare habitationem ſuam in ædibus regis regum. P. 30. 28.
Stultis multiloquium eſt proprium. E. 10. 13. & 14.
Stultus diuagatur oculis. P. 27. 24.
Stultus ſi tacuerit, ſapiens reputabitur. P. 17. 27.
Stultus nec flagris, nec verberibus corrigibilis eſt. P. 27. 22. Item 29. 9.
Stultus omnes alios præ ſe ſtultos iudicat. E. 10. 3.
Stultos non decent parabolæ aut ſententiæ graues P. 26. 7.
Subditorum fides in principem inconſtans eſt, vagæque & fluxæ eorum affectiones. E. 4. 16.
Superbia mater diſcordiarum. P. 13. 10.
Superbi ſemper ſunt litigioſi. ibid.
Deus ſæpe permittit ſuperbos ad eorum humiliationem cadere in aliquod graue & infame luxuriæ peccatum. P. 22. 14.
Superbi multa pollicentes, ſed nihil efficientes, ſunt venti & nubes ſteriles. P. 25. 14.

Superbi & in oculis ſuis ſapientes difficulter inſtrui poſſunt. P. 26. 12.
Superbus eſt inſatiabilis. P. 30. 16.

T

Taciturnitas eſt ſignum ſapientiæ. P. 17. 27. E. 10. 14.
Templum quo ſine ingredi oporteat, & quomodo ſeſe in eo gerendum. E. 4. 17.
Tempus præteritum melius fuiſſe præſenti ſtultum eſt putare. E. 7. 11.
Senes ſolent prædicare tempus præteritum. ibid.
Omnia tempus & opportunitatem ſuam habent. E. 3. 1. Item. 8. 6.
Amor rerum temporalium impedit cognitionem & amorem cœleſtium. Sap. 4. 12.
Tentat Deus homines non tentatione deceptionis, ſed probationis. Sap. 3. 5.
Tempore veteris teſtamenti erat tempus connubiorum, nunc autem caſtitatis. E. 3. 5.
Theman eſt vrbs & regio Idumeæ Auſtralis, hinc omnis regio Auſtralis Hebræis Theman vocatur H. 3. 3.
Theologia, ſiue ratio de Diis, apud Gentiles triplex erat, fabularis, ciuilis, & naturalis. Sap. 13. in præfatione eiuſdem.
Quomodo illa tria diſtinguantur. ibid.
Timor Domini quo ſenſu ſit principium ſapientiæ, ſapientia ipſa, & eius plenitudo. P. 1. 7.
Timor Domini infirma confirmat & roborat. P. 3. 8. Item 14. 26.
Timor Domini cum mediocritate melior eſt omnibus theſauris. P. 15. 16.
Timor Domini vitam prolongat. P. 10. 27.
Timor Domini ducit ad vitam æternam. P. 19. 23.
Tophet vallis prope Ieruſalem in qua idolo Moloch cremabantur pueri. Sap. 12. 5.
Quare ſic appellata eſt. ibid.
Tranſitoria omnia ſunt. E. 1. 2. 3. & 4. Item 2. 11. Sap. 5. 9. & 10.
Homines tranſeunt iſtar aquæ. E. 11. 1.
Triſtitia vultus diſſipat linguas detrahentium. P. 25. 23.
Triſtitia vultus corrigit delinquentem. E. 7. 4. 5. & 6.
Triſtitia hominem deiicit & enervat. P. 12. 25.
Triſtitia excedit hominem, ſicut tinea veſtem. P. 25. 20.
Tyrus aliquando fuit inſula, quam Nabuchodonoſor expugnans iacto aggere continenti coniunxit. H. 1. 10.
Cur Baal & Aſtaroth peculiari cultu à Tyrijs & Sidoniis coleretur. Soph. 1. 4.

V

Vanitas omnia. E. 1. 3. 4. & 14.
Venereis dediti difficillimè inde poſſunt extricari. P. 2. 19. Item 7. 21.
Venerea valetudini noxia, & vitam abbreuiant. P. 5. 9. & 11.
Cum hominibus Veneri deditis non habitat ſapientia. Sap. 1. 4.
Verbum opportune prolatum magnam habet gratiam. P. 25. 11.
Verbum, apud Hebræos ſignificat quoduis negotium. P. 16. 20.
Veſpæ veræ ſiue crabrones, & non tantum acerrimi timoris aculei, vt quidam, præmiſſi ſunt ne Chananæos ante Iſraëlitas, qui illos ex Chananæa excedere cogerent. Sap. 12. 8.
Viduarum Deus eſt defenſor. P. 15. 25.
Vinum eſt res luxurioſa. P. 20. 1.
Vinum non eſt dandum regibus & quare? P. 31. 4.
Vinum dandum mœrentibus quia lætificat. P. 31. 6.
Vinum ad hilaritatem creatum eſt & mœrorem expellendum. ibid.
Virtutis via videtur hominibus pigris eſſe ſpinis plena. P. 15. 19.
Qui Virtutem ſectantur, aliorum inuidiæ ſunt ſemper expoſiti. E. 4. 4.
Calumniæ & corporis tormenta ſunt duo fortiſſima Virtutis probandæ media. Sap. 2. 19.
Virtutis via incipientibus quidem valde arcta eſt, ſed poſtea dilatatur. P. 4. 12.
Viſitare ſæpe ſumitur in ſcripturis pro punire. Soph. 1. 1.
Via æternæ ſalutis cur à Deo differant? P. 13. 12.
Certus eſt & determinatus numerus dierum vitæ. E. 7. 1. Sap. 2. 5.
Vita inſtar vmbræ tranſit. E. 7. 1. Sap. 2. 3. & 5. Item 5. 9. & 10.
Viuens eſt melior mortuo. E. 9. 4. 5.
In tota hac vita bonis operibus inſudandum. E. 11. 3. 4. & 5.
Quidam antiqui Philoſophi putarunt vitam noſtram non eſſe aliud, quam viuacem quemdam ignem in corde latitantem quod quando commouetur ſcintillas quaſdam emittat, ſcilicet verba quæ loquitur, & fumum, quo reſpiramus, Sap. 2. 2.
Impii dicunt hanc vitam nobis fortuito & ſine vlla Dei prouidentia datam. ibid.
Vitæ huius vanitas & mobilitas. Sap. 2. 3.
Propter vitæ breuitatem impii indulgent voluptatibus, at pii bonis operibus eandem ob cauſam ſtudent. Sap. 2. 6.
Vita perfecta & immaculata, etſi ſit breuis, reputatur longa. Sap. 4. 13.
Via quæ ducit ad vitam, quibus arcta ſit, & quibus quomodo dilatetur. P. 4. 12.
Via peccatorum etiam voluptuoſiſſima non eſt ſine magnis difficultatibus & ſpinis vndique pungentibus. Sap. 5. 7.
Voluntas recta quænam ſit. E. 7. 30. Sap. 9. 3.
Voluptatum vanitas. E. 2. 1. Item 11. 8.
Propter voluptatem aliquid agere eſt peccatum. Sap. 2. 10.
Non voluptatibus indulgendum, ſed de morte & æternitate cogitandum eſt. E. 11. 8.

Voluptuoſos homines Deus excæcat. P. 2. 13.
Vouendum non eſt facile & temere. E. 5. 3. & 5.
Vrbis ſalus ſunt iuſti & impii emerſio. P. 11. 11.
Vti creaturis quid ſit. E. 2. 24.
Poſſe creaturis recte vti, eſt donum Dei. E. 2. 24. Item 5. 18.
Vtendum iis bonis quæ bonis Deus dedit cum hilaritate. E. 3. 24. Item 3. 12. & 22. Item 5. 17. Item 9. 7.
Vxor debet eſſe viro chariſſima inſtar ceruæ. P. 5. 9.
Deus ſæpe ad punitionem viri dat ei vxore malam. Sap. 3. 12.

Z

Zoroaſtres ſolus in natiuitate ſua riſit, ſed riſu portentoſo. Sap. 7. 3.

FINIS.

PARISIIS,
Ex Typographia SEBASTIANI MARTIN, viâ Scotiâ, in Monte Diui Hilarij, ſub ſigno ſancti Ioannis Euangeliſtæ.

M. DC. LXI.

650870

Digitized by Google